JOANNIS

# DE LUGO

## DISPUTATIONES SCHOLASTICÆ

ET MORALES

FATHERS LIBRARY,
ST. JOSEPH'S CHURCH,
SAN JOSE, - - CAL.

SANCTI AMANDI (Cher).

Ex typis DESTENAY, Bussière Frères, 70, via vulgo dicta Lafayette, 70.



JOANNIS

# DE LUGO

HISPALENSIS, E SOCIETATE JESU

S. R. E. CARDINALIS

# DISPUTATIONES SCHOLASTICÆ ET MORALES

EDITIO NOVA

DILIGENTER RECOGNITA, NOTIS ILLUSTRATA, ET DOCUMENTIS PLURIBUS
QUÆ A MORTE AUCTORIS AD HUNC USQUE DIEM E ROMANA
CURIA PRODIERUNT, NEC NON INDICIBUS COPIOSISSIMIS LOCUPLETATA ET ORNATA

ACCURANTE

J. B. FOURNIALS

PAROCHO S. SATURNINI, CANONICO HON. ALBIENSI, OLIMQUE MINORIS SEMINARII
CASTRENSIS MODERATORE

— TOMUS OCTAVUS —

IN QUO 1° RESPONSA MORALIA; 2° CONSTITUTIONES APOSTOLICÆ;
3° INDICES GENERALES REPERIUNTUR.

ALMA COLLEGE
208.8
LIBRARY
L968
Alma, California

FATHERS' COLLEGE LIBRARY
ST. JOSEPH'S CHURCH
LIBRARY
Alma, California
SAN JOSE, CAL.

PARISIIS

APUD LUDOVICUM VIVÈS, BIBLIOPOLAM EDITOREM

VIA VULGO DICTA DELAMBRE, 9

M DCCC XCIV

752

FATHERS LIBRARY
ST. JOSEPH'S CHURCH,
SAN JOSE, - - CAL.

# SFORTIA PALLAVICINUS,

*E' SOCIETATE JESU,*

## LECTORI BENEVOLO S.

---

Visuntur hodie in Regiis, ut Museis tamquam archetypi, fictilia quædam per lusum depicta a Raphael Urbinate, nihil tum opinante, olim eventurum, ut ipse, ejusque in pingendo excellentia ex ejusmodi tanquam ejectamentis æstimarétur. Id namque si vel suspicatus esset, ludicra illa, neglectaque opera, ut arbitror, accuratius quam concinnaverat, diffregisset. Haud rara sunt hujuscemodi exempla. Quot nunc extant, et cum admiratione leguntur præstantium Scriptorum rejectanea ? Quorum sane Scriptorum severiori in egregios fœtus proscriptioni nisi æquior eventus intercessisset, simul Latium, simul Poesis universa maximo suorum decorum, hoc est, Virgiliana Æneide, caruissent. Hæc ipse reputans, existimavi amantius mihi, quam obsequentius agendum cum Eminentissimo Cardinale de Lugo (quem eo Præceptorem meum appello, quo obliquem eipsum appellatione speudidissima cohonestem) ut ab eo exculperem hoc moralium Responsionum volumen. Hæc siquidem ipse construxerat, perinde ac principes Viri tentoria, hoc est, ad subitarium usum, non ad stabilitatem. Memini, cum sodales ordine, juncti cubiculis ; sed consuetudine, et charitate conjunctiores degebamus, ad ipsum ceu ad sacram cortinam Consultores undique adire in arduis quibusque, magnisque conscientiæ quæstionibus. Quibus ille dum non sapientius, quam humanius satisfaciebat, ingens nil tale sentienti peculium exercuit ; sed adeo neglectum, ut sine furti noxa subripi potuisset : quippe non tam animo possessum, quam derelictum. Quid ille super horum editione sentiret, quantum ego industriæ et laboris impenderim, ut eum exorarem, testatur illius ad me epistola, quam ex Italica fidelius, quam elegantius Latinam reddidi, atque huic operi præfixi tanquam tabulas mei in litteratorum nationem promeriti.

Enimvero Jo. de Lugo (ita simpliciter nuncupaverim ; ut enim in maximo astro, ita in maximis nominibus, nihil illustrius, quam nuditas) hac gemina laude semper inclaruit, ut nemini ætatis suæ, vel ingenii acumine, vel judicii soliditate concesserit. Neque fuit in contemplatrice Theologia subtilior, quam in morali prudentior ; quamvis ego hujus postremæ conjunctionis decus, non tanquam singulare aliquid in illo suspexerim. Rarum hoc esse, atque insociabile dictitant homunciones nonnulli, quibus expediret, ipsam unius doctrinæ vacuitatem, alterius esse probabilem conjecturam : perinde ac si vera omnia, atque adeo scientiæ omnes cognato fœdere non coirent : perinde ac si quæcunque rata conclusio in rerum agendarum quæstionibus ex meditantis Philosophiæ initiis non emergeret : perinde ac si Metaphysica, (quod Aristoteles demonstravit) non esset disciplinarum omnium præceptrix, ac parens. Quid enim ? an non, quem modo laudavi, Aristoteles inter Æthicos, Aristotelique ; proximus Aquinas inter Christianos, denique inter sodales nostros Toletus,

Vasquius, Suarius, Molina in utroque sciendi genere præcipui sunt ? ita ut id potius admirabile sit, quempiam in solis moralibus præstare, quam utique horum præstantiam, ut in humanis illustrem, veneror, sed in eamdem per se spectata suboscurum nescio quid, ac luscum, adeoque lapsibus obnoxium, introspicio. Illi vero divinorum contemplatores, qui actuosam Theologiæ partem omnino prætereunt, suspicabile est, ne pro vero factitium aurum venditantes, moralia argumenta, ceu lydium lapidem, reformident ; utpote in quibus proclive est, opinionum labem vel popularibus oculis esse conspicuam. Non sum inscius, in ejusmodi quæstionibus pariter, atque in forensibus, multos esse una auctoritate contentos : nec morem damno ; quemadmodum non improbarem si cæcutientes noctem diemve ex horologio potius, quam ex fenestra adjudicarent. Enimvero, cum utrumque forum innumerabilem exigat Præfectorum multitudinem, cumque in multitudine moralium, ideoque in usu earum artium, quæ multitudinis sunt, ingenii prætantia sit insperabilis, præsertim ubi opus tædii plenum, stipendii plerumque inops ; tutius fuit ut quorumdam magnorum auctoritate, quam ut propria ratiocinatione cæteri passim ducerentur. Ita se res habet. Verumtamen Scriptores illi, quorum disputationes sola auctoritate nituntur, testium fidem (quam etiam haud raro in illis desidero) vendicare sibi possunt, judicum auctoritatem arrogare sibi non possunt. Neque pro sententiis, quas tuentur, numerum augent suffragatorum ; quomodo nec multa parelia pro multis Solibus numeranda sunt, nec Echo, quantumvis multiplicata, plusquam una vox est. Juris ergo, ac recti qua exterioris, qua interioris præceptores ii tantum sunt, qui rem exigunt non ad alienas privatorum opiniones, sed vel ad scriptas principum leges, vel ad rationem, quæ legitima est interpres legis æternæ.

Hos inter præcipuus eminet cardinalis de Lugo ; cujus libri tum cæteris dotibus affluunt, tum vero assimilant mare illud vitreum simile crystallo ; scilicet perspicui pariter, ac profundi. Quis in eo non admiretur insignem styli solertiam, nil omittentis eorum, quæ omissa sermonem inobscurarent, nil dicentis eorum, quæ dicta, caliginem, non lucem affunderent ? Quod cum in quocunque scribendi genere præstabilissimum sit, tum vero præstabilius est in eo, quod agendi regulam præfert : nil enim ad regulæ substantiam tam proprium atque intimum, quam ut pateat.

Sed ego, dum te Lector diutius moror, tanti scriptoris gloriam laudibus ipsis imprudens detero ; hanc enim longe uberiorem illi pariet legentis experientia, quam laudantis exornatio.

# RESPONSORUM

## MORALIUM DIVERSORUM

**LIBRI SEX.**

---

## LIBER PRIMUS.

DE QUÆSITIS VARIIS CIRCA SACRAMENTA.

### DUBIUM I.

*De Baptismo in capillis, an sit validus, an repetendus ?*

1 Duo quæsita fuerunt casu occurrente. Primum, an ille, cujus solos capillos aqua attigerat, valide baptizatus fuisset ? Secundum, an saltem repetendus esset baptismus sub conditione ? Variæ fuerunt sententiæ theologorum. Aliqui enim absolute dixerunt baptismum fuisse invalidum : quam sententiam antea docuerat Bonacina *de Sacramentis*, disp. II. qu. II. punct. 3. nu. 21. quia nimirum capilli non sunt pars hominis, sed quædam superfluitas et excrementum non informatum anima : non ergo baptizatur ipse homo, ablutis solis capillis, cum nulla pars hominis aqua lavetur.

2 Alii dixerunt, baptismum non solum fuisse validum, sed ita certum, ut nec deberet nec licite posset etiam sub conditione reiterari. Primæ partis valorem affirmantes auctores afferentur postea. Secundam vero partem, nempe non debere nec posse reiterari etiam sub conditione, probabant, quia non potest licite reiterari baptismus etiam sub conditione, nisi quando ad minus de valore prioris baptismi est aliquod dubium morale atque probabile : neque enim quilibet scrupulus ad hanc reiterationem sufficit, sed requiritur dubium prudens, ita ut possimus probabiliter et prudenter dubitare de valore prioris baptismi. In hoc autem casu non est fundamentum probabile et morale ad dubitandum, ut ex fundamentis afferendis constabat : neque etiam per principia extrinseca, et ab auctoritate contrariæ sententiæ potest hoc dubium suboriri, cum omnes baptismum illum validum supponant, uno excepto Bonacina, qui contra communem doctorum sententiam id negavit, cujus auctoritas non potest probabilitatem dare illi sententiæ adeo singulari, nec certitudinem tollere sententiæ contrariæ.

Ego mediam viam tenendo, respondi, 3

baptismum fuisse validum : posse tamen et debere reiterari sub conditione. Utramque partem docent communiter theologi omnes : et in primis validum esse hunc baptismum in capillis, quando alia requisita concurrunt, docent Henriquez lib. II. *de Sacramentis* c. 7. Toletus lib. II. *Summæ* c. XVIII. nu. 10. Valentia t. IV. disp. IV. q. V. punct. 2. vers. *Sexto quæritur*. Coninch. in III. p. q. LXVI. art. VII. dub. II. n. 78. Graffis II. p. l. I. c. 4. n. 9. Possevinus, Bartholomæus ab Angelo, et Ledesma apud Bonacinam ubi supra n. 21. Item Filliucius t. I. tr. II. n. 32. Vasquez t. II. in III. p. disp. 14. Sotus in IV. dist. III. qu. unica, art. 7. §. *Tertium argumentum*. Joan. Præpositus in II. p. q. LXVI. art. VIII. dub. 3. n. 90. et alii plures, quos affert, et sequitur P. Dian. p. V. tr. III. *de casibus occurrentibus tempore mortis*, res. 4. et 11.

4 Probatur primo a priori ex fundamento omnino contrario ; quia nimirum capilli sunt pars vera hominis, et non solum superfluitas, vel excrementum, ut prima sententia supponebat ; nam licet fiant ex iis materiæ partibus, quas alia corporis membra, vel organa rejiciunt ; illa tamen materia, quæ aliis partibus non deservit, non rejicitur ut omnino inutilis, sicut rejiciuntur mera excrementa, sed retinetur tamquam utilis ad capillos formandos. Sicut ungues etiam fiunt ex partibus, quas aliæ partes rejiciunt ; et tamen deserviunt non solum ad ornamentum, sed etiam ut manus sint habiles ad operationes humanas, quæ sine unguibus difficillime possent exerceri. Sic etiam pars illa, quæ convertitur in capillos, non censetur homini superflua et inutilis, cum ipsi capilli deserviant non solum ad ornamentum et decorem, ex quo Absalonis facies multo magis speciosa et amabilis reddebatur ; sed etiam ad tuendam et fovendam capitis cutem : unde homo calvus non videtur omnino integer et completus, sed aliqua ex parte mancus et diminutus ; nec immerito calvities omni studio, et diligentia vitari solet et impediri, imo et ab aliis solet fictitiis et appositis capillis occultari, qui sane capilli adventitii, et extrinseci non sunt hominis pars, nec in illis solis valeret baptismus, nisi aqua ad cutem capitis penetraret : secus vero de propriis et naturalibus capillis dicendum est, qui sunt aliquid ipsius hominis, ut dicemus.

Et quidem scio, esse controversiam 5
inter philosophos, an rationalis anima informet etiam capillos, aliis negantibus, aliis vero affirmantibus, quam sententiam ego in lib. *de Anima*, ut probabiliorem amplexus sum. Quia verius videtur, capillos non nutriri solum per juxta positionem, sed etiam per intus sumptionem, et habere subtilissimas venulas, per quas alimentum et nutrimentum distribuatur, quod variis experimentis et exemplis in prædicto loco probabam. Cæterum ad casum nostrum abstinendum est ab ea controversia : sive enim anima rationali informentur, sive non informentur, sunt vera pars hominis, et compositi humani. Sicut sanguis qui in sententia probabiliori non informatur anima rationali, adhuc est vera pars naturæ humanæ,et ideo subsistere debuit in Christo eadem Verbi divini substantia increata ; quia alioquin non assumpsisset Verbum totam, et integram naturam humanam, et omnes ejus partes, ut ex concilio Trid. et aliis Scripturæ, et Patrum verbis late probavi disp. XIV. *de Incarnatione* sect. 2. et 8. Hinc etiam est, quod in statu beatifico corpora gloriosa non resurgent certe sine capillis ; alioquin frustra Christus Dominus Apostolis promisisset, *capillus de capite* Luc. XXI, 18.
*vestro non peribit :* non erant ergo mera corporis excrementa, sed partes humanæ naturæ, quas resurgente homine, resurgere oportet, ut totus et integer homo resurgat. Dum ergo capilli abluuntur, pars hominis abluitur, et quidem pars capitis humani, cum capilli ad caput ipsum pertineant, et per consequens ca-

put in aliqua sui parte baptizatur, quod sufficit ad verum hominis baptismum.

6 Probatur secundo, quia sicut cutis capitis capillis tegitur : ita et cute tegitur caput : suppono autem ex medicorum, et philosophorum doctrina, in humano corpore esse duplicem cutem, alteram omnino externam, quam communiter ex Galeno et aliis, medici dicunt non informari anima rationali ; alteram vero internam et animatam. Et tamen ad valorem baptismi nemo exiget, quod aqua non sistat in cute, et superficie externa, sed quod penetret ad cutem internam. Cur ergo non sufficiet, si aqua sistat in capillis ipsis, qui sunt quasi pellis ad cutis ornatum, et tutelam posita ? Habent enim se capilli respectu capitis, sicut pellis in ove, vel sicut pennæ in ave : nemo autem dicet non esse proprie, et in omni rigore madefactam ovem, vel avem, quarum pellis et lana, vel pennæ madefactæ sunt.

7 Confirmari potest primo, quia quando requiritur contactus physicus capitis, sufficit tangere capillos, v. g. quando episcopus debet imponere manus supra caput presbyteri ordinandi, non tangit immediate capitis cutem, sed capillos, et id satis est ut dicatur caput ipsum physice tangere. Similiter ergo dicetur aqua effusa super caput, et illud fluxu suo tangere, quando tangit capillos, et super illos effunditur ac fluit, quod videtur sufficere omnino ut caput dicatur baptizatum.

8 Confirmari potest secundo, quia ungues etiam, sive sint, sive non sint animati, ita sunt manuum et digitorum pars, ut quando manu, vel digitis aliquid apprehendi debet, satis sit, si unguibus digitorum tangatur. Sic sacerdos in sua ordinatione, qui tangere debet cuppam calicis digitis mediis, sufficit si unguibus eorum digitorum tangat, quia ii pars digiti censentur. Cur ergo minus capilli censebuntur pars capitis, aut cur minus aqua dicetur attigisse caput pueri, quando super capitis capillos effunditur, cum eodem modo se habeant capilli ad caput, quo ungues ad digitos, vel manus se habent ?

Dicet aliquis, ex hoc sequi, quod sufficeret ad baptismum, si aqua solum effunderetur supra extremam partem capillorum pendentium ab utroque capitis latere, et extra ipsum caput, quæ pars ab aliquibus ligari solet in crinem serica vitta, vel aliter : quod tamen durum videtur, quia crines illi, licet primam radicem in capite habeant, longe tamen a capite distant, et videntur ita esse extra hominem, ut eorum ablutio non denominet simpliciter hominem ablutum. 9

Respondetur negando sequelam : nam si ablutio unius digiti pedis non sufficit ad baptismum, juxta communem sententiam, multo minus sufficiet ablutio extremæ partis comæ pendentis, quæ minus videtur pertinere ad hominis complementum, quam digitus. Est autem magna differentia inter capillos illos, qui caput ipsum tegunt, et illos, qui ex capite pendent per humeros, qui certe non sunt capitis pars, nec qui illos tangit, dicitur caput tetigisse ; quare nec qui illos abluit, dicitur caput abluere. Secus dicendum est de illis, qui in capite sunt, et illud tegunt ; sunt enim quasi pellis et cutis externa ipsius capitis ; quare sicut tangens cutem capitis vel illam abluens dicitur tangere vel abluere caput, ita et qui capillos tangit vel abluit. Quod a posteriori constare potest, quia si aliquis videret extremitatem solam comæ Petri ex humeris pendentis, et nihil aliud, non dicetur vidisse Petri caput : si tamen vidisset caput ipsum ita capillis coopertum, ut cutem, aut carnem non videret, adhuc diceretur caput vidisse : unde apparet cæsariem pendentem ad humeros non esse partem capitis, sicut sunt capilli in ipso capite positi et illud tegentes.

Hoc ergo supposito circa priorem responsionis partem, restat jam explicanda et probanda pars posterior, quæ dicit, posse et debere reiterari sub conditione 10

baptismum ita collatum : quod licet quidam doctus theologus negaverit ; doctores tamen concedentes illum esse baptismum validum, id affirmarunt multi ; cæteri vero non negarunt. Ita Sotus et Henriquez locis citatis, Nunnus in III. p. qu. LXVI. art. 8. conclus. 2. Joann. Baptista Conradus Dominicanus in *responsis moralibus* p. 2. p. 8. Domitius Chamerota *de Sacramentis*, tract. II. *de Baptismo*, cap. II. dub. 6. Molfesius in *Summa* tract. IV. cap. I. nu. 36. Layman dub. V. *Theolog. moralis*, tr. II. c. 3. Ochagavia *de Sacramentis*, tr. unico *de Baptismo*, qu. IV. nu. 3. significans certiorem essse baptismum in digito quam in capillis, Petrus Cabrera in III. p. q. LXVI. art. 7. nu. 6. dicens, magis debere reiterari baptismum in capillis quam in digito, Valentia t. IV. disp. IV. qu. 1. puncto 2. §. *Sexto sequitur*, dicens solum, esse probabilius quod baptismus ille sit validus. Eodem modo loquitur Joannes Præpositus in III. p. q. LXVI. art. VIII. dub. 3. n. 90. dicens, esse omnino reiterandum, et alii, quos affert, et sequitur Diana dicta resol. 4. et 11.

11 Unde probatur hæc pars responsionis, quia, quidquid sit de aliis sacramentis, an in eorum collatione et susceptione liceat amplecti opinionem probabilem ; in baptismo tamen, sacerdotio, et episcopatu, propter eorum necessitatem et damnum irreparabile, quod ex eorum invaliditate consequeretur, debemus, quoties fieri potest, certam et securam viam amplecti : non est autem omnino certus valor baptismi in casu præsenti. Nam ultra Bonacinam supra adductum, negant ejus valorem Emmanuel, Rodericus in *Summa* part. I. cap. XXV. conclus. 2. in fine. Joannes de la Cruz in *Directorio conscientiæ*, p. II. qu. 1. *de Baptismo*, dub. 2. conclus. 1. Silvius in III. p. qu. LXVI. art. 7. Melchior Zambranus c. I. *de Baptismo*, dub. III. nu. 7. et Villalobos, quem affert Diana dicta resol. 4. Quomodo ergo potest medium omnino certum existimari quod tot doctores, visis et consideratis fundamentis nostræ sententiæ, invalidum esse decernunt ? Aut quis dicet, imprudenter et temere reiterari baptismum, stante sententia tot doctorum, quæ dicit illum nondum esse baptizatum ? præsertim cum illi ipsi qui dicunt esse validum, fateantur esse incertum.

Probari potest hoc ipsum secundo, 12
et explicari (quod deservire potest ad solvendum fundamentum eorum, qui hanc reiterandi obligationem negabant) quia etiamsi sententia negans valorem illius baptismi nunc non æstimaretur probabilis, adhuc sufficiens est ad baptismi reiterationem. Ad hoc enim non est necesse quod judicemus probabiliter baptismum priorem fuisse irritum : sufficit, si prudenter formidare possimus ne forte id sit probabile. Quando vero doctores aliqui dicunt non esse reiterandum sacramentum etiam sub conditione, nisi adsit morale et probabile dubium de ejus valore non sunt intelligendi quod requirant judicium probabile de sacramenti invaliditate. Nam qui solum habet dubium negativum, et non positivum de baptismo suscepto, potest utique, et debet illum sub conditione reiterare. Dubium autem negativum dicitur, quando neutri parti possumus probabiliter assentiri, quia pro neutra parte sunt rationes probabiles : quo casu non possumus probabiliter judicare defuisse baptismum ; non ergo requiritur judicium illud positivum probabile de defectu, aut nullitate baptismi ad obligationem reiterationis. Sub nomine ergo dubii moralis et procabilis requisiti, intelligi debet judicium probabile saltem in actu signato, ut ita dicam, hoc est, quo ex probabili fundamento judices, posse prudenter et non temere formidari de valore baptismi prioris, quod quidem ad minus in casu nostro reperitur : nam licet hodie sententia illa non esset probabilis ; est tamen in eo statu, ut prudenter timeri et formidari possit, quod

aliquando perveniat ad gradum probabilitatis saltem per principia extrinseca; quia sicut hodie habet quinque, vel sex auctores, poterit paulatim plus habere, ita ut jam negari non possit, quod sit saltem ab auctoritate probabilis: quod periculum est procul dubio morale, et sufficiens ad prudentem formidinem præsentem. Nam morale dicitur illud, quod juxta morem et consuetudinem contingit: sæpe autem et frequenter contingit, quod aliæ sententiæ, quæ paucis abhinc annis minus habebant ponderis et auctoritatis, quam hodie habeat sententia illa negans valorem baptismi in capillis, post aliquot annos probabiles evadant: quare prudenter et moraliter formidare possumus, ne hoc ipsum contingat illi sententiæ, et hoc ipsum sufficit nunc ad reiterationem faciendam. Habemus enim jam nunc dubium probabile et morale, hoc est, judicium probabile de periculo morali, ne forte sententia illa aliquando probabilis futura sit: quod periculum morale in re tanti ponderis vitare debemus, et adhibere baptismum cujus valor huic morali periculo expositus non remaneat. Ratio autem a priori est, quia nulla fit injuria, vel irreverentia sacramento, quando prudenter aliquis operatur: prout revera operatur prudenter, qui adhibet medium tutum in re tanti ponderis, non contentus medio periculis exposito, quale est medium baptismi in capillis, quod ad minus est expositum remote periculo falsitatis, quatenus est expositum huic periculo, quod sententia ejus valorem negans, probabilis a theologis prudenter judicetur, atque adeo iidem jam hodie possint prudenter de ejus valore formidare, prout de facto formidant ii etiam qui nunc dicunt baptismum illum esse validum, dum id solum dicunt probabilius esse, atque adeo cum formidine docent, et ideo monent debere baptismum sub conditione reiterari, ut constat ex eorum verbis supra adductis.

## DUBIUM II.

*An baptizandus sit iterum sub conditione, qui a ministro Calvinista baptizatus fuit?*

Certum jam est apud catholicos, baptismum ad sui valorem non requirere fidem in ministro, sed valide conferri posse a quolibet usum rationis habente, etiamsi sit hæreticus, vel paganus, dummodo adhibeat materiam et formam debitam, et habeat intentionem faciendi quod Christus instituit, vel quod facit vera Ecclesia, quod clare colligitur ex verbis concilii Florentini sess. ultima *in decreto pro Armenis,* ubi de baptismo dicitur: « In casu autem necessitatis, non solum sacerdos, vel diaconus, sed etiam laicus, et mulier, imo et paganus, et hæreticus baptizare potest dummodo formam servet Ecclesiæ, et facere intendat quod facit Ecclesia, » Quod idem colligitur ex Leone, et Gelasio, relatis in cap. Hi *de quibus*, et cap. *Si revera, de consecratione* dist. IV. et ex August. lib. VI. *contra Donatistas* c. XXV. et ex Isidoro, et Nicolao I. relatis in c. *A quodam Judæo*, et cap. *Romanus*, dict. dist. IV. 1

Cum ergo in iis locis nullus hæreticus excipiatur, dummodo ritu et intentione Ecclesiæ baptizet, non videtur dubitandum de baptismo a Calvinistis collato, quos scimus debitam materiam et formam adhibere. Unde cum hoc dubium proponeretur sacræ congregationi Cardinalium die 19. Aprilis 1570. prout relatum invenio in notis manuscriptis ad concilium Tridentinum Patris Joannis de Salas ejusdem manu collectis, et compilatis, ubi notat, id coram Sanctissimo decisum fuisse (eo tempore erat procul dubio Pius V. vir doctissimus, et piissimus) verba responsionis recitat hæc: « Calvi- 2

nistas non errare in forma baptismi, sed in affectu : baptizati ergo a Calvinistis non rebaptizandi, ut alias censuit Congregatio. » Quod quidem responsum fuisse videtur fundamentum omnino in simili responso Nicolai Papæ in dicto cap. *A quodam Judæo, de Consecratione*, dist. IV. ubi consultus Pontifex, quid faciendum esset de multis qui baptizati fuerant a quodam, qui nesciebatur an esset christianus vel paganus, aut judæus : respondit, si materia debita et verba formæ observata fuerant, non esse rebaptizandos : ubi nota ex sola materia et forma debite appositis præsumere Pontificem debitam intentionem in baptizante, quicumque ille fuerit, nisi contrarium ex aliis indiciis præsumi vel dubitari possit : quare cum Calvinistæ in materia et forma non errent, merito Pius V. cum Cardinalium consensu de baptismi valore dixit non dubitandum.

3 His tamen non obstantibus, non desunt qui de hujusmodi baptismo dubitent, et reiterandum postea sub conditione velint. Dicunt enim, experientia constare defectus substantiales in baptismo commissos : nam illi ministri hæretici putant verba formæ non esse operatoria, sed concionatoria, atqae adeo proferri solum ad excitandam fidem in eo qui baptizatur, vel in aliis qui intersunt : quare non ita curant de formæ prolatione suo tempore facienda : imo dicunt, aliquando majoris auctoritatis gratia, ministrum proferre formam, ablutionem vero interim fieri ab alio inferiori ministro cui eam imperat. Denique, cum ii omnes efficaciam in verbis formæ non agnoscant, non videntur eam debita intentione proferre, nempe ut formam operatoriam, sed tantum concionatorio modo, atque adeo jam ex defectu saltem intentionis debitæ baptismus erit irritus. Quare in synodo secunda provinciali Mechliniensi, et in Pastorali item Mechliniensi edito anno 1608. can. XI. *de Baptismo*. jubetur baptizatos ab ejusmodi hæreticis iterum sub conditione baptizari, ut referunt et approbant Silvius in III. p. q. LXVI. art. IX. quæsito 3. et Joannes Præpositus dicto art. IX. dub. II. n. 99.

Ego hoc dubium, et controversiam totam non puto esse de jure, sed de facto : nam loquendo de jure, non est dubium baptismum ab hæreticis collatum validum esse, nec esse reiterandum, si debito ritu circa materiam et formam, et debita intentione baptizant, ut recte Pontifices supra adducti responderunt. Cum hoc tamen stat, posse et debere baptizari iterum eos sub conditione, si alicubi tales sint circumstantiæ, ut prudenter dubitari aut formidari possit de defectu materiæ vel formæ, aut intentionis debitæ. An vero circumstantiæ talis sint, pendet ex facto et usu, locis et personis, quæ omnia prudenter examinari et considerari debent. Quare Silvius, et Præpositus locis cit. hoc pacto tuentur decretum illius Synodi, quia nimirum « qui eorum hæreticorum mores probe norunt, inquit Præpositus, merito dubitant, num legitime baptizent, cum dicantur usi forma minus legitima. Item aliqui dicuntur minus rectam habere intentionem : quando tamen nulla est suspicio de invaliditate baptismi ab hæreticis collati, nullo modo est repetendus. » Addit Silvius, quod hæretici illi « cum incredibili odio ferantur in Ecclesiam, et sacramentorum formas pervertunt, et materiam contemnunt, et ab Ecclesiæ intentione mentem alienam habent, imo et invenitur alicubi alius quidem verborum formam proferre, alius autem abluere, sæpe deprehensum est, ait Molanus, necessariam eis in baptizando defuisse intentionem. » Hæc Silvius et Præpositus, uterque Belga, atque adeo potuerunt melius mores et circumstantias vicinorum hæreticorum nosse, ut possent de re ad factum pertinente judicare. Ubi obiter noto in verbis relatis Joannis Præpositi, ipsum ad repetitionem licitam baptismi sub conditione faciendam, contentum fuisse suspicione prudenti de defectu prioris baptismi ; subdit enim : « Quando tamen nulla est suscipio de invaliditate 4

baptismi ab hæreticis collati, nullo modo est repetendus, » quod consonat iis quæ diximus dub. præcedenti, nempe non requiri ad hanc repetitionem, probabilitatem proximam de invaliditate prioris baptismi, qua probabiliter judicemus, illum irritum fuisse, sed sufficere prudentem formidinem, quæ ab aliis latiori nomine solet dubium appellari, quatenus scilicet excludit certitudinem baptismi validi : nam communiter quæ certa non sunt, dici solent incerta et dubia: certitudo autem non solum excluditur per dubium rigorosum, aut probabilitatem contrariam, sed etiam per quamlibet formidinem, quæ cum assensu certo stare non potest : quare si formido illa non sit omnino imprudens, sed prudenter fundata, sufficit ad repetendum sub conditione Baptismum.

## DUBIUM III.

*Utrum hæc sit valida forma baptismi :* Ego te Christizo, *vel*, te Christianum facio, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.

1 Dubium hoc motum fuit propter formam qua Dalmatæ lingua sua vulgari utuntur et dicunt : *Ja tebe karstim*, etc. quæ voces correspondent nostris Latinis, *Ego te baptizo*, etc. Ratio autem dubitandi erat, quia verbum illud *karstim*, respondens nostro verbo *baptizo*, videtur derivari a nomine Dalmatico *Isu karst*, quo significatur *Jesus Christus*, ita ut ab illo *karst*, quod est *Christus*, derivetur verbum *Karstim*, et sit idem, quod *Christizo*, vel *Christianum facio*, quod non videtur sufficere ad formam baptismi, in qua debet significari actio abluendi, quæ non exprimitur per verbum *Christizo*, sed solum effectus baptismi. Et quidem si aliquis apud Latinos omitteret verbum *baptizo*, et diceret, Ego te *Christizo*, ego non dubitarem de invaliditate illius baptismi. Aliunde tamen non videbatur damnanda consuetudo illius ecclesiæ ab immemoriali observata in tot provinciis, quæ sub ea comprehenduntur, nec dicendum eos per tot sæcula caruisse vero baptismo, præsertim apud quos vera fides illibata cum pietate simul conspicua conjuncta perseveravit et floruit. Quare consulendum duxi virum doctum Dalmatam, et illius linguæ satis peritum, de vera et genuina illius vocis significatione, qui responsum suum juxta materiæ capacitatem, et dignitatem mihi suggessit, quod idem, et iisdem auctoris verbis subjiciendum censui, et ita se habet.

2 De forma baptismi in lingua vulgari Dalmatarum quæritur, quid proprie significent illa verba : *Ja tebe karstim*, quibus redduntur illa Latina, *Ego te baptizo*. Videtur enim quod verbum *karstim* significet *Christizare*, vel *Christianizare*, quam baptizare, seu abluere, nam lingua eamdem Dalmatica Jesus Christus dicitur *Isu Karst*, unde Christianus dicitur *Karstianin*, utique per denominationem a Christo ; ergo et verbum *Karstim* derivabitur a posteriore parte illius vocis *Isu Karst*, quæ pars respondet Latine *Christus :* ac proinde verbum *Karstim* significat *Christizare*, vel *Christianizare*.

3 Oritur autem hinc alia interrogatio, scilicet : Utrum satis tuta sit forma baptismi in cæteris linguis omnibus, quibus Dalmatica affinis est, quales sunt Polonica, Bohemica, Ruthencica, Moscovitica, Moravica, Slavonica, etc.

4 Hac in re non est requirendum in primis quæ sit in linguis istis omnibus vulgaris, et ordinaria notio verbi *Abluo*, vulgaria enim verba, et quorum usus in sermone de rebus profanis est, magna ex parte in linguis istis a significatione rerum divinarum remota sunt, inventaque sunt sacra vocabula, quæ sacras res significarent, eo prorsus modo, quo *Baptizo* apud Latinos verbum sacrum effectum est, ita nimirum ejus significatione restri-

cta, ut jam supponat pro ablutione tantum sacramentali. Quo posito.

5 Certum est quod verbum *Karstim* apud Dalmatas impositum est ad significandam ablutionem sacram : ac proinde idem significat quod *baptizo*, nullo autem modo *Christizo*, vel *Christianum facio*.

6 Patet id primo ex vocibus derivatis a verbo *Karstim*. Nam S. Joannes Baptista a Dalmatis vocatur *Sfeti Juan Karstitel :* quis autem Dalmatarum dixerit, aliquem a S. Joanne Baptista aut christizatum, aut christianum factum ? et tamen dictionem *Karstitel*, quæ significat *Baptista*, a verbo *Karstim* deduci, manifestum est. Multo minus Dalmatæ dixerint Christum Dominum aliquando Christianum factum, aut Christizatum a S. Joanne Baptista, et tamen baptismus Christi Domini, perinde atque alius quivis Baptismus, a Dalmatis dicitur *Karstenye*.

7 Patet secundo. Quia verbum *Karstim* tam apud loquentem Dalmatice, quam apud audientem, nullius alterius conceptus est signum, nisi ejus, quo repræsentatur ablutio sacra. Nam, cum Dalmatæ loquuntur de ablutione sacra, seu de baptismo, tam generice sumpto, quam de speciebus ipsius contradistinctis a specie baptismi Christianorum, semper utuntur verbo *Karstim*, et nomine *Karstenye*. Itaque loca illa Actuum : *In quo ergo baptizati estis ? In Baptismo Joannis, Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto*, etc. Hæc, inquam, loco Dalmatæ interpretantur sine discrimine per verbum *Karstim*, quod verbum si *Christizare*, vel *Christianizare* significaret, profecto Dalmatæ Scripturam per summam indignitatem interpretarentur, condemnantes non Ephesios modo summæ ignorantiæ, sed et Paulum, atque adeo ipsum Christum contradictionis et falsæ doctrinæ. Nam, v. g. posterior ille actorum locus sic in Dalmatico explicaretur : *Joannes quidem Christizabat*, vel *Christianos faciebat aqua, vos autem Christizabimini*, vel *Christiani efficiemini per descensum Spiritus sancti super vos, die Pentecostes.* Quod si tanto scelere, perperam scilicet explicatæ Scripturæ Dalmatas exemerimus, majores certe Dalmatarum qui Scripturam primi interpretati sunt, viri nimirum illi sanctitate, et doctrina longe clarissimi, neque vim verbi *baptizo*, quod interpretabantur intellexisse, neque res de quibus Scriptura agit, cepisse arguerentur : arguerentur, inquam, si verbum *Karstim Christizare*, aut *Christianum facere* significaret. Ex alia parte si Dalmatam quis roget, ut conceptum eum, quem significet verbum *Christizo*, vel *Christianizo*, exprimat uno verbo Dalmatico, equidem hærebit, et ad novatam aliquam dictionem atque pro tempore confictam recurrere debebit. Quod si suggeratur verbum *Karstim*, refugiet, atque hoc verbo idem significari dicet, quod apud Latinos et Græcos verbo *baptizo* significatur, non vero *Christizo*, aut *Christianizo*.

Patet tertio, idque clarissime in lin- 8
guis aliarum gentium quæ dialectis solum a Dalmatia differunt, in quibus id verbum quod in Dalmatiæ dialecto dicitur *Karstim*, nihil aliud omnino, quam *ablutionem* sacram significat. Nam verbum *baptizo*, Polonice dicitur *Krzeze*, Sclavonice, Ruthenice, Moscovitice *Kreszeze* ; vel *kreszezain*, Bohemice *kerstim*, Dalmatice *karstim*. Baptismus autem dicitur Polonice *krzese*, Bohemice *kersi*. Reliquæ gentes non utuntur dictione absoluta, quæ æquivaleat dictioni huic *Baptismus*, sed utuntur verbali, quod significat quasi actionem baptizandi, et æquivalet huic dictioni *baptizatio*. Ita Sclavones, Russi, et Moschi baptismum dicunt *kreszezenie*. Dalmatæ porro dicunt *karstenye*, quod ipsum Poloni efferunt voce *krzezenie*. Atqui quicumque mediocriter est harum linguarum peritus, nunquam negabit primo, idem omnino significare verbum Dalmaticum *karstim* quod significat Bohemicum *kerstim*, Sclavonicum, Ruthenicum, et Moscoviticum *kreszezain*, et Polonicum *krzeze*. Item dictio-

nem Dalmaticam *karstenye*, idem penitus significare, quod Sclavonicum *kreszezenie*, et Polonicum *krzezenie*, et *krzeze*, atque Bohemicum *krest*. Secundo numquam negabit, suprapositas voces apud Polonos, Bohemos, Sclavones, Russos, Moschos, nihil omnino aliud significare, quam *Baptizare*, et *Baptismum*, (quod ipsum ostendetur infra) ergo neque Dalmaticum *karstim* aliud quidquam significabit, quam *baptizo*, neque *karstenye* aliud quam baptismus.

9 Ad rationem dubitandi, etsi respondere grammatici sit plane negotii, neque in ea difficultatem sentire possit qui tandem cogitaverit, multa esse in linguis gentium omnium æquivoca ; nihilominus respondetur, inter *Isu karst*, et *karstim*, atque *karstenye* esse tantum affinitatem quamdam vocis et soni, non vero derivari unum ab alio. Quod si quis contendat omnino derivari, facile concedetur derivari ab *Isu karst*, sumpto materialiter, id est, secundum sonum vocis, non vero ab *Isu karst* sumpto formaliter, id est, secundum quod significat. Sic in Latino quis dixerit, *vitare* derivari a *vita*, aut a *vite ?* ita ut, *Ego te vito*, significet : *Ego tibi do vitam*, aut *te facio vitem*. Hujusmodi exempla passim occurrunt in linguis omnibus, sed maxime ad propositum facit illud in lingua Sclavonica, in qua Baptismus dicitur *kreszezenie*, Crux vero dicitur *krest*, et tamen in tante vocum affinitate nullus dixerit *kreszezenie* derivari a *krest*, ita ut *kreszezenie* significet signari cruce, aut crucifigi, cum alterum a Sclavonibus dicatur *Bloboslanlenie*, alterum vero *Rozpiatye*. Ita ut Latinos dicitur *cruciare*, etiam ubi nulla crux adhibitur, et e contra actio illa externa, in qua efformantur manu cruces super aliquam rem, nulla facta de crucibus mentione, dicitur *benedictio*, etiamsi ex alia parte, illa actione præcise, non solum neque bene neque male, sed ne dicatur quidem aliquid. Hæc tamen omnia nimis otiosum est persequi apud eum, qui scit voces significare ad placitum.

Deinde (quamquam hoc minus ad quæ- 10
stionem facit) negatur, ab *Isukarte* deduci *Karstianin*, id est, *Christianus*. Nam in linguis istis omnibus, quæ in præsentem quæstionem veniunt, appellatio *Christiani* complectitur utramque partem definitionis, qua catechismus definit, quis dicendus sit christianus ? Christianus est, inquit, qui baptismatis sacramento initiatus, Jesu Christi, (etc.) doctrinam profitetur. Itaque in appellatione *Christiani* in dictis linguis, facta est quædam quasi onomatopœia vocis Latinæ *Christianus*, ita ut dicatur Christianus ab aliis *Krzescianin*, ab aliis *Krestianin*, ab aliis vero *Karstianin :* de reliquo vox ipsa derivata est potius a baptismate, quam a Christo. Sic apud Polonos, v. gr. *Christus* dicitur perinde *Christus*, *Baptismus* dicitur *Krzest*. Christianus vero dicitur *Krzescianin*. Idem de reliquis idiomatibus. Facta est autem hæc denominatio tanto facilius, quanto magis affine est in his linguis nomen Christi, et Baptismi ; præsertim cum in utroque vocabulo tam scribendo, quam loquendo, primæ litteræ tenus, frequenter mutentur in aspiratas, et aspiratæ in tenues.

Denique in Dalmatico sermone *Karst* 11
non est simpliciter dictio per se, neque enim absolute *Christus* dicitur *Karst*, sed est particula tantum istius vocis *Isu Karst*, quæ æquivalet Latinis duabus *Jesus Christus ;* syllaba vero *Karst* respondet Latinæ voci *Christus*. Ex quo labefactatur magis fundamentum rationis dubitandi, et rationes factæ contra derivationem verbi *Karstim*, ab *Isu Karst*, a fortiori tenent.

In secunda interrogatione nullum est 12
fundamentum dubitandi. Nam apud Polonos, v. g. propositio illa, *Ego te Christizo*, sic vulgari lingua effertur : *Jaciebie Christusuie*. Illa vero propositio. *Ego te Christianizo*, sic redditur, *Jaciebie Khristescianinuie*. At vero, *Ego te baptizo*, dicitur, *Ja ciebie Krzeze*. Idem dicendum de cæteris linguis, quæ propositiones illas, *Ego te Christizo*, vel *Chris-*

*tianizo*, potius per circumlocutionem efferrent, quam per ea verba quibus verbum *Baptizo* efferunt.

13 Solum restaret dubium, quod apud Sclavones, et Ruthenos, et Moschos forma Baptismi sir hæc, *Kreszezajet sia od mene rab Bozy*, id est : *Baptizatur a me servus Dei.* Earumdem vero gentium lingua *Crux* dicitur *Krest*, a quo videtur derivari *Kreszezajefia*, id est, *baptizatur.* Sed ad hoc responsum est jam in primo puncto responsionis ad rationem dubitandi, etc.

14 Hoc fuit responsum illius docti viri, quod mihi sat bene fundatum visum est, et quod supposita praxi, et consuetudine immemoriali illius regionis, me poterat tutum reddere. Præsertim cum videamus, in forma baptismi in lingua non solum Latina, sed in aliis vulgaribus, non adhiberi verbum commune illius idiomatis, quod ablutionem vulgarem significet, sed apud Latinos retineri verbum Græcum *Baptizo,* quod quidem apud eosdem non bene usurparetur ad significandam profanam ablutionem, sed solum retinetur ad significandam ablutionem sacram, et mysticam, Imo quod mirum esse posset idem verbum in lingua vulgari qualibet retinetur ad idem significandum, et in forma baptismi adhibetur, etiamsi forma vulgari lingua proferatur. Adeo ut etiam apud Indos occidentales, quorum idiomata tam varia, et a lingua Latina omnino diversa, remotaque sunt, idem verbum *baptizo*, in eo sacramento usurpatur, etiamsi forma proferatur vulgari idiomate ab iis, apud quos nullo modo verbum illud ablutionem profanam significare posset. Unde constat, licet verbum illud *Karstim* apud Dalmatas non significet ablutionem communem, potuisse tamen ad illud genus ablutionis sacræ significandum adaptari, et usurpari in ea significatione sacræ, et religiosæ ablutionis : quod vero ita factum fuerit, probat usus ; quo ad nominandum S. Joannem Baptistam, et ejus baptismum, eodem vocabulo Dalmatæ utuntur.

## DUBIUM IV.

*An invito patre Judeo, possit ejus filius volens baptizari, quando dubitatur de usu rationis ?*

Contigit Romæ, ut parvula quædam puella casu inveniretur longe ab Hæbræorum domibus, quæ interrogata de suis parentibus respondit, se parentes habere Hebræos, et velle fieri christianam : conducta ergo ad cathecumenorum domum parens petiit filiam sibi restitui, quæ adhuc sui juris non erat, nec rationis compos ad deliberandum de religione. Consultus ego tunc fui, et examinavi puellam, nec perfectum rationis usum affirmare potui, nec etiam sufficientem negare, sed mansi dubius. In quo dubio Henriquez l. II. *de Baptismo*, c. XXI. Naldus verb. *Baptismus*, n. 6. Chamerota *de Baptismo*, c. VI. d. 3. et alii, quos refert Bonacina *de Sacramentis*, disp. II. q. II. puncto 6. n. 11. Azor. p. I. l. VIII. c. XXV. quæsito 11. quos refert Diana part. VII. tr. XI. resol. 40. dicant non esse baptizandum filium invitis parentibus, quia in dubio melior est conditio possidentis, et tunc parentes possident filium ; ipse vero Bonacina idem concedit, si filius non complevit septennium, quia tunc in dubio non præsumitur usus rationis : secus si illud complevit, quia tunc in dubio usus rationis præsumitur. 1

Ego, quoniam puella illa septennium non compleverat, et de sufficienti rationis usu dubitabatur, dixi baptismum quidem suspendendum esse, donec cum pleno rationis usu certo constare posset de sufficienti ejus voluntate : interim tamen non debere nec posse restitui, sed custodiæ causa retinendam in eadem catechu- 2

menorum domo : quod quidem non puto negandum ab auctoribus primæ sententiæ, quippe qui solum dicunt non esse in eo dubio, parentibus invitis, baptizandam, non tamen dicunt esse illis reddendam. Alii autem communiter dicunt, in dubio favendum esse puero, et dandum illi baptismum, ita Suarez III. tom. in III. part. disp. XXV. sect. 3. qui tamen monet, ut si fieri potest, differatur; si vero urgeat necessitas, baptizetur. Videri etiam possunt alii in III. part. qu. VI. art. 10. Vasquez, Coninch. Cabrera, et alii scribentes de sacramento baptismi, ut Layman, Camerota, et Ochagavia, atque etiam Sotus in IV. dist. v. q. unica, art. 10. dub. 2. Joannes Antonius Novarius, quem affert Diana loco supra citato ; qui omnes dicunt judicandum esse in favorem baptismi, quando dubium est de usu rationis sufficienti in puero volente, invitis parentibus, baptizari.

3 Et quidem ratio illa, quod parentes sunt in possessione, et in dubio melior sit conditio possidentis, parum probat in casu nostro. Primo, quia regula intelligi debet in pari causa, qualis non est in præsenti causa patris, et filii, sed valde dispar. Nam pater agit de vitando levi detrimento, nempe potestatis patriæ ad modicum tempus : filius vero agit de gravissimo detrimento, nempe de damnatione æterna, cujus aperto periculo exponitur, si redeat ad infidelis, et protervi parentis possessionem. Imo nec in causa civili circa bona fortunæ favendum esset eo casu possessori ; finge enim gemmam, quam a rege vel principe tuo in signum eximiæ benevolentiæ dono habuisti, tibi clam ablatam, vel casu amissam, venisse ad manus Titii, ubi cum illam recognoscens, eam tibi vindicasti, Titius clamat, se in sua possessione tuendum : tu contra opponis, periculum grave esse, ne interim, dum tu probas gemmam esse tuam, Titius eam alienet, vel in remotissima loca mittat, et id cum gravissimo suo periculo, si princeps gemmam tibi datam apud alium esse cognoscat, et idcirco te a sua gratia et benevolentia expellat. Quis dicat, non debere judicem a te incolumem reddendum gemmam saltem interim in loco tuto deponere, nisi forte talis fidejussio exhiberi possit, quæ periculis omnibus sufficienter occurrat? Exemplum etiam commune esse potest, si uxor periculum vitæ a viro suo timens fugiat, quam vir reddi sibi petit, dum periculum non probatur, quia in dubio non debet sua possessione privari. Certe judex non debet eam viro reddere, sed collocare in loco tuto, quamdiu periculi gravitas examinatur, quia non est possessori favendum cum tanto uxoris periculo. Multo ergo minus in casu nostro puella reddenda est patri Judæo, nec possessio prodesse debet cum tanto puellæ periculo, quæ apud patrem facile a fide concepta deficiet, vel blanditiis paternis affecta, vel verberibus, aut minis deterrita, vel fortasse ne baptizetur, occidetur, vel in remotissimas provincias infidelium transmittetur. Quis credat, favendum esse possessioni parentum cum tanto puellæ detrimento et periculo, et non potius deponendam puellam in loco tuto, ut ejus voluntas libere examinetur, et dubium omnino tollatur?

Secundo non obstat possessionis favor 4
in casu nostro, quia obstat regula alia communis et fortior : nam sicut in pari causa, et in dubio melior est conditio possidentis, ita et multo magis in dubio favendum est potius innocenti quam nocenti ; id enim postulat æquitatis ratio, ut quando utrique satisfacere non possumus, faveamus potius innocenti quam nocenti, cum ex innocentis favore duo bona appetibilia resultent, nempe defensio innocentiæ et honestatis, ac etiam punitio iniquitatis et malitiæ : e contra vero, si faveamus nocenti, duo contraria mala resultant, nempe vexatio et confusio honestatis et innocentiæ, ac exaltatio et quasi remuneratio iniquitatis et malitiæ. Ratio ergo totius æquitatis exigit, ut in causa dubia semper magis innocenti, quam nocenti faveamus : nec dubita-

ri potest, in hoc casu patrem nocentem esse, cui non satis est propria infidelitas et perfidia, sed filium etiam perfidum et infidelem esse conatur. Filius autem innocens est, quia vel usum rationis non habet, et tunc constat, esse adhuc in statu innocentiæ expertis totius culpæ personalis : vel si habet usum rationis, tunc constat eum in hac causa innocentem esse, cum fidem et salutem æternam quærat, et idcirco parentes proprios fugiat et relinquat.

5 Videri denique potest de toto hoc argumento Ambrosius Catharinus in suis opusculis, ubi habet opusculum quoddam de pueris Judæorum filiis baptizandis, quando parentes ea de causa fugiunt : sed caute legendus, quia excedit probans non esse validum baptismum, si ante rationis usum invitis parentibus baptizentur. Meminit etiam in confuso cujusdam Martini Papæ (quem non dicit, an fuerit Quintus, vel aliquis alius,) cujus dicit referri solere nescio quam constitutionem, qua decernit ejusmodi filios Hebræos non posse ante decimum, vel duodecimum annum baptizari : cui respondet opponendo responsum et factum Julii III. qui ante eam ætatem puerum invito tutore baptizari jussit. Hæc tamen omnia ad casum nostrum non pertinent, in quo non erat controversia, an puella baptizanda esset, sed an patri reddenda in dubio de usu rationis sufficiente, in quo dubio de facto reddita non fuit, sed in loco tuto deposita, donec suo tempore, et explorata jam ejus voluntate cum certissimo rationis usu, baptizata fuit.

## DUBIUM V.

*Utrum pater possit esse patrinus in baptismo sui filii illegitimi.*

1 Titius habuit filium ex Berta, quam volebat postea in uxorem docere ; sed tamen Seius, qui hoc matrimonium impedire volebat, suasit Titio, ut patrinus esset, et e sacro fonte susciperet filium illum illegitimum : hac quippe via obtinebat Seius, contracta cognatione spirituali inter Titium, et Bertam, ut matrimonium omnino impediretur. Quæsitum fuit a me primo, an Seius peccaverit consulens Titio fieri patrinum sui filii, contra juris prohibitionem ? Secundo, an Seius ab episcopo ob id criminis puniri deberet ?

Suppono, Titium revera contraxisse 2
cognationem spiritualem cum Berta, atque ideo impedimentum irritans matrimonium subsequens cum illa ; quia leges ecclesiasticæ inducentes hanc cognationem spiritualem inter patrinum, seu susceptorem, et inter parentes baptizati, generaliter loquuntur de omnibus filiis, sive legitimis sive illegitimis, nec Tridentinum sess. XXIV. cap. II. *de reformatione matrimonii*, quoad hoc restrinxit hoc impedimentum, ut cum aliis quos affert, docet Th. Sanchez lib. VII. *de matrim.* disp. LIV. n. 14. solum enim attenditur, quod sint parentes carnales et veri, quales sunt etiam respectu filii illegitimi. Quare, sicut non contrahitur hæc cognatio cum parentibus legalibus et adoptivis, ut notat Sanchez ibi, quia non sunt parentes carnales : ita fatendum est contrahi cum parentibus illegitimis, quia vere sunt parentes carnales.

Hoc supposito, videri posset, Seium 3
peccasse graviter consulendo Titio, ut faceret id quod sine peccato facere non poterat, nempe extra casum necessitatis patrinum fieri proprii filii. Nam S. Thomas III. p. q. LXVII. art. 8. ad 2. universaliter dicit, prohibitum esse ne pater filii sui patrinus sit, quem alii theologi et canonistæ sequuntur, quos affert Sanchez lib. IX. *de matrimonio* disp. XXVI. n. 5. qui cum eadem universalitate videtur regulam illam proponere et approbare, et rationem reddit universalem desumptam ex S. Thoma, quia alius debet esse pater carnalis, et alius spiritualis,

quæ ratio in omnibus patribus carnalibus procedit.

4 Hanc tamen universalem regulam alii expresse limitant ad solos parentes, et filios legitimos, de quibus solis decreta canonica loquuntur, quando prohibent patrem vel matrem suscipere proprium filium de fonte Baptismatis, ita loquuntur de solis conjungatis Suarez III. t. in III. part. quæ, LXVII. art. 8. in comment. articuli, vers. *Quocirca*. Silvest. verb. *Baptismus* v. num. 5. Angelus verb. *Baptismus* VIII. num. 1. et indicat Charemota *de Sacramentis*, in tr. *de Baptismo*, et alii. Ratio autem est clara, quia prohibitio facta conjugatis fuit, ne per eum actum contraherent cognationem spiritualem cum propria conjuge. Unde non solum prohibetur suscipere filium communem utriusque conjugis, sed etiam filium suæ conjugis ex alio marito, quia tunc etiam contraheret cognationem spiritualem cum sua uxore, quæ est mater baptizati, unde resultaret inter conjuges impedimentum sufficiens ad irritandum matrimonium, si nondum fuisset contractum, quod impedimentum non potest sine peccato admitti, cum per illud sequatur eadem indecentia, nempe quod aliquis habeat pro uxore cognatam suam spiritualem. Hæc autem ratio non procedit in casu nostro, et ante contractum matrimonium, nam ex eo actu solum sequitur quod fiat cognatus feminæ, quam carnaliter cognoverat, atque adeo non possit cum illa matrimonium contrahere ; ex quo impedimento novo nullum sequitur inconveniens. Quare consulere illum actum non fuit consulere Titio aliquid illicitum, neque ex hoc capite consilium Seii fuit peccaminosum. Aliter vero dicendum esset, si post filium illegitimum natum Titius Bertam jam duxisset uxorem : tunc enim non posset licite Titius filium illum in baptismo tenere ; quia eo ipso fieret cognatus Bertæ, quam jam in uxorem habebat : quare prohibitio universalis est circa omnes filios legitimos, vel illegitimos suæ conjugis, sive sint filii communes utrique, sive non sint communes.

Petet tamen aliquis, quid dicendum, si 5
uxor jam mortua esset tempore, quo ejus filius baptizatur ? an tunc pater posset licite illius patrinus fieri ? Ego nullum decretum invenio, in quo id prohibeatur ; solum enim prohibentur conjugati suum vel conjugis filium in baptismo tenere : illi autem jam non est conjugatus, nec tenet filium suæ conjugis, cum jam non habeat conjugem, sed illius quæ fuit sua conjux, et ideo Silvester loco supra cit. caute dixit prohiberi conjugatos filium tenere in Baptismo, *si sunt in matrimonio*, significans, soluto matrimonio cessare hanc prohibitionem. Ratio autem ex dictis est, quia jam nullum inconveniens sequi potest cognationis spiritualis cum conjuge contrahendæ, nec cum mortua potest nunc cognatio contrahi, nec etiam, si posset, quidquam referret, cum jam non contraheret cum conjuge. Imo consequenter dicendum videtur, si mortua uxor iterum per miraculum post mensem, v. g. resurgeret, quo casu theologi communiter supponunt matrimonii vinculum solutum esse, et maritum posse alteram uxorem ducere, non prohiberi maritum, ne filium suæ uxoris antea natum, et post matris resurrectionem baptizandum e sacro fonte levet : quia nisi denuo matrimonium cum eadem renovasset, jam non est amplius ejus conjux, imo nec posset amplius cum ea matrimonium contrahere, postquam ejus filium in baptismo tenuisset, quia jam impedimentum contraxerat irritans subsequens matrimonium.

Dixi tamen, Seium non peccasse ex 6
hoc capite, quod Titio peccatum consuluerit, cum Titius in eo actu nihil prohibitum fecerit ; potuit enim Seius ex alio capite peccare, si suo consilio præjudicium attulit Titio, quatenus matrimonium cum Berta utile, et fortasse Titio necessarium, impedivit. In quo Seius potuit peccare graviter ad minus contra charitatem, imo si dolus intercessit,

etiam contra justitiam. Si vero nullum intulit Titio præjudicium, sed potius utile ei erat, quod ejusmodi matrimonium impediretur, non video cur deficiente dolo et fraude. Seius in eo consilio peccaverit. Pone enim, juvenem tibi amicum nobilem sollicitari ad nuptias cum femina inferioris conditionis, ad quas ipse propendere cœpit ; nonne poteris prudenter ei prætextu recreationis, vel sanitatis consulere, ut Tusculum vel Florentiam eat per mensem, quo tempore sciebas eum Romæ ad eas nuptias sollicitandum, et efficaciter inducendum ? Nonne poteris ei officium aliquod publicum honorificum procurare, quod secum afferat necessitatem et obligationem abstinendi a nuptiarum tractatu per biennium, et hoc quamvis ipse hanc officii conditionem ignoret ? Hæc certe absque ulla injuria in amicum facies, imo ex magna erga ipsum benevolentia, qui ipse postea, si sapit, gratias aget, agnoscens se tua industria imminenti periculo ereptum. Idem ergo in casu nostro dicendum erit si matrimonium illud noxium erat Titio, et ex parte Seii fraus vel dolus non intercessit. Nec obstat quod Bertæ damnum intulerit ; id enim Seius non intendebat, sed bonun Titii, quod procurare Seius poterat sine vi et dolo, quamvis inde damnum alteri resultet in re illi non debita.

7 Hinc jam constat, quid dicendum sit ad ultimam dubii partem, an Seius possit, et debeat ob præstitum consilium ab episcopo puniri ? Si enim Seius non peccavit, imo utiliter Titii negotium gessit, non videtur Seius puniendus, sed laudandus, quod ingeniose Titio nuptias ei indecoras, impossibiles reddidit. Si autem Seius peccavit, distinguendum iterum est : nam potuit dolus aliquis, et fraus intervenire, qua explicite vel implicite Titio significavit, nullum ex eo actu impedimentum suboriri, quo Bertam sibi uxorem accipere non possit : et tunc credo posse episcopum contra Seium procedere, illumque punire. Nam licet non soleat episcopus punire in foro externo omnia peccata mortalia, sed aliqua graviora et quæ magis ad ejus forum spectant, de quibus agit Azor. II. tom. lib. III. c. LIII. delicta tamen quæ spectant ad matrimonium, potissimum pertinent ad forum judiciale episcopi, sicut et cauæ omnes matrimoniales. Unde in Tridentino sess. XXIV. c. IX. *de reformatione matrimonii*, sub anathematis pœna ipso facto incurrenda prohibentur omnes, ne directe, vel indirecte alios cogant, ne minus libere matrimonia contrahant : cum autem dolus æquiparetur coactioni, videtur merito crimen illud ad episcopale judicium pertinere. Si vero nulla intercessit fraus aut dolus, non ita apparet peccatum contra libertatem matrimonii, sed contra charitatem, propter damnum proximo non injuste illatum : atque adeo non ita clare videtur ex iis peccatis, de quibus episcopi solent de facto cognoscere post factum, cum Seius non teneatur ad restitutionem, quippe qui non peccavit contra justitiam et solum agatur de peccato mere præterito. Aliud enim esset si adhuc impenderet damnum in futurum ; tunc enim ad impediendum peccatum futurum posset et deberet episcopus cogere Seium ad revocandum illud consilium, quamvis facilius posset ipse episcopus revocare Titium ab ea intentione, edocendo eum de damno quod incurrere poterat, et de impedimento contrahendo, si filium in baptismo teneret.

## DUBIUM VI.

*An liceat committere sacerdoti simplici facultatem conferendi Sacramentum Confirmationis in aliquibus locis.*

Petebatur a summo Pontifice facultas, ut in provincia Paraquaiæ in India occidentali possent aliqui sacerdotes regulares, in locis in q[illegible] non invenitur

episcopus, conferre sacramentum Confirmationis christianis Indis, utendo chrismate ab episcopo consecrato, dubitabatur, an posset Papa hanc facultatem concedere?

2 Suppono autem, licet minister ordinarius hujus sacramenti sit episcopus, posse tamen ex commissione summi Pontificis simplicem sacerdotem illud aliquando conferre, ut colligitur ex concilio Florentino in decreto Eugenii ; ubi dicitur : « Legitur tamen aliquando per Apostolicæ sedis dispensationem ex rationabili, et urgenti admodum causa simplicem sacerdotem chrismate per episcopum confecto hoc administrasse confirmationis sacramentum. » Ubi alludi videtur omnino ad factum Gregorii Magni ab ipso narratum in lib. III. epist. xxvi. et habetur in c. *Pervenit.* xcv. dist. Nam cum Gregorius accepisset, in Sardinia solitos fuisse baptizatos confirmari a presbyteris, id prohibuit : ex qua prohibitione cum ortum fuisset scandalum, Gregorius facultatem concessit, his verbis : « Nos quidem secundum usum veterem Ecclesiæ nostræ facimus, sed si omnino hac de re aliqui contristantur, ubi episcopi desunt, ut presbyteri etiam in frontibus baptizandos chrismate tangere debeant, concedimus. » Unde concilium Tridentinum sess. III. can. 3. caute dixit, ordinarium ministrum hujus sacramenti esse solum episcopum, significans posse ex dispensatione sacerdotem simplicem esse ministrum extraordinarium. Atque ideo in concilio Senonensi *in decretis morum* c. xxxviii. supponendo id ex privilegio fieri posse, additur : « Quod si qui sint, qui contendant sibi competere hanc facultatem ex privilegio, volumus, quod cum primum fuerint requisiti a suffraganeis nostris, de privilegio fidem facere teneantur. » Quamvis autem non sit de fide, quod hæc facultas possit committi sacerdoti simplici, quia id non videtur definitum in dictis conciliis, sed narratum et non reprobatum, ut probat Suar. t. III. in [illegible] disp. xxxvi. sect. II. circa finem, fatetur tamen non posse jam hodie absque temeritate negari : et ideo omnes communiter id concedunt, et videri possunt S. Thomas III. p. q. lxii, art. xi. et in iv. dist. v. Richard. Palud. Major. Capreolus, Alexand. Marsilius, Antoninus, Ferrar. Silvester, Angelus, Navarrus, et Covarruvias quos affert Suarez ubi supra in i. conclus.

Ex verbis autem relatis concilii Flo- 3
rentini infert idem Suarez cum aliis primo, non posse hoc committi clerico non sacerdoti. Secundo nec sacerdoti simplici posse committi nisi a Summo Pontifice. Tertio nec posse ab ipso licite concedi, nisi ex causa rationabili. Quarto posse ab eodem Pontifice Summo, vel ejus successoribus limitari, et removeri facultatem hanc semel concessam, quo casu collatio sacramenti in posterum facta erit irrita. Ex quibus oriebatur ratio dubitandi, an possit summus Pontifex concedere hanc facultatem aliquibus sacerdotibus simplicibus in provincia Paraquaiæ, in locis, in quibus episcopi non inveniuntur, adhibito tamen chrismate ab episcopo benedicto.

Respondi, posse procul dubio valide, 4
et licete concedi ; causa enim requisita ad hanc concessionem non debet afferre secum necessitatem simpliciter et absolute, cum hujus sacramenti usus, et susceptio non sit de necessitate salutis ; sed sufficit, quod talis concessio necessaria existimetur, ut incolæ alicujus provinciæ, vel certe magna pars carere non debeat hoc sacramento ex defectu ministri, quæ causa sufficiens judicari solet a sede apostolica ad hunc effectum, imo et aliæ causæ minores, ut inductione constare potest. Et in primis referri solet Gregorius III. concessisse aliquibus sacerdotibus in regionibus remotissimis infidelium, in quibus non erant episcopi, ut id facere possent, ne multi eorum, qui ad fidem convertebantur, sine hoc sacramento decederent, ut habetur apud Suarium ub supra §. *Hæc vero expositio.*

5 Secundo meminit ibid. Suarez alterius similis concessionis Adriani Sexti pro fratribus minoribus in Indiis, quam dicit ab aliquibus affirmari, conservari authenticam Hispali in conventu S. Francisci. Ego illam adhuc invenire non potui, et vereor, ne sit illa quæ habetur apud Emman. Rodericum in suo *Bullario regularium*, et est prima inter Bullas ejusdem Adriani : in qua concedit aliquibus fratribus minoribus in India multas facultates, atque etiam totam et omnimodam ipsius Pontificis auctoritatem in utroque foro, quantam prælati eorum judicaverint opportunam, et expedientem pro conversione dictorum Indorum, et manutentione, ac perfecta conservatione eorum in fide catholica, etc. statim tamen addit, « quod præfata auctoritas extendatur etiam quoad omnes actus episcopales exercendos, qui non requirunt ordinem episcopalem. » Quare non videtur concessa facultas ad sacramentum confirmationis conferendum.

6 Melius posset tertio afferri bulla Leonis Decimi, quæ est tertia ipsius Leonis in eodem bullario Roderici, in qua Pontifex aliquibus fratribus minoribus concedit facultatem hoc sacramentum in India conferendi in casu necessitatis, episcopis in provincia non existentibus, et refert, idem aliis concessum fuisse ab aliis Pontificibus, nempe a Nicolao IV. Joanne XXII. Urbano V. Eugenio IV. et aliis. Hæc autem eadem ratio procedit in casu præsenti ; ergo concedi posset saltem cum eadem limitatione, ut non habeat locum, nisi episcopo nullo in provincia illa existente.

Similem facultatem audio concessam fuisse in provincia Brasiliæ, ut ob defectum episcopi sacerdos sæcularis, qui administratoris munus et nomen habet, possit hoc sacramentum conferre.

8 Quarto afferri possunt in exemplum abbates plures, qui ab antiquo hoc privilegium habent a sede Apostolica confirmandi baptizatos, quorum meminit concilium Senonense in verbis supra relatis, et præcipiens solum quod ostenderent suum privilegium, ut constare posset de ejus concessione. Ad quod etiam facit responsio quædam Gregorii XIII. quæ habetur inter responsa congregationis Concilii, qui voluit abbatem habentem ex privilegio sedis Apostolicæ, ut sacramentum confirmationis possit conferre, non posse id facere, nisi de licentia Ordinarii. Et quidem minor videtur esse causa in concessione hujus facultatis pro abbatibus, quam sit in casu nostro, cum in primo casu non fiat causa necessitatis, sed ad remuneranda merita et ad majorem dignitatem illorum abbatum, quos Pontifex vult eminere supra alios simplices sacerdotes : in nostro autem casu est necessitas clara, ne maneat provincia integra sine confirmationis sacramento.

9 Ultimo denique afferri potest usus ecclesiæ orientalis, in qua sacerdos ex antiquo usu ungit sacro chrismate baptizatum, et ei sacramentum confirmationis tribuit : qui usus originem habere censetur ex concessione sedis Romanæ, quæ ideo illum permittit, eumque late, et erudite defendit Petrus Arcudius lib. u. *de Sacramentis ecclesiæ orientalis ;* agens de hoc sacramento. Sicut et in Sardinia S. Gregorius concessit expresse eumdem usum, ut supra vidimus. Et quidem nec in Sardinia, nec in Græcia erat eadem causa et necessitas, quæ reperitur in casu nostro : si ergo in iis provinciis id licuit, a fortiori in casu nostro hoc ipsum licite concedetur.

## DUBIUM VII.

*Utrum ille Abbas, cui conceduntur functiones episcopales, possit conferre sacramentum confirmationis, si expresse non prohibetur.*

1 Hoc dubium annexum est præcedenti, et controversum fuit aliquando in sacra Congregatione propter quosdam abbates, quibus concessa fuerat facultas exercendi omnia pontificalia, et spiritualia, excepta dumtaxat collatione ordinum, consecratione ecclesiæ et altarium. Quare videbatur aliquibus concessa facultas conferendi sacramentum confirmationis, quia exceptio in non exceptis firmat regulam : præsertim quando casus excepti sunt speciali nota digni, et excipiuntur taxative, ut notat Decius leg. 1. n. 30. et 36. *de regulis juris*.

2 Cæterum audita sententia sacræ Congregationis, Gregorius XIII. die 13. Martii anno 1574. respondit, non comprehendi in ea concessione collationem hujus sacramenti, quia in generali concessione non intelliguntur ea, quæ sunt specialiter reservata, et de quibus facienda est specialis mentio : quamvis enim exceptio firmet regulam, non tamen ampliat ultra ejus naturam, juxta consil. Butrii 19. et Tiraquel *de retractu lign.* gloss. XIV. num. 93. Nec solet concedi hæc facultas simplici sacerdoti sine causa urgenti, ut colligitur ex c. *Pervenit.* XCV. dist. et ex decreto Eugenii in concilio Florentino relato dubio præcedenti, quæ causa in præsenti non apparebat.

3 Ad rationem vero in contrarium adductam responderi potest, casus exceptos nominatim in dicta concessione non fuisse æque reservatos, sicut est collatio hujus sacramenti ; quia consecratio ecclesiæ, et ejus reservatio episcopo, est solum de jure mere humano : quod idem multi dicunt de collatione ordinum minorum. At vero collatio sacramenti confirmationis ab ipso Christo reservata fuit solis episcopis, relicta tamen facultate summo Pontifici, ut ex causa urgenti posset illam inferiori sacerdoti committere, ut multis probat Suarez tom. III. in III. pun. disp. XXXVI. sect. 2.

## DUBIUM VIII.

*Utrum Chrisma confectum ex aliis ingredientibus ultra oleum, et balsamum possit adhiberi in sacramento confirmationis.*

Occasio hujus dubii est usus Græcorum, qui cum oleo, et balsamo miscebant olim alia duodecim aromata diversa, ex quibus omnibus simul concoctis chrisma consecrandum conficiunt, ut colligitur ex eorum euchologiis antiquis manuscriptis : postea vero adeo extensa fuit hæc aromatum diversorum mistio, ut in euchologiis recentius impressis ritus conficiendi chrisma contineat ultra oleum, et balsamum alias triginta tres aromatum diversorum species, quæ simul in vino, et oleo concoquuntur, et quidem in magna quantitate, ex quibus ita coctis fit massa non liquida, sed tamen mollis et morbida, qua frontes confirmandorum unguntur. Quare dubitatum fuit, an hæc æstimanda esset materia legitima et valida ad confirmationis sacramentum ; obstare enim videbatur concilium Florentinum in decreto Eugenii, ubi materia hujus sacramenti dicitur chrisma ex oleo et balsamo confectum : illa autem alia massa ex tot diversis mistilibus composita videtur physice et moraliter diversa a composito ex oleo et balsamo. Sicut neque etiam sufficeret ad consecrationem calicis potus confectus ex vino, melle, et pluribus aliis rebus 1

aromaticis, præsertim si concoctio præcederet, quia potus ille multum differret a vino, quod est materia sacra consecrationis.

2 Aliunde tamen pro defensione et retentione illius ritus afferebatur auctoritas in primis Dionysii Areopagitæ, qui in lib. *de Eccles. Hierarch.* c. IV. agens de chrismate, ita loquitur : « Dicimus igitur unguenti confectionem esse collectionem quamdam suaviter spirantium materiarum, quæ in se magnam vim, et copiam fragantium qualitatum contineat, cujus qui facti sunt participes, odorem bonum ex se efflant, proportione fragrantis communionis, quæ in eis inest. » In quibus verbis plura certe mistilia significantur, quam oleum et balsamum : nam oleum non est materia suaviter spirans, nec fragrantes qualitates continens, sed potius olfactui gravis et ingrata, ut experientia constat. Dionysius autem non unicas, sed plures materias odoriferas, et suaviter spirantes dicit in chrismate contineri, imo et in copiosa multitudine, ut significant verba illa, *magnam vim, et copiam fragrantium qualitatum :* non ergo solum balsamum oleo miscebatur, sed plures aliæ species odoriferæ.

3 Secundo ponderabatur, quod neque in concilio Florentino ubi multa a Patribus Latinis opposita fuerunt Græcis circa usus sacramentorum, neque alibi legitimus unquam oppositum illis fuisse defectum sacramenti confirmationis ob illegitimam materiam adhibitam. Nec etiam Innocentius IV. in sua bulla, ubi de reditibus a Græcis observandis multa decernit (et est bulla XIV. ejusdem in I. tomo Bullarii communis), quidquam circa materiam hujus sacramenti apud Græcos corrigendum statuit. Sicut nec etiam Clemens VIII. in sua instructione pro Græcis Catholicis edita, imo illis libere permissit accipere sacramentum ab episcopis Græcis non schismaticis, quæ omnia arguunt, non fuisse deprehensum defectum substantialem in materia hujus sacramenti a Græcis communiter usurpata.

Tertio ad idem ponderabatur mysterium in chrismatis significatione intentum, quod ideo mistum esse ex oleo, et balsamo, notarunt scriptores sacri, ut per oleum significaretur splendor et candor vitæ, et per balsamum bonus odor sanctitatis, quem Christianus confirmatus præbere debet, et ad quos spirituales effectus datur specialis gratia in hoc sacramento. Ad hanc autem significationem non minus conducere videntur aliæ species odoriferæ, quam balsamum, imo quo plures species aromatum miscentur, eo suavior, et gratior odor exhalatur : non est ergo contra finem, vel substantiam hujus sacramenti mistio aliarum specierum, quæ magis ad perfectionem boni odoris conducit. Quod denique mistio illa per concoctionem fiat, parum videtur referre, cum concoctio illa non auferat substantiam chrismatis, sed serviat ut mistio perfectior fiat, et virtute caloris dissolvantur mistilia, et facilius misceantur. Nec enim oleum, vel balsamum igne calefactum, aut coctum desinit esse oleum, vel balsamum, vel causare eosdem effectus, sive ad lucem lampadis nutriendam, sive ad alios usus humanos, imo si congelata sint, solent ad eos usus potius in igne liquefieri, et postquam refriguerint, manent sicut antea, ut constat experientia. 4

Hæc pro utraque parte cogitari poterant. Verum quia de antiquitate ejus usus non satis constabat, saltem quoad tantum numerum, et copiam diversorum aromatum, et credibile erat paulatim excrevisse tam quoad numerum, quam quoad majorem quantitatem singulorum ; et quia in his sacramentorum materiis non facile recedendum est a certa et secura materia, visum mihi est, ut Græcis aliquid in hoc puncto præscriberetur, et monerentur si aliquid præter oleum, et balsamum in confectione chrismatis addendum esset, ea et pauca essent, et in tali quantitate, ut balsami odor præva- 5

leat, et oleum ita sub ratione olei perseveret, ut olei effectus semper retineat; his enim stantibus, non videtur damnanda aliqua aliorum aromatum mistio. Sicut etiam in rubricis missalis Romani ita permittitur ad thurificationem aliarum specierum fragrantium admistio, ut tamen semper thuris odor prævaleat. Sic etiam si prævalent odor balsami, et olei qualitates, non videtur materia illa differre substantialiter a nostra. Omnino tamen putabamus, curandum ut investigaretur et inveniretur, si fieri posset, initium hujus mistionis, quod si posset deprehendi, non ita esse antiquum, vel certe post inchoatum schisma, et separationem ab ecclesia Romana cœpisse illum usum, omnino tollendum, et inducendam mistionem ex oleo solum et balsamo, cum traditio Romanæ ecclesiæ tutior semper, et certior existimari debeat.

## DUBIUM IX.

*An aliquid tabaci in fronde sumptum ore, ut dentibus solum conteratur, solvat jejunium naturale ad communionem necessarium.*

1 Non est sermo de iis, qui naribus pulverem, vel fumum tabaci sumunt ad purgandum caput; hoc enim licet in aliquibus locis graviter sit ab episcopo, vel synodis prohibitum, præsertim in concilio Limense, et concilio Mexicano : id tamen non est propter jejunii naturalis violationem, sed propter indecentiam, ut notavit post alios Zacharias Pasqualigus *in praxi jejunii* dec. 438. sicut ob eamdem rationem sanctæ memoriæ Urbanus VIII. speciali Brevi prohibuit in civitate, et diœcesi Hispalensi quamlibet tabaci sumptionem, sive ore, sive naribus intra ecclesiam, ubi non attenditur ad jejunium, cum tam post missam, vel communionem, quam ante illam, imo etiam laicis non communicaturis prohibeatur intra ecclesiam tabaci usus. Quare licet Antonius de Leone *in quæstionibus moralibus de cocholate* p. 2. §. IV. num. 10. et seqq. quem affert et sequitur Lezana tom. III. verb. *Euchar.* num. 16. dicant violari jejunium naturale ad communionem requisitum, quando aliquis fumum, vel pulverem tabaci naribus sumit; hanc tamen sententiam rejiciunt Diana part. V. tract. XIII. resolut. 1. et p. 8. tract. VII. resol. 3. et Pasqualigus locis citatis, quia illa non est vera comestio, aut potatio, quibus actionibus jejunium solvitur.

Difficultas est de iis qui folium tabaci 2
ore sumunt, et dentibus conterunt ad sputa, et phlegmata ex ore projicienda, de quibus Antonius de Leone loco citato dicit, non esse dubium quod violent jejunium naturale, quia semper aliquid ex succo in stomachum trajicitur. Alii vero dicunt, si nihil in stomachum trajiciatur, non violari jejunium, secus si aliquid trajiciatur, ita Alfonsus de Leone, et Joannes Præpositus, quos affert et sequitur Diana loco citato. Addit Pasqualigus ubi supra num. 5. si quid minimum in stomachum descendat casu, et præter intentionem, non violari jejunium, sicut idem dixerat decis. 435. de aromatibus ori impositis, et dentibus contritis ad confortandum caput, quando aliquid ex iis præter intentionem, et cum saliva in stomachum descendit. Denique Lezana loco citato dicit, frangi jejunium, nisi moraliter certum sit nihil in stomachum pervenisse.

Difficultas ergo tota reducitur, an hic 3
tabaci usus ita sit ordinatus ad effectus dependentes a trajectione alicujus partis in stomachum, ut eo ipso quod aliquis ore illud sumit, non possit dici casu et præter intentionem trajicere partem in stomachum, sed ex intentione saltem implicita, quatenus accipit ore herbam illam ad eos effectus, qui haberi non possunt, nisi aliqua succi vel substantiæ particula in stomachum transmissa;

quare transmissio illa non erit casu et præter intentionem, sed potius ex intentione saltem implicita intendentis finem per medium illud necessarium, et per consequens volentis illud medium.

4 Ratio autem dubitandi esse potest, quia non videtur negari posse, quod dum tabacum dentibus conteritur, aliquis ex illo succus exprimatur, cujus pars in stomachum trajiciatur : nam ejus virtus sentitur statim in stomacho, qui non solum alteratur, et provocatur aliquando ad vomitum, sed etiam plerumque commovetur corpus ad purgationem ventris, qui effectus non videntur fieri posse, nisi virtus et qualitates hujus herbæ trajiciantur, quæ qualitates cum sint accidentia, non possunt sine subjecto transire, et per consequens fatendum erit, aliquam particulam ipsius substantiæ transire, et deglutiri, quæ licet videatur mista cum saliva deglutiri sicut gutta aquæ, quando os abluitur ; hoc tamen in casu nostro non videtur fieri præter intentionem, sed potius ex intentione saltem implicita, si quidem herba illa ad hunc finem sumitur, et habetur in ore, ut eos effectus causet in stomacho et in corpore ; neque sumitur ad delectationem, cum herba ipsa gustui ingrata sit, ut experientia constat, sed sumitur gratia medicinæ, et per consequens solum ut efficax, et utilis ad ejusmodi effectus et purgationem causandam.

5 In contrarium tamen est praxis doctorum et piorum virorum, qui absque ullo scrupulo tabaco utuntur, et ejus herbam primo mane ore versant, et dentibus conterunt, et postea ad communionem, vel ad missam celebrandam accedunt, quem usum, quia sciebam Neapoli potissimum esse, volui plures viros doctos et theologiæ professores Neapolitanos consulere, qui omnes responderunt, se absque ullo scrupulo id facere, idque pluribus rationibus defendi posse. Primo, quia non est necesse quod aliqua substantiæ pars trajiciatur in stomachum, ut ii effectus fiant ; imo summa cura adhibetur ne aliquid transeat, quia propter summam ejus mordacitatem et acrimoniam vehementer læderet stomachum, ut constat experientia, si aliqua ex succo guttula casu deglutiatur, reluctante statim stomacho ad nauseam et vomitum provocato ; quare continuo spuitur quidquid salivæ in ore cum herba illa commiscetur. Potest tamen sufficere applicatio ad linguam, et os, ut virtutem transmittat in stomachum ; videmus enim sufficere aliquando quod applicetur ad nares, ut similes fere effectus causet, licet tunc nihil per fauces trajiciatur ; quanto magis sufficiet, quod in ore et lingua habeatur ?

6 Secundo, quia licet non possint qualitates eædem, quæ sunt in ipsa herba, trajici sine subjecto, et per consequens sine aliqua particula substantiæ, possunt tamen producere similes qualitates in medio, et in lingua, quæ porosa est et participat eamdem tunicam cum ore stomachi, quæ qualitates productæ in medio deferunt secum virtutem ad eos effectus producendos. Sic enim videmus etiam, si vino generoso os abluatur, etsi nihil trajiciatur per fauces, apparere effectus confortato capite, atque etiam stomacho per consensum partium, et per communicationem qualitatum similium, quod non minus poterit in tabaco contingere.

7 Tertio, quia possunt ii effectus oriri ex virtute attractiva, qua hæc verba possit, dum est in ore, trahere ad se pituitam et alios humores ex capite et stomacho, sicut multa alia sunt, quorum virtus potissimum apparet in vi attractiva horum, vel illorum humorum per sympathiam, vel aliam virtutem ocultam, quorum usus in medicina frequens est, et videtur magis in tabaco hæc virtus apparere, cum ex sola applicatione ad nares hi effectus aliquando sequantur, et ex sola sumptione in ore antequam possit quidquam illius substantiæ in stomachum trajici. Hæc, et alia magistri illi pro praxi sua, et aliorum tuenda affe-

rebant, quæ mihi ad minus eam licitam probant, quando aliquis ea solum intentione herbam illam ori applicat, ut sine trajectione substantiæ operetur effectus, quos sine illa trajectione per attractionem, vel per productionem solum similium qualitatum operari potest, quicumque illi sint, et curando, prout omnes curare solent, ne succus vel quidquam aliud in stomachum trajiciatur: si enim tunc aliquid ex succo mistum cum saliva transierit, hoc erit præter intentionem, et casu, sicut de guttula aquæ vel vini qua os abluitur, dici solet, atque adeo non violabitur jejunium naturale. Monerem tamen, ne id in ecclesia, vel ejus ambitu fiat, cum propter reverentiam illorum locorum Sanctissimus D. N. Urbanus VIII. id in diœcesi Hispalensi prohibuerit, ut vidimus: quæ prohibitio licet ad alias provincias non extendatur, supponit tamen, sine irreverentia aliqua loci sacri id fieri non posse.

## DUBIUM X.

*An sacerdos secundo celebraturus possit in prima missa dare ablutionem in calice laico Communionem accipienti.*

1 Contingit, ut aliqui sacerdotes, vel propter duo beneficia parochialia, quæ habent in duobus oppidis, vel propter populi frequentiam, qui non potest ad unam missam convenire, facultatem habeant bis eadem die celebrandi, dum tamen ablutionem in prima missa non sumant, ne postea iterum non jejuni celebrent. Volebant ergo ii aliquando in prima missa calicem quidem abluere, eamque ablutionem laico ex iis, qui in ea missa eucharistiam accipiebant, porrigere in ipso calice loco ablutionis, quæ ex vino aut aqua laicis post communionem dari solet; idque iis videbatur religiose fieri, et ad majorem eucharistiæ cultum et reverentiam conducere, ne scilicet reliquiæ sanguinis in calice remanentes, quæ omnes ab ipso sacerdote sine ablutione sumi non possunt, cum semper guttæ aliquæ calici adhæreant, ne, inquam, reliquiæ illæ remaneant et corrumpantur ibi, sed consumantur eo modo quo cum majori decentia possunt, nec apparet decentior modus quam abluendo calicem, et data ablutione uni ex fidelibus actu communicantibus.

Dixi tamen, hunc usum, non esse fa- 2
cile admittendum vel introducendum; est enim in primis contra consuetudinem et praxim totius ecclesiæ Latinæ, atque etiam contra prohibitionem universalem ejusdem Latinæ ecclesiæ, in qua hodie communio sub utraque specie laicis non permittitur, ut constat ex concilio Tridentino sess. XXI. cap. 2. quod præceptum in nullo casu, nisi a solo summo Pontifice, dispensabile est. Unde, etiamsi casus occurreret, quo infirmus moribundus non possit deglutire hostiæ particulam, sed tamen posset aliquid ex calice consecrato deglutire, non esse ei dandam communionem sub speciebus vini, sed permittendum potius sine viatico mori, docet Suarez III. tomo in III. part. disp. XVII. sect. III. circa finem; quia præceptum viatici sumendi non obligat, quando illud ab Ecclesia propter graves causas negatur. Sicut neque etiam obligat, quando non habentur vestes sacræ quibus sacerdos celebret ad consecrandam hostiam pro infirmo jamjam morituro. Nam reverentia huic sacramento, et sacrificio debita est justa causa, ut Ecclesia non permittat eo casu celebrari, aut ministrari hoc sacramentum propter gravia inconvenientia, quæ ex hac permissione oriri possent.

Imo plus aliquid addit Sotus in IV. dist. XIII. qu. II. art. 6. dicens, si contingat sacerdotem celebrantem mori post consecrationem ante sumptum sanguinem, et nullum adesse posse sacerdotem, qui consumere illum possit, non posse laicum illas vini species consecra-

tas sumere, etiamsi ea de causa species corrumpendæ essent, vel in acetum convertendæ, aut paulatim consumendæ, quod idem dicunt alii, quos tacito nomine refert Suarez ubi supra, si contingat sanguinem Domini in terram cadere, et nullum esse sacerdotem qui velit vel possit illum lambere : quo casu laicus id facere non posset, sed solum deberet diligenter cavere ne conculcaretur, et servare donec species exiccarentur, et postea radere ac comburere. Uterque tamen casus rigidus nimis videtur eidem Suario ibi, quia cum hæc prohibitio sumendi utramque speciem sit de jure ecclesiastico, et introducta sit ob majorem sacramenti reverentiam, non obligat ubi cedit in majorem ejusdem sacramenti reverentiam, prout in illis casibus cederet. Sicut si calix consecratus venturus esset in manus infidelium, a quibus effundendus vel etiam irreverenter potandus esset, posset laicus in absentia ministri consecrati eum reverenter sumere.

4 Ex hac tamen doctrina posset aliquis colligere, quod etiam in casu dubii propositi possit laico porrigi illa ablutio : nam tunc etiam videtur id fieri propter reverentiam sacramenti, et ne guttæ illæ specierum in calice remanentes, vel acescant, vel paulatim consumantur et exsiccentur, neque enim conservari ibi poterunt usque ad diem crastinam, qua sacerdos in eodem loco iterum celebrare poterit, et sumere illas simul cum speciebus tunc consecrandis : aliunde regula generalis, quam Suarez illo loco approbare videtur, hæc est, ut propter usum solum sacramenti et utilitatem suscipientis, non possit laicus sumere aliquid ex calice sine dispensatione : possit tamen propter necessitatem ortam ex parte ipsius sacramenti, qualis videtur etiam in hoc casu intervenire, ne reliquiæ specierum acescant vel corrumpantur.

5 Cæterum adhuc non credo regulam illam ad hunc casum extendendam, nec approbandum eum usum, si aliquis forte conatus est illum inducere.

6 Pro quo adverto, hanc totam prohibitionem fundatam esse in consuetudine ecclesiæ Latinæ, quam consuetudinem ipsa Ecclesia approbavit pro lege in concilio Constantiensi sess. XIII. et in Tridentino sess. XXI. cap. 2. oportet ergo attendere ad ipsam consuetudinem, et videre qualis et quanta sit, ut appareat quousque extendatur lex ecclesiastica, quæ consuetudinem ipsam præcipit observari. Non potest autem negari, consuetudinem huc usque non fuisse dandi laico species vini consecratas in eo casu, sed potius consuetudinem positive contrariam : casus enim non est rarissimus, sed satis frequens in multis parochis habentibus curam duarum ecclesiarum : nemo autem tentavit ablutionem calicis dare laico post communionem. Singuli etiam sacerdotes in die Natalis Domini ter celebrant, et multi interrumpunt inter unam missam, et aliam per horas, quo tempore exsiccari possunt stillæ calici adhærentes ; nemo tamen ausus est abluere calicem, et ablutionem laico porrigere.

7 Adde, esse alios casus similes, in quibus ab Ecclesia de contrario remedio provisum est in rubricis Missalis *de defectibus in ministerio ipso occurentibus*, ubi dicitur si musca in calicem post consecrationem ceciderit, et non possit sine nausea a sacerdote sumi, debere extrahi et lavari cum vino, et comburi : ablutionem vero in sacrarium, seu piscinam projici. Quo casu in ipsa ablutione muscæ aliquid specierum vini consecrati, quæ muscæ adhærebant, mistum erit : et tamen ablutio non debet dari laico communicanti, sed projici in sacrarium. Similiter, si aliquid de sanguine super lapidem altaris ceciderit, debet sacerdos sorbere stillam et lapidem abluere, et ablutionem in sacrarium projicere. Idem fieri debet, si ceciderit super lintea altaris, vel super corporale, aut vestes sacras : quæ consuetudo antiquissima est,

ut constat ex cap. *Si per negligentiam, de consecratione* dist. II. Nunquam ergo fuit usus dandi laico species sanguinis mistas ablutioneni in iis casibus : igitur lex Ecclesiæ approbans consuetudinem non dandi species vini laicis, qualis tunc erat ea consuetudo, comprehendit etiam hunc casum, in quo consuetudo erat non dandi, sed alia remedia adhibendi.

8 Secundo addere possumus falso supponi, quod hæc calicis prohibitio facta sit solum ob reverentiam sacramenti : nam hodie magis fundatur in odio hæreticorum, ut extirpetur hæresis dicentium, non contineri totum Christum sub singulis speciebus, vel usum calicis esse necessarium, et Ecclesiam errasse ministrando unam speciem sine alia, quæ sunt tanti ponderis motiva, ut Ecclesia merito cum tanto rigore usum calicis laicis prohibuerit. Unde idem Suarez loco citato negat, posse dari guttam calicis consecrati moribundo, qui non possit accipere species panis pro viatico, et posset accipere stillam sanguinis, quia in re tanti momenti non est aperiendum ostium ad alias licentias ; etiamsi homo ille moriatur sine viatico.

9 Tertio arguere possumus retorquendo argumentum supra indicatum ; ex eo enim quod prohibitio laicis facta sumendi calicem sit de jure solum ecclesiastico, non sequitur, quod Ecclesia nolit hoc casu obligare. Nam prohibitio etiam communicandi, vel celebrandi non servato jejunio naturali, est solum de jure ecclesiastico, et quæ patitur de jure aliquas exceptiones : et tamen in die Natalis Domini non vult Ecclesia, quod sacerdos in prima missa sumat ablutionem ante secundam, et tertiam missam, sed reputat minus inconveniens, quod stillæ specierum maneant in calice, et ibi exsiccentur, quam quod celebret soluto jejunio. Multo ergo minus volet Ecclesia, quod ablutio calicis detur laico in casu nostro, cum multo strictius sit præceptum prohibens laicis calicem, quod nullam in jure patitur exceptionem, etiam in casu mortis, quam præceptum jejunii naturalis ante communionem, quod exceptiones aliquas habet in eodem jure expressas.

Quarto retorquere possumus argu- 10
mentum ; quia si necessitas irreverentiæ vitandæ id licitum reddit, sequitur quod posset etiam ablutio illa porrigi laico non communicato sub speciebus panis, dum tamen jejunus sit : quod tamen adversarii non concederent, nec volebant, nisi quod id liceret laico communicanti, ut post hostiæ sumptionem, illam etiam ablutionem acciperet. Sequela vero probatur, quia in casibus supra enumeratis, et a Suario admissis, non est necesse quod laicus accipiat etiam hostiam, sed potest solum sanguinem sumere, qui solus in terram effusus est, vel qui solus a sacerdote in missa sumptus non fuerat, quando sumpta hostia repente mortuus est ; quia nimirum ob reverentiam solam sacramento debitam, laicus tunc sanguinem sumit : nec attenta institutione sacramenti, est magis necesse sumere hostiam simul cum calice, quam calicem simul cum hostia : quare cum hæc sine calice passim sumatur, non videtur, cum in illo casu non posset e contra calix accipi sine hostia.

Unde quinto arguere possumus a pos- 11
teriori, quia si reverentia sacramenti id in illo casu redderet licitum, posset etiam laicus non jejunus ablutionem calicis tunc sumere : nam in casibus aliis supra enumeratis, ubi irreverantia sacramenti vitanda est, deficiente aliquo jejuno, potest et debet a non jejuno consumi, ut concedunt communiter doctores, et videri potest idem Suarez dicto tom. III. disp. LXVIII. sect. 6. in fine. Unde rursus videtur inferri, quod in casu nostri dubii non debuisset Ecclesia prohibere in universum sacerdoti iterum celebraturo, ne in prima missa ablutionem accipiat ; quia major est obligatio vitandi irreverentiam sacramenti, quam non illud accipiendi sine jejunio : deberet ergo tunc solum prohiberi ablutio in

prima missa, quando non est periculum quod reliquiæ specierum in calice relictæ acescant, vel consumantur, quia magis vitanda est irreverentia sacramenti, quam sit procuranda jejunii observatio ante secundam missam. Cum ergo Ecclesia prævidens reliquias illas in calice relinquendas, adhuc eam cautionem vel exceptionem non adhibuerit, sed universaliter prohibuerit sumere ablutionem, consequens est non agnovisse irreverentiam talem in eo, quod reliquiæ illæ remaneant in calice, ut propter illam dispensandum sit in jejunio ad communionem requisito, atque adeo nec sufficiet, ut dispensetur laicus in prohibitione bibendi sanguinem Domini sub speciebus vini, quæ prohibitio neque etiam in mortis articulo tollitur, licet tunc jejunii requisiti necessitas locum non habeat.

12 Ratio a priori ex dictis colligi potest, quia nimirum in eo casu non est irreverentia talis, quæ vitari debeat permittendo vel communionem absque jejunio, vel sumptionem calicis a laico. Nam, licet hoc sacramentum confici non debeat, nisi ad usum illius, id est, ut sacramentaliter a fidelibus sumatur in cibum, vel potum, et licet diligenter curandum sit, ne species consecratæ corrumpantur, sed quod sumantur ante a fidelibus, ne suo fine fraudentur : id tamen totum non est procurandum diligentia metaphysica, vel mathematica, sed morali et humana, ad quam non spectat, ut nulla prorsus sanguinis guttula, aut subtilissimus hostiæ pulvis pereat ; id enim quantumcumque procuretur, non poterit obtineri. Sed Christus Dominus sacramentum hoc in cibum et potum humanum instituens, reverentiam quidem et diligentiam exegisse videtur a nobis, sed humanam, quæ non potest casus omnes et jacturas etiam minimus in cibo et potu impedire. Nec ipse Christus legitur talem diligentiam ab Apostolis in Cœna exegisse : nec Ecclesiam eam adhibuisse, ut nihil prorsus specierum corrumpi ex se possit. Quot enim fragmenta minuscula periisse necesse erat, quando singuli fideles particulas consecratas in domos proprias secum ferebant ? quot etiam guttulas cecidisse, vel in exteriori calicis parte adhæsisse, quando fideles omnes ex eodem calice sumebant ? imo nunc etiam, quando sacerdos post sanguinem sumptum, et antequam ablutionem accipiat, communionem dat populo, quem vidi ego aliquando plusquam ad millenarium communicantium numerum ascendere, necesse est, ut interim guttulæ, seu reliquiæ sanguinis calici adhuc adhærentes, quoad aliquam saltem sui partem, consumantur, imo tantum potest esse temporis intervallum, ut omnino exsiccentur ; quod tamen periculum Ecclesia non æstimat ita grave, ut ideo velit communionem populi differri usque ad missæ finem ; quod etiam in aliis casibus reperiri potest, ex quibus constat Ecclesiam curare quidem, ut cibus ille et potus in usum fidelium cedat : moraliter tamen, non mathematice quoad singulas omnino particulas minimas, quarum aliquas necesse est ante sumptionem corrumpi. Ad quod etiam ponderari potest decretum S. Pii Papæ, quo jussit, ut si quid Dominici sanguinis in lintea caderet, lamberetur, si posset, alioquin lavaretur et mitteretur in piscinam : ubi satis apparet, non adhiberi metaphysicam diligentiam : nam potuisset præcipi, ut linteum illud vino lavaretur, et ablutio ipsa sumeretur a sacerdote, quippe quæ contineret adhuc Christi sanguinem. Vides, nunquam tantam obligationem agnitam esse, qua obligatione non existente, non est, cur laico detur ablutio cum guttis sanguinis, stante prohibitione universali et certa, ne laicus sub utraque specie communionem accipiat.

Satis fit ergo sumendo totum poculum moraliter, et adhibendo moralem diligentiam ut nihil remaneat, quamvis per accidens aliquando necesse sit aliquid minimum utriusque speciei remanere, prout in casibus supra adductis Ecclesia non reputat magnum absur-

dum, quod aliquæ ablutiones in piscinam mittantur. In casu autem nostro gravissima intercedit causa, ne adhibeatur illa extraordinaria diligentia dandi ablutionem laico, ad quam reverentia sacramenti procul dubio non obligat. Denique non video, quomodo in hoc casu sit locus epiichiæ circa mentem Ecclesiæ, cum ipsa in casibus similibus noluerit sacerdotem sumere ablutionem, sed statuerit quid de ea faciendum sit, nempe quod mittatur in piscinam. Quanto minus velle censebitur, quod detur laico? Quare nec credo, quod P. Suarez id diceret in hoc casu, cum ipse nunquam locutus sit de ablutione, sed de speciebus panis nondum a sacerdote sumptis, sed manentibus adhuc non permistis. Quando vero jam poculum totum sumptum est, et agitur de stillis per accidens remanentibus in calice, non credo id dicturum P. Suarez, cum sit casus ab Ecclesia prævisus, in quo ipsa expresse aliter providit, nec de tali remedio adhibendo mentionem ullam aliquando fecit.

## DUBIUM XI.

*An liceat deferre Eucharistiam infirmo adorandam, qui eam sumere non potest.*

1 Certum est, non esse obligationem eam deferendi : nam Parochus solum tenetur ad administranda sacramenta : quare cessante eo fine, quando constat infirmum non posse viaticum accipere, vel quia deglutire non potest, vel quia timetur vomitus cum irreverentia sacramenti, cessat parochi obligatio. Solebant tamen aliquando parochi ad consolandum ægrotum deferre solemniter sacramentum ad ejus domum, eique sacram hostiam adorandam ostendere, imo et osculandam quandoque, ut hoc saltem actu ægrotus affectum suum ostenderet, et desiderium realiter, et sacramentaliter Christum accipiendi, si posset, eique præsenti semetipsum in extremo illo necessitatis articulo commendare, de quo usu dubitandum est, an laudabilis et pius æstimandus esset, an vero imprudens, et contra reverentiam venerabili sacramento debitam.

Respondeo in primis, si dubium sit de 2
potentia, vel impotentia infirmi ad communionem suscipiendam, probandum antea esse, et tentandum an deglutire possit parvulam saltem partem unius particulæ non consecratæ, vel solam, vel cum haustu aquæ, vel vini, et an eam sumptam retineat sine vomitu. Si vero non vacat, nec temporis brevitas permittit, ut habeatur hæc experientia, quia periculum est, ne interim ægrotus moriatur, vel usum sensuum aut rationis amittat, tunc in eo dubio deferri potest Eucharistia, ut si facto dicto experimento, potens inveniatur, detur ei statim absque alia mora : si vero inveniatur impotens, eam saltem adoret et veneretur, jam enim tunc non defertur solius adorationis causa, sed ut sumatur si possit, de cujus potentiæ defectu nondum constat.

Si vero certum sit, non posse ab infirmo 3
accipi eucharistiam, licet attenta sola institutione hujus sacramenti non appareat culpa gravis, si ad eum adorationis fine deferretur, et ad ægroti consolationem : nam in prioribus Ecclesiæ sæculis fervor fidelium, et charitas erga Christum Dominum, quæ majorem induxerat familiaritatem, permittebat ut et in itinere, et in navigatione secum hoc sacramentum deferrent : illa tamen charitate refrigescente, et apparente necessitate procurandæ reverentiæ erga Christi majestatem, ne familiaritas contemptum pareret ; prudentissime cautum est, ne etiam ad ægrotos, nisi solemni pompa deferatur : et ob eamdem rationem Pius V. prohibuit, ne Eucharistia ad ægrotum deferretur, qui eam sumere non posset. Sic enim Pontificis prohibitio refertur in declarationibus Sacr. congregationis concilii Tridentini tam impressis, quam etiam manuscriptis, in utrisque ea declaratio habetur

in sess. XIII. can. 7. his verbis. « Non licet sanctam eucharistiam ad ægrotantes deferre, qui morbi gravitate impediti sumere eam non possunt, sed venerationis gratia solent eam deosculari. Et, si forte aliquo in loco talis est consuetudo, ea prorsus est tollenda, quod Pius V. prohibuit. » Hæc ibi et quidem merito id prohibuit, quia si ad privatam ægroti consolationem, et sine spe refectionis sacramentalis, tanta Servatoris majestas loco movenda, et per vias publicas circumferenda esset, paulatim eadem infirmorum pietas introduceret, ut sicut sanctorum reliquiæ ad eos deferuntur, et applicantur curationis gratia, ita et ad eosdem non communicaturos, nec periculose decumbentes deferretur eucharistia ; et applicaretur partibus læsis, et dolentibus, spe impetrandæ curationis, quæ et alia similia cultum et reverentiam debitam tantæ majestati paulatim minuerent. Multo autem minus permittendum videtur, quod infirmus deosculetur sacram eucharistiam, quod est contra usum totius ecclesiæ Latinæ, in qua nunquam laici aliter eam contingunt, nisi lingua et ore, dum eam sumunt, imo nec sacerdos, aut diaconus, nisi vestibus sacris, vel saltem stola ornatus ; quod totum ad cultum et venerationem ejusdem sacramenti tuendam, videtur omnino retinendum, hoc præsertim tempore, quo recentiores hæretici diabolica rabie cultum hujus venerabilis sacramenti de medio tollere nituntur.

## DUBIUM XII.

*An parochus bis celebrans diebus festis in duabus parochiis, quas habet, possit permitti in eisdem bis etiam celebrare diebus profestis.*

1 Data fuit ea facultas in quadam synodo diœcesana parochis habentibus duas ecclesias parochiales, in quibus diebus festis bis celebrabant. Aliqui tamen dubitarunt, quia licentia bis eodem die celebrandi in duplici parochia, fundatur in verbis Innocentii III. relati in ca. *Consuluisti, de celebratione missarum*, ubi prohibita duplici missa eadem *die*, addit Pontifex exceptionem, *nisi causa necessitatis suadeat ;* ex quibus verbis doctores communiter colligunt, posse parochum bis celebrare, quando habet duas ecclesias parochiales, et non potest commodè habere coadjutores, ut cum aliis docet Suarez III. tom. in III. part. disp. VIII. sect. 3. §. *Tertia enim.* Hæc autem causa necessitatis non videtur inveniri nisi diebus festis, ut populus utriusque parachiæ possit missam audire, quam tamen in diebus ferialibus audire non est necesse ; quare non est necessitas iis diebus duplicis missæ celebrandæ. Unde Magister Nunnus Cabezudo in III. part. quæst. LXXX. art. 2. dixit absolute, id ad dies profestos extendere esse omnino improbabile, et contra omnes.

In hoc tamen vir doctus excessit, sic- 2
ut etiam ibidem dixit esse contra omnes, quod ex quacumque necessitatis causa liceat aliquando ter celebrare ; quod tamen licitum esse posse ex causa necessitatis, docuerat, et probaverat bene idem Suarez ubi supra vers. *Sextus autem casus*, quia jura indifferenter loquuntur de pluribus missis, non determinando ad duas, vel plures, et ante illum idem docuerat Philiarchus *de officio sacerdotis* tom. I. Sic ergo immerito dixit, neminem concedere licentiam illam parochis ad dies profestos, nec posse probabiliter concedi. Nam id concessit expresse idem Suarez ibidemvers. *Sed quæri potest*, quod etiam docit Gaspar Hurtado *de sacrificio Missæ*, difficult. 3. et Joannes de la Cruz Dominicanus *in directorio* p. 2. *de Sacrificio Missæ*, dub. III. conclus. 2. et alii, et mihi etiam probabile videtur posse a legitimo superiore concedi eam licentiam ; quia. ut notant ii doctores, satis gravis est causa, ne populus suo sacrificio privetur,

et opportunitate audiendi missam ; ad hoc enim singulis parochiis suus parochus destinatur, ut in singulis populus sacrificio non careat, sed possit illud cum sacerdote offerre, et ei reverenter interesse.

3 Difficultas esse posset, quando diebus ferialibus populus ad missam non convenit ; nam tunc cessare jam videtur causa necessitatis, quæ duplicem celebrationem justificat, et videtur ad nihil aliud licentia illa deservire, nisi ut eo prætextu sacerdos duplex stipendium lucretur duas missas celebrando, nec vero ad populi usum. Sed tamen hæc tatio non videtur omnino convincere ; quia in primis non videtur moraliter contingere posse, ut licet non omnes, pars tamen incolarum non veniat ad missam audiendam, si sciant quotidie celebrandam, et campana ad hunc finem hora statuta pulsetur, et quidem necessitas causæ requisitæ non videtur solum esse, ut missam audiant, sed etiam ut habeant opportunitatem et facultatem eam audiendi, qua facultate privarentur, si parochus non posset bis celebrare. Si tamen experientia longa constaret inutilitas hujus licentiæ, quod incolæ ad missam non veniunt diebus profestis : aliter forte dicendum esset ; cessaret enim necessitas, cum opportunitas illa et licentia audiendi missam esset inutilis eo loco, et frustra sit potentia, quæ non reducitur ad actum ; quare non æstimaretur necessitas, quæ solum esset ad dandam opportunitatem talem, quæ attenta longa experientia inutilis et supervacanea judicaretur. Merito ergo P. Suarez ubi supra addidit, in hoc puncto « optimum consilium esse servare consuetudinem, quæ in his rebus magnam vim habet, » quia nimirum consuetudo ipsa indicium est necessariæ vel non necessariæ celebrationis : quare stante decreto synodi diœcesanæ legitimam ad id auctoritatem habentis, ut supponitur, et permittentis eam in casu proposito, præsumendum est non sine fundamento id ita fuisse statutum, imo ex eo quod constabat de necessitate, et de populi desiderio, quo opportunitatem audiendæ missæ diebus singulis desiderabat.

## DUBIUM XIII.

*An qui potest approbare oratorium ad celebrandum, possit dare facultatem celebrandi nocte Natalis in aula, ubi construitur præsepe Dominicum.*

Provinciales societatis Jesu possunt in 1
locis, in quibus aliqui ejusdem societatis resident, approbare per se, et deputare oratoria, et capellas, quæ ad divinum dumtaxat cultum deserviant, in quibus missæ, et divina officia celebrari possint, ut habetur concessione Gregorii XIII. in bulla data apud S. Petrum die 3. Maii anno 1575. et incipit, *Decet Romanum Pontificem*, etc. quo supposito, contigit, ut in quodam societatis loco, in quo erat alia capella deputata, et stabilis ad quotidie celebrandum, fieret tamen devotionis gratia in alia communi aula in festis Natalitiis præsepe dominicum cum altari, in quo ad fovendam pietatem volebant nocte illa sacratissima missam celebrare. Dubitatum itaque, et quæsitum fuit, an provincialis virtute prædictæ facultatis posset pro ea nocte deputare locum illum, et licentiam dare ad ibi celebrandum ?

Respondi, meo judicio, non posse : 2
quia ex verbis concessionis supra relatis solum habetur facultas deputandi oratoria, et capellas, quibus nominibus intelligitur solum locus permanens, permanenter deputatus ad illum usum. Quando enim ob aliquam necessitatem concederetur facultas celebrandi semel in cubiculo alicujus infirmi, ad dandum ei viaticum, non dicitur fieri capellam, vel oratorium, sed potius concedi, ut fiat missa extra capellam,. vel oratorium, quem sensum verba consequentia magis exprimunt, dum petunt deputari loca illa ad illos dumtaxat usus missæ, et divini

officii celebrandi, ita ut jam locus ille segregatus maneat ab omni alio usu profano. Certum autem est, aulam illam, in qua præsepe construitur, non deputari in futurum ad usus dumtaxat sacros, sed adhuc ex intentione habitantium destinatam esse ad alios usus domesticos, sicut antea. Non est ergo casus ille, ad quem datur facultas a Pontifice, sed alius diversus, ad quem ergo non inveni privilegium, nec facultatem esse concessam.

## DUBIUM XIV.

*An facultas, de qua dubio præcedenti, delegari possit a Provinciali, cujus nomine alius deputet, et approbet oratorium.*

1 Hoc dubium annexum est dubio præcedenti. Diximus enim posse Provincialem approbare per seipsum, et deputare oratoria, et capellas ad celebrandas missas, et divina officia in iis locis, in quibus aliqui societatis resident. Hac occasione dubitatum est, an si provincialis in ea civitate non sit, possit committere rectori, vel alteri, ut approbet, et deputet oratorium aliquod, vel capellam novam in aliquo collegio, vel domo societatis. Ratio dubitandi est, quia non conceditur facultas quomodocumque approbandi, sed approbandi per se, quæ verba videntur exigere industriam personæ, ut ipse provincialis videat locum, et judicare possit an sit decens et idoneus ad eam deputationem faciendam : quare non potest juxta regulam generalem delegare, sicut nec alii actus, qui exigunt industriam personalem, quod confirmari potest a simili, quia episcopus non potest delegare facultatem sibi concessam in Tridentino sessione XXIV. capit. VI. *de reformatione*, ad absolvendum ab hæresi occulta in foro conscientiæ, quia ibi requiritur industria personæ, et ideo negatur facultas delegandi, ut cum aliis diximus disp. XXIII. *de fide* sect. III. §. 1. imo eodem ca. VI. conceditur episcopis facultas absolvendi ab aliis casibus reservatis occultis *per seipsos, aut vicarium ad id specialiter deputatum*, in quibus verbis satis indicatur facultas absolvendi *per seipsos*, non includere facultatem absolvendi *per Vicarium*, sed potius eam excludere : alioquin non fuisset necesse addere facultatem delegandi vicario specialiter deputato. Cum ergo in casu nostro facultas concessa sit provincialibus approbandi oratoria *per seipsos*, non poterunt id facere per alium delegatum.

Respondi tamen, distinguendum esse : 2 dupliciter enim posset provincialis id velle committere rectori. Primo committendo ei, ut approbet et deputet oratorium : et id non videtur mihi posse facere provincialis, propter rationem dubitandi propositam ; quia hoc esset delegare actum sibi personaliter commissum, et quia superflua fuisset particula illa *per se*, quod non est credibile, sed constat fuisse additam ad limitandam facultatem et ad requirendam industriam personæ. Potest tamen secundo provincialis non quidem dare rectori facultatem approbandi, et deputandi oratorium, vel capellam, sed solum videndi locum et judicandi de ejus decentia et idoneitate, et stante judicio rectoris, et quasi ab eo informatus provincialis, eique fidem adhibens, approbare per se et deputare locum illum, etiamsi absens sit et eum non viderit, et id quidem credo fieri posse, tunc enim rector non approbat, vel deputat tanquam delegatus a provinciali, sed ipsemet provincialis, informatione accepta a rectore, approbat per seipsum et deputat, et exercet immediate, et nullo alio mediante actum sibi commissum approbandi, et deputandi locum idoneum ad oratorium, vel capellam.

Confirmari autem potest primo ex dict. 3 loco, et cap. VI. Tridentini, dicta sess. VI. ubi licet episcopo solum concedatur facultas absolvendi per seipsum ad hæresi

occulta (posset tamen episcopus si facultas illa non esset revocata per bullam Cœnæ), informatus a confessario de statu pœnitentis absentis eum in absentia absolvere per seipsum ab excommunicatione ob hæresim incursa, ut cum aliis multis dixi dicta disputat. XXIII. *de fide*, section. 3. §. 1. tunc enim non per alium absolvit, sed per seipsum, et exequitur ipse immediate actum absolvendi sibi commissum, nec absolutio a censura requirit præsentiam illius qui absolvitur. Sic ergo in casu nostro provincialis absens potest per seipsum immediate approbare, et deputare locum in oratorium, informatione habita a rectore de idoneitate loci : neque enim magis videtur approbatio et deputatio oratorii requirere præsentiam approbantis, quam absolutio a censura, cum neutra ex sua natura, vel ex jure positivo divino, vel humano eam præsentiam requirat.

Confirmatur secundo, quia approbare locum capellæ non est visitare illud, in rigore loquendo, ut colligitur ex verbis Tridentini sess. XXII. in decreto de observandis et evitandis in celebratione missæ, ubi episcopi jubentur prohibere, ne missæ celebrentur « extra Ecclesiam, et ad divinum tantum cultum dedicata oratoria, ab eisdem ordinariis designanda, et visitanda, » ubi Concilium utramque actionem *designandi, et visitandi*, expresse condistinxit, et eo ipso significavit posse alteram sine altera reperiri : quare, licet visitatio requirat præsentiam visitantis, designatio tamen vel approbatio eam non requirit : nec minus potest episcopus approbare et deputare confessarium absentem quam præsentem, nec minus dicetur, eum per seipsum immediate approbare et deputare, quam si eum præsentem approbaret vel deputaret. Non ergo excedit provincialis limites facultatis sibi concessæ, si absens locum idoneum approbet, et deputet in oratorium, vel capellam, quia tunc etiam per seipsum immediate approbare et deputare dicetur.

## DUBIUM XV.

*Utrum qui in paschate recipit Sacramenta et in ecclesia cathedrali, satisfaciat Ecclesiæ præcepto.*

N. Femina cum dissidia aliqua cum suo parocho habuisset, adveniente paschate, abiit ad ecclesiam cathedralem, in qua confessa fuit pœnitentiario ejusdem ecclesiæ, ibique statim eucharistiam accepit, ut satisfaceret præcepto communionis paschalis ; Vicarius tamen generalis contra eam postea procedere volebat eo titulo, quod Ecclesiæ præcepto non satisfecisset ; ipsa vero apud summum Pontificem conquesta est, quod injuste a vicario generali vexaretur, cum revera utriusque sacramenti præcepto satisfecisset. 1

Respondi, distinguendum esse : nam quoad præceptum confessionis, procul dubio oratrix satisfecit. In primis, quia de eo qui confitetur pœnitentiario deputato, ita decisum fuit in sacra congregatione concilii Tridentini interpretum, die 16. Febr. anno 1595. ut habetur in decisionibus editis Coloniæ anno 1621. super caput. I. *de reformatione sessionis* XXIV. ubi dicitur : « Qui tempore Paschæ fuerit confessus pœnitentiario deputato, satisfacit præcepto Ecclesiæ contento in cap. *Omnis utriusque sexus, extra de Pœnitent. et remiss.* » Secundo, quia sicut Papa dat jurisdictionem regularibus approbatis ab Ordinario ad audiendas confessiones, ita episcopus, vel quicumque deputat pœnitentiarium in cathedrali, dat ei licentiam generalem audiendi confessiones ; ad hoc enim deputatur, et obligatur ex officio. Certum est autem eum, qui confitetur regulari approbato, satisfacere præcepto confessionis, ut cum aliis ex Pontificum decretis probavi disputation. XIX. *de pœnitentia*, sect. II. 2

n. 25. et seqq. et videri potest Pelizzarius tom. II. *manual. regular.* tract. VIII. cap. III. n. 289. qui addit, nec debere parochum ab iis pœnitentibus petere schedulam confessarii de confessione apud eum facta ; ergo idem dicendum erit, si confiteatur pœnitentiario ad hoc munus a summo Pontifice, vel episcopo deputato. Tertio, et a priori, quia per ejusmodi confessionem satisfit præcepto contento in dicto cap. *Omnis utriusque sexus ;* in quo solum exigitur confessio apud proprium pastorem, vel alterum de ejus licentia. Qui autem confitetur pœnitentiario, jam ei confitetur de licentia proprii pastoris, nempe vel episcopi, vel summi Pontificis, qui eum deputarunt, ut audiret confessiones omnium ad eum confluentium : ergo satisfacit præcepto in toto verborum rigore. Denique addi potest, esse sententiam communem et veriorem, eum qui habet solum peccata venialia, non obligari præcepto annuæ confessionis, ut cum aliis probavi disp. XV. *de pœnitentia* sect. VI. §. IV. numer. 132. Qui autem confessus est pœnitentiario, et ab eo obtinuit absolutionem mortalium, non habet postea nisi venialia, quæ parocho confiteatur ; ergo ex hoc etiam capite, nempe ex defectu materiæ necessariæ, excusatur a nova confessione parocho facienda.

3 Major est difficultas circa communionem. Sunt enim multi ex antiquis, qui agnoscunt in archipresbytero ecclesiæ cathedralis potestatem administrandi sacramenta omnibus subditis illius diœcesis, atque ideo videntur supponere ecclesiam cathedralem esse communem totius diœcesis, quos refert, et congerit Thomas Sanchez libr. III. *de matrimon.* disput. XXVII. nu. 1. Quare qui recipit communionem in ecclesia cathedrali, videtur eam accipere in parochia communi totius diœcesis. Unde sicut si eam acciperet de manu episcopi, satisfaceret procul dubio præcepto Ecclesiæ, cum episcopus sit parochus totius diœcesis ; sic si eam accipit in ecclesia episcopali, videtur eidem præcepto satisfacere.

Ego autem magis credebam, in rigore 4
non satisfieri, nisi in propria singulorum parochia, vel nisi episcopus expresse vel tacite consentiat : quia in primis, quamvis pœnitentiarius possit omnium confessiones audire, non ideo est omnium parochus ; sicut nec regulares, qui etiam in Paschate audiunt omnium confessiones, dicuntur eorum parochi, nec possunt illis alia sacramenta parochialia ministrare. Non ergo sufficeret licentia pœnitentiarii, etiamsi adfuisset, ut oratrix posset ibi communionem accipere. Deinde nec parochus ecclesiæ cathedralis est parochus omnium incolarum civitatis, ut, saltam loquendo de jure, et consuetudine hodierna, docet Thomas Sanchez dicta disput. XXVII. num. 2. et inde infert, non esse validum matrimonium celebratum coram archipresbytero ecclesiæ cathedralis ab incolis habitantibus in alia parochia ejusdem civitatis, quod idem docet Basilius Pontius libr. V *de matr.* c. XII. nu. 7.

Unde arguere rursus possumus, quod 5
sicut concilium Tridentinum exigit præsentiam proprii parochi ad valorem matrimonii, ita præceptum communionis paschalis exigit, quod accipiatur a proprio parocho, vel de ejus licentia, quod idem argumentum fieri potest ex eodem concilio jubente denuntiationes fieri a proprio contrahentium parocho in ecclesia ante matrimonium : et tamen nemo dicet, sufficere si denuntiationes fiant a parocho ecclesiæ cathedralis, si contrahentes sint alterius parochiæ. Si ergo in Tridentino nomine parochi proprii non intelligitur parochus ecclesiæ cathedralis, nisi in ordine ad incolas illius peculiaris parochiæ, quæ ipsius curæ assignata est ; eodem modo in præcepto communionis paschalis nomine proprii parochi non debet intelligi parochus ecclesiæ cathedralis, nisi in ordine ad incolas suæ peculiaris parochiæ.

Ratio denique est, quia præeminentia 6

ecclesiæ cathedralis supra alias ecclesias non tollit, quod singulæ habeant terminos proprios curæ sibi commissæ ; sicut præeminentia archiepiscopi supra episcopos suffraganeos non tollit terminos proprios, et territoria singulorum episcoporum, intra quos nec ipse metropolitanus potest sese ingerere, nisi in certis casibus a jure statutis. Sic etiam parocho ecclesiæ cathedralis assignatum est territorium, et termini, intra quos deferre potest viaticum ægrotantibus, eosque oleo sancto ungere, et mortuos sepelire, et partem candelarum funeralium accipere, quando alibi sepeliuntur : extra illos vero terminos suæ propriæ parochiæ nihil horum exercet, quia non pertinet ad eum cura animarum, quæ sunt in aliis parochiis. Sicut ergo iis non ministrat viaticum, vel extremam unctionem, sic non debet eis dare communionem paschalem, quæ non minus spectat ad proprium parochum, quam illa alia. Poterit quidem episcopus, si velit, permittere, quod omnes sui subditi communionem paschalem accipiant in ecclesia cathedrali, cum ipse sit eorum omnium parochus : quamdiu tamen episcopus hanc licentiam non tribuit, singuli debent in propriis parochiis peculiaribus communionem accipere, ut ecclesiastico præcepto satisfaciant : quia tamen oratrix bona fide in ecclesia cathedrali communionem accepit, dictum fuit vicario episcopi, ne eam ulterius ea de causa pro hac vice molestaret.

## DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

### DUBIUM XVI.

*Utrum, si aliquis nunc a S. Petro absolveretur, deberet adhuc peccata illa confiteri iterum sacerdoti mortali.*

Dubium hoc non videtur practicum, 1
de illo tamen ex civitate Florentina interrogatus sum, cujus filii, quia ingenio sunt fecundo, in ejusmodi fortasse quæstiones prorumpunt. Ratio autem dubitandi esse poterat ex iis, quæ notavi tomo *de Sacramentis*, disp. VIII. *de Sacramentis in genere*, sect. 1. et P. Suarez tom. III. in III. part. disp. XLII. *de Sacramentis in genere*, sect. 1. et alii communiter, qui ex S. Thoma III. part. quæst. LXIV. art. 7. communiter dicunt, quamvis Angeli et homines beati non sint ordinarii ministri sacramentorum, si quando tamen extra ordinarium cursum aliquid ejusmodi operentur, credendum esse id ex speciali Dei voluntate fieri, cujus operatio non alligatur ad communes sacramentorum ministros. Si ergo S. Petrus nunc aliquem absolveret, credendum esset id ex voluntate speciali Dei fieri, qui non minus per S. Petrum, quam per sacerdotes viatores absolvere potest, quod magis adhuc locum haberet in sententia ejusdem Suarii, qui loco citato docet, etiam ex vi præsentis institutionis posse sacerdotem comprehensorem et gloriosum etiam in corpore glorioso valide sacramenta conferre, cum sit tunc verus homo, et sacerdos retinens characterem sacerdotalem, et potens exercere actiones humanas : et proferre humana verba per organa corporis gloriosi, atque adeo nihil videtur deesse ad valorem sa-

cramenti ex parte materiæ, vel formæ, vel etiam debiti ministri.

2 Cæterum in prædicto loco dixi, ex vi præsentis institutionis homines solum viatores esse deputatos ministros ad valide conficienda sacramenta, quod ibi aliquibus rationibus probavi, quæ ibi videri possunt, quia id totum ad præsentem difficultatem non sufficit. Neque enim nego, posse Deum non solum per homines gloriosos, sed etiam per Angelos, et eorum actiones conferre effectum nostrorum sacramentorum : quare quidquid sit, an sacramentum a S. Petro collatum esset ejusdem rationis cum sacramentis nostris, vel an ejus volor, et efficacia esset ex vi præsentis institutionis, sufficeret tamen quod haberet eumdem effectum. Sicut enim baptizatus, vel ordinatus ab Angelis non deberet iterum a ministro mortali baptizari vel ordinari ; ita qui absolutus esset a S. Petro, non indigeret nova absolutione, quæ a sacerdote mortali, et viatore ei conferretur.

3 Respondi tamen, adhuc in eo casu manere obligationem confitendi eadem peccata ministris, et sacerdotibus ecclesiæ visibilis et militantis. Fateor quidem, quod pœnitens ille per absolutionem a S. Petro collatam maneret justificatus ; neque enim sine impietate credi potest, quod a S. Petro in re tanti momenti decipi posset : adhuc tamen obligatus maneret præcepto confitendi eadem peccata ministro ecclesiæ militantis, et visibilis. Sicut qui per actum contritionis justificatur, adhuc manet cum obligatione confitendi peccata sibi jam remissa, antequam ad communionem accedat, ut declaravit concilium Tridentinum sess. XIII. capit. VII. et can. XI. ita etiam qui modo illo extraordinario justificaretur, deberet adhuc eadem peccata clavibus Ecclesiæ subjicere ; quas quidem claves habuit S. Petrus quamdiu vixit in hac vita mortali ; post mortem tamen, sicut jam non est summus Pontifex, sed alius ejus successor, ita non habet jam Ecclesiæ claves, nec est ejus minister, sed advocatus in cœlo ; quare peccata ei soli subjecta, nondum subjecta intelliguntur Ecclesiæ clavibus, et foro. Neque enim in S. Petro possumus majorem quoad hoc potestatem tribuere, quam ipsomet Christo ; et tamen si aliquis sua peccata Christo confiteatur, et ab eo per contritionem impetret eorum remissionem, non ideo liberatur ab obligatione confitendi eadem peccata ministris Ecclesiæ, ut præcepto divino et ecclesiastico sacramentalis confessionis satisfaciat.

Porro præcepto confessionis non satis- 4
fieri, nisi peccata tua confitearis ministris ecclesiæ visibilis, colligi videtur ex verbis concilii Tridentini. Nam session. XIV. capit. 2. probat differentiam inter baptismi, et pœnitentiæ sacramenta, quia in baptismo minister non debet esse judex, « cum Ecclesia in neminem judicium exerceat, qui non prius in ipsam per baptismi januam fuerit ingressus. *Quid enim mihi*, inquit Apostolus, *de iis qui foris sunt, judicare?* » Pro baptizatis autem hoc sacramentum pœnitentiæ Christus instituit, « quos ante hoc tribunal, tanquam reos sisti voluit, ut per sacerdotum sententiam non semel, sed quoties ab admissis peccatis ad ipsum pœnitentes confugerint, possent liberari. » In quibus verbis sermo manifeste habetur de tribunali solum ecclesiæ militantis, quæ sola non potest judicare eos, qui baptizati non sunt : nam ecclesia cœlestis, et triumphans non minus potest judicium exercere in non baptizatos, quam in baptizatos : tribunal ergo illud et judicium sacramentale, cujus necessitas in fine ejusdem capitis definitur, erectum supponitur in ecclesia visibili et militante, atque adeo coram ejus ministris confessio facienda est, ut confessionis præcepto satisfiat.

Hoc ipsum significavit idem Triden- 5
tinum eadem sess. capit. v. probans, peccatorum omnium confessionem necessariam esse ex Christi præcepto omnibus

post baptismum lapsis. « Quia dominus noster Jesus Christus, e terris assumptus ad cœlos sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit tanquam præsides, et judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderint, quo pro potestate clavium remissionis, aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient, » ubi pondero verbum illud *reliquit*, quod solum de ministris in terra remanentibus verificatur, nam qui in cœlo sunt, non relinquuntur, sed assumuntur, ut sint simul cum ipso Christo. Quod idem colligitur ex illo *clavium* nomine, quod ibi potestas hæc appellatur, sicut et cap. VI. et alibi; claves enim ejusmodi datæ sunt ecclesiæ visibili, et S. Petro dum vixit, non tamen detulit eas secum in cœlum, sed reliquit suis successoribus, qui omnes, et singuli non habent claves Ecclesiæ, nisi pro tempore hujus mortalis vitæ, et ideo mortuo pontifice, ejus stemmata gentilitia depinguntur sine clavibus. Si ergo omnes fideles obligantur ad deferanda sua peccata mortalia ad claves Ecclesiæ, non satisfit huic præcepto per confessionem factam S. Petro, et per absolutionem ab eo obtentam, imo nec quamvis ab ipsomet Christo absolutio haberetur, nisi idem Christus dispensaret simul in præcepto confitendi ministris Ecclesiæ, quæ dispensatio in dubio præsumi non debet, cum sit contra id quod ipsemet Dominus lege sua universaliter statuit, et voluit semper in Ecclesia observari.

6 Accedit deinde obligatio confessionis annuæ ex præcepto ecclesiastico contento in cap. *Omnis utriusque sexus, de pœnitentiis, et remissionibus*, ubi expresse præcipitur ut omnes adulti singulis annis confiteantur sua peccata *proprio Sacerdoti :* nomine autem proprii sacerdotis certum est intelligi eum ad quem ex officio spectat cura illius animæ, hoc est, pastori spirituali illius. Cui Ecclesiæ præcepto nondum est satisfactum magis per confessionem factam B. Petro, quam si fieret B. Joanni Baptistæ, aut etiam B. Mariæ Magdalenæ, cum modo S. Petrus non magis sit pastor ex officio, quam illi. Si enim nunc haberet adhuc officium pastoris, esset utique papa, quia nullum aliud officium cogitari potest, quod nunc retineat, et quod habeat curam animarum : semper ergo remanebit obligatio ex præcepto Ecclesiæ confitendi peccata proprio pastori, nisi expresse constaret de divina dispensatione, quæ in dubio præsumi non debet.

Hac autem occasione disputatum fuit 7
ab eisdem, et interrogatus sum, an qui ex peculiari Dei gratia sacrosanctum eucharistiæ sacramentum de manu S. Petri, vel alicujus Angeli acciperet, posset adhuc eadem die iterum de manu proprii pastoris eucharistiam sumere?

Respondi, non posse, quia prohibitio 8
non est, ne quis de manu proprii pastoris eadem die bis communicet, se ne quis bis eadem die communicet. Unde, si aliquis ab alieno sacerdote sine proprii pastoris licentia hodie communionem accepit, peccavit quidem communionem sine licentia proprii pastoris ab alieno accipiendo, nisi per ignorantiam vel præsumptam sui pastoris voluntatem excusetur, non tamen potest iterum eadem die de manu pastoris sui communicare : imo quamvis ipsemet temere sibi eucharistiam furtive acceptam ministrasset, non posset iterum eadem die communicare. Ratio autem est, quia minister dans eucharistiam, nimis extrincese habet ad effectum, et valorem sacramenti, cujus usus non est ministratio porrigentis, sed sumptio, et manducatio sumentis. Quare, sicut prohibitio celebrandi bis eadem die, non est solum non celebrandi bis cum licentia proprii pastoris, sed quomodocumque, atque ideo, si hodie contra prohibitionem tibi a tuo episcopo factam, sacrilege celebrasti, etiamsi statim confitearis et absolvaris, et episcopus revocet suam prohibitionem, non poteris hodie iterum missam celebrare; ita prohibitio bis communicandi est æque universalis, nec est, unde debeat intelligi de sola

Semel in die communicare non licet.

communione a proprio pastore accipienda: sed quomodocumque prima communio sit posita, impedit secundam eadem die, nisi Ecclesiæ dispensatio interveniat, prout in die Natalis Domini dispensat, ut sacerdotes ter possint in missarum celebratione communicare.

## DUBIUM XVII.

*Cur episcopus extra diœcesim non possit approbare confessarios pro suis subditis extra diœcesim existentibus.*

1 Episcopus Ostiensis, v. gr. Romæ adest ubi etiam sunt aliqui cives Ostienses, qui procul dubio possunt Romæ confiteri confessariis a vicario Romano approbatis. Sed tamen illi vellent confiteri alteri sacerdoti Romano, qui non est approbatus ab ordinario Romano, et ideo petunt ab episcopo Ostiensi, ut eum approbet pro suis subditis audiendis. Quod tamen fieri non posse, dixi disputat. XXI. *de pœnitentia* num. 7. ubi concessi, posse ad hunc effectum approbari Romæ ab episcopo Ostiensi sacerdotem Ostiensem ibidem existentem, qui adhuc sit subditus ejusdem episcopi : non tamen posse approbari Romanum sacerdotem Romæ degentem, qui non sit subditus episcopi Ostiensis. Hac vero occasione quæsitum est a me, cur id negarem, cum aliunde approbatio confessarii sit actus jurisdictionis voluntariæ, atque adeo possit ab episcopo extra suam diœcesim exerceri? Quare sicut potest episcopus Ostiensis approbare sacerdotem Romanum Ostiæ existentem, ut Ostiæ confessiones audiat; sic videtur posse eumdem approbare Romæ existentem, ut confessiones civium Ostiensium Romæ audiat.

2 Respondi tamen, id fieri non posse ut loco citato probaveram : quod rursus probari potest ex declaratione congregationis concilii Tridentini illo loco adducta, qua Eminentissimi Patres dixerunt, episcopum ipsum in aliena diœcesi commorantem non posse confiteri sacerdoti alieno non approbato ab Ordinario illius loci, in quo fit confessio. Si ergo episcopus ipse non potest sibi eligere confessarium non approbatum ab Ordinario loci, in quo est; minus poterit eum suis subditis assignare. Si enim posset sacerdotem Romanum Romæ approbare ad confessiones Ostiensium Romæ audiendas, posset utique ipse episcopus Ostiensis eidem confiteri, cum non minus ipse sit Ostiensis, quam sui subditi : quare si ipse non potest, nec cives Ostienses poterunt illi sacerdoti confiteri.

Ratio autem a priori ex dictis loco citato hæc est, quia confessarius ex decreto Tridentini debet esse approbatus a suo Ordinario : in casu autem posito sacerdos Romanus Romæ existens non esset approbatus a suo Ordinario : nam episcopus Ostiensis non est Ordinarius sacerdotis Romani, nec eum potest punire, etiamsi Romæ circa confessiones Ostiensium audiendas delinqueret, sed solum is poterit puniri ab Ordinario Romano. Posset quidem episcopus Ostiensis sacerdotem Ostiensem Romæ commorantem punire, ut volunt Gonzalez *in regulam* VIII. *Cancellariæ* gloss. LXII. num. 11. et Barbosa *de officio, et potestate Episcopi*, allegat. VI. num. 17. posset etiam punire sacerdotem Romanum Ostiæ commorantem, et ibi approbatum, si ibi circa confessiones delinqueret, et ideo sive sacerdos Ostiensis Romæ commoretur, sive sacerdos Romanus sit Ostiæ, utriusque potest dici Ordinarius episcopus Ostiensis, cum utrumque possit punire, et ideo uterque dicetur approbatus a suo Ordinario, si approbatur ab episcopo Ostiensi : non est tamen Ordinarius sacerdotis Romani Romæ commorantis : quia superior et subditus sunt correlativi, et non potest sacerdos ille Romanus Romæ existens censeri subditus episcopi Ostiensis, a quo nullo modo coerceri et puniri potest. 3

## DUBIUM XVIII.

*An episcopus possit suspendere totum conventum regularium a confessionibus audiendis ?*

1 Episcopus quidam zelo commotus, quia putavit violatam fuisse immunitatem ecclesiasticam, dum regulares consignarunt ministris curiæ sæcularis quemdam inter eorum septa commorantem, qui ibidem delinquebat, sollicitans juvenes ad turpia et obscœna, ea de causa conventum totum suspendit a confessionibus audiendis. Quæsitum fuit, an hæc suspensio valida fuisset ?

2 Respondi, considerandum esse quomodo illa suspensio facta fuerit, an scilicet per modum censuræ et suspensionis canonicæ ; vel potius per modum revocationis facultatis, et approbationis antea concessæ illis religiosis ad confessiones audiendas. Primo modo, quamvis communitas vel collegium non possit excommunicari, potest tamen suspendi, ut cum aliis docet Suarez tom. V. *de censuris* disp. XXVIII. sect. 3. Unde, si aliunde non deerat culpa sufficiens, nec potestas et jurisdictio in prælato, potuit totus conventus saltem quoad clericos suspendi. Videndum tamen est, an casus esset talis, et ex iis in quibus potest episcopus proferre censuras contra exemptos saltem ut legatus sedis Apostolicæ.

3 Si vero suspensio facta fuit secundo modo per modum revocationis facultatis concessæ, regula generalis et communis doctorum est, ut episcopus non possit sine rationabili causa nova revocare approbationem, quia ipsemet religiosos absolute, et non solum ad beneplacitum approbavit ad audiendas confessiones, quamvis ejus successor possit eos denuo examinare, ut constat ex responso sacræ congregationis, et motu proprio Pii V. de quibus late dixi disp. XXI. *de Pœnitent.* sect. v. a num. 61. ubi cum aliis docui, si sine causa sufficienti id fiat, revocationem illicitam et invalidam esse ; oportere tamen, et consulendum esse religiosis, ut episcopis obedientiam præstent, præsertim cum præsumendum regulariter sit pro sufficientia causæ, quæ tamen difficile subesse potuit in casu præsenti respectu omnium sacerdotum, cum non omnes cooperari potuerint in consignatione facta illius delinquentis.

## DUBIUM XIX.

*An facultas obsolvendi concessa prælato regulari transeat ad ejus successorem.*

Concessa fuit ad septennium cuidam 1
Titio regulari, et prælato quasi provinciali, facultas ad dispensandum et absolvendum a reservatis summo Pontifici, cum potestate etiam eamdem facultatem communicandi suis subditis. Postea ante finem septennii cessavit Titius a sua prælatura, quæsitum fuit, an facultates illæ transirent ad ejus successorem in officio ?

Dixi rem hanc totam pendere et colli- 2
gendam esse ex conjecturis : nam regula illa quod concessio intelligatur personalis quando exprimitur nomen personæ cui conceditur, et e contra intelligatur realis, seu facta officio, quando exprimitur nomen officii, non est universalis, sed est ultimum remedium, quando aliunde non potest concedentis intentio ex aliis conjecturis indagari, ut in simili fatetur Thomas Sanchez lib. VIII. *de matrim.* disp. XXVII. nu. 3.

Cæterum, si attentis omnibus circums- 3
tantiis, res adhuc maneat dubia, nec sit magis præsumptio pro concessione reali, quam pro personali, nec e contra ; probabilior sententia tenet præsumi personalem, saltem quando nomen personæ ex-

primitur primo loco, et ante nomen officii, quam tenent multi quos refert et sequitur idem Sanch. ubi sup. num. 18. 19. et 20. quamvis fateatur probabilem alteram sententiam ab ipso relatam n. 17. dicentem, quod in eo dubio præsumitur realis, et transire ad successorem. Addidi tamen, in casu proposito inveniri non levem conjecturam ad cogitandum, quod non fuerit concessio personalis, saltem si additum fuit nomen officii, quia cum Titius cessare deberet ab officio multo ante septennium expletum, frustra concederetur ei facultas illa ad septennium, cum constaret non fore utilem personæ Titii ad septennium : in dubio autem verba concessionis ita sunt interpretanda, ut concessio sit utilis illi, cui fit, ut observavit idem Sanchez ubi supra num. 21. Hoc denique certum mihi videtur, quod scilicet socii, seu subditi illi, quibus Titius, dum erat superior, facultates illas communicavit, eas retinent durante toto illo septennio, etiamsi Titius officio fuerit amotus, saltem nisi a successore in eodem officio revocetur : quia communicatio facta fuit tempore habili, nec alia conditio requisita fuit ut subditis acquirentur facultates, nisi quod a Titio eis communicarentur. Quod autem dictum est de cessatione muneris ante finem septennii, hoc idem dicendum est si Titius ante septennium moriatur, parum enim refert, quod mors, vel alia quævis causa Titium ab officio removeat.

## DUBIUM XX.

*Quid dicendum de facultate ad obsolvendum, nondum mandata executioni, quando potestas cessat in concedente ?*

1 Non est animus examinandi quæstionem illam celebrem ; quando facultates concessæ expirent mortuo concedente, vel cessante ejus officio, de qua late Thomas Sanchez lib. VIII. *de matrimon.* disp. XXVIII. et Suarez *de legibus* lib. VIII. cap. 1. et de facultate ad absolvendum dixi disp. XIX. *de pœnitentia* sect. II. §. 2. Sed illa doctrina generali supposita, difficultas specialis fuit in casu peculiari subsequenti.

2 Titius opera et interventu Seii sui amici, impetravit apud sacram Pœnitentiariam Romanam facultatem pro foro conscientiæ componendi se super fructibus aliquibus male perceptis, et percipiendæ absolutionis ab aliquibus casibus reservatis : quæ facultas concessa fuit Seio pro confessario nominando ab eodem Seio, ita tamen, ut Titius daret Romæ 40. aureos in eleemosynam, et alios 20. in sua patria, quos omnes Titius conscius largitus est, sed per undecim menses confessionem, et absolutionem distulit, nec confessarius a Seio nominatus fuit, quia Titius non urgebat. Interim Sanctissimus facultatem sacræ Pœnitentiariæ moderatus est, ita ut jam facultatem illam denuo concedere non posset. Quæsitum fuit, an posset adhuc Seius ex facultate antea concessa confessarium nominare, a quo Titius absolvi posset, et liberari a debito fructuum male perceptorum ?

3 Res hæc difficultate non carebat, propter communem doctrinam theologorum, et canonistarum, qui dicunt facultates concessas alicui in materia gratiæ ad dispensandum cum persona determinata, expirare morte concedentis, (quod idem est cessante officio, vel potestate concedentis) saltem quando facultas conceditur in favorem illius cum quo est dispensandum, et non illius qui dispensaturus est, quam doctrinam late explicat et probat aliis multis citatis Thomas Sanchez dicta disput. XXVIII. num. 48. et 84. et quamvis Suarez dicto cap. XXXI. num. 14. indicet, quod id non habeat locum in facultatibus spiritualibus, qualis est hæc : fatetur tamen, se non audere id omnino affirmare, quia nullum auctorem invenit pro illa sententia : concedit vero

id esse verum, quando facultas illa conceditur directe ipsi pœnitenti, ut possit eligere confessarium : secus quando conceditur directe alteri, ut possit absolvere aut dispensare cum illo, vel nominare confessarium, aut dare illi facultatem, etc. Ex narratione autem suprapositа magis videtur facultas concessa posteriori modo, scilicet Seio directe, quam Titio pœnitenti.

4 Adhuc tamen probabile mihi et aliis multis doctissimis viris, qui consulti fuerunt, visum est, quod in casu posito facultas non expiraverit.

5 Primo, quia ex specie facti colligi videtur, quod concessio gratiæ facta fuerit directe ipsi etiam Titio pœnitenti, ut indicant verba illa : *Titius opera, et interventu Seii impetravit etc.* atque ideo jam ipse Titius acquisivit jus postquam facultatem sibi concessam acceptavit.

6 Secundo, quia doctrina illa communis in contrarium adducta limitari solet, ut non habeat locum ; quande executor non est liber, sed necessarius, et ideo facultas dispensandi in litteris Pœnitentiariæ demandata non expirat, quia apponitur verbum *mandamus*, per quod fit executor necessarius, quam limitationem probat et exornat Thomas Sanchez ubi supra num. 87. Quamvis autem in casu nostro non sit appositum illud *mandamus :* videtur tamen factus minister necessarius, tum per acceptationem officii, juxta doctrinam aliquorum doctorum : tum per solutionem pecuniæ et eleemosynæ, quam Titius ex ejusdem Seii præcepto fecit.

7 Tertio, quia omnes fatentur gratiam et facultatem concessam non expirare, quando res non est integra : prout in casu proposito res non videtur integra, cum Seius processisset ad exactionem pecuniæ, et Titius ad ejus solutionem.

8 Quarto, quia doctrina illa communis in contrarium adducta, videtur aliquibus difficilis, et ideo Suarez supra citatus inclinat satis in contrarium, et idem expresse docet Sa verb. *dispensatio*, num. 6. et verb. *gratia*, num. 4. cujus sententiam refert, et non improbat Salas *de legibus* disput. xx. sect. 17. et expresse eam amplectitur Castro Palao tom. i. tract. iii. disput. iv. punct. 16. §. 4. dicens esse in conscientia securam licet contrarium consulendum sit : et idem late et docte probat Basilius Pontius liber 8. *de matrimon.* cap. xix. §. 1. n. 5. et 8.

Nec denique obstat videri absurdum, 9
quod aliquis nunc ex concessione Pœnitentiariæ possit id, quod ipsa Pœnitentiaria non potest, atque ideo delegatus possit plusquam ipse delegans. Ad hoc enim respondi in loco citato *de pœnitentia*, dicta sect. 2. num. ultim. ubi attuli exempla facultatum, quibus plures religiones fruuntur ex concessione majoris Pœnitentiarii potentis tunc illas concedere, quas facultates nunc Pœnitentiarius major concedere non potest, nec ideo religiones, quibus antea concessæ fuerant, illarum usum amittunt, quandiu summus Pontifex eas non revocat ; solet enim aliquando summus Pontifex non solum ipsam concedendi potestatem auferre, sed revocare etiam facultates concessas. Propter hæc ergo probabile visum fuit in casu nostro, Seium posse adhuc confessarium nominare, a quo Titius absolvi et dispensari posset. Non tamen posset confessarii facultas a Pœnitentiaria extendi ad componendum super fructibus perceptis post primam concessionem, quia hæc esset jam nova concessio, ad quam non est amplius facultas in Pœnitentiaria, ut supponitur.

## DUBIUM XXI.

*Utrum reservatio casuum facta ab episcopo et promulgata a capitulo sede vacante obliget ?*

Episcopus in synodo diœcesana reser- 1

vavit sibi in futurum aliqua peccata, et aliquas censuras. Mortuo episcopo, capitulum sede vacante jussit imprimi hanc casuum reservationem, ut ad notitiam veniret omnium confessariorum : dubitatum fuit, an ea reservatio vim sufficientem haberet ? Aliqui negabant, quia lex non obligat subditos, nisi sufficienter promulgetur, ut cum S. Thoma 1. 2. qu. xc. art. 4. et Cajetano ibi, tenent theologi omnes, quos afferunt et sequuntur Vasquez ibi disp. CLV. cap. II. Suarez de legibus lib. I. cap. XI. Molina tract. V. *de jurisdictione* disput. LXX. Sotus *de justitia* lib. I. quæst. I. artic. 4. Navarrus *in manuali* cap. XXIII. num. 44. Salas disp. I. *de legibus* sect. 10. et alii communiter. Synodus autem illa quæ celebrata fuerat januis clausis apud aliquos paucos, nondum vivente episcopo fuerat promulgata, atque adeo nondum obligabat : ergo nec pars synodi spectans ad casus reservatos poterat adhuc obligare. Editio autem seu impressio illius partis facta a capitulo post mortem episcopi, non videtur sufficiens ad obligationem inducendam : quia promulgatio inducens obligationem, debet fieri jussu et auctoritate ipsius legislatoris : nam ejusdem est legem promulgare, cujus est condere ; cum ergo lex illa synodalis facta fuerit ab episcopo, ab eodem vel ejus jussu deberet promulgari : quod tamen non ita factum fuit, cum eo tempore jam omnino cessasset auctoritas episcopi defuncti ; non ergo fuit promulgatio sufficiens.

2 Nec satisfacit dicere, quod capitulum succedit loco episcopi tempore sedis vacantis in iis quæ pertinent ad jurisdictionem, atque ideo promulgationem factam auctoritate capituli habere eamdem vim, ac si ab episcopo facta fuisset, hoc, inquam, non videtur satisfacere. Primo, quia non omnes concedunt capitulo potestatem sede vacante condendi leges, qualem habet episcopus ; id enim negant aliqui, quos affert, et sequitur Salas disp. VIII. *de legib.* sect. 16. num. 8. quorum sententiam non esse improbabilem, fatetur Suarez lib. IV. *de legibus* cap. VI. num. 17. Quare non potuit capitulum sede vacante dare valorem statuto synodali, quod ante episcopi mortem validum nondum fuerat. Secundo, quia etsi capitulum posset legem reservationis condere ; non tamen videtur usum tali potestate in casu posito : non enim significavit se legem illam condere auctoritate propria, sed solum jussit imprimi casus reservatos sub titulo reservationis ab episcopo factæ. Hunc enim solum titulum apposuit folio illi denuo edito, et impresso, his verbis : *Casus, et censuræ in synodo N. Diœcesis, habita anno* 1637. ubi tota auctoritas refundi videtur in synodum, et per consequens in episcopum, cujus cum jam tunc nulla esset auctoritas, non videtur promulgata lex legislatoris potentis lege sua obligare, quando lex ipsa promulgatur.

Alii tamen volebant reservationem 3
illam deinceps obligare ; quia si tota synodus typis edita fuisset, tota synodus quoad omnia decreta obligaret : eadem autem est ratio totius ad totum, et partis ad partem ; ergo pars illa typis edita et evulgata, obligabit deinceps in diœcesi.

Addi potest pro hac sententia, quia 4
licet aliqui pauci negent posse capitulum sede vacante condere leges, communis tamen omnium aliorum sensus est, quod possit, prout docet Suarez dicto cap. VI. et aliis multis relatis, P. Nicolaus Baldellus tom. I. *disputat. moral.* lib. V. disputat. VIII. numer. 7. imo quamvis id negaretur in ordine ad alias leges, non tamen videtur negari posse de lege reservationis casuum ; quia potestas reservandi casus, si attente consideretur, non videtur distingui a potestate jurisdictionis in foro sacramentali. Qui enim habet in eo foro jurisdictionem ordinariam quam potest alii delegare, et communicare, potest consequenter eam limitare reservando sibi absolutionem aliquorum

casuum, ad quam absolutionem non vult aliis inferioribus communicare potestatem, et jurisdictionem ; cum ergo capitulum sede vacante habeat plenam jurisdictionem ordinariam in ordine ad forum sacramentale, poterit consequenter eam jurisdictionem in aliis inferioribus ampliare, vel limitare, quod est in rigore reservare vicario capituli absolutionem aliquorum casuum, et censurarum.

5 In hac controversia ego magis inclinavi in primam sententiam, negantem valorem illius reservationis. Ad quod tamen non moveor ex defectu potestatis in capitulo condendi leges sede vacante : nam revera communis fere omnium sententia eam potestatem in capitulo agnoscit. Nec videtur posse negari, quod saltem posset condere statutum aliquod temporale obligans pro tempore sedis vacantis, sive diceretur lex, sive non diceretur, ob defectum perpetuitatis, in quo posset esse quæstio de nomine ; cum tamen reipsa constaret de obligatione saltem pro illo tempore. Moveor tamen potissimum ratione supra indicata, quia scilicet capitulum non visum est uti sua auctoritate ad reservationem illam promulgandam, et ejus obligationem inducendam. Neque enim significavit capitulum, se reservare casuum illorum absolutionem, nec dixit se supplere auctoritatem, quam mortuo ante promulgationem episcopo non habebat, sed solum fecit illos casus imprimi tanquam ab episcopo in synodo diœcesana reservatos, non interposita auctoritate propria capituli sede vacante, sed solum commemorata synodi diœcesanæ cum episcopo. Cum ergo episcopi auctoritas jam expirasset, non potuit obligatio legis incipere, quando legislator non potest jam præcipere et obligare. Suppono enim ante promulgationem legem non esse legem, nisi inchoative, nec esse promulgationem solam conditionem, seu applicationem legis jam præexistentis, sed potius esse partem constitutivam ipsius legis in ratione legis, ut colligitur ex cap. *In istis*, dist. IV. ubi dicitur quod leges tunc instituuntur, cum promulgantur, et probant Suarez lib. I. *de legibus* cap. XI. n. 6. Vasquez 1. 2. disput. LV. cap. II. num. 16. Baldellus dicto lib. V. disput. 13. num. 5. et alii, et quidquid sit de hoc, fatendum tamen est, promulgationem ad legis obligationem requisitam non esse promulgationem per notitiam privatam, quam singuli subditi haberant de lege jam facta, etiamsi major subditorum pars eam notitiam haberet, sed debere esse notitiam publicam ; hoc est, ortam ex actu solemni quo jussu legislatoris lex publicetur, ut notant communiter doctores. Ratio autem ex dictis est, quia actus præcipiendi, qualis est lex, includit locutionem qua princeps seu legislator præcipit, et manifestat subditis suam voluntatem, quod tunc fit quando lex promulgatur. Non potest autem promulgatio esse locutio principis nisi principis jussu, et autoritate fiat. Cum ergo episcopus mortuus non possit jam subditis loqui, aut præcipere, consequens est ut promulgatio a capitulo solo facta non possit fieri nomine episcopi, nec ab eodem episcopo auctoritatem accipiat ; non est ergo promulgatio illa sufficiens ad obligationem inducendam, cum per illam promulgationem nullus superior loquatur et præcipiat ; non etiam episcopus mortuus, qui jam nunc nec loqui potest, nec præcipere. Non etiam capitulum, quod licet præcipere posset, non tamen significat se præcipere, nec interponit suam auctoritatem, sed solius episcopi jam mortui. Defuit ergo promulgatio requisita ad obligandum, nimirum promulgatio facta ab ipso superiore per eamdem promulgationem præcipiente.

Nec obstat, quod pro secunda sententia 6
observari, capitulum, esto quod non posset in universum leges condere sede vacante, posse tamen reservare absolutionem casuum, quæ reservatio pertinet ad jurisdictionem in foro pœnitentiali, quæ plene residet penes capitulum. Hoc,

inquam, non obstat, quia imprimis id ad summum probaret de iis, quibus a capitulo datur jurisdictio ad confessiones, quales sunt sacerdotes simplices sæculares, non vero regulares, qui sola approbatione Ordinarii indigent, jurisdictionem vero accipiunt a summo Pontifice per sua privilegia, et bullas Apostolicas : nam licet respectu horum etiam possit episcopus reservare casus saltem intra Italiam ; controversum tamen esse potest, an capitulum id possit facere. Sed quidquid de hoc sit, non apparet in casu præsenti, capitulum id fecisse, cum non fuerit usum auctoritate propria ad eos casus reservandos, sed solum eos proposuerit, et ediderit tanquam reservatos auctoritate episcopi in synodo diœcesana nondum antea promulgata, ut in facti narratione supponitur.

## DUBIUM XXII.

*An habens facultatem ab episcopo absolvendi ab omnibus casibus ei reservatis, possit absolvere a reservatis post concessam licentiam ?*

1 Ratio dubitandi esse potest, quia facultas absolvendi a reservatis non extenditur ad reservanda, quod principium, seu axioma refert suarez tom. IV. *de Relig.* tract. VIII. lib. II. cap. XXI. num. 3. in principio. Unde cum dubitaretur, an facultas concessa in Tridentino episcopis ab absolvendum in foro conscientiæ a reservatis occultis, extenderetur ad casus reservatos in bulla Cœnæ, quæ bulla post illam concessionem promulgatur de novo ; Gregorius XIII. respondit concessionem illam Tridentini non extendi ad ea, quæ postea reservantur, ut refert Thomas Sanchez lib. II. *in Decalog.* cap. XI. numer. 26. idem ergo dicendum erit de facultate qualibet ab episcopo concessa ad casus reservatos, quod non extendatur ad reservationes futuras.

In contrarium tamen praxis esse videtur religionum habentium a sede Apostolica facultatem absolvendi a reservatis Papæ, ex vi quorum privilegiorum absolvunt indifferenter ab omnibus etiam post illas concessiones reservatis, quandiu prior facultas non revocetur totaliter, vel saltem ex parte quoad aliquem vel aliquos casus particulares. Nam concessio facta verbis generalibus, et quæ non vergit in præjudicium tertii, sed solius concedentis, censetur favorabilis, et late interpretanda, et ideo Suarez dicto cap. XXI. num. 3. indicat ejusmodi privilegia extendi ad reservationes futuras, quia conceduntur ut privilegia generalia, et perpetua ad omnes casus reservatos. Et postea num. 4. id confirmat primo exemplo illius oppidi, quod rex eximit in perpetuum ab omni onere : nam etiamsi postea onera nova imponerentur, omnia comprehenduntur in illa exemptione generali, ut tradunt Baldus in l. *Cum fundus*, ff. *de legatis* II. et Covar. *in pract.* cap. II. 2

Confirmat secundo exemplo regis, cui Pontifex concessit præsentationem beneficiorum talis provinciæ, vel civitatis, quæ facultas extenditur ad beneficia postea erecta, argumento cap. *Quia circa*, *de privilegiis*, quia in beneficiis plenissime est interpretatio facienda : ergo multo magis in privilegio, et facultate absolvendi a reservatis : tum quia novæ reservationes sunt quotidianæ, et ideo facilius Pontifex creditur de iis cogitasse, quando privilegium concessit : tum etiam, quia hæc privilegia data sunt propter magnan et publicam utilitatem, scilicet spiritualem, juxta ea, quæ tradunt Joan. Andr. in cap. *Qui sentit*, *de regul. juris* in VI. et Panormit. in cap. *quia circa*. num. 5. et Alexand. lib. II. *consil.* consilio 178. nu. 21. Denique confirmat ex usu sequentium Pontificum, qui quando volunt, quod privilegia illa non prosint in ordine ad aliquem casum, quem de 3

novo reservant, revocant expresse illas facultates ; ergo supponunt, quod nisi revocarentur, prodessent ad casum etiam illum de novo reservatum.

4 Ego dixi, id totum pendere ex intentione concedentis, quæ si aliunde colligatur non esse ita universalis, sed limitata ad casus antea reservatos, non est extendenda ad reservandos. Si tamen id non colligatur ex conjecturis, vel circumstantiis loci, personæ, et aliis, videtur universalis ad reservationes futuras, in quibus explicite vel implicite non revocetur prior concessio, prout frequenter solet revocari, addita in reservatione nova clausula derogatoria præcedentium facultatum, quas omnes superior non vult locum habere in illo casu, a quo vult neminem posse absolvere vigore alicujus facultatis antea concessæ.

5 Ultra argumenta vero illa a Suario allata, ponderabam ad hoc ipsam facultatem concessam in bulla Cruciatæ ad eligendum confessarium approbatum, qui possit absolvere ab omnibus Papæ, vel Ordinariis reservatis : imo et semel etiam in vita, et semel in morte ab omnibus contentis in bulla Cœnæ, excepta hæresi. Ex vi cujus facultatis nemo dubitavit posse pœnitentem absolvi a casibus reservatis Papæ, vel episcopo, vel etiam in bulla Cœnæ, licet reservatio facta fuerit post concessionem Cruciatæ. Quod idem potest ex Pœnitentiaria colligi, cujus facultates ad futuras etiam reservationes extendi videntur, nisi fiat in illis revocatio explicita, vel implicita præcedentium facultatum absolvendi ab omnibus reservatis. Et quidem mirum est, si aliquis habuisset facultatem ab solvendi ab omnibus reservatis etiam in bulla Cœnæ, et postea reservaretur aliquis alius casus extra bullam Cœnæ, confessarium illum posse adhuc absolvere a casibus bullæ Cœnæ, non tamen posse ab illo alio peccato denuo reservato, quæ reservatio semper est multo levior, quam reservatio bullæ Cœnæ, et facilius conceditur facultas absolvendi ab illo, quam ab isto.

6 Ratio denique esse potest, quia intentio superioris reservantis hæc sola esse videtur, ut scilicet deinceps facultas ordinaria non sufficiat, nec ullus ab eo casu absolvat, nisi superior, vel habens specialem facultatem a superiore reservante, vel ab ejus superiore : non ergo excluditur ille, qui jam habet facultatem ejusdem superioris ad absolvendum ab omnibus reservatis eidem superiori.

7 Nec obstat responsio illa Gregorii XIII. supra citata, et relata a Thoma Sanchez : nam etiamsi de illa responsione constaret, casus tamen est diversus, nam ibi agebatur de reservatis in bulla Cœnæ promulgata post concessionem facultatis, in qua bulla non ponitur mera reservatio, sed cum derogatione explicita omnium facultatum præcedentium, etiamsi in concilio generali concessæ fuissent : ex quibus verbis colligi videtur derogatio facultatis episcopis in Tridentino concessæ, ut cum communi probavi disp. XXIII. *de fide*, sect. III. §. 1. nunc autem loquimur de reservatione nova simplici, quæ fiat sine derogatione explicita, vel implicita facultatum specialium præcedentium.

## DUBIUM XXIII.

*Utrum cessante approbatione, cesset etiam facultas ad casus reservatos, ita ut per subsequentem approbationem non reviviscat ?*

1 Titius sacerdos regularis approbatus fuit ab episcopo ad annum : rursus ab eodem episcopo habuit facultatem absolvendi a reservatis. Transacto anno cessavit approbatio, et indiguit nova approbatio, et indiguit nova approbatione. Quæsitum fuit, an indigeret nova etiam concessione ad casus reservatos, an vero præcedens concessio subsecuta nova approbatione revivisceret?

2 Ratio dubitandi erat, quia accessorium sequitur statum principalis, et destructo fundamento, omnia alia destruuntur, nec potest facultas perseverare in subjecto incapaci. Sacerdos autem non approbatus redditus est a concilio Tridentino incapax jurisdictionis accipiendæ ad audiendas confessiones ; et hæc approbatio est fundamentum requisitum ad accipiendam jurisdictionem in eo foro : si ergo transacto anno deficit approbatio, non poterit amplius perseverare jurisdictio, et facultas delegata ad absolvendum a reservatis, cujus jurisdictionis incapax est sacerdos non approbatus.

3 Respondi tamen, reviviscere concessionem ad casus reservatos, habita nova approbatione annua, sed seorsim diverso tempore. Nam ex natura rei non repugnat, nec etiam ex lege positiva quod alicui sacerdoti concedatur jurisdictio ad confessiones, antequam sit approbatus, licet non possit ante approbationem exercere illam jurisdictionem, sic enim praxis habet, quod generalis societatis Jesu suis sacerdotibus communicet juxta sua privilegia ea ipsa die, qua sacerdotes fiunt plures facultates circa vota, et peccata suorum pœnitentium, quibus facultatibus uti non possunt, antequam ab Ordinario approbentur. Nec necesse est quod generalis denuo eis concedat illas facultates, quoties cessante prima approbatione indigent nova Ordinarii approbatione ad audiendas confessiones, sed semper perseverat illa communicatio facultatum, impedita tamen quandiu non sunt approbati ; imo potest hoc ipsum concedi iis antequam fiant sacerdotes : sicut si Pontifex concederet Titio nondum sacerdoti, ut factus sacerdos posset, quoties celebraret, animam defuncti a purgatorio liberare, concessio valet, licet maneat impedita ante sacerdotium : nam conceditur id ex nunc pro tunc. Similiter ergo potest facultas ad casus reservatos concedi sacerdoti nondum approbato, ut posita approbatione habeat suum effectum : quare sicut potest incipere ante approbationem, sic potest cessante approbatione, perseverare, ut approbatione redeunte, maneat etiam facultas illa expedita ad suum effectum habendum. Imo hoc modo videtur concedi a summo Pontifice regularibus facultas, et jurisdictio ad confessiones audiendas, et ad absolvendum ab aliquibus casibus reservatis, nempe ut non possit executioni mandari, donec sint approbati ab ordinario, et cessante approbatione, cesset usus illius facultatis, et reviviscente approbatione reviviscat. Eodem ergo modo poterit episcopus dare facultates ad casus sibi reservatos, nimirum stante approbatione ejusdem episcopi. Itaque loquendo de possibili, non est dubium quod possit ita concedi, ut non expiret cessante prima approbatione ; solum potest esse difficultas, an de facto ea sit intentio concedentis, an potius solum concedat eam facultatem, sicut et approbationem pro tempore determinato, quandiu durat prior approbatio.

4 Hoc autem videtur omnino ex circumstantiis indagandum. Et quidem si simul approbatione concedatur ea facultas ad casus reservatos, non levis est conjectura, quod utraque concedatur cum eadem temporis limitatione. Si vero seorsim, et tempore diverso ante approbationem detur, ex tunc facultas ad reservata non videtur dependens a limitatione temporis, quæ postea in approbatione apponetur, sed dari pro eo tempore, pro quo fuerit postea approbatus, sive approbatio subsecuta fuerit unica perpetua, sive multiplex renovata. Major difficultas esse posset, si concessio facultatis ad reservata fiat tempore sequenti, postquam jam sacerdos mense præterito fuit approbatus ad annum. Nec tamen tunc videtur præsumenda limitanta hæc secunda concessio, si verisimile sit concedentem non recordari tunc limitationis annuæ antea in approbatione appositæ. Denique absolute illa temporis interruptio affert magnam conjecturam, quod secunda concessio non sit ad tempus, sed absoluta pro omni

tempore quo confessarius inveniatur approbatus, sive ex præcedenti approbatione, sive ex ejus renovatione. Nam si biduo ante finem illius anni, quo durat præcedens approbatio, confessarius petat, et obtineat ab episcopo facultatem absolvendi pœnitentem quemdam a reservatis, durabit procul dubio ea facultas, etiamsi pœnitens illo biduo non potuerit confiteri, ita ut renovata post biduum approbatione pro anno sequenti, possit confessarius absolvere pœnitentem illum a reservatis absque alia nova concessione: nec credo aliquem in dubium illam facultatem revocarutum. Idem ergo erit præsumendum, licet facultas non fuerit petita pro uno pœnitente, sed pro omnibus universaliter ; in utroque enim casu facultas videtur concedi suppositis terminis habilibus, nempe quod confessarius sit approbatus, sive ex vi approbationis præsentis, sive ex approbatione postea concedenda, vel renovanda. Concedi enim videtur eo modo quo summus Pontifex similes facultates concedere solet regularibus, ut possint absolvere ab aliquibus reservatis, dummodo approbati sint ab Ordinario, quando facultatibus illis utentur.

## DUBIUM XXIV.

*De eo, qui post concessionem illimitatam ad reservata, obtinet aliam magis limitatam.*

1 Titius sacerdos facultatem obtinuerat ab episcopo absque ulla limitatione ad casus reservatos suæ diœcesis ; postea eamdem facultatem, immemor fortasse prioris concessionis, ab episcopo petiit, qui eam tunc concessit cum aliqua restrictione et limitatione. Quæsitum fuit, an hæc secunda concessio limitaverit primam, ita ut sacerdos memor postea prioris concessionis, non possit ea uti, nisi cum illa restrictione et limitatione? Ratio dubitandi esse potest, qui in primis posteriorem gratiam impetrans, eo ipso videtur renuntiare priori, ut in simili de dispensatione secunda magis limitata impetrata dixerunt aliqui, quos affert Thomas Sanchez lib. VIII. *de matrim.* disp. XXII. nu. 16. Deinde, quia privilegio posteriori magis limitato videtur revocari illimitatio prioris.

2 Denique quia videtur esse regula generalis, ut secunda dispensatio non facta ab impetrante mentione prioris censeatur subreptitia, de qua regula late idem Sanchez ibi num. 2. et sequentibus.

3 Dixi tamen, regulariter non censeri revocatam primam concessionem illimitatam, sed adhuc, quandiu non sunt indicia alia voluntatis revocandi, posse impetrantem illa uti, quod in simili docuit idem Sanchez ibi dicto num. 16. ubi loquitur de eo, qui impetravit dispensationem, et ob aliquos scrupulos sibi objectos iterum impetravit aliam, quæ concessa est cum aliquibus moderationibus ; postea vero cum certior factus esset de valore prioris, respondit Sanchez, posse adhuc illa uti : quia petendo secundam, non videtur regulariter priori renuntiare, quod idem in nostro casu dicendum videtur, cum confessarius nullo modo voluerit priorem concessionem amittere, imo ad illam facultatem magis certificandam voluit secundam concessionem habere.

Sed neque ex parte concedentis arguitur revocatio prioris concessionis ex limitatione addita in posteriori, Aliud enim est nunc non concedere quantum antea concesserat ; aliud revocare positive concessionem factam : nec semper superior est æque dispositus ad concedendum, nec ex hac inæquali dispositione sequitur, ut eo ipso quod si nunc rogaretur, non concederet, censeatur revocare : nam *turpius ejicitur, quam non admittitur hospes,* et durius est auferre quod concessisti quam non concedere quod petitur. Alioquin etiamsi diversa esset persona æqualis

meriti, cui nunc facultas denegatur, vel limitatur, argueretur revocata, vel limitata concessio facta prius alteri personæ æqualis meriti, quod nemo dicet. Imo sæpe Pontifices cautiores vel rigidiores facti negant, vel limitant gratias denuo petentibus, quas antea largius et liberalius concedebant aliis ; quibus tamen non ideo censentur revocatæ, vel limitatæ, nisi hoc etiam explicetur. Ideo tamen dixi, *regulariter* non intelligi revocatam priorem concessionem, quia cum id totum pendeat ex circumstantiis, ex quibus indaganda est intentio superioris ; fatendum est posse aliquando circumstantias esse tales, ut limitatio addita posteriori concessioni præjudicet priori. Nam in primis potest taliter superior illam limitationem apponere, ut explicite, vel implicite significet, se semper limitationem illam in tali concessione subintellexisse, nec unquam intentionem habuisse concedendi facultatem absque illa limitatione. Quare jam subditus deinde erit in mala fide, ne possit absque illa limitatione concessionem priorem intelligere, cum auctor ipse protestetur se talem limitationem subintellexisse. Hoc ipsum dicendum erit, si in secunda concessione limitata superior addat verba excludentia usum illimitatum ut si, v. g. dicat, *Nolo aliter absolvas, prohibeo usum ampliorem*, aut alia verba similia, quæ videntur afferre secum revocationem saltem implicitam, et hanc intimatam sufficienter ipsi privilegiato.

## DUBIUM XXV.

*An posset Confessarius absolvere adveniente peccati reservatione post inceptam confessionem ?*

1 Titius cœpit confiteri, et confessus est aliquod peccatum, quod tunc non erat reservatum, sed quia oportuit confessionem post aliquot dies interrumpi et continuari, interim peccatum illud reservatum fuit : quæsitum fuit, an confessarius, cui licentia delegata fuerat simpliciter ad audiendas confessiones, absque nova facultate possit ab eo peccato absolvere ? Ratio dubitandi erat, quia reservatio non attenditur in ordine ad peccatum pro tempore quo committitur, sed pro tempore quo absolvitur : quare postquam commissum est, potest reservari etiam absolutio ; sicut e contra, licet esset reservatum quando commissum est, potest non esse amplius reservatum quando absolvitur, ablata jam a superiori reservatione præterita. Ratio autem a priori est, quia reservatio non est aliud quam negatio, vel ablatio jurisdictionis, quam superior potest inferiori sacerdoti negare, vel collatam auferre, et ablata jurisdictione, eo ipso peccati absolutio remanet reservata superiōri. Cum ergo in casu nostro tempore absolutionis ablata fuisset jam confessario ordinario a prælato superiori jurisdictio et potestas, non videtur prodesse quod peccatum antea non esset reservatum, si tamen tempore absolutionis conferendæ jam erat reservatum ablata inferiori confessario jurisdictione, et potestate ad absolvendum ab illo peccato. Unde aliqui dicunt, eum qui cum jurisdictione delegata cœpit audire confessionem, non posse absolvere, si ante absolutionem expiret delegatio ; vel saltem id esse probabile, ita Petrus Ledesma in *Summa* cap. II. *de Sacramento pœnitentiæ*, post. v. conclusionem, et Zambrano *de casibus in articulo mortis*, cap. IV. dub. v. num. 4.

In casu tamen proposito dixi, probabile esse potuisse confessarium absolvere absque alia facultate obtenta ; est enim doctrina communis theologorum, et juristarum, quod jurisdictio semel habita prorogatur in judice delegato incepta semel causa in ejus foro, quam doctrinam in foro sacramenti pœnitentiæ locum regulariter habere, dixi cum aliis disput. XVIII. *de pœnitentia*, section. II. num. 2

33. et disput. XIX. sect. II. num. 24. disput. XX. num. 131. et videri possunt Th. Sanchez lib. VIII. *de matrimonio*, disput. XV. num. 17. et lib. II. *in Decal.* cap. XIII. n. 15. et lib. IV. cap. LIV. num. 34. qui in iis locis alios affert, et Emman. Roder. *in bullam Cruciatæ*, §. V. num. 2. Acosta ibidem quæs. XXXVI. Villalobos *in Summa* tract. XXVII. clausula 4. num. 12. Diana I. part. tract. *de bulla Cruciatæ* resolut. 94. et colligitur ex cap. *Gratum*, et cap. *Relatum*, *de officio delegati*, qui auctores licet non loquantur de nostro casu in eisdem terminis, videntur tamen loqui in æquivalentibus, nempe de sacerdote simplici habente jurisdictionem in articulo mortis ob defectum confessarii approbati, vel proprii pastoris, quo casu si incepta confessione adveniat sacerdos approbatus, potest adhuc sacerdos simplex prosequi, quia causa incepta est : vel quando ex Cruciata durante anno, poterat aliquis absolvere, et cœpit audire confessionem, quæ ob legitimum impedimentum non potest perfici, nisi transacto anno Cruciatæ.

Qui casus videtur esse similis nostro, quia, per se loquendo, finitur etiam jurisdictio confessarii, et solum prorogatur eo quod causa sit jam incepta.

Parum enim videtur referre, quod jurisdictio cesset per negationem, quatenus non fuit concessa ab initio, nisi pro tali articulo et tempore, vel quod cesset per reservationem peccati et ablationem positivam : cum in utroque casu confessarius initio confessionis habuerit jurisdictionem ad ea peccata, et illa in tempore habili fuerint jam subjecta clavibus, et deducta ac prolata coram legitimo judice habente tunc jurisdictionem sufficientem ad illa solvenda : essetque onus grave pœnitenti, quod sacerdos haberet tunc jurisdictionem dependentem a conditione futura, atque adeo cogeretur iterum eadem peccata confiteri, quæ ratio ponderatur ab aliquibus ex prædictis doctoribus.

## DUBIUM XXVI.

*An teneatur confessarius semper absolvere pœnitentem, cujus confessionem audivit, et ad hoc amplecti opinionem probabilem benigniorem ?*

De hoc egi disputatione XXII. *de pœnitentia*, section. II. §. 2. ubi dixi, debere confessarium absolvere, sive is sit confessarius ex officio, ut parochus, sive sit spontaneus, quales sunt religiosi, et alii similes, qui possunt, sed non debent audire confessiones. 1

Circa illam tamen doctrinam vir aliquis doctus dubitavit, quasi videretur nimis grave onus confessarii, qui, si debet consentire pœnitenti, eumque absolvere, quoties ipse opinione probabili se potest tueri, tenebitur utique semper in praxim deducere omnes probabiles opiniones laxiores in favorem pœnitentis.

Nam, licet pœnitens id explicite non petat, semper tamen implicite et interpretative petit, et præsumitur velle meliori modo quo possit absolutionem obtinere. Unde videretur idem confessarius consequenter obligatus ad habendam notitiam omnium opinionum probabilium laxiorum, quæ in favorem pœnitentis facere possunt : quarum usum, ut diximus, pœnitens tacite et implicite a confessario exposcit, quæ omnia grave admodum onus confessario videntur afferre.

Cæterum, ut ab ultimo incipiam, non est hac de causa obligandus confessarius ad notitiam omnium opinionum probabilium, sed ad eam scientiam quam mediocriter docti communiter habent ; sicut advocatus, judex, medicus, aut artifices etiam non obligantur ad summam et exquisitam scientiam et peritiam in sua professione, sed ad mediocrem juxta gradum sui muneris et conditionis. Nam, 2

sicut ægrotus in morbo suo non exigit a medico communi, nisi notitiam communem medicamentorum et morborum, si autem difficiliori medicina indigeat propter morbi alicujus singularitatem, et difficultatem, peritiorem medicum accersit, a quo majorem exigit peritiam, quia se doctiorem profitetur et majora stipendia petit : sic pœnitens a confessario obvio non debet exigere, nisi notitiam communem de peccatis communibus, et communibus etiam opinionibus ; si vero subtiliora remedia desideret, adeat confessarium doctiorem. Itaque ex hoc capite non debemus confessarium obligare ad notitiam omnium opinionum probabilium, quæ conducere possint ad absolutionem pœnitenti conferendam.

3 Quoad opiniones vero, quarum jam confessarius notitiam habet, distinguendum videtur. Aliæ enim sunt opiniones, quæ tenent se solum ex parte pœnitentis, v. g. an pœnitens teneatur in tali casu ad restituendum, an possit celebrare talem contractum, an debeat acceptare talem pœnitentiam. Et in his ac similibus casibus puto, confessarium debere amplecti opinionem pœnitentis, si probabilis sit, et eum absolvere, ut dixi disp. XXII. *de pœnitentia* sect. II. num. 39. Ratio autem est, quia, licet confessarius voluntarius possit non audire confessionem, postquam tamen eam audivit, jam pœnitens jus certum acquisivit ad sententiam obtinendam, nec potest confessarius hoc jus lædere, et absolutionem negare, si invenit pœnitentem bene et legitime dispositum ad absolutionem obtinendam. Est autem pœnitens sufficienter dispositus ad absolutionem, licet amplectendo opinionem probabiliorem, nolit aliquam occasionem relinquere, vel aliquid restituere, etc. quia cum hac voluntate potest stare dolor de peccatis præteritis, et propositum efficax non peccandi, sed servandi omnia Dei præcepta. Observat enim sufficienter Dei præceptum, qui sequendo probabilem sententiam, omittit aliquid, ad quod juxta probabilem doctorum sententiam judicat se divino vel humano præcepto non obligari, quod multo magis locum habet in confessario proprio, qui ex officio tenetur confessionem subditi audire. Unde nec ipse summus Pontifex posset absolutionem negare ad ipsum recurrenti, eo quod pœnitens nolit aliquid exequi, si tamen pœnitens juxta probabilem doctorum sententiam ad id exequendum, et obediendum non sit obligatus. Nam tunc pœnitens est sufficienter dispositus ad absolutionem, quam Pontifex tenetur ei conferre, vel si nolit totam confessionem audire, tenetur delegare facultatem alteri confessario, ad quem pœnitens recurrat.

Ratio autem a priori fundatur in hujus sacramenti institutione, quod Christus Dominus ita instituit, ut sicut subditi tenetur ad confitenda sua peccata gravia proprio pastori, ita pastor teneatur judicium legitimum in eo foro exercere, et retinere peccata, si pœnitens non sit sufficienter dispositus, vel solvere si bene dispositus sit : nec enim pro mero arbitrio judicium exercere possunt, sed juxta merita causæ, quæ obligatio annexa est judicis officio, quod in hoc sacramento confessarius habet ex Christi institutione. Cum ergo in casu nostro pœnitens sit bene dispositus, et dolorem habeat atque propositum firmum observandi omnia præcepta, non poterit confessarius negare illi absolutionem, eo quod non velit sequi opinionem rigidiorem ipsius confessarii, quam sequi non tenetur pœnitens, sed sufficit, si operetur juxta sententiam probabilem aliorum doctorum. 4

Si vero sermo sit de opinionibus, quæ non tenent se ex parte pœnitentis, sed potius ex parte confessarii, aliter dicendum est ; quia sicut pœnitens potest amplecti sententiam probabilem circa suam obligationem, sic etiam confessarius circa obligationem suam amplecti poterit probabilem sententiam. 5

Quare, si sint duæ doctorum senten- 6

tiæ, quarum altera negat, altera affirmat confessarium posse in talibus circumstantiis negare absolutionem pœnitenti, et utraque si probabilis; poterit confessarius amplecti sententiam probabilem affirmantem, et absolutionem negare; quia jam in illo actu operatur juxta probabilem sententiam, nec lædit jus aliquod certum quod pœnitens habeat ad absolutionem obtinendam, cum solum sit probabilis obligatio illum absolvendi, in quo apparet differentia a puncto præcedenti; quando enim opinio tenet se ex parte pœnitentis, qui in sua operatione amplecti vult opinionem probabilem sibi favorabilem, pœnitens habet jus certum ad absolutionem: quamvis enim non sit certa, sed solum probabilis sententia quam vult amplecti; certum tamen est practice, ipsum satisfacere suo debito operando juxta sententiam probabilem, atque ideo ex hoc capite ipsum inveniri sufficienter dispositum ad absolutionem: in secundo autem casu pœnitens non habet jus certum ad absolutionem, quia confessarius probabiliter judicat, in talibus circumstantiis non esse obligationem conferendæ absolutionis, et ideo, per se loquendo, poterit practice illem negare.

Dixi tamen *per se loquendo*: quia per accidens tenebitur aliquando etiam in iis casibus confessarius absolvere, v. g. si pœnitens sit in mortis articulo, et non sit alius confessarius, tenebitur ipse ex charitate non negare absolutionem, quam juxta probabilem saltem sententiam debet, vel potest conferre. Cum enim prodesse possit pœnitenti, non potest, salva charitate, illum in tali necessitate derelinquere sine remedio quod licite potest illi impendere. Rursus idem a fortiori dicendum erit, quando confessarius audita confessione dubitat de jurisdictione, vel approbatione sua requisita ad valorem absolutionis. Si enim certum sit, quod multi theologi dicunt, stante probabili sententia de jurisdictione, vel approbatione sua requisita ad valorem absolutionis, absolutionem valide conferri, eo quod Ecclesia suppleat tunc defectum jurisdictionis, etiamsi sententia illa probabilis falsa esset; jam tunc pœnitens censeretur habere certum jus ad absolutionem obtinendam, quia sacerdos haberet jam tunc non dubiam, sed certam potestatem ad valide absolvendum, atque ideo per accidens deberet non negare absolutionem, quia jam non esset probabilis carentia jurisdictionis, quod in aliis similibus casibus dicendum erit.

## DUBIUM XXVII.

*An confessarius ordinarius regularium possit eos absolvere a reservatis Papæ?*

Non est quæstio, quando summus Pontifex ita reservat sibi aliquod peccatum, ut nolit etiam regulares absolvi posse a suis prælatis sine nova ipsius Pontificis facultate: tunc enim certum est, sicut nec ipse prælatus regularis absolvere potest, sic nec confessarium ordinarium posse regulares absolvere, cum hic totam suam facultatem accipiat delegatam ab ipso prælato regulari, qui non potest confessario communicare potestatem, quam ipse non habet. 1

Quare idem dicendum est, quando licet prælati alicujus ordinis habuissent antea ex privilegio pontificio facultatem absolvendi subditos ab omnibus Papæ reservatis, quale, nonnullis casibus exceptis, habuerunt olim plures ordines mendicantes, postea tamen recentiores Pontifices facultatem illam revocarunt, revocando, vel addendo reservationem cum clausula revocatoria efficaci omnium facultatum ad absolvendum antea concessarum: jam enim ex tunc prælatus ipse absolvere non posset, atque ideo multo minus confessarius ordinarius ab ipso delegatus.

2 Dubium solum procedit, quando in ordine aliquo regulari remaneret ex privilegio pontificio facultas in prælatis ad absolvendum subditos ab aliquibus peccatis, vel censuris summo Pontifici reservatis, an eo ipso quod instituatur aliquis confessarius ordinarius in aliquo conventu, censeatur prælatus communicare illi facultatem absolvendi etiam a peccatis Papæ reservatis, a quibus prælatus ipse posset suos subditos absolvere ; an vero peccata illa censeantur adhuc manere prælato reservata ?

Nec hoc dubium procedit, quando facultas pontificia concessa esset limitata, ut Prælati *per se ipsos* absolvere possent, tunc enim non possent, etiamsi vellent, eam facultatem confessario ordinario delegare : sed dubium procedit, quando facultas prælatis concessa fuisset absque ea limitatione, et ita ut possent jure suo eam alteri delegare.

3 Totum hoc pendet ex intentione prælatorum, quæ ex variis circumstantiis in singulis ordinibus religiosis indaganda est. Dubium autem hoc propositum fuit aliquoties in societate Jesu, ad quod non semel in ea respondere debui, quod meum responsum redditum fuit R. P. Mutio Vitellesco generali, et transmissum ad provincias, unde dubium illud proponebatur. Quare miror P. Antonium de Quintanadvennas tom. II. *Singularium theologiæ moralis* tract. III. *singulari* XIX. num. 4. affirmative ad hoc dubium respondisse. Dixi autem semper, peccata illa in dicta societate remanere reservata soli superiori, nec eorum absolutionem censeri communicatam confessario ordinario sine alia magis speciali delegatione : quod postea in eisdem terminis responsum inveni apud Suarez tom. IV. *de Religione*, tract. VIII. lib. II. cap. XXII. num. 17.

4 Ratio autem dubitandi desumi poterat ex eo, quod in societate duplex est catalogus casuum reservatorum, a quibus ordinarius confessarius absolvere non potest sine speciali facultate superioris. Alter continet casus illos, quos Clemens VIII. suo decreto permisit in ombus religionibus reservari superioribus : alter addit alios casus, quorum absolutionem congregatio generalis ejusdem societatis reservavit eisdem superioribus juxta concessionem ejusdem Clementis VIII. qui permisit alios insuper casus reservari posse, quos capitulum generale cujuslibet ordinis reservandos censuerit. In neutro autem horum catalogorum reservantur casus Pontificii, a quibus prælatus potest absolvere : non ergo censentur reservari superioribus, sed eorum absolutio videtur confessario commissa, cui sola aliorum peccatorum ibi contentorum absolutio prohibetur.

Merito tamen Suarez hos etiam casus dixit reservatos intelligi superioribus, quod probat ipse ex eo quod, in rigore loquendo, hi casus pontificii non reservantur a superiore societatis, sed a summo Pontifice, qui sibi illos reservat, et postea committit prælatis ut possint subditos ab iis absolvere : non est ergo necesse, quod prælati regulares sibi illorum absolutionem reservent : jam enim sunt a Pontifice reservati ; sed sufficit quod prælatus non committat specialiter confessario ordinario facultatem ab iis absolvendi ; quod in rigore non est reservare, sed non communicare facultatem sibi specialiter a Pontifice commissam. Quare confessarius non poterit ab iis absolvere, non quidem, quia prælati regulares eos casus sibi reservarunt ; sed quia Pontifex illos sibi reservavit nec voluit absolvi nisi a prælato, vel ab eo cui prælatus id positive commiserit. Quandiu ergo prælatus id positive non committit, manent reservati pontifici, et prælato regulari ex vi solius reservationis a Pontifice factæ.

Unde addit idem Suarez, licet concedat superior societatis facultatem confessario absolvendi a reservatis, non intelligi concessam ad hos casus pontificios, a quibus ipse superior potuisset absolvere ; quia reservatio horum casuum est

altioris ordinis, et non comprehenditur sub generali concessione, sicut nec episcopus concedens facultatem ad casus reservatos, intelligitur concedere ad casus pontificios, a quibus aliquando episcopus potest absolvere, nec ipse Pontifex concedens facultatem absolvendi a sibi reservatis, censetur concedere ad casus bullæ Cœnæ, quorum reservatio altioris ordinis est. Similiter ergo prælatus societatis non intelligitur, hos casus pontificios comprehendere in facultate generali ad casus reservatos, nisi specialiter eos exprimat, vel utatur verbis ita generalibus, ut mentem suam explicet sufficienter, et intentionem hos etiam casus comprehendi.

Addideram ergo argumenta alia ad idem probandum.

7 Primum potest esse ab absurdo ; quia si confessarius ordinarius posset in societate absolvere a casibus pontificiis, sequeretur quod si unus ex societate trucidaret, et occidaret suum provincialem, posset absque alia facultate absolvi a suo confessario ordinario. Si autem percuteret sæcularem vulnere non admodum gravi, non posset a confessario absolvi sine speciali facultate superioris, quod certe maximum esset absurdum. Sequela vero probatur, quia quælibet percussio gravis, est casus reservatus in societate ; quare qui quolibet modo percuteret graviter sæcularem, non posset absolvi a confessario ordinario : percussio autem et occisio provincialis est reservata summo Pontifici, nec potest prælatus inferior reservare sibi casus, quos summus Pontifex sibi reservat, quod intelligi debet saltem quoad absolutionem peccati, quidquid sit an possit prælatus inferior addere excommunicationem sibi reservatam ultra excommunicationem latam a summo Pontifice, de quo cum Suario, et aliis dixi disput. XX. *de pœnitentia* sect. VIII. num. 149. et sequentibus. Si ergo confessarius ordinarius potest absolvere a peccatis summo Pontifici reservatis, posset etiam absolvere ab illa occisione Provincialis, non tamen posset absolvere a vulnere inflicto alicui sæculari, quod peccatum non est reservatum summo Pontifici, sed prælato societatis, quod tamen ex se apparet maximum absurdum.

Ratio vero a priori colligi potest ex 8
intentione prælatorum societatis, qui nullo modo intendunt ejusmodi facultatem confessario ordinario communicare, quod constare potest primo ex compendio privilegiorum societatis verb. *absolut.* §. VI. ubi relata facultate, quam ex pontificiis privilegiis habet præpositus generalis ad absolvendos subditos per se, vel per alios ab aliquibus peccatis reservatis sedi Apostolicæ, subdit statim Generalis : *Communicatur hæc facultas superioribus, et iis, quibus ipsi commiserint.* Non ergo communicatur omnibus confessariis eo ipso quod deputentur confessarii ordinarii alicujus collegii, vel domus : alioquin in prædicto loco adderetur, et explicaretur communicari omnibus confessariis, sicut additur, et explicatur in aliis locis ejusdem compendii, ut in verb. *dispensatio*, §. II. et in verb. *Confessarius*, §. VI. Deinde secundo id constat, quia in reservatione casuum societatis, a quibus confessarius ordinarius absolvere non potest sine licentia superioris speciali, non apponuntur alia verba, sed eadem omnino, ut habetur in decreto LI. congregationis quintæ generalis, ubi dicitur, *Ab his casibus non licet absque licentia expressa superioris domus, vel collegii abvolvere ;* ex quibus verbis omnes pro comperto habent, confessarium ordinarium non posse absque nova facultate superioris ab iis casibus absolvere. Eadem autem verba sunt, quibus absolutio a casibus pontificiis reservatur superioribus, nam dicto loco compendii, verb. *absolutio*, §. VI. ut supra vidimus, dicitur : *communicatur hæc facultas superioribus, et iis quibus ipsi commiserint.* Sicut ergo alii casus non censentur concessi confessario ordinario, quia soli superiores, et alii de eorum licentia absol-

vere possunt, idem dicendum erit de casibus pontificiis, quorum absolutio similiter exprimitur competere solis superioribus, et aliis ex eorum commissione et licentia.

9 Unde constat jam responsio ad rationem dubitandi propositam ex eo quod casus illi pontificii non inveniantur expressi in catalogo casuum reservatorum in societate, atque ideo censetur concessa eorum absolutio confessario ordinario, cui aliorum solum casuum enumeratorum facultas denegetur. Respondetur enim ex dictis, hos casus pontificios non esse reservatos in societate ex vi reservationis ab eadem societate factæ, sed esse reservatos a summo Pontifice, qui tamen pro aliquibus ex iis facultatem concessit prælato regulari, qui eam etiam potest delegare. Prælatus itaque regularis non reservat sibi illos casus, sed solum se habet negative non communicando facultatem absolvendi, quem habet a summo Pontifice, qui eos sibi reservavit ; quare non oportuit eos casus numerare in catalogo reservatorum, in quo illi soli enumerantur, qui ab ipsa societate reservantur, non quos summus Pontifex sibi reservat.

10 Dicet aliquis, confessarium ordinarium substitui loco superioris in foro sacramentali, ne subditi cogantur confiteri prælato : quare prælatus censetur eis suas vices in foro sacramentali committere, nisi aliquid expresse sibi reservet. Sed contra, quia episcopus etiam facultatem tribuit sacerdotibus inferioribus audiendi confessiones suarum ovium, ne subditi omnes cogantur suo episcopo confiteri : et tamen non ideo censetur episcopus concedere facultatem absolvendi a casibus pontificiis, a quibus in aliquibus circumstantiis potest episcopus per se, vel per alios absolvere. Sic deputatur confessarius ordinarius in societate, sicut parochus, vel alii sacerdotes, quibus episcopus concedit facultatem audiendi confessiones, nimirum ad ea peccata et censuras, quæ nec de jure, nec de facto superioribus reservantur.

Urgebit tandem aliquis, quia confessarius ille ordinarius alicujus collegii, si sit ab Ordinario approbatus, potest juxta societatis privilegia absolvere a multis casibus pontificiis, verbi gratia, a percussione clerici, et similibus. Sicut ergo potest sæculares ab iis peccatis absolvere, cur non poterit absolvere religiosum societatis, cum deputatus sit ad eorum religiosorum confessiones audiendas, non minus, quam ad confessiones sæcularium ? Respondeo, hoc argumentum probare nimium : nam potest etiam sæculares absolvere a peccatis furti, fornicationis, etc. et tamen religiosos societatis non potest absolvere, quorum hæc peccata reservata sunt superiori. Non ergo mirum, quod non possit absolvere eosdem a casibus pontificiis, quorum absolutionem Pontifex sibi reservat, et solis superioribus committit. Quamvis enim confessarius societatis approbatus ab Ordinario possit sæculares aliquibus casibus pontificiis absolvere : id tamen est, quia præpositus generalis hanc eis facultatem communicat in ordine ad pœnitentes sæculares : quam facultatem in ordine ad pœnitentes regulares eis non communicat, sed expresse negat, ut constat ex dicto compendio privilegiorum, verb. *absolutio*, §. 1. in fine, ubi expresse declaratur, quod confessarii societatis non possunt absolvere religiosos, qui licentiam non habent a suis prælatis extra ordinem confitendi. Cum ergo religiosi societatis non habeant talem licentiam, non potest confessarius ordinarius eos virtute illius privilegii a casibus pontificiis absolvere, sicut nec possunt cæteri confessarii societatis ab Ordinario approbati, et qui non sunt deputati ad confessiones eorumdem religiosorum audiendas, eos absolvere, quamvis sæculares absolvere possint. 11

Adde, subditos societatis non posse a confessario absolvi sine licentia suorum superiorum, virtute cujuslibet indulti, 12

et concessionis pontificiæ, ita decernentibus ipsis summis Pontificibus, nisi hoc ipsum pontificium decretum expresse revocetur, ut constat ex prædicto compendio verb. *Absolutio*, §. xi. et verb. *Cratiarum usus*, §. ii. Quamvis ergo confessarius haberet facultatem et concessionem Pontificis generalem, et illimitatam ad absolvendos omnes pœnitentes a casibus pontificiis, non tamen posset personas societatis absolvere sine consensu superiorum societatis, qui non solum non consentiunt, sed expresse negant facultatem ad talem absolutionem, quandiu ab iis specialiter non exigitur.

## DUBIUM XXVIII.

*Utrum negare possit confessarius absolutionem novitio nolenti egredi, et ad sæculum redire?*

1 Novitius quidam in religione observante et perfecta, patiebatur frequenter lapsus carnis voluntarios, quos confessario in confessione manifestabat, et postea sæpius reincidebat. Confessarius itaque judicans, eum non esse aptum religioni, cujus alumni castitatis puritatem observabant, suadebat illi frequenter, ut ad sæculum rediret, vel superiori fragilitatem suam extra confessionem aperiret, imo ad id tandem pœnitentem obligare tentavit, significans, se deinceps, nisi obediret, absolutionem ei negaturum. Quæsitum fuit, an confessarius jure id facere potuerit, an vero suæ potestatis limites fuerit transgressus?

2 Suppono, confessarium, quamvis ipse sit etiam prælatus novitii, et ad quem ex officio spectat novitios inutiles, ineptos, vel noxios dimittere, non posse id facere ullo modo ex notitia quam in confessione habuit, nisi ex licentia expressa pœnitentis, ut ex decreto Clementis VIII. et ex natura et institutione hujus sacramenti probavi late disp. XXIII. *de pœnitentia* sect. v. §. 1. obligatio enim dimittendi novitios inutiles, non debet ullo modo dirigi a notitia sacramentali, nec unum forum cum alio misceri: sed debet se habere prælatus, ac si nihil prorsus sciret, et confidere in Domino quod vel novitius sese corriget, vel certe parum nocumenti religio patietur ex eo, quod ad vota religiosa post novitiatum admittatur, quia postea passiones illæ sese prodent, et materiam suggerent dimittendi eum, si sit in societate, vel debito modo corrigendi notitia aliunde habita. Omnino autem oportet sacramentale forum ab omni alio respectu et regimine longissime separare, atque ideo debet se prælatus considerare eo casu, perinde ac si esset confessarius aliquis sæcularis, qui casu in itinere audit novitii confessionem, et ita, et non aliter illi consulere.

Hoc supposito, dubium esse potest, an, 3
licet confessarius non possit uti notitia fessionis ad dimittendum novitium, vel ad aliquid extra sacramentum operandum; possit tamen novitium cogere ad manifestandam extra sacramentum suam inhabilitatem, vel certe, ut ipse sponte sua redeat ad sæculum? Et quidem in genere loquendo, regula generalis est, tunc solum posse confessarium novitio negare absolutionem, quando videt illum non esse sufficienter dispositum, v. gr. quia non vult relinquere occasionem proximam peccati gravis, quam ipse sine gravi incommodo relinquere potest, vel quia religionem injuste deceperit in re gravi, et nolit fraudem tollere, vel propter similes rationes. An vero ejusmodi causæ de facto interveniant, ob quas negari possit et debeat absolutio, pendet ex circumstantiis, ex quarum notitia confessarius debet id prudenter judicare: nec frequenter fortasse casus ita continget, ut ob meram peccandi frequentiam debeat sub peccato gravi novitius se extra confessionem prodere, ut a religione

dimittatur, nec rationes quas confessarius ille afferebat, id verisimiliter probabant.

4 Primo enim arguebat ex obligatione relinquendi occasionem proximam peccati, qualis esse videbatur novitio illi status religiosus. Hoc tamen parum credibile est : nec facile sibi pœnitens persuadebit, minorem se habiturum in sæculo occasionem peccandi contra castitatem, quam in religione, præsertim si non posset sine magno incommodo uxorem ducere.

5 Minus obstat, quod secundo loco pro se afferebat confessarius, nempe pœnitentem debere sub peccato gravi obedire confessario, atque adeo, dum non obediat, manifestare se non esse dispositum ad recipiendam absolutionem. Hoc, inquam, minus probat, quia pœnitens solum debet implere pœnitentiam sibi a confessario impositam : quoad reliqua vero potest quidem confessarius declarare pœnitenti ea, ad quæ aliunde pœnitens sub peccato tenetur, v. gr. restitutionem, relinquere occasionem peccandi proximam, abstinere a tali contractu usurario et alia similia, quæ si pœnitens non habet animum observandi, non est dispositus ad absolutionem : non tamen potest confessarius quidquam aliud sub peccato ei præcidere, nisi id, quod in pœnitentiam imponit, in qua imponenda habet se ut judex ; quoad alia vero se habet ut medicus, cujus non est præcipere, sed consulere, et declarare ægroto, quæ sint media necessaria, vel utilia ad sanitatem tuendam, vel recuperandam. Egressus autem a religione non est materia apta, quæ imponatur pœnitenti pro pœnitentia suorum peccatorum, ut ex se constat, possetque merito pœnitens ejusmodi pœnitentiam nolle acceptare, quam prudenter putaret saluti propriæ spirituali obfuturam magis, quam profuturam.

6 Dices, confessarius prudenter judicat, statum religiosum non expedire illi novitio in peccata frequenter relabenti : potest ergo saltem in pœnitentiam imponere, ut statum illum relinquat. Respondetur posse prudenter credere novitium, sibi expedire magis ad salutem statum religiosum, in quo transacta vehementia tentationis illius, facilius poterit resipiscere et corrigi, cum habeat optima sociorum exempla, disciplinæ observantiam, exhortationes, et alia ejusmodi media, quibus in sæculo carebit ; quare ex hoc capite non est, cur obedire teneatur confessario.

Arguebat tertio, quia novitius debet 7
impedire damnum, quod suo ordini inferre potest, cum una ovis male infecta inficere possit omne pecus ; quare exire debet, ne suo exemplo alios ad perditionem trahat. Respondetur facilè, in primis, pœnitentem non teneri cum tanto detrimento suo impedire, et præcavere damnum alienum, quod per accidens sequi posset, et præter ejus intentionem. Deinde, etiamsi ad sæculum redeat, non minus, sed majus poterit aliis nocumentum afferre ; quo enim sæculares facilius pravis exemplis afficiuntur, quam religiosi observantes, eo magis poterit illis vitiosa sua conversatione nocere. Denique non videtur esse magnum periculum gravis hujus nocumenti ; quia dum vitia ita sunt occulta, ut non nisi intra confessionem manifestentur, non transeunt ad sodales : si autem transire incipiant ; jam tunc sese prodent, ita ut ex notitia illa possit debitum remedium extra confessionis sacramentum adhiberi.

Ultimo allegabat pro se confessarius, 8
quod novitius ille graviter, et injuste deciperet religionem, tacendo et occultando defectum, qui eum ineptum reddit ad statum religiosum, quem defectum si prælati scirent, procul dubio eum non admitterent ad vota religiosa, nec ad professionem. Respondetur, hunc novitium, de quo agitur, non decepisse religionem, quia quando ingressus fuit, vel forte non habuerat in sæculo hæc vitia, vel conversione sua mores correxerat, et spem habebat melioris vitæ : morbum autem spiritualem postea contractum,

non tenetur ex justitia manifestare prælato, ut ejiciatur : sufficit aperire in confessione ad quærendum remedium.

## DUBIUM XXIX.

*An possit pœnitens recipere sacramentum pœnitentiæ cum dolore de uno veniali, quin doleat de aliis venialibus specie diversis, etiam gravioribus ?*

1 Suppono primo, si motivum detestationis sit ratio generica et universalis offensæ Dei, non posse nos detestari unum veniale, quia præcise est offensa Dei, quin eo ipso detestemur omnia alia, cum omnia participent malitiam offensæ Dei, nec possimus odio habere mendacium propter offensam Dei ut sic, quin odio habeamus ipsam malitiam offensæ divinæ : sicut non possumus deligere proximum propter Deum, quin magis diligamus Deum, quia *propter unumquodque tale, et illud magis*, ut late explicavi disput. V. *de pœnitent.* sect. VI.

2 Suppono tamen secundo, posse nos dolere de uno peccato veniali propter ejus gravitatem specialem, qua Deo displicet, vel Deum offendit, quin eo ipso etiam virtualiter doleamus de aliis venialibus, quæ quia minus gravia sunt, minus Deo displicent, et levius Deum offendunt ; quia tunc motivum detestationis non est offensa Dei ut sic, sed talis gravitas offensæ qualis non reperitur in aliis peccatis venialibus levioribus, ut dixi dicta sect. VI. numer. 81. Unde postea disput. IV. sect. II. numer. 23. inferebam posse in sacramento pœnitentiæ remitti aliquod peccatum veniale, de quo sufficienter dolet pœnitens propter ejus peculiarem gravitatem, licet non doleat etiam virtualiter de aliis, quæ leviora sunt, nec attingunt illum gravitatis gradum, propter quem dolet pœnitens de tali peccato veniali.

3 Unde rursus sequitur, si dolor sit de uno peccato veniali propter talem gradum gravitatis, qua displicet Deo, vel Deum ita graviter offendit, non posse dolorem illum non extendi virtualiter ad alia venialia, quæ sint æque gravia, cum in illis etiam reperiatur malitia et gravitas talis, quam formaliter odio habet pœnitens in dolore de tali peccato particulari. Imo intra eamdem speciem contingere potest, quod pœnitens doleat de aliquo veniali propter peculiarem ejus malitiam et gravitatem, quin doleat virtualiter de omnibus aliis venialibus ejusdem speciei, quæ non habent talem gradum malitiæ et gravitatis, sed leviora sunt intra eamdem speciem, et dolor ille sufficienter disponere posset ad remissionem illius peccati venialis in sacramento pœnitentiæ, ut olim cum aliis dixi disp. XIV. *de pœnitentia* sect. IX. num. 141.

4 His suppositis, difficultas videtur solum restare, quando aliquis pœnitens dolet, v. g. de peccato veniali mendacii officiosi, an debeat virtualiter saltem dolere de peccatis aliis venialibus aliarum specierum, quæ sint graviora, vel saltem æque gravia ac mendacium illud de quo dolet : an vero possit habere dolorem de illo peccato mendacii sufficientem ad absolutionem sacramentalem, quin doleat virtualiter de peccatis venialibus aliarum specierum æque gravibus, vel gravioribus ? Et quidem, si vera esset sententia, quam retuli disp. V. *de pœnitentia*, sect. IX. num. 142. affirmantem, esse sufficientem attritionem cum sacramento pœnitentiæ, qua sine ullo respectu explicito ad Deum dolemus de peccato propter oppositionem quam habeat cum regula rationis, seu cum natura rationali : tunc consequenter dici deberet, posse aliquem dolere de mendacio officioso propter oppositionem quam habet cum veracitate, et cum dictamine rationis prohibente mendacium, quin doleat de peccato veniali gulæ, vel furti, quamvis hæc supponerentur graviora, quia nimirum hæc

peccata non habent oppositionem cum virtute veracitatis, sed cum temperantia, vel justitia, atque ideo amor veracitatis non inclinat ad odium, et detestationem gulæ, furti, sed mendacii. Quare posset haberi attritio de mendacio, et propositum non mentiendi sufficiens ad sacramentum absque dolore et proposito circa alia peccata graviora.

5 Quia tamen in eodem loco diximus, attritionem sufficientem cum sacramento debere habere semper aliquem respectum explicitum ad Deum, vel tanquam ad punitorem peccatorum, si sit ex timore pœnæ, vel tanquam ad offensum, si sit ex motivo pœnitentiæ, vel tanquam superiorem, si sit ex motivo obedientiæ, vel tanquam ad excellentem, si sit ex motivo religionis, et sic de aliis virtutibus : ideo oportet nunc explicare, an supposita illa nostra sententia, possit adhuc concipi dolor de uno peccato veniali, quin sit dolor virtualis de aliis gravioribus, vel æque gravibus aliarum specierum.

Respondi itaque ad hoc quæsitum, posse id contingere, quoties motivum formale detestationis est diversum, prout aliquando esse potest. Fateor quidem, non posse facile id contingere, quando dolor est ex motivo pœnitentiæ, v. gr. quod est offensa Dei : nam si dolemus de mendacio officioso præcise quia est offensa Dei, non potest intelligi quod non doleamus virtualiter de peccato veniali furti, quod contineret graviorem Dei offensam, cum non possimus odio habere offensam Dei, quia offensa est Dei, et simul velle aliam offensam Dei graviorem, vel æque gravem. Idem est, si ex odio vel metu pœnæ purgatorii doleamus efficaciter et super omnia de verbo otioso : cum quo dolore non potest esse simul voluntas mendacii, quod graviorem vel æque gravem pœnam afferat ; quia jam tunc non detestamur super omnia illum gradum pœnæ.

6 Potest tamen aliquando motivum detestationis esse diversum, ut si doleas de irreverentia Dei, quia opponitur cultui debito divinæ excellentiæ, quod est motivum religionis ; non est necesse, quod doleas etiam virtualiter de quolibet peccato veniali alterius speciei graviori vel æque gravi, nisi in illo inveniatur etiam æqualis irreverentia opposita religioni. Imo idem dici potest de attritione, quæ concipitur ob motivum pœnæ temporalis a Deo infligendæ, quod motivum sufficere ad veram attritionem supernaturalem, diximus cum aliis disp. v. *de pœnitentia* sect. IX. num. 137. Solet autem Deus speciali pœna temporali hujus vitæ punire aliqua peccata, qua non punit alia graviora, licet ea gravius puniat post mortem, v. gr. ob irreverentiam erga proprios parentes, comminatur Deus temporalis vitæ brevitatem, ob immisericordiam in pauperes, jacturam fortunarum, et sic de aliis. Potest ergo aliquis ex timore talis pœnæ specialis dolere de peccato veniali irreverentiæ erga parentes, v. g. vel immisericordiæ in pauperes : quod motivum non extenditur etiam virtualiter ad alia peccata venialia graviora, pro quibus Deus hanc pœnam specialem non sit comminatus. Et quamvis iis gravior pœna in purgatorio debeat correspondere : sed tamen dolor ille non habet pro motivo pœnam ut sic, sed talem pœnam tolerandam in hac vita, a cujus pœnæ timore magis movetur tunc pœnitens, quam a pœna purgatorii, atque ideo attritio illa non extenditur virtualiter ad alia venialia etiam graviora aliarum specierum.

Posset esse difficultas de motivo obe- 7
dientiæ, an qui doleret ex motivo obedientiæ de aliquo peccato veniali, v. g. de mendacio officioso, eo quod sit contra legem et præceptum Dei prohibentis mendacium, intelligatur virtualiter dolere de aliis peccatis venialibus aliarum specierum, saltem si æque gravia, vel graviora sint ; videtur enim ita dicendum, cum in iis omnibus reperiatur etiam malitia inobedientiæ contra legem et

præceptum divinum, et gravior inobedientia, si graviora sint peccata; distinguendum tamen est: nam si doleas de peccato veniali particulari præcise propter rationem inobedientiæ, ut sit contra divinam legem, dolor extenditur ad omne peccatum veniale, cum in omnibus reperiatur malitia idobedientiæ, cujus rationem genericam efficaciter detestaris. Si vero doleas de mendacio aliquo, v. gr. propter gravitatem inobedientiæ, quæ in eo includitur, quam gravitatem inobedientiæ odio habes, dolor extenditur ad omnia peccata venialia, quæ inobedientiam æque gravem, vel graviorem includant. Si denique doleas de peccato levi, v. gr. de furto levi, propter talem peculiarem inobedientiam propriam illius peccati, probabile videtur, quod non extendatur dolor ille etiam virtualiter ad alia venialia diversæ speciei, etiamsi sint graviora, atque gravia.

8 Ratio hujus ultimi dicti petenda est ex iis, quæ dixi disp. XVI. *de pœnitentia* sect. v. n. 255. et alibi, nempe præceptum superioris constituere rem præceptam in specie illius virtutis, ad quam spectat ipsa materia quæ præcipitur; quare peccatum violantis jejunium, et violantis festum, pertinent ad diversas species, quia primum est contra temperantiam, secundum est contra religionem. Unde præcepta etiam ipsa differunt specie inter se, quia singula respiciunt formaliter honestatem illius virtutis, cujus materiam præcipiunt. Ex hac autem doctrina sequi videtur, posse aliquem dolere de peccato veniali contra præceptum jejunii, propter malitiam inobedientiæ specialis, quatenus est contra tale præceptum, et talem obedientiam, quod motivum non extenditur ad violationem venialem festi, cum præceptum illud, ut tale est, afferat obedientiam specie diversam, atque ideo dolor qui procedit ex odio contra talem inobedientiam, prout talis est, et prout præcise opponitur contra talem obedientiam, et conformitatem ad talem legem prout talis est, non extenditur virtualiter ad peccata venialia, quæ habent inobedientiam specie diversam, et adversantem aliis legibus specie diversis. Aliter vero sentiendum est de peccatis venialibus contra votum; cum enim omnes votorum transgressiones sint ejusdem speciei, si considerentur intra genus suum, nisi aliunde participent malitiam contra alia præcepta, ut dixi dicta sect. v. loco citato, non videtur esse posse dolor de veniali propter malitiam transgressionis voti, quin extendatur virtualiter ad omnes transgressiones voti veniales, quæ sint graviores, vel æque graves, ac est illa, de qua dolor explicite concipitur a pœnitente. Atque ex his exemplis poterit judicium fieri de aliis peccatis venialibus aliorum generum ad decernendum, an dolor de uno extendatur virtualiter ad alia venialia graviora, vel æque gravia.

## DE SACRAMENTO ORDINIS.

### DUBIUM XXX.

*An sit valide ordinatus, cui in subdiaconatu non datus fuit calix vacuus, sed plenus vino, et aqua?*

Per errorem datus fuit episcopo, pro 1
iis, quos ad subdiaconatum promovebat, calix plenus vino et aqua, patena coopertus, cum dari debuisset calix vacuus cum patena: dubitatum fuit de valore hujus ordinationis. Ratio dubitandi erat, quia, ut constat ex concilio Florentino in decreto pro Armenis, materia in ordinatione subdiaconi est calix vacuus cum patena vacua, per quam materiam significatur ordo subdiaconi, qui ex officio debet ministrare diacono in missæ

sacrificio : non videtur autem significari sufficienter officium subdiaconi, prout differt ab officio aliorum per calicem et patenam plenam : nam presbytero in sua ordinatione datur calix cum vino et aqua, et patena cum hostia, ad significandum ejus officium : non potest ergo per eamdem materiam significari quod proprium est subdiaconi : idem enim signum commune non potest significare id in quo subdiaconus differt a presbytero : debet ergo id quod proprium est subdiaconi, significari per aliquod proprium, nempe vacuitatem instrumentorum, quæ significat inferioritatem subdiaconi respectu presbyteri.

2 Cæterum in casu proposito respondi, id minus probabile esse, quod ordinatio subdiaconi invalida fuerit : quare licet in presbyteratu vel episcopatu non esset sustinenda ordinatio probabilis, sed reiteranda sub conditione propter inconvenientia gravissima, quæ afferret invalida collatio sacerdotii, vel episcopatus : in subdiaconatu tamen non videtur necessaria repetitio conditionata, etiamsi solum probabilis sit ejus valor. Porro validam fuisse illam ordinationem, probari potest primo a fortiori ex iis, quæ paucos ante annos dicta et scripta a multis fuerunt de illis qui dum in presbyteros consecrabantur, acceperunt patenam cum hostia, sed calicem sine vino et aqua, de cujus ordinationis valore multi merito dubitarunt. Ipse tamen episcopus, qui illam ordinationem celebraverat in Hispania, pertinaciter tuebatur non solum validam, sed certam fuisse, atque ideo non repetendam, pro qua assertatione opusculum edidit, cum esset doctissimus theologus, et ex aliis scriptis, quæ ediderat, ubique notissimus. Cui sententiæ favet Henriquez lib. X. cap. VI. num. 2. et valorem saltem fateri videntur Filliucius, Homobonus, et Bonacina, quos affert, et sequitur Diana, V. part. tract. IV. resol. 186. addens, non esse obligationem reiterandi ordinationem sub conditione. Postea tamen part. IV. tract. IV. *Miscell.* resolution. 119. hanc sententiam retractavit, et dixit, non fuisse valide ordinatos. Valorem tamen illum speculative probabilem esse, dixit Tannerus adductus ab eodem Diana in illo II. loco quartæ partis ; ego tamen, sicut et alii multi, censui esse omnino repetendam ordinationem illorum presbyterorum, sub conditione, prout de facto repetita fuit jussu eminentissimi cardinalis Sandovalii, tunc Toletani Archiepiscopi.

Ex illo tamen casu, et ex illa doctrina 3
arguitur bene ad casum nostrum. Si enim sacerdos valide ordinatur accipiendo unam partem materiæ requisitæ, nempe hostiam, licet non accepisset alteram, nempe vinum ; et hoc quia non potest dari potestas ad consecrandam unam speciem sine potestate ad consecrandam alteram, cum potestas sit una indivisibilis ad offerendum sacrificium, quod utriusque speciei oblationem includit ; idem dicendum videtur de subdiacono in casu nostro, in quo accepit ad minus patenam vacuam, per quam significatur potestas subdiaconi ad ministrandum in oblatione corporis Christi ; quæ potestas eadem est indivisibilis ad ministrandum in oblatione sanguinis Christi, et qui dat potestatem ad unum, dat potestatem ad alterum. Si ergo probabilis est valor sacerdotii collati per porrectionem hostiæ, et calicis vacui, probabilis etiam erit valor subdiaconatus collati per perrectionem patenæ vacuæ, et calicis pleni ; nec enim magis requiruntur instrumenta vacua in subdiaconatu, quam plena in sacerdotio.

Dixi tamen, ex doctrina illa de sacer- 4
dotio, probari hoc posse a fortiori a subdiaconatu ; quia multo magis videntur requiri vasa plena in sacerdotio, quam vacua in subdiaconatu ; quando enim deest vinum in calice, deest quidem aliquid, quod exigitur ex parte materiæ quæ debet esse utraque species consecranda : quando vero datur subdiacono calix plenus vino, nihil deest ex parte

materiæ requisitæ, sed abundat aliquid quod non exigitur, nempe vinum. Minus autem videtur nocere addito aliqua ultra materiam requisitam, dum tamen adsit tota materia : quam noceat defectus partialis materiæ, nam in secundo casu non adest tota materia : in primo autem adest tota, et aliquid aliud ultra materiam requisitam : potest enim intentio ministri ferri ad id solum quod est materia, et non ad alia, ut si sacerdoti proponantur decem hostiæ triticeæ, et una hordeacea, additio hujus non vitiat consecrationem aliarum decem, quia juxta vulgarem juris regulam, *utile per inutile non vitiatur* ; quod idem in materiis aliorum sacramentorum observare licebit. Cum ergo in casu nostro affuerint calix et patena, quæ est tota materia porrigenda subdiacono, additio vini non nocebit, cum vinum non fuerit appositum ut materia, sed per errorem, nec episcopus habuerit intentionem dandi illud pro materia, sed sola vasa sacra.

5 Confirmatur primo, quia in ordinatione ejusdem subdiaconi datur ei liber etiam epistolarum, quem aliqui dicunt esse materiam partialem necessariam : nec est in usu apud omnes, ut detur liber continens solas epistolas sine evangeliis, sicut nec quod diacono detur tangendus liber continens sola evangelia sine epistolis. Ecce ergo uterque tam diaconus, quam subdiaconus tangunt eumdem librum materialem : sed tamen ex diversa intentione episcopi porrigentis datur ille liber subdiacono, quatenus solum continet epistolas : diacono autem quatenus solum continet evangelia, licet uterque tangat librum continentem alia ultra solas epistolas, vel sola evangelia ; ergo similiter, licet subdiacono detur calix continens vinum, poterit ex intentione episcopi porrigentis limitari, ut solum intelligatur dari calix secundum se, ut contradistinctus a quolibet contento, et ut sic poterit esse materia legitima subdiaconatus, licet idem calix prout continens vinum, et aquam, sit materia presbyteratus.

Confirmatur secundo, quia, si quando 6
calix ille porrigendus est subdiaconis, magister cæremoniarum animadverteret esse intus vinum, et idcirco vinum effunderet, nemo dubitaret de validitate ordinationis ; et tamen certum videtur quod ex vino recenter effuso remanerent aliquæ guttæ adhærentes calici, quæ possent esse materia consecrationis, et sufficerent in rigore ad ordinationem presbyteri, si calix cum illis guttis ei porrigeretur. Parum autem videtur referre, quod calix plus vel minus vini contineat : videtur enim esse differentia secundum magis et minus. Idem est si in paterna remansisset adhærens aliqua levissima particula hostiæ non consecratæ, quæ antea super patenam fuerat. Non ergo vitiatur valor subdiaconatus ex eo quod calix, vel patena habeat in se aliquid panis, vel vini cum adhuc intentio porrigentis possit præscindere a contento, et intendere dare solum calicem, et patenam secundum se ad significandum ministerium quod subdiacono traditur.

Unde ad rationem dubitandi initio pro- 7
positam responderi facile potest, in primis licet vacuitas instrumentorum exigeretur ad significandum ministerium quod subdiacono traditur, id sufficienter significari per patenam vacuam, sicut probabile est dari sufficienter sacerdotium per porrectionem solius hostiæ sine vino : deinde negari potest, requiri vacuitatem illam ad rationem materiæ. Sufficit, quod sola vasa intendatur dari sine materia in iis contenta ; sicut liber missalis datus eidem subdiacono significat potentiam cantandi solas epistolas, et non evangelia, licet evangelia etiam in libro eodem contineantur. Neque enim significat episcopus, quod ordinandus non accipiat potestatem ad alia (quia posset simul valide ordinari aliquis in subdiaconum, et diaconum accipiendo simul utriusque ordinis materiam), sed solum significat, se per porrectionem

calicis et patenæ, quia sola vasa, et non materiam in iis contentam dare intendit, non dare illi nisi potestatem ad ministerium subdiaconatus. Vacuitas ergo in vasibus non est pars materiæ necessariæ ad valorem, sed aliquid necessarium ex præcepto, ut melius significetur diminutio potestatis, quam subdiaconus accipit in sua ordinatione, atque ideo ex defectu solius vacuitatis non est arguendus defectus ordinationis validæ, sed licitæ, si culpabiliter defectus ille contingat.

## DUBIUM XXXI.

*De Hermaphrodito, an si post ordinationem validam, incipiat in eo prævalere sexus femineus, possit valide celebrare?*

1 Suppono, hermaphroditum, si in eo prævaleat sexus femineus, reputari feminam, atque adeo non posse valide recipere ordines, nec profiteri in ordine religioso virorum, nec ducere uxorem, sicut non posset quælibet alia femina. Si vero prævaleat in eo sexus virilis, reputari masculum, atque adeo non posse valide profiteri in monasterio monialium, nec nubere viro : posse autem valide profiteri in monasterio monialium, nec nubere viro : posse autem valide suscipere ordines, quamvis non licite, propter irregularitatem jure positivo impositam. Denique, si neuter sexus prævaleat, sed uterque æqualis appareat post probationes, et medicorum, aut matronarum peritarum testimonia, debet ipse decernere, quo sexu uti velit, et juramento promittere, se altero sexu non usurum, et tunc poterit juxta sexum a se electum matrimonium contrahere, non tamen poterit ordines valide recipere, quia vere est femina, atque adeo ordinationis incapax. Quod etiam ad professionem in religione sive virorum, sive feminarum extendunt doctores, ut illa etiam invalida sit : quæ omnia videri possunt apud Tho. Sanch. lib. VII. *de matrim.* disput. CVI. et libr. VII. *cons. moral.* cap. 1. dub. XXXI. qui auctores refert, et rationibus hæc omnia confirmat.

2 Suppono secundo, si femina profiteatur in conventu monialium, et postea erumpente sexu virili, evadat vir, aliquos voluisse, perseverare adhuc obligationem possessionis, atque ideo cogendam esse ut ingrediatur monasterium virorum ; alii tamen melius dixerunt in casu occurrente, professionem non durare, quia nec ex parte profitentis, nec ex parte prælati acceptantis professionem, fuit alia intentio, nisi ad professionem monialium, cujus incapax est, atque ideo ex incapacitate subjecti cessat professio præterita, atque ita in praxi observatum esse testantur doctores, qui hanc sententiam amplexi sunt, quos refert, et sequitur Diana p. v. tr. XIV. *Miscell.* res. 49.

3 Suppono tertio casum quæstionis fortasse non esse naturaliter possibilem : quamvis enim contingat aliquendo, feminam, erumpente sexu virili, transire in virum, prout nostra etiam ætate aliquoties vidimus contigisse duabus monialibus ; nunquam tamen vir transiit in feminam, nec id fieri posse affirmant medici : Quod si id ita est, poterit cum eadem rationis proportione credi, quod quamvis hermaphroditus, in quod prævalebat sexus femineus, possit tempore subsequenti perfici in virili sexu, ita ut non jam femineus, sed virilis potius sexus in eo prævaleat : non tamen e contra, si in eo virilis sexus prævaleat, poterit naturaliter contingere, quod postea incipiat femineus sexus prævalere. Nam, sicut non potest vir in feminam evadere, ita nec qui prævalente postea sexu femineo, femina censeri ; quia sicut se habet simpliciter, ita magis ad magis. Quæstio tamen procedere potest ex suppositione, quod mutatio illa fieret,

sive sit possibilis, sive impossibilis, an tunc hermaphroditus maneret adhuc sacerdos habilis ad valide consecrandum, et absolvendum, etc.

4 His positis, consequenter in quæstione proposita dicendum videtur, hermaphroditum illum valide antea ordinatum, quando virilis sexus in eo prævalebat, prevalente postea sexu femineo, retinere quidem illum characterem sacerdotalem animæ impressum, non tamen posse valide consecrare, vel absolvere. Et quidem quod character adhuc remaneat, probari facile potest, quia cum hic non sit qualitas materialis, sed spiritualis animæ impressa, et suapte natura indelebilis, ut suppono ex tractatu *de Sacramentis in genere*, manente eadem prorsus anima in illo composito, non deberet deleri character sacerdotalis, sicut nec deleretur character baptismi, vel confirmationis, quod a fortiori explicari potest posito alio casu naturaliter quidem impossibili, non tamen supernaturaliter, et miraculose. Si Deus, v. g. animam viri christiani, et sacerdotis transferret in corpus feminæ non baptizatæ et infidelis ; et e contra, animam hujus feminæ transferret in corpus illius sacerdotis : tunc enim compositum humanum resultans ex corpore fominæ et anima sacerdotis esset quidem femina, cum corpus esset femineum, anima tamen retineret gratiam et characterem baptismi accepti in corpore priori, et characterem etiam sacerdotalem ; sed non posset femina illa consecrare, cum femina sit incapax ejusmodi functionis, imo nec in rigore femina illa esset baptizata, cum ejus corpus nunquam fuisset ablutum aqua baptismi, sed deberet denuo baptizari ; sicut e contra compositum alterum resultans ex corpore sacerdotis, et anima feminæ infidelis, licet esset vir, non tamen esset sacerdos, nec baptizatus, cum anima neutrum characterem haberet. Nec obstat ex characteris impressione argui tria illa sacramenta, quæ illum imprimunt, non posse reiterari, nam fatemur id de facto bene probari, et in ordine ad idem subjectum. Nunc autem loquimur ex hypothesi impossibili, in qua baptismus non esset reiterandus in eodem, sed in diverso composito humano : unde nec illa est proprie reiteratio baptismi, cum ille homo nunquam fuisset baptizatus. Vides ergo, in hoc casu non sufficere characterem sacerdotalem in anima impressum, et perseverantem ad hoc ut compositum illud esset sacerdos, vel posset valide celebrare propter impedimentum proveniens ex incapacitate sexus feminei. Similiter ergo in casu nostro, licet anima hermaphroditi retineret characterem sacerdotalem ; non tamen posset pro eo statu valide sacerdotii actus exercere propter impedimentum proveniens ex femineo sexu prævalente jam in illo composito ; eadem enim videtur esse ratio quoad hoc in utroque casu.

5 Neque obstat, manere characterem, qui est signum potestatis sacerdotalis : nam etiam in anima separata manet idem character, qui quidem in statu illo adhuc est signum potestatis, non tamen potestatis exercendæ in illo statu, sed potestatis acceptæ ad actus exercendos in illo corpore, in quo erat anima, quando accepit illam potestatem. Sic ergo in casu nostro maneret adhuc in anima hermaphroditi character sacerdotalis, qui esset signum potestatis acceptæ ad actus sacerdotales valide exercendos in corpore, et sexu illo, quem habebat homo, quando potestatem accepit non in alio corpore, vel sexu diverso.

6 Unde obiter infero, si hermaphroditus, in quo prævalebat sexus virilis, matrimonium contraxisset cum femina, et postea per possibile, vel impossibile inciperet in eo prævalere sexus femineus, in quo statu non potuisset denuo matrimonium cum femina contrahere, consequenter dicendum, quod matrimonium dissolveretur, quia sicut non potuisset incipere, ita nec posset consistere verum matrimonium inter duas feminas, qui

casus facilius posset contingere, si hermaphroditus, in quo prævalebat sexus femineus, contraxisset matrimoninm cum viro, et postea inciperet in ipso prævalere sexus virilis, sicut in aliquibus feminis erumpit postea sexus virilis : tunc enim procul dubio dissolveretur prius matrimonium, eo quod non posset jam verum matrimonium, consistere inter duos viros, quem casum miror apud Thomam Sanchez prætermissum fuisse in magno illo suo opere de matrimonio, ego saltem id invenire non potui, ubi de impedimentis agit, et ubi agit de matrimonii insolubilitate, ad quem locum pertinet hæc exceptio singularis continens casum, quo matrimonium ratum et consummatum dissolvitur etiam quoad vinculum, et id obiter pro comperto supposuit Basilius Pontius lib. VII. *de matrim.* cap. LVII. num. 2. Quare consequenter etiam dicendum esset, si post dissolutum hac occasione matrimonium, hermaphroditus, vel femina illa, quæ transierat in virum, rediret per possibile vel impossibile ad sexum femineum, non ideo debere convalescere prius matrimonium, quod cum jam fuisset omnino dissolutum, non posset stare, nisi denuo celebraretur, et sæpe contingeret quod prior maritus cum alia jam legitime contraxisset, quod secundum matrimonium, cum validum fuisset et consummatum, non posset dissolvi per reditum prioris uxoris ad sexum femineum, ut constat.

7 Non tamen ideo cogimur, concedere id quod Basilius Pontius loco citato ex casu nostro, quem pro comperto supponit, probare intendit, nempe posse consistere verum matrimonium celebratum inter conjuges habentes impedimentum impotentiæ perpetuæ etiam antecedenter ad celebrationem matrimonii, dum tamen non intendant contrahere in ordine ad copulam, sed solum in ordine ad conjunctionem conjugalem animorum, quod auctor ille probare intendit ex casu nostro, quia si jure naturæ vir impotens esset incapax contrahendi matrimonii, sequeretur, quod etiamsi ea impotentia perpetua adveniret post contractum matrimonium, deberet eo ipso dissolvi : quod tamen constat esse falsum : sequelam vero probat, quia, sicut mutato sexu uxoris in sexum virilem ; eo ipso matrimonium antea celebratum dissolvitur, eo quod materia illius Sacramenti sint corpora virile, et femineum, et ablata materia, non potest manere Sacramentum, ita, si de jure naturæ materia sacramenti sint corpora habilia ad copulam, cessante hac habilitate per impotentiam perpetuam superveniente, deberet perire matrimonium ob defectum materiæ necessariæ, vel fatendum est, posse consistere verum matrimonium de jure naturæ sine illa potentia conjugum, si solum celebraretur in ordine ad conjunctionem conjugalem animorum.

Sed quidquid sit de veritate illius doctrinæ, de qua nunc non est necesse disputare, quia non requiritur ad casum nostrum : dicimus non cogere decisionem nostri casus ad concedendum illud de valore possibili matrimonii inter impotentes : differentia autem assignari debet ab eodem etiam auctore, nam ipse concedit, licet inter impotentes fieri possit matrimonium validum in ordine ad conjunctionem solam conjugalem animorum, non tamen posse fieri matrimonium valide in ordine ad copulam, sed hoc matrimonium irritum esset jure naturæ. Peto ergo ab ipso, cur si impotentia perpetua adveniat post matrimonium in ordine ad copulam contractum, non dissolvitur matrimonium quod cum tali impotentia contrahi non potuisset : sicut adveniente sexus mutatione, dissolvitur matrimonium, quod a principio cum persona talis sexus contrahi non potuisset ? Debet ergo ipse fateri non valere argumentum a defectu in sexu ad alia impedimenta, nam alia, si adveniant post contractum matrimonium, neutiquam illud dissolvunt. Unitas autem in 8

sexu, quocumque tempore adveniat, impedit, et dissolvit etiam matrimonium contractum in ordine ad copulam conjugalem ; similiter ergo dici posset, licet adveniente impotentia post contractum quodlibet matrimonium, illud non dissolvatur, dissolvi tamen matrimonium, quodcumque illud sit, adveniente sexus mutatione. Ab omnibus enim concedi debet, non esse eumdem matrimonii respectum ad copulam, et ad sexum : nam copula attenditur solum ut objectum quod promittitur, et ad quod conjuges dant sibi ad invicem jus : sexus autem respicitur, non ut objectum, sed ut subjectum quod traditur : nam vir tradit uxori virum, et uxor tradit viro uxorem. Quare sicut mortua uxore, dissolvitur matrimonium, sic deficiente uxore in ratione uxoris, et altero sexu ita ut jam non sit uxor debet etiam ipso facto dissolvi, cum non possit matrimonium consistere, nisi inter maritum et uxorem ; neque enim potest matrimonium permanere, nisi inter duos conjuges, nec potest esse conjux, nisi qui sit maritus, vel uxor : non potest autem amplius esse uxor, quæ jam non est femina, sed vir. Deficit ergo tunc matrimonium ex defectu subjecti, quia non sunt amplius maritus et uxor, inter quos solos et in quibus debet persistere matrimonium. Adveniente autem impotentia, solum deficit objectum matrimonii, quod ad suî valorem exigit solum objectum, quando celebratur ; si enim tunc copula est possibilis, jam tunc promissio valida est, cum sit de re possibili. Quod autem postea copula reddatur impossibilis, non tollit quod aliquid possibile promissum fuerit, quod sufficit ut promissio valida fuerit, et generaverit vinculum quod maneat etiam adveniente impotentia ad rem promissam ; non enim est frustra vinculum, quod aliquando habuit, vel habere potuit suum actum principalem, præsertim cum adhuc obliget ad servandam fidem conjugii, ita ut quilibet actus externus, imo et consensus interni impudici participent malitiam adulterii, eo quod perseveret adhuc vinculum conjugii inter veros conjuges.

Denique quod dictum est de matrimonio, dicendum est cum proportione de professione religiosa, quæ eodem modo dissolvetur et extinguetur, si ea quæ femina erat et professionem fecerat in conventu monialium, transeat in sexum virilem, aut si per possibile, vel impossibile qui professus fuerat in conventu virorum, transeat in sexum femineum : nam eadem est ratio in utroque casu, cum tam requirat professio monialis sexum femineum in fieri et in conservari, quam matrimonium uxoris exigit eumdem sexum, ut fiat vel perseveret uxor, quod idem est de sexu virili, ad hoc ut aliquis perseveret monachus, vel frater ordinis, v. gr. mendicantium. 9

## DUBIUM XXXII.

*An episcopus suffraganeus possit cum licentia episcopi nondum revocata post ejus mortem exercere pontificalia sede vacante ?*

Episcopo Vilnensi datus fuit episcopus suffraganeus a summo Pontifice, qui in suo diplomate ad eumdem suffraganeum directo, sic loquitur. « Concedimus tibi facultatem pontificalia officia in civitate, ac diœcesi Vilnensi de expresso venerabilis moderni, et tempore existentis episcopi Vilnensis consensu, et speciali licentia exercendi, » et rursus postea : « teque in suffraganeum dicti moderni, et pro tempore existentis episcopi Vilnensis constituimus : » et inferius addit : « et ut omnia et singula ad ejusmodi suffraganeatus officium quomodolibet modo pertinentia in ecclesia, civitate, ac diœcesi Vilnensi, facere, exercere, et conferre possis, dicti moderni et pro tempore existentis episcopi Vilnensis ad id expresso 1

accedente consensu, facultatem damus. » Postea episcopus Vilnensis suffraganeum illum admisit, eique facultatem dedit exercendi quidquid ipsemet posset, qua facultate suffraganeus usus est vivente episcopo : ipso autem mortuo, dubitavit, an ex vi illius facultatis a capitulo non revocatæ posset adhuc exercere pontificalia, et ordines conferre habentibus litteras dimissorias legitimas suorum prælatorum, præsertim, si capitulum id videat, et non contradicat ? An vero necesse sit petere denuo expressum capituli consensum ? quod idem quæritur respectu episcopi successoris, an oporteat ab eo novum expressum consensum obtinere ; an vero sufficiat facultas prædecessoris, quandiu a successore non revocatur ?

2 Huic dubio posset facile responderi ex doctrina, quam ex Emmanuele Themudo, et Portelio affert P. Diana p. VIII. tract. IV. *de potestate Capituli Sede vacante*, res. 72. quæ docet, capitulo non revocante licentiam datam ab episcopo defuncto, posse adhuc episcopum hospitem, qui illam habet ad exercenda pontificalia, et ordines conferendos, ea exercere, et ordines conferre religiosis sine nova licentia capituli, quod clarius, inquit, procedit in episcopo titulari, quam in episcopo hospite, quia cum episcopus titularis non habeat propriam diœcesim in actu, ista certo modo est sua diœcesis, quia in ea moratur, in qua creatus fuit, et constitutus ad pontificalia exercenda, et ita conferendo ordines regularibus, sede vacante, et sine capituli licentia ; cum licentia tamen episcopi mortui, quæ etiam durat, non poterit dici quod pontificalia exercet in aliena diœcesi sine licentia. Ex qua doctrina videbatur ad nostrum quæsitum omnino respondendum, non esse necessariam novam capituli licentiam.

Ego tamen, cum dictus suffraganeus suis litteris me de hoc consuluisset, rem totam detuli sacræ congregationi eminentissimorum cardinalium Tridentini concilii interpretum, cum totum penderet ex intelligentia dicti decreti Trid. sess. VI. c. V. *de reform.* ubi cavetur, quod « Nulli episcopo liceat cujusvis privilegii prætextu pontificalia in alterius diœcesi exercere, nisi de ordinarii loci expressa licentia, » præsertim cum nomine *Ordinarii loci*, intelligatur etiam ibi capitulum, sede vacante, ut sepius responsum fuit in eadem sacra congregatione, et habetur in responsis impressis et manuscriptis, quæ apud me sunt. In hoc casu eminentissimi cardinales postquam semel, et iterum de re tota cogitarunt, responderunt die 22. Febr. anno 1631. his verbis : « Sacra congregatio concil. Trident. censuit, secundum ea, quæ proponuntur, prædictum suffraganeum non posse.

R. Card. Ulbadinus.

Francisc. Paulucius Sacr. Cong. Secr.

Huic responsioni obstare videtur doctrina communis, quod licentiæ et facultates a præcessore sine limitatione concessæ durant post mortem concedentis, donec a successore revocentur, quam communem doctrinam late explicat, et probat Thomas Sanchez lib. VIII. de matr. disp. XXVIII. num. 72. et alii, quos retuli, et quibus consensi disp. XIX. de pœnit. sect. II. num. 37. et seqq. Unde inferri videtur, quod licentia etiam episcopi Vilnensis, saltem quandiu a capitulo, vel successore non revocatur, sufficiat ad exercenda pontificalia post ejus mortem, sicut in aliis casibus sufficit.

Potuit tamen sacra congregatio in hoc 3
casu specialem rationem invenire, ut juxta communem regulam in eo non responderet ; quia nimirum ratio ob quam Tridentinum concilium prohibuit alienis episcopis pontificalium usum sine consensu et licentia expressa Ordinarii loci, fuit reverentia debita episcopo in sua diœcesi, cui opponi videtur, si alius, eo non annuente, se ut episcopum gerat et episcopalia munera exerceat. Sicut si hospes in aliena domo ut dominum se gerat sine domini consensu. Ideo enim ipse etiam episcopus in propria ecclesia prohibetur benedicere, præsente legato a la-

tere, quia id contra reverentiam legato debitam esse videtur. Imo et cardinales ipsi, quando cardinalem alium domi suæ excipiunt, non audent coram ipso dominos se ostendere, et imperiosis uti verbis, sed id totum hospiti deferunt, quia reverentia et honor id exigit, ut coram majori, vel saltem coram eo, quem ut majorem colere volumus, non assumamus nobis ea munera, quæ ad majorem ex usu et ex natura rei spectare videntur. Hæc ergo est ratio prohibendi pontificalium exercitium episcopo hospiti in aliena dœcesi, ne videatur sibi in aliena domo assumere ea, quæ propria sunt domini, seu pastoris proprii : unde nec archiepiscopi extra sua loca pallio uti possunt, nec cardinales ipsi Romæ celebrantes coram summo pontifice baculo pastorali utuntur, quia hæc omnia signa sunt potestatis et dominii. Ut ergo hæc irreverentiæ nota omnino vitetur, necessaria est licentia et consensus episcopi præsentis ; reverentia enim non debetur jam episcopo mortuo, sed præsenti, nec fieret contra reverentiam episcopo mortuo debitam exercendo pontificalia, sed contra reverentiam debitam episcopo præsenti, cujus consensus exigitur, ut debitus honor observetur. Sicut in exemplo supra adducto, quantumvis Titius tibi permisisset, ut domi suæ te ut dominum gereres, et faceres quæ sine domini reverentia fieri non possunt ; si tamen domus illa independenter a Titio ad alium dominum transiret, non posses sine consensu novi domini licentiam illam tibi assumere ; hoc enim esset procul dubio contra novi domini reverentiam, quia honor et cultus est aliquid personale, et respicit hanc personam in particulari : nec episcopus prædecessor potest tibi dare facultatem, ut cum ejus successoribus familiariter, et sine titulis honorificis agas, quamvis posset hoc facile tibi permittere in ordine ad suam personam. Sicut ergo rogatus ab episcopo ut ei capite aperto non assistas, nec dominationis illustrissimæ, v. g. titulo cum eo utaris, poteris id facere cum eo vivente, non tamen cum ejus successore, quantumcumque amplam tibi facultatem prædecessor dedisset ; quia nimirum hæc pertinent ad reverentiam personalem successori debitam, quam prædecessor ei auferre non potuit : ita nec potuit prædecessor concedere episcopo hospiti facultatem exercendi pontificalia sine consensu successoris, quia abstinere ab usu pontificalium in domo, et ecclesia alieni pastoris, pertinet similiter ad reverentiam personalem debitam successori. Denique cum capitulum sede vacante succedat in jurisdictione et potestate episcopali, merito congregatio censuit, capituli etiam eo tempore consensum requiri ad exercenda pontificalia, quia fieret contra reverentiam capitulo eo tempore debitam, si in ejus diœcesi sine ejus consensu episcopus hospes, ut proprius pastor se gereret, et munera pastoralia sibi usurparet.

## DUBIUM XXXIII.

*Utrum sacerdos qui non tetigit calicem, et patenam, dum forma proferebatur, sed immediate post, debeat, vel possit iterum sub conditione ordinari ?*

Titius, dum accederet ad sacerdotium accipiendum, prohibitus fuit a magistro cæremoniarum parum sui muneris perito, ne tangeret calicem et patenam, dum episcopus verba illa formæ proferebat : *Accipite potestatem*, etc. sed immediate post formam totam prolatam jussus fuit tangere ; dubitavit postea de valore et securitate suæ ordinationis, et an posset, vel deberet iterum sub conditione ordinari. 1

Videtur autem difficile, quod in prædicto casu repeti possit ordinatio, cum communis theologorum sententia non exigat simultatem mathematicam, sed moralem inter materiam et formam sa-

cramenti, ut docent Henr. lib. I. *de Sacram. in genere* c. IX. n. 10. Laym. Villalob. Victoria, Suar. et alii, quos affert et sequitur Diana p. III. tr. IV. *de Sacr.* res. 6. Nec contraria sententia videtur probabilitatem habere, cum non sit sufficiens fundamentum ad simultatem illam mathematicam exigendam ; imo in collatione diaconatus, et subdiaconatus de facto id non observatur, sed prolata ab episcopo forma in numero plurali pro omnibus ordinantis, singuli successive tangunt librum, vel instrumenta : cur ergo idem in collatione sacerdotii fieri non posset, ut episcopus omnibus diceret : *Accipite potestatem etc.* et postea singuli successive materiam tangerent, vel si numerus ordinandorum magnus fortasse esset ; eamdem formam episcopus ter, vel quater per interruptas morulas repeteret, ne nimis distaret prolatio formæ a contactu materiæ ? Scio, aliquando episcopum aliquem id ita fecisse, et si bene memini P. Luisius ab Alcazar, doctissimus in Apocalypsim interpres, narravit mihi, se ita de facto sacerdotem fuisse ordinatum, nec potuisse episcopum adduci, ut iterum sub conditione formam repeteret et materiam porrigeret, constanter asseverans, id sine ullo prorsus fundamento, exigi. Quare in casu a nobis adducto a fortiori idem dicendum esset, in quo multo major simultas intercessit, et ideo multi episcopi rogati ab eodem Titio, ut sub conditione iterum eum ordinarent, constanter id recusarunt, non audentes ob levissimum illum scrupulum sacram ordinationem etiam sub conditione reiterare.

3 Ego in prædicto casu dixi, Titium potuisse in prima ordinatione quiescere absque ulla reiteratione, etiam conditionata ; non tamen peccaturum, si ad majorem sui animi quietem iterum sub conditione ordinaretur, quod etiam episcopus poterat licite in ejus gratiam facere. Ut vero fundamentum hujus responsi intelligatur, recolenda sunt quæ dixi disp. VII. de *pœnitentia*, sect. XIII. n. 273 et seqq. ubi ostendi obligationem quidem esse repetendi sub conditione sacramentum baptismi, et ordinis sacerdotalis, vel episcopalis, propter maxima inconvenientia et damna, quæ ex invaliditate horum sacramentorum sequerentur, quoties dubius est valor, vel quoties probabilis, sententia dicit, non fuisse valida. Id tamen non procedere, quando sententia negans valorem non æstimatur probabilis quamvis sit probabilis sententia affirmans obligationem reiterandi sacramentum ; sunt enim diversæ quæstiones, an sit validus, v. gr. baptismus totaliter collatus : et an sit postea sub conditione repetendus, et contingere potest non esse probabilem sententium negantem valorem ; et tamen probabilem esse sententiam affirmantem obligationem reiterandi baptismum sub conditione. Quando ergo probabilitas versatur circa defectum valoris, fatemur, esse obligationem repetendi baptismum : quando vero probabilitas solum versatur circa obligationem repetendi, tunc non semper tenetur homo sacramentum repetere, sed potest amplecti opinionem contrariam probabilem, negantem illam obligationem, quia sicut in aliis omnibus materiis practicis, sic etiam in obligatione repetendi sacramentum possumus amplecti judicium probabile doctorum dicentium, in eo casu non esse talem obligationem, quamvis alii probabiliter dicant esse, quia probabilitas hæc non versatur circa valorem, sed circa licitum, et judicium practicum, dictans hic et nunc posse licite non repeti sacramentum, quod judicium probabile practicum, et ultimum in omni materia possumus licite amplecti, ut explicavi loco citato.

Hinc autem ad casum nostrum applicando prædictam doctrinam, dixi, posse Titium non repetere ordinationem ; quia sententia docens, primam ordinationem non esse validam, quamvis habeat pro se nonnullos auctores : antiquos est tamen jam adeo derelicta, ut videatur antiquata et omni probabilitate carere. Quare graves theologi non solum dicunt, 4

eam esse falsam, sed addunt non esse obligationem practicam reiterandi sacramentum ita susceptum, ita enim docent Sotus in IV. dist. III. q. unica, art. 8. et Henriquez lib. I. *de Sacramentis* cap. IX. §. 10. qui, quamvis loquantur de sacramento baptismi, eadem tamen est ratio de sacramento ordinis, cum non minus, sed majus sit periculum ex invaliditate baptismi quam ordinis, qui certe sine baptismo valido præcedente validus esse non potest. Cum itaque hi auctores non solum dicant ordinationem illam validam esse, sed etiam doceant non esse obligationem practicam reiterandi etiam sub conditione sacramentum, potuit licite sacerdos ita ordinatus amplecti opinionem probabilem horum doctorum, et formare sibi judicium practicum, quo judicet se posse licite persistere in prima ordinatione sine ulla illius iteratione, etiam conditionata ; hoc enim judicium non versatur circa validum, sed circa licitum : et quamvis in baptismo, sacerdotio, et episcopatu non possimus amplecti opiniones probabiles circa valorem, propter maximam necessitatem valoris certi in his sacramentis, sed debemus amplecti opiniones magis tutas, etiamsi sint minus probabiles ; quando tamen probabilitas versatur circa licitum, regula generalis est absque ulla exceptione, quod possumus amplecti in praxi opiniones probabiles, et sufficere judicium ultimum probabile, quo judico probabiliter, me hic et nunc nullam habere obligationem, quale judicium sacerdos ille potest habere saltem per principia extrinseca, et sentire cum prædictis doctoribus, sententiam contrariam negantem valorem dictæ ordinationis, non esse talem, ut reddat ordinationem dubiam, moraliter loquendo. Neque enim ad dubium morale ordinationis sufficit quod aliqui auctores dixerint, illam non esse validam ; si tamen constet eos absque fundamento sufficienti id dixisse. Alioquin si aliquis non acceptis ordinibus minoribus accepisset ordines sacros, et sacerdotium, deberet iterum saltem sub conditione ordinari sacerdos, nec sufficeret accipere ordines minores omissos : quia non defuerunt auctores, qui negarunt tunc valide sacerdotium conferri, quorum meminit Cardin. Toletus in *Summa* lib. I. cap. L. paulo ante finem. Consequens autem est omnino absurdum : quis enim dicat sacerdotium collatum ante diaconatum validum esse, ut constat ex titulo *de clerico per saltum promoto ;* non tamen esse validum, si conferatur ante ordines minores ? sic ergo in casu nostro, quamvis aliqui negaverint, valide conferri sacerdotium sine mathematica simultate prolationis formæ, et contractus materiæ ; potest tamen probabiliter judicari, assertionem illam ita esse destitutam fundamento sufficienti, ut in praxi non reddat dubiam ordinationem, nec inducat obligationem reiterandi, prout auctores citati judicarunt et docuerunt.

Addidi tamen, potuisse Titium ad majorem suæ mentis quietem iterum sub conditione ordinari, nec peccaturum episcopum, qui positis aliis requisitis id in ejus gratiam præstaret. Hæc autem assertio eodem fere modo probari potest, quo præcedentem probavimus : quia nimirum, quamvis probabile sit non esse obligationem tunc iterandi ordinationem, ut vidimus : probabile tamen videtur saltem per principia extrinseca, posse eam sub conditione reiterari. Nam valorem primæ ordinationis negarunt Cajet. *opusculorum* tom. I. tra. XXVI. *de collatione Ordinis.* Sotus in IV. dist. VI. qu. 2. art. 3. Richard. dist. III. art. IV. q. 2. Navarr. in *Summa* ca. XXII. nu. 17. Zambran. etiam *de casibus occurrentibus tempore mortis,* capit. I. dub. II. dicto 2. quem affert Diana pu. III. tract. IV. *de Sacramentis,* resol. 6. ubi licet contrariam sententiam sequatur ; illam tamen solum vocat probabiliorem. Unde P. Jacobus Granado in III. controv. IX. *de Sacramentis,* tract. I. disp. 6. dicit, posse in prædicto casu reiterari sub conditione sacramentum, imo addit, probabile esse quod sit obligatio illud reiterandi, quæ omnia procul dubio lici-

5

tam reddunt ad minus reiterationem saltem per principia extrinseca ex auctoritate horum doctorum, quorum aliqui licet loquantur de baptismo, jam tamen diximus eamdem esse rationem de ordine : et quamvis hi doctores non reddant probabilem sententiam negantem valorem illius ordinationis ; reddunt tamen probabiliter licitam illius reiterationem conditionatam, quia, sicut diximus judicium illud dictans probabiliter saltem per principia extrinseca, non esse hic et nunc obligationem reiterandi ordinationem, sufficere, ut possit quis licet eam non reiterare, cum in illa omissione amplectatur sententiam probabilem de omissione licita : ita e contra dicendum videtur, ut possit quis licite ordinationem sub conditione reiterare, sufficere aliud judicium practicum, dictans probabiliter saltem per principia extrinseca, posse licite reiterari, quod sufficiet ut aliquis possit licite amplecti practice illud judicium, et reiteraresub conditione ordinationem : nam in utroque casu operatur prudenter amplectens sententiam et judicium ultimum probabile dictans, esse licitum hic et nunc reiterare, vel omittere ordinationem, quæ probabilitas non versatur circa valorem primæ ordinationis, nam si illa judicaretur solum probabiliter valida, deberet sub conditione repeti, sed versatur circa licitam reiterationem, vel omissionem reiterationis, cum una sententia probabilis dicat, hic et nunc posse, altera non debere repeti ordinationem.

## DUBIUM XXXIV.

*Utrum ordines minores conferri possint in quocumque festo duplici, etiamsi non sit festivus ex præcepto.*

1 Ratio dubitandi oritur ex verbis Pontificalis Romani, ubi in tit. *de Ordinibus conferendis*, dicitur in rubrica : « Minores vero ordines possunt dari singulis dominicis, et festivis diebus duplicibus, ubicumque in mane tamen. » Quæ verba aliqui intelligunt de diebus quibuscumque, in quibus fiat officium duplex, etiamsi non sit festum quo ex præcepto populus debeat a servilibus operibus vacare ; quia illa etiam dies in rubricis missalis et breviarii vocatur *festum duplex*. Ita novissime tenet Diana p. V. tra. XIII. resol. 97. qui affert pro eadem sententia Homobonum de Bonis in *respons. casuum conscientiæ* volum. 2. p. 5. respons. 207. Tannerum to. IV. disp. VII. quæ. III. dub. 2. num. 44. et Franciscum Hallier. *de sacris Ordinibus* pun. II. sect. VII. cap. I. art. num. 2. Favet etiam Emman. Rodriquez tom. III. quæst. *regul.* q. XXIII. art. v. in fine, licet non satis clare loquatur. Clarius loquitur Fagundez *de præceptis Ecclesiæ*, præcepto I. l. I. num. 15. qui similia verba ita etiam applicat, et in nostris terminis Joannes Præpositus in III. p. quæ. unica, *de Sacramento Ordinis* dub. XV. num. 150.

Ego in ea fui semper sententia, ut festivi dies ibi intelligi deberent ii soli, qui ex præcepto servari deberent, quod etiam tenent Naldus in *Summa* verb. *Ordo* num. 15. Barbosa *de potestate episcopi* pu. I. alleg. XI. nu. 22. et in *Collectan. ad jus canon.* tom. I. l. I. tit. XI. cap. 3. num. 5. Azor. II. p. lib. I. c. 27. quæst. ultimo, et alii multi, quos refert Diana dicta resol. 97. Ratio autem esse potest, quia in vulgari significatione et locutione, *festi* nomine intelligitur dies, in quo ab operibus servilibus vacandum est, ut constat ex toto titulo *de feriis*. Unde quando in concilio Tridentino sess. XXIV. ca. 1. *de reform. matrimonii*, præcipitur, ut denuntiationes fiant publice in ecclesia tribus diebus festivis, antequam matrimonium celebretur, semper intelligitur de tribus diebus festivis ex præcepto, ut declaratum fuit in concilio provinciali Mediolan. teste Diana ubi supra, et notat Basilius Pontius lib. V. *de matrimonio*, cap. XXX. num. 7. Et quidem in 2

ejusmodi locutionibus debere ita intelligi nomen *festi*, vel *diei festivi*, probari potest, quia, licet in ordine ad ritum recitandi officium, et in rubricis breviarii *festum* soleat latius accipi, et comprehendere etiam dies in quibus non sit præceptum abstinendi ab opere servili; in dicto tamen decreto concilii Tridentini, et aliis similibus non posset sine magno absurdo intelligi in ea lata significatione. Nam in breviario, et in missali nomine *festi* appellantur non solum dies quando fit officium duplex, sed etiam quando fit officium semiduplex, imo etiam simplex alicujus Sancti. Unde passim in missali apponitur missa cum eo titulo, *in festo sancti N.* etiam quando officium fit de sancto simplici. Nemo tamen dicet, in Tridentino, et aliis decretis similibus nomine *diei festivi*, intelligi quamlibet diem, qua fiat officium de sancto etiam simplici. Non ergo accipitur *festi* nomen ibi juxta rubricas missalis, aut breviarii, sed juxta vulgarem, imo juxta juridicam significationem. Nam in breviario pleno ore appellatur *festum* quando fit officium de sancto simplici, ut constat ex rubrica 3. quæ est *de Officio simplici*, ubi num. 1. dicitur fieri officium simplex in festis, quibus in kalendario non apponitur hæc vox *duplex*, vel *semiduplex*, et num. 1. dicitur *de festo simplici, fit eo die quo cadit.* Unde advertendum est discrimen magnum, quo hæc vox *festum*, usurpatur in rubricis missalis, vel breviarii, et in jure : nam in dictis rubricis nomen *festi* accipitur, ut contradistinguitur a diebus ferialibus, seu a feriis : in jure autem feriæ intelliguntur esse dies festivi, in quibus scilicet feriandum est, et vacandum ab operibus laboriosis, ut constat ex toto titulo *de feriis*. Quando ergo in jure reperitur nomen *festi*, non est intelligendum prout in rubricis, sed prout in ipso jure usurpari consuevit.

3 Quia tamen obstinati erant in priori opinione defendenda, quam saltem in praxi, probabilem et tutam putabant; ideo jussu fel. record. Urbani VIII. in nova recognitione, et correctione pontificalis Romani, in titulo *de Ordinibus conferendis*, expresse additum fuit, ordines minores conferri posse omnibus Dominicis, et diebus festivis *ex præcepto*, ut nemo amplius posset prætendere ibi etiam comprehendi dies, qui in breviario appellantur *festa*. Nec obstat, quod postea in titulo de ordinibus minoribus non repetatur eadem correctio, sed solum dicatur, posse dari ordines minores diebus Dominicis, et diebus festivis duplicibus : judicarunt enim, satis fuisse in titulo præcedenti explicuisse, quid intelligi debeat nomine *diei festivi*, ad tollendam omnem prætensam æquivocationem. Et quidem, si ad rigorem Latinæ vocis attendamus, festus dies est ille quo vacare oportet, sicut profestus, in quo licitus est labor : ut apparet ex illo Virgilii Georg.

Quippe etiam festis quædam exercere diebus,
Fas, et jura sinunt.

Sicut etiam nunc apud Christianos quædam opera licita sunt diebus feriis ob necessitatem, vel consuetudinem. Cum ergo dies omnes, quibus laborare licet, dicantur *profesti*, consequens est, ut in rigore illi soli dicantur dies festi, in quibus ab iis laboribus abstinendum est. Unde merito illa alia interpretatio jussu Urbani VIII. facta prædicta explicatione, rejecta fuit, ut dictum est.

## DE SACRAMENTO MATRIMONII.

### DUBIUM XXXV.

*An validum sit matrimonium contractum coram sacerdote ex licentia parochi, mortuo tamen parocho ante contractum matrimonium ?*

1 Ratio dubitandi sumi potest ex doctrina generali, quam cum aliis tradunt Thomas Sanchez lib. VIII. *de matrimon.* disp. XXVIII. num. 71. et Basilius Pontius *de matrimonio*, lib. VIII. cap. XIX. dicentes, licentiam datam absolute ab episcopo alicui sacerdoti ad audiendas confessiones, non cessare mortuo episcopo, aut amoto ab episcopatu : quod idem dicendum videtur de licentia, seu delegatione ad assistendum matrimonio, cum eadem sit ratio in utroque casu.

2 In hoc tamen casu distinguendum duxi. Nam vel mors parochi ignorabatur, quando matrimonium contractum fuit, vel non ignorabatur : in primo casu matrimonium validum fuit, non vero in secundo. Ratio prioris partis est, quia, licet regula generalis sit, quod mortuo delegante, re integra, perit potestas delegati, nec amplius valida sunt quæ ab ipso deinceps aguntur, ut tradunt doctores quos congerit Thomas Sanchez lib. III. *de matrimonio*, disp. XXII. nu. 55. Excipitur tamen casus, quo mors delegantis communiter ignoratur, quo casu communis error sustinet valorem eorum quæ geruntur per delegatum, juxta regulam communem traditam in l. *Barbarius*, ff. *de officio prætoris*, et multis adductis confirmat idem Sanchez ibi nu. 59. qui postea nu. 61. in casu fere simili breviter notat, validum esse matrimonium, si parochus licentiam assistendi matrimonio legitime concessam occulte revocasset, stante communi revocationis ignorantia, quia retinetur adhuc licentia ob titulum initio habitum, et communem errorem. Quare idem omnino dicere debuit hic auctor casu, quo post datam legitime licentiam moriatur parochus, et ejus mors communiter ignoretur, ubi matrimonium celebratur communi errore interveniente, cum eadem sit ratio de revocatione licentiæ, et de morte delegantis, ut constat.

Secunda vero pars, quod scilicet matrimonium non valeat, si jam de morte parochi constabat, probatur, quia jam tunc communis error et ignorantia non proderat ad valorem actus, et aliunde potestas delegata ad unum actum specialem et determinatum, re integra, cessat morte delegantis, ut colligitur ex cap. *Sicut nulla, de præbendis*, lib. VI. et multis adductis probat idem Sanchez lib. VIII. *de matr.* disp. XXVIII. num. 64. 65. 73. et 89. ubi differentiam affert, et probat inter delegationem ad casum determinatum, et eam quæ fit ad casus et personas indeterminatas. Videatur etiam Basilius Pontius *de matr.* cap. XXIV. ubi expresse nostram sententiam sustinet. 3

### DUBIUM XXXVI.

*Utrum possit sacerdos regularis assistere matrimonio, ubi nec est, nec unquam fuit parochus ?*

Dubium hoc propositum nuper fuit ab 1 iis Societatis religiosis, qui apud Indos prædicationem fidei christianæ procurant, et qui ea occasione sæpe ad eas provincias perveniunt, in quibus nec evangelii notitia habita fuerat, et multo minus parochiales ecclesiæ erectæ, vel parochi destinati.

2 Respondi, de ipsis Indis, qui accolæ sunt illius regionis, de quibus solis quærebatur, non esse dubium quod possint, etiam postquam baptizati sunt, contrahere absque proprio parocho, quia ibi nullus est, alioquin ob susceptum baptismum cogerentur omnes cælibes manere, vel in longinquas regiones peregrinari, ut uxores ducerent; quod longe abest a sensu Ecclesiæ. Ratio autem est, quia decretum Tridentini sess. XXIV. cap. 1. *de matrimonio*, in quo præsentia proprii parochi, ut necessaria inducatur ad valorem matrimonii, expresse id limitat ut non obliget, nisi post triginta dies elapsos a die primæ publicationis ejusdem decreti in illa parochia factæ numerandos : quare, non extante parochia, in qua publicatio fiat, nunquam incepit obligatio ; debet tamen vitari, ne clandestine fiat matrimonium : quia licet validum esset, illicite id fieret propter jura antiqua et leges ecclesiasticas, quæ matrimonia clandestina prohibuerunt, et quæ suam vim ubique retinent.

3 Major esset difficultas de Hispanis, vel aliis, qui ad illas regiones denuo perveniunt, de quibus etiam, dum animum ibi permanendi, et domicilium constituendi haberent, idem esset dicendum. De iis vero, qui sine animo permanendi, aut domicilium acquirendi ibi sunt, variæ sunt opiniones, quas refert Thomas Sanchez lib. III. *de matrimon.* disp. XVIII. nu. 31. et seqq. qui num. 35. affirmat, captivos et mercatores Christianos, qui per modum hospitii sunt apud Infideles, posse valide contrahere ibi matrimonium absque parocho, quamvis incolæ sint eorum locorum, in quibus Tridentinum obligat, cum ibi, ubi tunc sunt, nunquam fuerit publicatum Tridentini decretum : quod etiam sequitur Basilius Pontius cum aliis, quos refert lib. V. *de matrim.* cap. IX. num. 2. et 7. imo Sanchez ibi nu. 29. et Pontius nu. 4. addunt, idem dicendum, quamvis aliquis ex industria transiret ex loco suo, quo obligat Tridentini decretum, ad locum ubi non obligat, ut ibi sine parocho contraheret matrimonium, et postea ad suum locum rediret.

Hoc tamen ultimum de transeuntibus cum fraude ad alium locum, ut possint absque parocho contrahere, absque animo ibi permanendi, ego non auderem probare, cum non placeat eminentissimis cardinalibus sacri concilii Tridentini interpretibus, a quorum sacra congregatione responsum fuit, ejusmodi matrimonia valida non esse, et eorum responsum ad instantiam archiepiscopi Coloniensis, Urbanus VIII. speciali Brevi munivit, cujus exemplar decem ab hinc annis accepi ex autographo, quod, ut mihi scriptum fuit, in archivio D. Officialis prædicti archiepiscopi asservabatur, quare placuit ad verbum prædictum pontificium Breve subjicere. 4

Urbanus Papa VIII.

« Ad futuram rei memoriam. Exponi nobis fecit venerabilis frater archiepiscopus Coloniensis, quod habito nuper per eum ad venerabiles fratres nostros S. R. E. cardinales sacri concilii Tridentini interpretes recursu super infra scriptis dubiis, videlicet. Primo, an incolæ tam masculi quam feminæ loci, in quo concilium Tridentinum in puncto matrimonii non est promulgatum, retinentes idem domicilium, valide possint in isto loco matrimonium sine parocho, et testibus contrahere. Secundo, quid si eo præfati incolæ, tam masculi quam feminæ, solo animo sine parocho, et testibus contrahendi se transferant, habitationem non mutantes. Tertio, quid si iidem incolæ tam masculi quam feminæ eo transferant habitationem illo solo animo, ut absque parocho, et testibus contrahant. Iidem cardinales ad primum, et secundum, non esse legitimum matrimonium inter sic contrahentes cum fraude : ad tertium vero dubium hujusmodi, si domicilium vere transferatur, matrimonium esse va-

lidum responderunt, et resolverunt, prout in decreto desuper emanato plenius continetur. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus archiepiscopus responsum, seu dubiorum prædictorum resolutionem hujusmodi, pro illius substantia, et validitate firmiori Apostolicæ nostræ confirmationis robore communiri summopere desideraret; Nos eumdem archiepiscopum specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, supplicationibus illius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, responsum, seu dubiorum prædictorum resolutionem hujusmodi, auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, et confirmamus; illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus. Decernentes illud, seu illam, nec non præsentes litteras, valida, firma, et efficacia existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere; sicque, et juxta illa per quoscumque judices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii auditores, judicari et definiri debere; ac irritum, vel inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 14. Augusti anno 1627. Pontificatus nostri anno quinto. »

In quo cardinalium responso adverto, illos doctrinam restrinxisse ad eos, qui ex industria per breve tempus transibant ad locum alium, ut sine parocho et testibus contraherent, et ideo addiderunt fortasse in responso verba illa, *cum fraude*, quæ in interrogatione non fuerant formaliter expressa: quo casu negari non potest, communem doctorum sententiam negare matrimonium illud posse valide fieri, quidquid sit, an in aliis casibus valeat, quando ob negotia, vel mercimonia, aut ob alios eventus ibi contrahentes inveniuntur, de quibus cardinales nihil voluerunt definire. Unde merito P. Diana lib. VI. tract. VII. resolut. 29. licet propenderet ad sententiam affirmantem, matrimonium valere etiam quando ex industria acceditur ad illum locum; quia tamen cujusdam alterius similis declarationis notitiam habuit, ab ea sententia discessit.

## DUBIUM XXXVII.

*De matrimonio celebrato coram parocho minus principali.*

Casus hic non eodem, sed diverso modo olim proponebatur a duobus litigantibus. Titius impugnans matrimonium cum Berta contractum dicebat, Bertam domicilium suum in uno oppido habuisse, in quo communiter degebat; solitam tamen æstate ad alium frigidiorem locum diverti, in quo ad vitandum æstum quatuor æstivis mensibus morabatur, quo tempore Titius illac transiens, et illius hospes, egit de illa in conjugem ducenda, et denique coram parocho illius oppidi, et testibus cum ea matrimonium contraxit, quod prætendebat validum non fuisse, cum ille non esset proprius sponsæ parochus, sed ille alius loci, in quo per octo menses degebat. 1

Et quidem stante veritate hujus narrationis, videbatur mihi satis bene fundata intentio Titii contra valorem matrimonii, quia in ca. *Is qui*, de sepulturis, in VI. expresse deciditur, transferentem se ad villam causa recreationis, vel ad ruralia exercenda, non fieri villæ parochianum, sed illius loci in quo habet domicilium. Et ita casu matrimonii videtur expresse decisum a Rota in novissimis, decisione 656. initio, volum 1. quam affert Thomas Sanchez lib. III. *de matrimonio*, disp. XXIII. num. 12. post medium, ubi decretum fuit, non valere matrimonium contractum coram paro- 2

cho rurali, quia probatum fuit, non solere contrahens esse ruri majore parte anni, neque etiam pro dimidia, sed tantum per tres, aut quatuor menses, quod a fortiori magis constabit ex dicendis puncto sequenti.

Major itaque difficultas oriebatur ex narratione Bertæ, quæ pro matrimonii valore allegabat, dicens, se habuisse duplex domicilium in illis duobus locis, in quorum altero degebat hieme per septem menses, in altero æstate per menses quinque. Est autem constans apud theologos, et juristas doctrina, eum, qui duo habet domicilia, posse in singulis sacramenta recipere, et matrimonium contrahere saltem eo tempore, quo ibi commoratur, ut cum aliis multis, quos refert, probat Sanchez dicto lib. III. disp. XXIV. n. 2. Quamvis autem communiter exigatur, quod habitatio in singulis parochiis debeat esse pro æquali parte anni, ut quis censeatur habere domicilium in utraque, et contrahere matrimonium in præsentia parochi utriusque, argumento textus in cap. V. *de sepulturis*, in VI. illa tamen æqualitas non exigitur mathematica, sed moralis, ita ut vel æquali, vel fere æquali parte in alterutra parochia quis habitet, ut cum aliis docet idem Sanch. ubi supra num. 3. Quare videbatur Berta habere domicilium in parochia æstiva, si in ea per quinque menses æstatis degeret, cum quinque menses parum distent a dimidia anni parte, atque adeo videretur fere dimidia anni parte ibi habitare.

Adhuc tamen dixi, stante etiam Bertæ narratione, non carere difficultate valorem matrimonii : quia in primis doctores ad duplex domicilium, et parochiam videntur communiter exigere æqualem habitationem in utroque loco, argumento textus in dicto ca. II. *de sepulturis* in VI. in illis verbis : « Cum ab eo qui duo habet domicilia, se collocans, æqualiter in utroque ; et in l. *Assumptio.* §. *Viris prudentibus*, ff. *ad municipalem*, » ubi dicitur : « Viris prudentibus placuit, duobus locis posse aliquem habere domicilium, si utrobique ita se instruxit, ut non ideo minus apud alteros se locasse videatur. » Quo etiam rigore loqui videntur Navarrus apud Sanch. ibi num. 2. et Cephalus apud Menochium tom. IV. *consil.* 398. num. 22. et Tiraquell. adductus ab eodem num. 24. Deinde, quamvis demus sufficere illam æqualitatem moralem, qua fere æqualiter utrobique habitatur ; non videtur tamen in casu nostro æqualitas moralis reperiri.

Pro quo advertendum est primo, hanc comparationem non debere fieri cum dimidia parte anni, sed cum tempore, quo habitatur in altero loco : debet enim verificari quod æqualis, vel fere æqualis sit habitatio in utroque loco : quare non est considerandum, an habitatio per quinque menses sit æqualis, vel fere æqualis cum habitatione per dimidium anni, sed an sit fere æqualis cum habitatione per septem menses, quibus Berta in altero loco habitabat. 5

Avertendum secundo, quando aliqua duo dicuntur fere æqualia, vel quasi æqualia, arbitrio prudentis viri, considerandum esse excessum unius supra aliud, ut verificentur illa verba. Et in primis certum est, quatuor menses comparatos cum octo, non posse dici partes æquales, vel fere æquales, ut supposuit Rota apud eumdem Menochium ubi supra, num. 5. imo idem Menochius II. *de arbitr. judic.* casu 45. dicit, statuto Mediolanensi declaratum esse, quod particula, *vel circa*, comprehendat quinque pro quolibet centenario, et non plus, sed in lege *hæc adjectio* 192. ff. *de verborum significatione*, gloss. 4. indicat, significare posse ad summum quartam partem summæ, de qua agitur. 6

Quibus suppositis, non videntur posse dici fere æquales illæ duæ habitationes, et per consequens non poterit verificari quod Berta habitaret fere æqualiter in utraque parochia : nam quinque menses æstivi habent ad summum 154. dies, septem autem menses hyberni habent ad 7

minus 210. dies, quas summas nemo dicet esse fere æquales : nec excessus est in sola quarta parte, nam excessus continet ad minus 56. dies, qui sunt plusquam quarta pars summæ etiam majoris : non ergo sunt moraliter æquales illæ duæ habitationes, cum tempus unius non sit æquale, aut fere æquale tempori alterius, atque adeo non sufficit ad constituenda duo domicilia. Nam, sicut homo 50. annorum non dicetur fere coætaneus homini annorum 70. sic quinque mensium habitatio non potest dici fere æqualis habitationi septem mensium, cum eadem sit proportio.

8 Accedebat primo inæqualitas non solum in quantitate, sed etiam in qualitate : nam Berta principissa erat, cujus curia et magistratus residebant semper in loco ubi majori parte ipsa Berta degebat, quod solent attendere et considerare doctores ad decernendum, quod sit principis domicilium, de quo videri possunt Gabriel in IV. dist. XVII. qu. II. art. 3. dubit. 2. Marianus Socinus in cap. *Licèt, de foro competenti,* numer. 21. et ex Paludano Silvester verb. *Confessor* I. num. 3.

9 Secundo accedebat, quod alii doctores considerare solent ad hunc effectum contrahendi matrimonium, illud tempus attendendum esse, in quo includitur pascha, quo tempore fideles parochum suum agnoscere solent in sacramentorum receptione. Constat autem Bertam tempore paschatis non apud parochum illum ruralem, sed apud illum alium degisse, cum solis quatuor, vel quinque mensibus æstivis in illum alium locum minus calidum divertere solita esset. Quare hæc temporis qualitas auget excessum unius partis supra aliam, ut notarunt plures, quos affert Menochius dicto consil. 398. n. 32.

10 Nec videtur obstare id, quod pro parte Bertæ allegabatur, nempe principem censeri habere domicilium in singulis locis sibi subditis. Nam præterquam quod id non solide probatur, et dato quod ejusmodi privilegium alicubi extaret, intelligi deberet in ordine ad aliquos alios effectus, non vero in ordine ad contrahendum matrimonium in præsentia cujuslibet parachi sui principatus, ut in simili observavit Thomas Sanchez dicto lib. III. disput. XIX. num. 3. Nam concilium Tridentinum exigens præsentiam proprii parochi, aperte intelligit de parocho proprio, apud quem vere, et non per juris fictionem contrahentes habitant in proprio domicilio. Sicut etiam si aliquis Romæ habitans fiat ex privilegio civis, et nobilis Venetus, non ideo poterit coram parocho Veneto Roma matrimonium contrahere.

Quod rursus ab absurdo probari potest, quia si domicilium illud, quod princeps prætendebat habere in singulis locis sui dominii, ad hunc effectum deservire posset, peto si in aliquo loco plures parochiæ, et parochi sint, cujusnam ex illis parochis præsentia desideratur ad valorem matrimonii : an alicujus determinati, an cujuslibet ex iis omnibus ? Si dicas primum, non apparet, cur hujus magis quam illius : ponamus enim principem nec ibi habitare, nec habere palatium, aut domum propriam ullam in loco illo, non est ergo ratio cur magis ad parochum hujus quam illius ecclesiæ recurrere debeat pro contrahendo matrimonio. Si vero dicas secundum, nempe posse eligere parochum, quem voluerit illius loci, videtur id omnino falsum : nam domicilium fictum, et ex privilegio, non debet esse melioris conditionis, nec plus operari quam domicilium verum. Qui autem habet verum domicilium in eo loco, non potest contrahere matrimonium coram quolibet parocho illius loci, sed solum coram illo in cujus parochia domicilium habet : nec ipsemet princeps, si ibi degeret, posset contrahere, nisi coram parocho illo, qui est parochus palatii principis, et eorum, qui in eo habitant. Ratio autem est, quia quamvis daremus principem habere privilegium domicilii in singulis oppidis sui principatus : nemo tamen dicet, quod 11

habeat domicilium in singulis parochiis suæ curiæ, et multo minus aliarum civitatum, vel oppidorum sui territorii. Fatendum ergo est, ne ad hæc absurda deveniamus, principem in ordine ad contrahendum matrimonium non habere domicilium in omnibus suis locis, sed debere contrahere coram parocho illo, apud quem habet verum, et reale domicilium, et non per solam juris fictionem.

Scio, Basilium Pontium lib. v. *de matrim.* c. 13. velle parvi etiam temporis habitationem sine vero domicilio sufficere, ut coram parocho illius habitationis valide contrahatur matrimonium ; ejus tamen sententia communiter non admittitur.

Hæc itaque tunc respondi, protestatus, me id solum dicere in ordine ad conscientiam Titii interrogantis, non ad instruendos judices in foro externo, qui majori attentione merita, et allegationes utriusque partis in causa illa gravissima considerare debebant, ut pro valore matrimonii, vel contra illum judicialiter definirent.

## DUBIUM XXXVIII.

*An possint religiosi assistere valide matrimonio suorum familiarium ?*

Videbatur aliquibus posse id fieri, qui movebantur verbis privilegii a Paulo III. concessi Societatis religiosis in bulla incipiente, *Licet debitum*, data anno 1549. decimoquinto Kalend. Novembris ; ubi inter alias concessiones ponitur hæc : « Iis vero, qui in ipsorum præpositorum, et sociorum morantur obsequiis, cuncta libere ministrare possint ecclesiastica sacramenta, et ipsos, cum decedunt, in eorum cœmeteriis sepelire, » ubi illa sacramentorum universalitas videbatur matrimonium etiam comprehendere, quam facultatem agnoscere videtur Suarez tom. IV. *de Religione*, tr. x. *de Instituto Societatis*, l. IX. c. IV. n. 20.

Respondi tamen, id procul dubio fieri 2
non posse, nisi in illis locis ubi regulares munus parochi exercent: prout etiam fatetur Joan. Baptista Lezana tom. II. *q. Regul.* cap. xv. nu. 18. Ratio autem est, quia post decretum concilii Tridentini sess. XXIV. ca. I. *de Reformatione matrimonii*, præsentia proprii parochi est de substantia ad valorem contractus ; fieri ergo non potest, ut qui parochus non est, id suppleat, nisi de ejusdem licentia assistat. Sicut nec potest sine aliis duobus testibus ab eodem Tridentino requisitis valide contrahi ; parochus enim exigitur etiam ut testis qualificatus : quare deficiente parocho, deficeret valor matrimonii, non ex defectu ministri, proprie loquendo, sed ex defectu testis requisiti ad valorem talis contractus.

Nec Suarez l. c. dixit, privilegium ad 3
id etiam extendi, imo id expresse negat n. 19. dicens, hanc assistentiam ad valorem matrimonii loco parochi nunquam esse religiosis concessam aliquo privilegio extra loca, in quibus parochi munus exercent. Postea vero n. 20. non loquitur de hac assistentia, sed de benedictione solemni nuptiarum, quæ quidem non spectat ad valorem matrimonii, sed ad ritum, et cæremoniam quamdam ecclesiasticam, quam benedictionem fatetur etiam non posse licite adhiberi a religiosis, in iis saltem regionibus, in quibus alii sunt parochi, vel episcopi proprii, et hoc quamvis casu ob aliquod impedimentum contingat parochum tunc deesse, quia nimirum defectus ille non est de re admodum necessaria. Non ergo putat Suarez, posse religiosum assistere matrimonio, ubi parochi sunt, sed solum dixit, posse religiosos societatis ex privilegio benedicere nuptias in illis regionibus, in quibus nec parochi, nec episcopi proprii sunt.

Nec etiam obstant verba illa Pauli 4

III, supra adducta concedentis religiosis Societatis facultatem ministrandi sacramenta suis familiaribus actu inservientibus : quia in primis, etiamsi ibi data etiam esset facultas assistendi eorum motrimonio, id totum revocatum postea fuit per Tridentinum : in quo sicut exigitur ad valorem matrimonii præsentia duorum testium, sic etiam exigitur ad eumdem valorem præsentia tertii testis qualificati, qui sit contrahentium parochus ; quare, sicut non deserviret illud privilegium, ut possent religiosi assistere matrimonio familiarium sine testibus : sic nec deserviret, ut possent assistere eidem matrimonio, sine præsentia trium testium, quos Tridentinum exigit, quorum unus debet esse parochus contrahentium, qui non minus a Tridentino exigitur, quam alii duo testes : præsente autem parocho, et aliis duobus testibus, certum est posse etiam valide contrahi matrimonium familiarum coram religiosis ; imo ipsi religiosi poterunt esse ex numero trium testium requisitorum, dummodo unus ex illis testibus sit ipse parochus.

5 Adde, privilegium illud solum dare facultatem ministrandi sacramenta familiaribus : parochus autem non ministrat in rigore sacramentum matrimonii contrahentibus, sed est testis qualificatus assistens : quare facultas mera ministrandi non potest extendi ad assistendum loco testis qualificati ad valorem contractus requisiti ; qui enim proxime ministrat, et confert hoc sacramentum, sunt ipsimet contrahentes, qui sibi ad invicem illud conferunt et ministrant, ut cum aliis tradunt Thomas Sanchez lib. I. *de matrimon.* cap. III.

6 Objici possent verba quædam, quæ Suarez l. supra cit. attulit ex compendio privilegiorum Societatis verb. *Sacramenta*, in fine, ubi relata prius facultate a Paulo III. religiosis Societatis concessa, *ministrandi fidelibus Eucharistiam, et alia sacramenta sine alicujus præjudicio ;* subditur a collectore nomine præpositi generalis hæc declaratio : « De Extrema unctione quoad familiares, vide verb. *Extrema unctio*, et verb. *familiares :* quæ quoad reliquos poterit etiam, in necessitate tamen, et sine præjudicio administrari. Baptismus autem in necessitate omnibus, quod jus commune habet. Matrimonium vero nulli, nisi in provinciis illis, in quibus necessitatis causa id a generali præposito permissum fuerit ; » quæ verba P. Suarez intelligit, non de assistentia loco parochi requisita ad valorem matrimonii, sed de benedictione nuptiarum, quas dicit posse ex licentia præpositi generalis adhibere prædictos religiosos in iis locis, ubi non sunt parochi, nec episcopi, ut supra retulimus.

Ego tamen prædicta verba magis intelligo de assistentia ipsa ad contractum matrimonii : neque enim nisi impropriissime dicitur ministrare matrimonii sacramentum, qui conjuges biennio post contractum matrimonium solemniter benedicit. Quamvis autem nec parochus ipse, dum assistit, ministret proprie sacramentum matrimonii, ut supra diximus ; aliquando tamen juxta subjectam materiam solet sub verbo ministrandi comprehendi ; atque ideo quando parochus generaliter alicui committit, ut loco sui ministret omnia sacramenta, intelligitur data licentia assistendi matrimonio, ut de facto respondit sacra congregatio interpretum Tridentini, his verbis : « Requiritur vel commissio generalis administrandi omnia sacramenta, vel si hæc non adsit, expressa, et specialis, » etc. prout habetur in meis manuscriptis, et refertur etiam ex Farinac. apud Baapud Basilium Pontium l. v. *de matrim.* c. XXIX. n. 1 et 2. ubi impugnat Ægidium de Coninch dicentem, illis verbis non comprehendi matrimonium, quia ibi sacerdos non est minister. Sed sacra congregatio censuit sufficere, quia in regulari sermone frequenter dicitur parochus illud etiam sacramentum administrare : in eo ergo sensu usurpatur verbum illud

in prædicto loco compendii, privilegiorum Societatis.

Hinc tamen non sequitur, quod putaverint Generalem societatis posse vi sui privilegii dare suis subditis facultatem assistendi matrimonio loco parochi, ubi episcopi, vel parochi alii sunt. Nam, si hoc esset, sequeretur quod non solum matrimonio familiarium, sed etiam non familiarium, et extraneorum possent ex licentia sui generalis assistere, sicut possunt illis alia sacramenta ministrare, quod est manifeste falsum. Verba ergo illa non debent intelligi quasi communicatio privilegii, quod Generalis communicet pro aliquo casu, sed quasi declaratio præcedentis privilegii nimirum, ut sciant subditi, virtute illius privilegii non posse omnia sacramenta ministrari, sed aliqua, nimirum confessionem et eucharistiam, reliqua vero non nisi in certis casibus, quod ex ipsius concessionis forma colligi poterat, in qua administratio sacramentorum conceditur *sine alicujus præjudicio*. Quare, cum baptismus et extrema unctio non possint ministrari sine præjudicio proprii pastoris, nisi in casu necessitatis, ideo ibi hoc ipsum declaratum, et in memoriam redactum fuit, exceptis solis familiaribus domesticis, quibus alias ex speciali privilegio extrema unctio conferri poterat. Imo etiam eucharistia in articulo mortis, et in paschate, in quibus casibus est sacramentum necessarium, et ideo ejus administratio ad proprium parochum spectat, non potest a religiosis ministrari, quia id non fieret tunc sine parochi præjudicio. Consequenter ergo idem de matrimonio ibidem explicatur, non comprehendi sub ea generali concessione ejus admnistrationem, quod quidem verissimum est, tum quia id sine parochi præjudicio non fieret, tum etiam, quia deesset aliquid substantiale ad valorem sacramenti requisitum, nempe præsentia proprii parochi. Illa ergo verba in prædicto compendio addita, non sunt ad coerctandam facultatem, quam ex concessione Pauli III. religiosi possunt habere, sed ad declarandum defectum facultatis, ne aliquis generalitate verborum deceptus putaret, ad hos etiam casus concessionem posse extendi.

Petet aliquis, quam vim habeant in 9
concessione verba illa : *Eucharistiam, et alia sacramenta ministrare* ? videtur enim ibi dari specialis facultas ad plura sacramenta præter eucharistiam : ergo non ad solam confessionem et eucharistiam. Responderi potest cum Patre Suarez ubi supra dicto c. IV. n. 9. privilegium illud deservire, ut deficiente, vel absente parocho, et in casu necessitatis, non solum possint illi religiosi sine scrupulo ob varias opiniones, quæ in eo puncto non desunt, ministrare, v. g. extremam unctionem, nec quod possint ab aliquo impediri, sed etiam, ut eo casu non possit alius simplex sacerdos id facere, præsente religioso Societatis, qui cum sit a summo Pontifice delegatus ad ministrandum, eo casu cessat jam necessitas et absentia ministri ordinarii et delegati, in qua sola necessitate et absentia talis ministri, posset quilibet sacerdos id munus exercere : quod idem cum proportione de baptismo in casu necessitatis dicendum est. Ex quibus omnibus constat id quod ab initio intendimus, certum esse, nempe non habere religiosos privilegium assistendi matrimonio suorum familiarium loco parochi in iis locis, in quibus parochi, vel episcopi destinari solent, quod usus et consuetudo satis ostendit, cum nunquam religiosi id munus ausi fuerint sibi virtute suorum privilegiorum usurpare.

## DUBIUM XXXIX.

*An facultas dispensandi, excepto primo gradu, extendatur ad primum gradum affinitatis ex copula illicita?*

1 Aliquibus in regione longinqua concessa fuerat pro faciliori reddenda infidelium conversione, facultas dispensandi in impedimentis matrimonii, excepto primo gradu; dubitatum fuit, an possent adhuc dispensare in impedimento affinitatis saltem in linea transversa in primo gradu, quando ortum fuit ex copula illicita, v. g. ut aliquis duceret uxorem, cujus sororem antea cognoverat? videbatur enim aliquibus non fuisse excepta dispensatio in eo impedimento, quia facilius concedi solet dispensatio in illo, quam in secundo gradu consanguinitatis : cum ergo ad hunc casum extendatur illa facultas, extendi etiam credendum est ad illum alium faciliorem, juxta regulam vulgarem, quod cui conceditur quod est plus, concedi etiam videtur quod est minus, quam regulam pluribus exemplis exornant, et declarant doctores, quos congerit Thomas Sanchez lib. VIII. *de matrim.* disp. I. n. 31. et videtur a fortiori locum habere in casu nostro, in quo non est sermo de dispensatione quæ regulariter est stricte interpretanda; sed de facultate ad dispensandum, quæ est late interpretanda, ut ex communi doctorum sententia probat late idem Sanch. ibi disp. II. n. 1. qui postea num. 6. probat, hanc latam interpretationem locum habere, quando non conceditur facultas ad petitionem illorum, cum quibus dispensandum est, sed ad petitionem eorum qui dispensaturi sunt.

2 Respondi tamen, ex vi illius facultatis non posse dispensari in primo gradu affinitatis etiam ex copula illicita. Et quidem, si impedimentum sit in linea recta : ut si aliquis copulam habuit cum matre, vel filia illius quam ducere vult in uxorem, res videtur certa, quia in primo gradu lineæ rectæ semper æstimatur difficilior dispensatio, quam in secundo consanguinitatis lineæ transversæ. Unde sæpe expediuntur dispensationes in secundo gradu consanguinitatis in foro externo, nunquam autem concessa est in primo affinitatis ex copula licita in linea recta, ut infra videbimus dubio sequenti. Quamvis autem in foro conscientiæ aliquando concedatur in eo gradu affinitatis ex copula illicita in linea recta, id non arguit, faciliorem esse eam dispensationem, quam in secundo gradu consanguinitatis.

3 Loquendo vero de impedimento affinitatis in gradu transverso ex copula illicita, adhuc non credo, concessum in prædicta facultate excipiente generaliter primum gradum : quia illa revera esset dispensatio in primo gradu, et Pontifex solum concessit facultatem pro aliis gradibus, et expresse negavit pro primo. Regula autem illa, quod cui conceditur quod est plus, conceditur quod est minus, plures habet fallentias, ut constat ex c. *Cui de non sacerdotali, de præbendis* in VI. ubi, cui integra præbenda conferri mandatur, vacante interim aliqua præhenda dimidia, non potest hæc ei conferri, quia non hæc, sed aliqua ex præhendis integris conferenda ei erat ex vi concessionis factæ. Quare regulam illam intelligi debere de iis, quæ sub re concessa, ut partes, vel ut particularia sub genere universali concesso comprehendi possunt, notavit Basil. Pontius l. VIII. *de matr.* c. XXIV. num. 6. et seq. et c. XII. num. 10. ubi fere in terminis nostri dubii advertit, quamvis commissarius Cruciatæ in Hispania habeat facultatem dispensandi in impedimento ad petendum debitum orto ex superveniente affinitate; non tamen posse dispensare in simili impedimento orto ex cognatione spirituali superveniente. « Eo quod verba concessionis, ait ille, sint

expressa de impedimento affinitatis, neque liceat colligere extendendam esse concessionem. Nam, licet dispensandi potestas late interpretenda sit; ad eos tamen casus extendi debet, qui sub concessionis verbis comprehenduntur, ut dixi supra. » Hæc ille, quam doctrinam antea tradiderat expresse Thom. Sanch. dicto l. VIII. *de matr.* disp. II. nu. 15. et clarissimo exemplo comprobaverat his verbis: « Regula, inquit, cui licet quod est plus, licere quod est minus, locum habet, quando minus continetur in majori tanquam pars in toto, vel species in genere, ut communiter ibi tradunt doctores, et constat, nam potens ex privilegio in irregularitate homicidii voluntarii dispensare non potest in irregularitate excommunicati celebrantis, quæ multo minus est. Ad quod posset etiam afferri exemplum ex Tridentino sess. XXIV. cap. VI. *de reform.* ubi conceditur episcopis facultas dispensandi in omni irregularitate ex delicto occulto in foro conscientiæ, excepta irregularitate ex homicidio voluntario: quare poterit episcopus dispensare in irregularitate orta ex pravo usu ordinum, vel ex homicidio graviter culpabili casuali, non tamen poterit ex illa concessione dispensare in irregularitate orta ex defectu lenitatis, quæ multo minor est: quia nimirum hæc non continetur sub irregularitatibus ex delicto, de quibus solis concessionis verba loquuntur. Nec obstant aliqua jura, quæ in contrarium solent afferri ad probandum concessionem extendi debere ad casus minores: quia in iis vel sermo est de minori contento in majori concesso, vel sunt concessiones contentæ in corpore juris, quæ idcirco latius sunt interpretandæ; vel adest in illis specialis ratio, ut videri potest apud Sanch. dicto lib. VIII. disp. I. num. 32. et Basilium Pontium ubi supra c. XXI. n. 9. et seqq. Cum ergo in casu nostro verba concessionis loquantur solum de aliis gradibus præter primum, non videtur posse tuto ad primum affinitatis extendi, etiamsi oriatur ex copula illicita in linea transversa; quia hæc nullo modo comprehenditur in gradibus aliis præter primum, de quibus solis facultatis verba loquuntur.

## DUBIUM XL.

*An possit Pontifex dispensare cum aliquo ad contrahendum matrimonium cum sua nuru?*

Casus hic acriter fuit in Urbe controversus publice inter viros doctos aliquot ante annos, postulante supremo aliquo principe ejusmodi dispensationem. Potest autem duplex esse sensus. Primus est, an possit valide Pontifex in eo impedimento dispensare? Secundus est, an possit etiam licite et an prudenter ageret dispensando? Circa primum punctum affirmat prima sententia, posse summum Pontificem valide dispensare. Pro hac afferuntur Alexander Alensis, Cajet. Abulens. Albertus Pighius, Supplem. Gabrielis, Ancona Loazes, Armilla, Martinus; et Petrus Ledesma, Veracruz, Ovandus, Henriquez, Sa, Vega, et alii, quos refert, et sequitur Thom. Sanchez lib. VII. de matr. c. XXXIV. num. 5. Rebellus *de obligat.* just. II. p. lib. III. q. XV. nu. 10. quibus adde Joannem Præpositum, Gasparem Hurtadum, Meratium, Bonacinam, et alios, quos affert et sequitur Diana p. IV. tract. IV. *Miscellaneo*, resol. 93. quare negari non potest, eam sententiam probabilem esse, atque adeo, si Pontifex de facto dispensaret, id faceret juxta probabilem tot doctissimorum hominum sententiam. Fatentur tamen ingenue aliqui ex his auctoribus, quamvis hoc matrimonium non sit jure naturæ irritum, atque adeo possit valide a Pontifice in eo impedimento dispensari: continere tamen tantam turpitudinem et indecentiam, ut sine 1

maxima causa non possit licite fieri, ob cujus causæ defectum nunquam hactenus Pontifices dispensarunt. Ita Sanchez ubi supra nu. 9. in fine.

2 Secunda sententia dicit, esse jure naturæ irritum, nec posse a summo Pontifice valide dispensari ; hanc tenent a fortiori, qui dicunt affinitatem in linea recta impedire jure naturæ non solum in primo gradu, sed in infinitum, sicut in consanguinitate : hi sunt Joannes Andreas, Præpositus, Henricus, Paludanus, Astensis, Lambertinus, Montalvus, Gregorius Lopez, Silvester, Petrus de Soto, Philiarcus, et alii quos affert idem Sanchez ubi supra n. 5. Loquentes autem de hoc primo gradu, eam tenent S. Thomas in illud I. *ad Cor.* v, 1. *Omnino auditur inter vos fornicatio*, etc. sect. 1. Antoninus, Franciscus Somnius, Victoria, Catherinus, Dominicus Soto, Navarrus, Covarruv. Valentia, Vasquez, Ludovic. Lopez, Vivaldus, Humada, Cannedo, et alii, quos affert Sanchez ibi n. 6. item Canariensis apud Pontium ubi supra, Silvius, Tannerus, Layman, Coninch, Zanardus, Zecchius, Estius, Chamerota, et alii, quos affert Diana loco citato, et graviter eam sententiam probat Card. Bellarm. l. I. *de matr.* cap. XXXVIII.

3 His itaque duabus sententiis suppositis, quarum utraque, speculative loquendo, probabilis est; ergo in prædicta controversia breviter dixi, dubium quidem esse, an posset summus Pontifex valide dispensare : certum tamen esse requiri maximam et extraordinariam causam ad dispensandum, et certum mihi etiam tunc esset non expedisse, ut dispensaret. Prima; et secunda pars constat manifeste, cum tot tantique doctores negent Pontifici eam potestatem, et cum omnes fateantur ob maximam illius conjunctionis turpitudinem, seu indecentiam, maximam exigi necessitatis causam ad eam purgandam : ideoque nunquam in eo impedimento Pontifices dispensasse.

Hinc autem probabam, non expedire, 4
quod Pontifex annueret et dispensationem concederet. Primo, quia sententia docens hoc esse impedimentum de jure naturæ, atque adeo non esse a Pontifice valide dispensabile, gravissimis nititur fundamentis. Nam Scriptura, et Patres non videntur aliter de eo conjugio, aut incestu loqui, ac loquantur de aliis criminibus jure naturæ prohibitis *Levit.* XX, 11. sic legitur. *Qui dormierit cum noverca sua, et revelaverit ignominiam patris sui, morte moriantur ambo. Si quis dormierit cum nuru sua, uterque moriatur, quia scelus operati sunt. Qui supra uxorem filiam duxerit matrem ejus, scelus operatus est : vivus ardebit cum eis, nec permanebit tantum nefas in medio vestri,* quæ verba licet aliquis explicet de conjugio cum utraque simul vivente, parum refert ; scelus enim, et nefas grande non oriebatur ex polygamia, quæ alioquin sæpe Judæis licita erat, sed ratione strictissimæ illius affinitatis. Appellatur autem cum emphasi *scelus et tantum nefas*, quæ nomina non tribuuntur ibi aliis peccatis contra solum jus positivum, sicut nec eo loco imponitur tam gravis pœna aliis copulis illicitis contra affinitatem in aliis gradibus jure solo positivo prohibitis. Unde notat Augustinus, pœnam illam ducenti nurum, non imponi propter adulterium in filium commissum, sed quia relictam filii duxit.

Similiter *Deuter.* 27. ubi ex præcepto Dei proponuntur duodecim maledictiones, quæ a Levitis solemniter pronuntiari debebant, respondente ad singulas universo populo *Amen*, quæ erant contra graviora peccata contra legem naturæ, v. gr. Idololatriam, bestialitatem, homicidium proditorium, et similia : duæ ex illis sunt contra eum, qui dormit cum noverca, vel socru sua, quas quidem maledictiones Augustinus quæ. LXI. et LXV. *super Levit.* observavit, ut diximus, non tendere ad puniendam copulam adulterii, sed incestuosam copulam, vel conjugium.

Constat ergo illud etiam conjugium habuisse gravissimam indecentiam contra legem naturæ, cum nulla alia peccata ibi recenseantur, nisi quædam ex gravissimis contra legem naturalem, quæ solemniter anathematizabantur ab universo populo.

6 Nec aliter de turpitudine hujus conjugii loquitur S. Gregorius magnus, qui interrogatus ab Augustino Angelorum episcopo, quid fieri deberet circa matrimonia cum eo impedimento inita tempore infidelitatis, et an essent conjuges separandi; respondet his verbis : « Cum noverca misceri grave est facinus, quia in lege scriptum est *Turpitudinem patris tui non revelabis*. Neque enim turpitudinem patris filius revelare potest, quia in lege scriptum est : *Erunt duo in carne una*, sed qui turpitudinem novercæ, quæ una caro cum patre fuit, revelare præsumpserit, profecto patris turpitudinem revelavit. » Sic legitur in interrogationibus Augustini Cantuariensis, quæ habentur post epistolas S. Greg. interrogat. VI. et respons. VII. subditur : « Quia vero multi sunt in Angelorum gente, qui dum adhuc in infidelitate essent, huic nefando conjugio dicuntur admisti, ad fidem venientes admonendi sunt, ut se abstineant, et grave hoc peccatum esse cognoscant. Tremendum Dei judicium timeant, ne pro carnali delectatione tormenta æterni cruciatus incurrant, » quo loco, licet Gregorius de conjugio cum noverca loquatur, de quo solo interrogatus fuerat; eadem tamen est ratio de conjugio cum nuru, cum idem sit gradus affinitatis in linea recta, ut omnes fatentur.

7 Denique de nuru eodem modo loquitur Augustinus l. XXII. *contra Faustum*, cap. LXI. relatus in c. XV. XXXV. q. 2. et 3. his verbis : « Si vir, et uxor, sicut Dominus dicit, non jam duo, sed una caro est, non aliter nurus est deputanda, quam filia. »

8 Secundo principaliter probabam, abstinendum esse ab illius dispensationis concessione, quia, ut testatur Card. Bellarm. t. III. libr. unico *de matr.* c. XXVIII. nulla unquam existunt exempla Sanctorum, qui in eo gradu matrimonia contraxerint, nec unquam Ecclesia in eo impedimento dispensavit. Quare si nunc sedes Apostolica in hoc impedimento dispensaret, hic esset primus inter fideles, qui ab orbe condito cum nuru sua matrimonium contraxisset, sicut in lege naturæ, sive in lege scripta, sive in lege evangelica, quod maxima consideratione dignum apparet, tum quia novitas ipsa in re adeo gravi sine offensione non esset; tum quia, si semel Pontificis auctoritas hanc portam ab orbe condito clausam aperiat, non facile iterum rebludi poterit : nam alii postea principes etiam non supremi, quin et barones, et alii forsan inferioris notæ nobiles viri, prætensis causis eamdem dispensationem sibi efflagitabunt, et hoc exemplo suffulti fortasse impetrabunt.

Nec satisfacit, dicere, quod ad dispen- 9
sandum sufficit summo Pontifici amplecti opinionem probabilem, dicentem posse ipsum valide dispensare. Hoc, inquam, non satisfacit; nam præterquam quod, si revera opinio illa non est vera, prout tot doctores negant esse veram, dispensatio revera non erit valida, cum sit in materia juris naturalis in quo Pontifex dispensare non potest, et matrimonium non erit validum, sed turpis incestus; adhuc in casu simili, non obstante opinionum varietate, sedes Apostolica nunquam audire voluit preces postulantium dispensationem, nimirum in matrimonium fratris cum sorore. Est enim etiam opinio multorum et gravissimorum doctorum, qui tenent illud impedimentum esse solum de jure positivo humano, et posse a Papa valide dispensari, quam sententiam relatis ejus auctoribus, probabilem esse fatetur Thomas Sanchez dicto lib. VII. *de matr.* disp. LII. n. 16. et ut veriorem amplectitur Basilius Pontius dicto lib VII. cap. XXII. num. 3. et aliis relatis Diana loco supra

cit. imo multi, qui negant validum esse de jure naturæ soceri cum nuru, dicunt non esse jure naturæ irritum, si soror nubat fratri suo, ut videri potest collatis auctoribus, quos Sanchez pro utraque sententia affert dicta disput. LII. et LXVI. et tamen nunquam Pontifex ausus est amplecti sententiam illam probabilem, ut dispensaret in matrimonio fratris cum sorore, quamvis sæpe precibus importunis a magnis principibus fuerit interpellatus. Durissimum ergo esset si ob illam etiam aliam sententiam probabilem nunc Pontifex ob similes preces cogeretur ad dispensandum in matrimonio soceri cum nuru, præsertim cum semper maneat certum, turpitudinem hujus conjugii talem ac tantam esse, ut ob eam saltem nunquam invenerint Pontifices causam ad licite dispensandum.

10 Tertio principaliter pro eadem responsione adducebam id, quid perdoctus vir P. Josephus de Acosta societatis Jesu, refert in libro *de natura novi Orbis, et procuranda Indorum salute* lib. VI. c. 21. ubi dicit concilium provinciale Limense ex sententia Pauli IV. declarasse irrita matrimonia ab Indis ante baptismum contracta cum suis affinibus in primo gradu lineæ rectæ. Unde inferebam, non decere quod ab eadem sede Apostolica emanaret dispensatio in eodem gradu, et in casu magis stricto, nam in illo primo casu non agebatur de petenda dispensatione a Pontifice, sed solum consulebatur Pontifex an toleranda essent matrimonia ita contracta tempore infidelitatis, quo tempore legibus Ecclesiæ non tenebantur, et, an essent relinquendi in sua bona fide, an vero cogendi omnino ad separationem faciendam, tanquam a matrimonio jure naturæ irrito. Et tamen Pontifex respondit, separandos omnino esse, nec toleranda illa matrimonia, quamvis fuissent ante baptismum contracta. In nostro autem casu agebatur de licentia, et dispensatione positiva obtinenda ad contrahendum, et ineundum ejusmodi matrimonium novum post baptismum utriusque conjugis : quæ concessio speciem aliquam inconstantiæ sedis Apostolicæ apud hæreticos et malevolos posset prætendere : quamvis revera utique Pontifex potuisset licite operari amplectendo duas opiniones diversas supra relatas.

Nec satisfacere videbatur, quod aliqui 11
doctores respondebant, non constare de decreto illo concilii Limensis, nec ejus concilii acta Romæ inveniri potuisse. Contra hoc enim urgeri poterat, quamvis decreta concilii Romæ non invenirentur : magnam tamen fidem facere testimonium historici gravissimi, et theologi simul doctissimi, qui eo tempore in illis provinciis versabatur, et tanquam rem apud ipsos notissimam factum illud referebat. Posse item intra biennium acta illius concilii a civitate Linensi Romam afferri, quæ si tunc consona apparerent narrationi illius historici, constaret nimis festinanter dispensationem fuisse concessam, non præmisso examine circa veritatem illius narrationis.

Postea vero majori adhibita diligentia, 12
mihi ex Hispania transmissus fuit liber typis editus Hispali anno 1614. apud Matthiam Clavium typographum, continens non quidem acta, sed decreta solum duorum conciliorum provincialium Limensium, quæ ibi alio recentiori nomine appellatur *civitas Regum*, quorum alterum habitum fuit anno 1567. alterum vero anno 1583. et in hoc secundo confirmata fuerunt decreta illius anterioris concilii, cujus etiam decretorum summa, et compendium jussu ejusdem posterioris synodi editum fuit ad usum parochorum, quibus præceptum fuit, ut illud saltem compendium singuli penes se haberent. Hæc autem posterior synodus postulantibus patribus concilii, et instante rege catholico Philippo II. oblata fuit Sixto V. summo Pontifici pro approbatione et confirmatione habenda, cujus jussu in congregatione cardinalium examinata fuerunt singula decreta, et quoad aliquas pœnas, et nonnulla alia temperata et cor-

recta, et cum approbatione et laude metropolitanum remissa, et postea typis edita, quæ omnia constant ex præfatione ibi addita, et ex epistola cardinalis Carafæ, et testimonio authentico congregationis concilii Tridentini ibidem apposito.

3 In hoc ergo libro, quem apud me habeo, invenio in summario, seu compendio prioris synodi (quæ ibi appellatur secunda synodus provincialis Limensis, quia jam antea præcesserat aliud primum anno 1552.) in eo nimirum compendio p. II. decreto, seu capit. XXXVIII. invenio hæc verba hispano sermone, quo ad usum parochorum compendium editum fuit : « Que el que siendo infiel estaba casado con su madrastra, o con hermana, o con alguna en linea recta de parentesco, primero sea apatado, que reciba el Batismo ; pues por ley natural estan reprobados tales casamientos. Mas si estuviere casado en grados solamente per la Iglesia prohibidos, recebido el Batismo se ratifiquen los tales matrimenios, » quæ Latino sermone ita se habent : « Ut qui in infidelitate contraxerat matrimonium cum sua noverca, vel cum sorore, vel cum aliqua in linea recta sibi conjuncta, ante baptismum separetur, cum naturali lege ejusmodi conjugia reprobentur : si vero matrimonium contraxerat in gradibus lege solum Ecclesiæ prohibitis, suscepto postea baptismo, ratificentur ejusmodi matrimonia. » Hæc ibi, ubi licet non nominet nurum, statuit tamen regulam generalem de personis conjunctis in linea recta, et exemplum de noverca id satis probat, cum eadem sit prorsus ratio quoad hoc de nuru, et de noverca.

4 Fateor ibi nihil exprimi de responso Pauli IV. ex cujus sententia id decretum fuisse referebat Acosta. Id tamen ex multis capitibus contingere potuit. Primo, quia illa non sunt acta concilii, sed decreta, in quibus non solent referri fundamenta, sed mera præcepta, quæ debent ab omnibus sciri, et observari. Secundo, quia nequidem decreta illa sunt, sed compendium breve decretorum. Nam, cum jussum esset parochis in posteriori illa, seu tertia synodo Limensi, habere penes se decreta secundæ synodi præcedentis, postea actione V. c. II. iidem patres moderati sunt, ut sufficeret habere compendium decretorum his verbis : « Præterea ne in transcribendis, ac perlegendis tam multis superioris prædictæ synodi paginis, parochi, cæterique graventur, quibus ex præcepto hujus synodi necessitas penes se illam tenendi incumbit : placuit summarium omnium constitutionum inibi contentarum fieri, quod a deputatis a nobis factum, atque a reverendissimo metropolitano approbatum omnibus nostræ provinciæ ecclesiis communicetur. » Hoc ergo solum decretorum summarium est, quod in meo libro continetur ; quare non mirum quod ibi mentio non fiat de sede Apostolica prius super illo dubio consulta. Videtur tamen fere certum eam consultationem præcessisse, non quidem tempore illius secundæ synodi, sed plusquam viginti antea annis, nempe tempore Pauli IV. cujus pontificatus duravit ab anno 1555. usque ad 1559. quare non potuit consuli Paulus a prima synodo Limensi, quæ habita fuit anno 1552. quo tempore Paulus IV. nondum erat Pontifex, sed facta fuit consultatio aliquot annis post illam synodum, nec videtur posse prudenter dubitari supposita testificatione Josephi de Acosta, qui totius hujus materiæ plenam omnino notitiam habebat ; erat enim vir doctissimus, et interfuit tertiæ synodo Limensi, et in quinta, seu ultima ejus actione concionem habuit, ut ex ipsa actione constat : imo, et curam etiam habuit vulgandi et typis dandi utramque synodum, ut apparet ex ejusmodi Acostæ præfatione, quæ legitur initio illius libri : quare non potuit moraliter ignorare, aut decipi circa responsum illud Pauli IV. quod ipse alio loco retulit, et de quo necesse fuit in illo concilio sermonem sæpe occurrere, quibus omnibus attente ponderatis, manet fere certum prædictum responsum Pauli IV. de hoc dubio interrogati, vere ab ipso

Paulo dimanasse: quo stante, durum est difficile esset ab eadem sede Apostolica post aliquos annos dispensationem super eodem impedimento impetrare.

15 Restat tamen respondere ad plura argumenta, quæ theologi plures pro dispensatione concedenda congesserunt. Primum, et præcipuum, quo usus est Basilius Pontius l. cit. Diana, et alii, desumitur ex eo, quod Ecclesia in eo gradu et impedimento cum multis dispensaverit. Ad quod probandum afferunt tria concilia provincialia, nempe Agathense, Epaunense, et Aurelianense: « quæ quia non viderunt nostri theologi (inquit Pontius ibi nu. 6. non est mirum si ex antiquæ doctrinæ ignoratione in varia placita distrahantur. » Oportet itaque attente examinare verba et auctoritatem illorum conciliorum, ut constet an ex ipsis ita valide probetur Ecclesiam legitime dispensasse, ut debuerint theologi eorum auctoritate deterreri.

16 Verba concilii Agathensis can. LXI. hæc sunt: « De incestis conjunctionibus nihil prorsus veniæ reservamus, nisi cum adulterium separatione sanaverint; incestus vero nullo conjugii nomine deputandos, quos etiam designari funestum est. Hos enim censemus esse: si quis relictam fratris, quæ pene prius soror extiterat, carnali conjunctione polluerit: si quis frater germanam uxorem acceperit: si quis novercam duxerit: si quis consobrinæ suæ se sociaverit: si quis relictæ, vel filiæ avunculi misceatur, aut patrui filiæ, vel privignæ suæ: aut qui ex propria consanguinitate aliquam, aut quam consanguineus habuit, concubitu polluat, aut duxerit uxorem, quos omnes et olim, atque sub hac constitutione incestos esse non dubitamus, et inter catechumenos usque ad legitimam satisfactionem manere, et orare præcipimus, quod ita præsenti, tempore prohibemus, ut ea, quæ sunt hactenus (in aliis legitur, ante nos) instituta, non dissolvamus. » Eadem fere sunt verba concilii Epaunensis can. XXX. ubi enumeratis variis incestuosæ capulæ casibus, inter quos enumeratur conjugium cum noverca, subditur: « Quos ut a præsenti tempore prohibemus, ita eæ quæ sunt anterius instituta, non solvimus. » In utroque itaque concilio videtur dispensatio facta cum iis qui tempore præcedenti contraxissent in primo gradu affinitatis lineæ rectæ, ut matrimonia jam contracta non dissolverentur.

Cæterum in decretis horum conciliorum non debuit ita tuto conquiescere vir ille alioquin satis doctus, ut theologorum oscitantiam reprehenderet: in neutro enim concilio conceditur dispensatio supra matrimoniis antea factis, sed sensus est longe diversus: nimirum, quia gradus aliquos enumeravit, ex quibus incestuosa copula resultabat, et poterant esse alii gradus vel impedimenta antiquioribus conciliorum canonibus et statutis inducta, protestati sunt Patres enumeratis illis gradibus, mentem suam non esse, antiquiora statuta circa alios gradus, vel impedimenta relaxare, sed in his novæ legis expressionem adjungere, qui est planus sensus verborum illorum. *Quod ita in præsenti tempore prohibemus, ut ea quæ sunt hactenus* (seu, ut alii legunt, *ante nos*) *instituta non dissolvamus.* Et idem est sensus illorum verborum concilii Epaunensis, *quod ut a præsenti tempore prohibemus, ita ea, quæ sunt anterius instituta non solvimus.* 17

Porro horum verborum utriusque concilii sensum non esse, approbare ejusmodi matrimonia antea contracta, sed potius non reprobare decreta præcedentium conciliorum circa impedimenta matrimonii diversa alibi enumerata, constat tum ex ipsa litteræ constructione, matrimonia enim non dicuntur *instituta*, sed *contracta*, ut loquitur concilium Aurelianense statim afferendum: neque etiam dictum bene fuisset *ante nos*, sed debuisset dici, *ante hanc diem*, ut comprehenderet omnia matrimonia usque ad illam diem facta, nam quæ heri facta fuerunt, non dicuntur facta *ante nos*, cum jam 18

heri nos etiam extaremus. Tum etiam his aliis specialibus argumentis.

Primo ex glossa in c. *De incestis*, xxxv. q. 2. verb. *constituta*, ubi relato canone illo concilii Agathensis, sic explicat illud verbum, id est, *antiquos canones*. Secundo, quia in illo canone Patres profitentur se ejusmodi incestuosis conjunctionibus *nihil prorsus veniæ reservare* ante separationem. Quæ autem major venia esse potuisset, quam licentia permanendi? Tertio, quia in utroque illo canone, si sermo esset de matrimoniis contractis, sermo esset universalis de omnibus, sive scienter sive ignoranter contractis. Quis autem credat, iis omnibus qui post baptismum scienter ita contraxerant cum impedimento sibi noto : fuisse concessam generalem dispensationem ? Quarto, quia ibi sermo etiam est de fratre ducente sororem in uxorem, in quo gradu non est auditum alias quod Ecclesia unquam dispensaverit : minus ergo credi potest quod data fuerit dispensatio generalis omnibus qui cum propria sorore, ut uxore cohabitabant. Quinto denique idem probatur, quia si per verba illa non significarentur decreta antiqua, quæ in suo robore relinquebant, sed matrimonia jam facta, in quibus dispensabant, sequeretur Patres illos limitasse ad solum secundum gradum impedimenta, quæ in Ecclesia universali ad seqtimnm usque extendebantur, quod quidem non dico facere, sed attentare, fuisset omnino intolerabile, ut constat ex facto S. Gregorii magni, qui voluit per aliquod breve tempus apud Anglos denuo ad finem conversos limitare impedimenta ad secundum gradum, donec fides magis ibi radicaretur, et tamen hoc ipsum occasio fuit scandali non levis in Ecclesia adversus Gregorium, ut constat ex epistola ejusdem Gregorii *ad Felicem* , quæ est trigesima prima libri xii. et affertur in c. *Equidem lex*, xxxv. q. 2. Quanto magis incredibile est, quod episcopi pauci auderent in concilio provinciali universalis Ecclesiæ legem adeo notabiliter limitare ? et tamen in illo can. xxx. concilii Epaunensis enumerantur solum copulæ incestuosæ in primo et secundo gradu. Prudenter ergo protestati sunt, se ita illos gradus proponere, et pœnas transgressoribus statuere, ut antiqua alia Patrum decreta non dissolverent, et hic est verus et legitimus sensus illorum verborum, ut appareat absque fundamento ex utroque illo concilio colligi, dispensatum fuisse universaliter in primo gradu affinitatis in linea recta.

Restat solum concilium Aurelianense 20
tertium can. x. ubi sic habetur : « De incestis conjunctionibus ita, quæ sunt statuta, serventur, ut hi, qui aut modo ad baptismum veniunt, aut quibus Patrum statuta sacerdotali prædicatione antea in notitiam non venerunt, ita pro novitate conversionis, aut fidei suæ credimus consulendum, ut contracta huc usque hujusmodi conjugia non solvantur, sed in futurum quod de incestis conjunctionibus in anterioribus canonibus interdictum est, observetur : id est, ne quis sibi sub conjugii nomine sociare præsumat relictam patris, filiam uxoris, sororem uxoris ; consobrinam, aut sobrinam, relictam avunculi, vel patrui, » ubi numerantur aliqua impedimenta in primo gradu affinitatis in linea recta : et tamen matrimonia antea contracta tolerantur.

Respondetur tamen, ex hoc loco non 21
posse colligi dispensationem ullam factam a Concilio, nam vel matrimonia illa fuerant facta ante baptismum : et tunc si illud impedimentum erat de jure naturæ, non poterat ab Ecclesia dispensari. Si vero impedimentum erat de solo jure ecclesiastico, cum hoc non obligaret infideles nondum baptizatos, matrimonia fuerunt valida, nec ulla indigebant dispensatione. Vel matrimonia fuerunt contracta post baptismum, sed ante promulgationem sufficientem legis ecclesiasticæ, ut in ipso canone supponitur; et tunc etiam redit idem argumentum, quia si hæc matrimonia sunt jure naturæ irrita,

non poterit Concilium in iis dispensare : si vero solo jure ecclesiastico irrita sunt, et lex hæc non fuerat illis gentibus sufficienter promulgata, non obligabat, et per consequens non erat necessaria dispensatio ad valorem matrimonii. Nulla ergo ex toto illo canone colligi potest dispensatio facta in illo impedimento ad valide contrahendum.

22 Porro Patres illius concilii non habuisse animum positive dispensandi, ut tale matrimonium fieret, confirmari potest primo ex concilio Arvernensi, quod in eadem Gallia biennio ante concilium illud Aurelianense fuerat celebratum ; et in can. XI. definitum fuerat, ejusmodi copulam esse contra legem divinam et jura naturæ. Non est ergo credibile, quod Patres concilii Aurelianensis assumerent sibi licentiam dispensandi, ut fieret id quod ante biennium declaratum fuerat esse contra legem divinam et naturalem.

23 Confirmatur secundo ex concilio Turonensi II. quod paulo post in Gallia celebrarum fuit, ubi can. XXII. late probatum est : matrimonia illa fieri non posse, ideoque noluerunt permittere regi Chariberto, ut cum sorore uxoris contraheret ; non est enim credibile quod nollent dispensare cum rege in leviori illo impedimento, si paulo ante in concilio Aurelianensi cum tot aliis dispensatum fuisset in inpedimento adeo graviori, præsertim cum ex separatione et dissolutione illius conjugii regis jam celebrati, tot et tanta damna sequerentur, de quibus videri potest Baronius t. VII. anno Christi 570. et Gregorius Turonensis *hist. Franc.* cap. XXVI. Potuisset quippe rex merito conqueri, dicens, negari sibi uni rem leviorem multo, quam quæ paulo ante plebeiis omnibus fuerat concessa.

24 Ad summum ergo Patres Aurelianenses noluerunt positive declarare matrimonia illa esse irrita, nec auctoritate ecclesiastica illa dissolvere ; quia cum pro illorum valore allegari posset, illa quidem esse prohibita et turpia jure naturæ, non tamen invalida, prout auctores primæ sententiæ dicunt : noluerunt Patres contra illorum valorem definire aut procedere, sed declarare solum id quod certum erat, nempe esse incesta et turpia, ac, si deinceps a fidelibus fierent, esse irrita, et abstinere a re minus certa, Existimarunt tamen talem ac tantam turpitudinem continere, ut esto non essent irrita jure naturæ, adhuc indispensabilia essent illa impedimenta, hoc est non posse dispensari ut licite contraheretur indifferenter in illis gradibus, quod potissime dictum propter impedimentum casus nostri in linea recta affinitatis, constat ex verbis subsequentibus, ubi adducta maledictione ex *Deuter.* XXVII. qua maledictus enuntiatur qui dormit cum uxore patris sui, vel cum privigna, subdunt Patres : « Quo fit, ut quos Deus maledixit, nos nisi emendatos benedicere non possimus. »

Adverte denique, canonem illum Aurelianensem postea in decreto Gratiani insertum esse ; illam tamen clausulam de matrimoniis antea factis non dissolvendis nunquam acceptatam, vel approbatam, sed ab omnibus prætermissam fuisse, ut constat ex dicto c. de *Incestis* XXXV. q. 2, ante cujus capitis titulum notatur textum illum quoad aliqua desumptum esse ex concilio illo Aurelianensi, demptis tamen aliquibus quæ non sine causa omnes omiserunt. Unde quamvis concilia provincialia auctoritatem aliquam habeant ; non tamen in iis in quibus non sunt ab Ecclesia recepta, sed in iis quæ veteri doctrinæ non repugnant, imo potius ex ipsa colligi possunt, ut advertit Suarez disp. IV. *de fide* sect. VII. n. 3. Et quidem in hac eadem materia turpiter errarunt Patres concilii Wormatiensis can. LXIII. ubi his verbis sanxerunt : « Si quis cum matre, et filia in adulterio mansit, nesciente matre, quod cum filia mansisset, similiter et filia nescia, quod cum matre mansisset, et postea ille vir, si acceperit mulierem, dimittat eam, et usque in diem mortis suæ non habeat uxorem, et illa mulier, quam re-

liquerit, accipiat virum » ubi vides, matrimonium valide contractum cum aliqua tertia femina post crimen incestus (cum hoc crimen non afferat, nec unquam attulerit impedimentum dirimens subsequens matrimonium, sed solum impediens,) dissolvi tamen, et permitti uxori dimissæ, ut cum alio contrahat de novo. Cui non est dissimile, quod ex concilio apud Vermerios refertur a Gratiano in Decreto, et habetur xxxi. q. 1. c. *Si qua mulier*, in hæc verba : « Si qua mulier in mortem mariti sui cum aliis consiliata sit, et ipse vir aliquem illorum se defendendo occiderit ; si probare potest ille vir eam ream esse consilii, potest (ut nobis videtur) ipsam uxorem dimittere, et si voluerit aliam ducere » et rursus, quod ex eodem concilio refertur in c. *Si quis cum noverca*, xxxii. q. 7. his verbis : Si quis cum noverca sua dormierit, neuter ad conjugium potest pervenire : sed vir ejus potest, si vult, aliam accipere, si se continere non potest. » In quibus locis putarunt post incestum, ita dissolvi matrimonium ut conjux innocens possit cum alio contrahere.

Quod turpissime etiam decretum fuit in concilio Aquisgranensi, et concilio Metensi, habitis tempore Nicolai I. in quibus ob prætensum reginæ adulterium, matrimonium regis cum illa dissolutum fuit, regique alia uxor concessa, et quod pejus est, probantibus id postea sedis Apostolicæ legatis, quorum decreta reprobavit postea Pontifex in concilio Romano III. de quibus videri possunt Gard. Baron. to. x. anno 862. et Coriolanus in *Breviario chronologico*, eodem anno, quæ omnia dicta sunt, ut appareat, quam debile fundamentum desumi possit ex illo canone concilii Aurelianensis, ad probandam concessionem dispensationis, cum nec ibi dispensatio una sit, nec si fuisset, sufficeret ad probandum id fieri potuisse. Quanto validius argumentum sumi potest ex decreto concilii Limensis supra adducto, quod fere certo est factum ex responso Pauli IV. et quod expresse affirmat invaliditatem illius matrimonii etiam de jure naturæ, et tempore infidelitatis.

Secundo principaliter alii arguunt in favorem dispensationis, quia indubitatum est Papam posse dispensare in impedimento, quod probabile est esse de solo jure ecclesiastico, quale est hoc impedimentum, quod omnes doctores fatentur esse saltem probabile, quod non sit de jure naturæ ; ergo omnes pro indubitato habent, quod possit Papa dispensare. Respondetur, in his committi fallaciam a propositione modali ad absolutam ; id enim, quod omnes fatentur, non est quod sit indubitatus valor illius dispensationis, sed esse certum quod sit probabiliter valida. Nam, si reipsa sententia dicens impedimentum illud esse de jure naturæ sit vera, dispensatio reipsa non erit valida, esto Pontifex absque peccato illam concesserit ; neque ullus theologus dicit, valorem illius dispensationis fore certam, sed solum fore probabilem. Fateor quidem, aliquando in materiis aliis stante varietate opinionum, Pontifices dispensasse amplectendo opinionem dicentem posse fieri ; certum est tamen, non id fecisse in omnibus casibus, nam probabile etiam est, impedimentum fratris cum sorore non irritare matrimonium de jure naturæ, et tamen huc usque Pontifices nunquam in eo impedimento dispensarunt, sicut nec in casu nostro. Ratio autem est propter turpitudinem summam illius conjugii, ob quam adeo vehementer illud detestantur sacræ litteræ. 27

Tertio arguunt, quia Papa dispensare potest in iis in quibus de facto dispensare solet. Quod autem in hoc impedimento soleat, probant ex praxi sacræ Pœnitentiariæ, et Datariæ, quæ semel etiam dispensasse dicitur cum A. M. Item, quia Martinus V. dispensavit, ut aliquis duceret suam sororem, ut refert S. Antoninus III. p. tit. i. c. 11. *de affinitate*, et archidiaconus apud Armillam verb. *dispensatio*, n. 10. et denique 28

Henriquez l. xii. *de matrim.* c. ix. §. 5. in margine, littera P. dicit Martinum V. dispensasse in matrimonio cum noverca.

29 Respondetur, in Pœnitentiaria et Dataria nunquam dispensatum esse in hoc impedimento affinitatis in primo gradu lineæ rectæ contracto ex matrimonio, sed solum, quando oritur ex copula illicita, quod est impedimentum valde diversum, et de quo non est dubium quod non irritet matrimonium de jure naturæ nam ea affinitas non affert ea inconvenientia quæ affert affinitas orta ex matrimonio : imo, licet aliquis tempore infidelitatis aliquam fornicarie cognovisset, posset post baptismum ejus filiam ducere absque ulla dispensatione, quia affinitas ex copula illicita non est naturalis, sed mere ecclesiastica, videatur Sanchez lib. VII. *de matrim.* disp. LXV. num. 9. et 10. et disp. seq. num. 3. At vero affinitas ex matrimonio, sive sit impedimentum dirimens de jure naturæ, sive non ; certissime tamen est affinitas naturalis : unde non posset quis post baptismum contrahere cum filia illius uxoris, quam ipse legitime habuit tempore infidelitatis. Nihil ergo probat in ordine ad casum nostrum usus dispensandi aliquando cum affinibus in primo gradu lineæ rectæ ex copula illicita : de illo enim impedimento nunquam dubitatum est, an possit dispensari. Sicut passim etiam dispensatur ad contrahendum cum ea, cujus sororem idem vir antea illicite cognoverat : et tamen non solet, nisi forte rarissime, dispensari, ut contrahat cum uxore sui fratris relictis filiis ex priori matrimonio : quia nimirum affinitas hæc orta ex matrimonio multo fortior est, quam quæ oritur ex copula illicita : et ideo in concilio Tridentino hæc limitata est ad secundum gradum, illa vero extenditur ad quartum.

30 Exemplum, quod affertur ex S. Antonino dispensationis a Martino V. concessæ, ut frater duceret suam sororem, falsissimum est : nec S. Antoninus id dicit, sed quod post matrimonium contractum, dispensavit ut vir retineret uxorem illam, cujus sororem ante matrimonium fornicarie cognoverat, et hoc cum maxima difficultate, verba Antonini sunt hæc : « Reperitur tamen Papa Martinus V. dispensasse cum quodam, qui contraxerat, et consummaverat matrimonium cum quadam ejus germana, quam fornicarie cognoverat, cum magna tamen difficultate, et quia res erat occulta, nec ille erat aptus ad religionem, vel ad remota eundum, unde scandalum ex divortio, si factum fuisset, sequendum erat. Prius ordinavit, plures theologos, et canonistas super hac re habere collationem, utrum ipse posset in hoc dispensare, nec convenerunt in conclusione, sed aliqui dixerunt quod poterat, alii contrarium affirmaverunt. » Hæc Antoninus, cujus verba, licet clarissima sint hæretici tamen, ut reprehenderent imprudentiam Martini V. pessima constructione adhibita, intellexerunt de matrimonio fratris cum propria sorore, ut notavit Card. Bellarm. l. I. *de matrim.* c. XXV. in fine ; cum tamen ibi sit sermo de sorore illius feminæ, quam maritus antea fornicarie cognoverat. Alioquin enim non deberet diceret, *cui ejus germana, sed cum sua germana,* nec in dispensatione attenderetur, quod copula fuerat occulta, quid enim hoc referebat, si fraternitas erat publica ? imo magis juvaret ad dispensationem, quod publice constaret de copula præcedente, ut remedium adhiberetur sorori violatæ. Sicut autem hæretici ex malitia, ita Armilla, et aliqui ex inconsiderantia decepti sunt in constructione verborum illorum, et intellexerunt de dispensatione cum sorore contra manifestum verborum sensum. Hac etiam occasione deceptus est Henriquez loco supra citato, tribuens Martino V. quod dispensasset in matrimonio cum noverca : quia nimirum Antoninus proposuerat simul utrumque impedimentum, scilicet primum

gradum affinitatis in linea recta, et in transversa, et statim subdit : « Reperitur tamen Papa Martinus V. dispensasse cum quodam, etc. » ut supra retulimus ; quæ tamen dispensatio non fuit in linea recta, sed in transversa. Constat ergo manifeste Henriquez fuisse deceptum ; ipse enim non potuit scire de dispensatione illa Martini V. ad matrimonium cum noverca, nisi vel per revelationem, vel per revelationem alicujus auctoris : certum est autem apud nullum prorsus auctorem ex innumeris, qui post Martinum Quintum scripserunt, mentionem fieri ejus dispensationis, sed illius solum quam retulimus. Citant alii Archidiaconum pro illa dispensatione a Martino concessa ad matrimonium fratris cum sorore : id tamen est omnino falsum, et decepti sunt eo quod apud Armillam citatur Ar. Flor. hoc est, archiepiscopus Florentinus, qui est S. Antonimus : ipsi vero intellexerunt ab Armilla citari Archidiaconum. Nulla ergo afferri potest dispensatio hucusque a sede Apostolica concessa in casu nostro.

Quarto arguunt aliqui, quod id quod alicui prohibetur in pœnam delicti, id ei licitum erat, vel possibile, si delictum illud et pœna non intervenissent : sed non posse ducere affinem in primo gradu lineæ rectæ, nempe filiastram, prohibetur in pœnam ei qui illam incestuose cognovit in cap. 1 *de eo qui cognovit*, etc. ergo seclusa illa pœna, id non erat illicitum vel impossibile.

Respondetur in primis, textum illum non esse alicujus Pontificis, sed inscribi ex concilio Metensi, quod concilium non invenitur, et fortasse est illud, cujus meminit Baronius tom. 1. anno 869. et dicit fuisse concilium deprædatorium, ac injustum : unde in margine illius decretalis notatum invenitur ex Soto, textum illum caute legendum esse. Refertur tamen magis integer apud Burcardum lib. XVII. c. X. ubi doctrinam continet absurdissimam : habet enim hæc verba : « Si quis cum filiastra sua fornicatus fuerit, nec matrem, nec filiam potest habere, nec illa, nec ille aliis poterunt se conjungere ullo unquam tempore ; attamen uxor ejus, si ita noluerit, et esse continere non potest, si postquam cognovit, quod cum filia sua vir ejus fuit in adulterio, carnale commercium cum eo non habeat, si vult, alii nubere potest : » ubi vides errorem manifestum, quod scilicet matrimonium dissolvi possit propter adulterium incestuosum.

Adde, non oportere quod intelligatur 33
per modum pœnæ inhabilitas illa ad contrahendum cum filiastra, sed potest intelligi, quod declaretur solum inhabilitas, quam aliunde habet. Et quidem certum est quod, etiamsi non interveniat adulterium cum filiastra, non potest cum ea post mortem matris valide contrahi matrimonium, sive ea inhabilitas proveniat ex jure naturæ, sive ex jure ecclesiastico. Tota ergo doctrina, quæ habetur in dicto capit. 1. verissima est. Verba, prout in compilatione Decretalium habentur, hæc sola sunt : Si quis cum filiastra sua scienter fornicatus fuerit, nec a matre debitum petere, nec filiam unquam potest habere uxorem : nec filiastra, nec ille ullo unquam tempore aliis se poterunt matrimonio copulare. » Quæ omnia verissima sunt, sed non omnia eodem modo intelligi debent ; tria enim impedimenta ibi numerantur. Primum est, quod vir non possit amplius debitum petere ab uxore propter affinitatem contractam : et hæc est mera pœna, et ideo apposita fuit particula *scienter* ; quia si ignoranter cognita fuisset filiastra, non incurreretur illa pœna. Secundum est impedimentum contrahendi cum filiastra, et hoc est impedimentum irritans, et in rigore, ut dixi, non est pœna incestus, quia etiam absque ulla culpa procedit, sive de jure humano, sive de jure naturæ. Tertium est impedimentum viri et filiastræ ad ullum matrimonium unquam contrahendum, et hoc est impedimentu immpediens solum, non vero irritans matrimonium subse-

quens : est tamen pœna, et ideo sine culpa non incurritur. Sicut ergo illa duo impedimenta ultima non sunt ejusdem rationis, sed alterum est irritans, et alterum impediens : ita alterum non est pœnale, atque adeo datur absque ulla culpa.

34 Denique, si contendas, inhabilitatem illam ad contrahendum ullo tempore cum filiastra incestuose cognita, aliquid pœnæ includere, poterit in aliquo sensu id concedi. Cum enim aliqui doctores probabiliter, ut vidimus, dicant matrimonium cum filiastra non esse irritum jure naturæ, atque adeo posse valide ab Ecclesia dispensari in eo impedimento ; potuit hæc etiam pœna adultero incestuoso cum filiastra imponi, ut si forte possibilis sit talis dispensatio ; ille tamen adulter careat omni spe talis dispensationis obtinendæ. Sicut etiam in Tridentino sess. XXIV. cap. v. generaliter dicitur, « Eos, qui intra gradus prohibitos matrimonium contrahere præsumpserint, separandos esse, et spe dispensationis consequendæ carere, » quibus verbis non significatur, potuisse in illis omnibus gradibus prohibitis ab Ecclesia dispensari ; atque inter fratrem et sororem, avum et nepotem, etc. sed solum in pœnam aufertur spes dispensationis in iis casibus, in quibus dispensatio possibilis fuisset quicumque illi sint.

35 Quinto arguunt aliqui, ut probent licite et sancte posse dari dispensationem ad ducendam nurum, nec debere, quod insolita sit, Pontificem ab ea concessione deterreri : quia imo ea de casu expediret in re adhuc controversa inire possessionem juris et potestatis Pontificiæ, quam posito usu, nemo ulterius in hoc casu negaret, aut in controversiam adduceret. Respondeo, hoc argumentum probare quod expediret etiam a Pontifice dispensari in matrimonio fratris cum sorore, ut reipsa caperet possessionem hujus facultatis, cum multi negent : alii autem multi, et doctissimi dicant posse a Pontifice valide dispensari. Expediret etiam eum multa facere quæ juxta multorum sententiam facere potest de potestate absoluta : quæ tamen nec facit, nec faciet, quia non expedit tam caro emere usum et possessionem sui juris cum tanto Ecclesiæ detrimento.

Ego quidem non definio absolute, 36
quod summus Pontifex non possit in prædicto impedimento valide dispensare, puto tamen, si ea potestas sit, nonnisi in extremo periculo et extraordinaria necessitate licite posse exerceri : alioquin certissime expedit ab ea potestate abstinere, nec introducere usum novum dispensandi in conjugio, quod a Spiritu sancto, *scelus tantum nefas maledictione dignum*, judicatur, quod communi populi maledictione prosequendum præcipitur. et cujus turpitudo ultimo supplicio ex divino præcepto puniebatur, et quod apud Patres, et concilia *grave facinus, et nefandum conjugium*, ut in superioribus, vidimus, existimabatur.

## DUBIUM XLI.

*An Ordinarius possit credere viro neganti copulam cum consanguinea uxoris, quam vult ducere, cum eamdem copulam antea juramento confirmasset ?*

Contigit in quadam civitate Marchiæ, 1
ubi Titius volebat ducere uxorem, quæ ejus consanguineis non placebat : ideoque opposita fuit illis suspicio affinitatis ortæ ex copula illicita et adulterina, quam dicebatur habuisse cum consanguinea illius, quam nunc ducere volebat. Negavit ille copulam ejusmodi præcessisse : postea tamen a consanguineis persuasus copulam fassus est cum juramento in scriptis, et coram duobus testibus. Denique quia erat ingenii volubilis, vel recalescente affectu, iterum copulam negavit, addens, se scripturam illam indu-

ctum a suis consanguineis fecisse ; rogatus fui, an Ordinarius in tanta juvenis inconstantia potest matrimonii contractum permittere.

Respondi, non posse, nisi Titius sufficientibus saltem indiciis probet falsitatem confessionis, quod a fortiori probari potest ex casu, quem affert Thomas Sanchez l. III. *de matr.* disp. xv. nu. 6. ubi refert, quod quidam ducere volebat in conjugem concubinam suam, quam vivente adhuc uxore ipsemet cognoverat : rogatus autem a parocho, an durante priori matrimonio, fidem dedisset concubinæ futuri conjugii si uxor moreretur, ipse igenue confessus est fidem datam : dicente autem parocho id esse impedimentum dirimens, negavit fidem fuisse datam, quo casu Sanchez dicit, non esse concedendam licentiam contrahendi secundum matrimonium cum concubina. Primo, quia nimis indignum est ut quod sua voce quisque dilucide potestatus est, id in eumdem casum infirmare possit, et proprio testimonio resistere, cap. *Per tuas, de probationibus*, et l. *Generaliter* XIII. C. *de non numerata pecunia*, quod potissimum in hoc casu habet locum, in quo occurrunt vehementes conjecturæ pro veritate prioris confessionis spontaneæ, nempe affectus nimius erga concubinam, præproperus tractatus matrimonii cum illa statim ac mortua est uxor, usus inter concubinarios pollicendi sibi invicem matrimonium, ut mutuum sibi amorem ostendant. Secundo, quia facile præsumi potest mendacium in negatione subsequenti, ex desiderio nuptiarum, et metu ne matrimonium concupitum impediretur. Denique, quia confessio extra judicialis probat contra confitentem, donec de ejus errore constet, ut docet Menoch. *de Præsumpt.* 130. num. 50.

Hæ sunt rationes, quibus Sanchez utitur ad illum casum, ex quibus, ut dixi, a fortiori argui potest ad casum nostrum, in quo non præcessit sola simplex confessio copulæ, sed in scriptis cum juramento, et coram testibus ad faciendam plenam fidem, quam confessionem licet ipse dicat factam ex inductione et suasione suorum consanguineorum : idem tamen non probat non fuisse veram : potuit enim inductus et suasus a suis confiteri authentice copulam, quam antea ex matrimonii desiderio negaverat. Nec credendum est, voluisse falso imponere crimen adulterii feminæ alioquin honestæ, ideoque cum juramento, et in scriptis, et coram testibus, si id falsum fuisset ; sed potius credi potest quod ex desiderio nuptiarum, et amore feminæ eam postea neget. Præsertim cum inventus fuerit in eodem lecto cum illa priori, quæ est validissima præsumptio copulæ cum ea habitæ, quam postea cum juramento fassus fuit, quibus stantibus, non apparet quomodo possit Ordinarius licentiam dare ad celebrandum matrimonium, quamdiu vel contrarium non probatur, vel dispensatio sedis Apostolicæ non obtinetur, pro qua sententia videtur etiam esse Basilius Pontius lib. V. *de matrimon.* cap. III. n. 3. ubi ait : « Si contrahentes, opposito per unum testem impedimento, nec probato, primum confessi sunt impedimentum, postea negaverunt, standum esse primæ confessioni, nisi probent secundam veram. » Quid diceret, si prima confessio fuisset juramento, scriptura, testibus, et tot aliis præsumptionibus adminiculata.

## DUBIUM XLII.

*An ad valorem matrimonii requiratur acceptatio consequens ex parte conjugis, qui prior consensum expresserat ?*

Casus hic magis videtur metaphysicus quam moralis : quia tamen coactus sum respondere, proponam illum, prout propositus mihi fuit. Titius, et Seia matrimonium per verba de præsenti coram parocho et testibus contrahunt. Titius 1

prior consensum verbis expressit : mox Seia, prout moris est, rogatur, et respondet : *Ego etiam accipio Titium in meum conjugem.* Titius immediate post prolata hæc verba a Seia, non acceptat ejus consensum, imo positive non vult acceptare. Quærebatur, an hic dissensus eo temporis momento superveniens impedire potuerit valorem matrimonii? Ratio dubitandi desumi poterat ex doctrina communi, quam late explicuimus, et probavimus t. II. *de Justitia* d. XXII. s. III. n. 26. et seq. ubi diximus, in contractibus mutuis onerosis non intelligi contractum perfectum et irrevocabilem, donec uterque contrahens suum consensum in obligationem expresserit, et quilibet eorum cognoverit alterum sese obligasse, et acceptasse simul suam obligationem. Unde, cum matrimonium sit contractus mutuus onerosus, non videtur perfectus et irrevocabilis, donec uterque conjux consensum expresserit et acceptaverit consensum alterius, et noverit ejusdem acceptationem. Non ergo sufficit quod secundus conjux consensum expresserit, si primus hunc consensum et acceptationem in eo inclusam non acceptaverit : quare si non acceptat sed rejicit, contractus non videtur subsistere.

2 Dixi tamen, vix concedi posse quod matrimonii valor ex eo præcise capite defecerit. Pro quo adverto, conjuges iisdem omnino verbis, quibus proprium consensum exprimunt, significare etiam se acceptare obligationem, et consensum ab altero conjuge expressum ; neque enim alia verba proferunt præter illa, *Accipio te in meum*, vel *in meam*, quæ verba utrumque significant, nempe et obligationem propriam et acceptationem obligationis alterius conjugis, nec possunt unum sine altero exprimere ; cum enim sit contractus constans essentialiter ex mutua utriusque obligatione, nec possit ex una parte claudicare, quin ex utraque deficiat, non potest vir, v. g. dicere *Volo esse tuus vir*, quin eo ipso dicat, *Volo habere te in uxorem*, ac per consequens habere te mihi obligatam, sine qua obligatione non esset uxor, nec vir esset ejus maritus : debet ergo velle indivisibiliter utramque obligationem, et per consequens iisdem verbis exprimit et suam obligationem, et quod vult, seu acceptat obligationem alterias, quæ voluntas sufficit, ut absolutis verbis secundi conjugis, censeatur perfectus undique contractus, nulla alia expectata morala temporis subsequentis ; jam enim uterque expressit suum consensum, et novit consensum alterius, et illum acceptavit. Et quidem de consensus expressione constat, siquidem uterque supponitur protulisse verba necessaria ad exprimendum consensum. Rursus singuli ea verba audierunt. Quilibet consensum alterius acceptavit, et dixit se acceptare : nam dicendo se velle habere alterum in conjugem, dixit, se vere habere alterum sibi obligatum, cum non possit esse conjux, nisi qui conjugi obligatus est, atque adeo dixit, se velle acceptare alterius obligationem et consensem. Ille ergo, qui prior consensum expressit, jam habuit, et manifestavit voluntatem acceptandi obligationem a conjuge posterius locuturo mox exprimendam. Vel ergo ille prior permanit in hac voluntate, quandiu posterior verba protulit vel non permansit, sed revocavit saltem interius suam voluntatem, antequam posterior proferret verba, quantum satis erat ad exprimendum consensum. Si dicatur hoc secundum, procul dubio matrimonium in foro conscientiæ non erit validum, quia eo tempore, seu instanti ultimo, quo sacramentum conficiendum erat, deerat jam voluntas requisita in priori conjuge, qui non poterat invitus recipere validum sacramentum, nec de hoc potest esse dubitatio, quia indecumque deficiat voluntas ante confectum sacramentum corruit valor sacramenti, præsertim in matrimonio, in quo ad valorem non solum requiritur voluntas, sed voluntas libera a metu et coa-

ctione, qui metus et coactio non irritant valorem aliorum sacramentorum.

Dixi, in foro conscientiæ matrimonium non fore validum in prædicto casu ; quia in foro externo difficile probari, et credi poterit ille defectus, nisi adsint aliæ conjecturæ, et circumstantiæ, quæ id persuadeant. Cum enim immediate ante prior conjux expresserit suum consensum, et significaverit voluntatem acceptandi obligationem mox a posteriori conjuge exprimendam, non credetur priori conjugi asserenti, se interius retractasse hanc voluntatem, quandiu verba a posteriori conjuge proferebantur : sed magis credetur verbis ejusdem, quibus paulo ante dixerat, se eum consensum, et obligationem acceptare, quibus verbis in foro externo standum erit, quamdiu contrarium sufficienter non constabit.

Si vero dicatur primum, nempe, quod voluntas prior non fuit retractata, sed perseveravit saltem moraliter toto illo tempore, quo verba a posteriori conjuge prolata fuerunt, quantum sufficiebat ad significandum consensum : et quod immediate post, prior conjux retractavit consensum, et voluntatem acceptandi consensum alterius ; non videtur posse ex hoc capite dubitari de valore matrimonii, cui obstare non potuit mutatio illa voluntatis, quæ jam invenit matrimonium perfectum. Si enim toto illo tempore, quo verba proferebantur a secundo conjuge, primus habebat voluntatem acceptandi moraliter perseverantem, necesse est, quod in fine verborum acceptatus fuerit consensus posterioris conjugis ex vi illius voluntatis moraliter perseverantis : quare mutatio voluntatis postea subsecuta nimis sera est, et post perfectum irretractabiliter matrimonium : sicut volens baptizari, et in voluntate perseverans, quandiu effunditur aqua, et proferuntur verba formæ, non poterit impedire valorem baptismi, quamvis immediate post ablutionem, et prolationem verborum, mutet voluntatem et nolit baptizari : quia positiva materia, et forma necesse dst quod fiat sacramentum, si non fuit obex contrariæ voluntatis in conferente, vel suscipiente sacramentum. Idem ergo dicendum erit in casu nostro de valore matrimonii.

Dixi tamen supra, *vix concipi posse*, quod mutatio voluntatis impediat valorem matrimonii : quia posset aliquis contendere, et excogitare casum metaphysicum, quo id fieri posset. Diximus enim loco supra citato, contractus hujusmodi mutuos et onerosos tunc perfici, quando singulorum consensus singulis notus fit, et a singulis acceptatur, et hæc acceptatio singulis etiam innotescit. Posset ergo aliquis excogitare, quod intercederet aliquando brevissima temporis morula inter absolutam prolationem verborum a Seia, et auditionem, qua verba illa a Titio percipiuntur, propter distantiam aliquam localem quæ facit ut sonus verborum non percipiatur eodem momento, sed post morulam brevissimam, qua species perferri possint ad organum auditus. Posset ergo fingi, quod intra illam brevissimam morulam post prolata verba a Seia, et antequam audiri potuerint omnia a Titio, Titius mutet voluntatem, et nolit acceptare Seiæ consensum : quo casu voluntas nova contraria Titii impedire poterit valorem matrimonii, quod nondum erat perfectum, cum nondum venisset complete ad Titii notitiam Seiæ consensus verbis expressus. Nec tunc dici debet, quod posita materia et forma sacramenti non resultat sacramentum : nam revera, posita ea hypothesi, nondum posita est materia sacramenti, quæ quidem est contractus humanus legitimus et perfectus ; qui in eo casu positus non fuit, cum supponamus, contractum humanum mutuo onerosum non poni, donec utriusque consensus, et ejus mutua acceptatio singulis innotescat. Deficiente ergo voluntate, et intentione ex parte Titii, qui simul est minister, et suscipiens hoc sacramentum, et posita in ipso voluntate contraria, non est mirum quod non resultet sacramentum matrimonii ; sicut

non resultat contractus humanus legitimus propter defectum voluntatis ex parte unius ex contrahentibus.

6 Cœterum, quidquid sit de possibilitate hujus casus, quæ magis videtur metaphysica et speculabilis, quam practica, nobis in præsenti satis est, quod post prolata verba a Seia, et audita a Titio, non potest Titius retractare suam voluntatem, nec ita nolle acceptare consensum Seiæ, ut ea nova voluntas Titii reddat irritum, et invalidum matrimonium, quod erat quæsitum a proponente dubium.

## DUBIUM XLIII.

*Utrum concedi possit dispensatio ad contrahendum matrimonium in primo gradu affinitatis, et secundo simul consanguinitatis ?*

1 Illustrissimus quidam enixe petebat dispensationem, ut posset ducere uxorem relictam sui fratris defuncti, quæ simul conjuncta erat oratori in secundo gradu consanguinitatis. Et quidem de valore dispensationis, si concederetur, non dubitabatur, cum neutrum esset impedimentum juris divini, vel naturalis, sed utrumque esset de jure humano ecclesiastico. Difficultas tota erat, an deceret et expediret id concedere ; conjunctio enim utriusque impedimenti simul reddebat dispensationem multo difficiliorem : et (quod in ejusmodi casibus maximi ponderis esse solet,) res videbatur esse sine exemplo, ut in utroque simul impedimento dispensatum unquam fuerit.

2 Dixi tamen, difficiliorem quidem esse ejusmodi dispensationem propter concursum utriusque impedimenti in eadem persona, quia sicut singula quæ non prosunt, simul collecta juvant, ita singula, quæ non obsunt, simul collecta nocent : atque adeo majores desiderari causas ad eam dispensationem justificandam, quam si unum solum esset impedimentum ; posse tamen tales esse causas et rationes, ut etiam stante utroque impedimento, summus Pontifex dispensare merito possit. Nec id dicetur sine exemplo concedere ; possumus enim alia exempla invenire, vel ejusdem rationis, vel saltem æquivalentis, Nam in primis opinio est multorum, quos affert Thomas Sanchez lib. VIII. *de matr.* disp. XXIII. n. 1. quam ipse ibi fatetur esse probabilem, qui dicunt quando aliquis habet impedimentum simul affinitatis et consanguinatis, satisfacere si in diversis supplicationibus diversa impedimenta proponat, et quamlibet earum dispensationem validam esse quoad impedimentum in ea explicatum, quamvis nunquam fuerit explicatus concursus utriusque impedimenti in eadem persona : quod etiam probabile putat Diana I. p. tr. x. *de legibus*, resol. 39. in prima editione : loquuntur autem ii doctores, etiam quando utrumque impedimentum est publicum, ut notavit Sanchez loco cit. qui adhibet aliquas limitationes, quæ tamen non tangunt casum nostrum. Si ergo orator ipse amplectendo eam sententiam, quam tot doctores veram, vel probabilem esse docent, potuisset duas dispensationes obtinere utriusque impedimenti, tacendo concursum utriusque in eadem persona : quanto magis summus Pontifex intervenientibus causis gravissimis, quales intervenire dicebantur, potuisset rationabiliter dispensare, ut ejus auctoritate fiat id, quod absque ejus notitia potuisset juxta multorum sententiam duplici diversa dispensatione obtineri ?

Secundo multi dicunt, habentem fa- 3
cultatem generalem dispensandi in secundo gradu consanguinitatis, et in secundo affinitatis, posse dispensare, quando utrumque impedimentum simul concurrit, quia in potestate generali casus mistus comprehenditur concessis simplicibus, ut tradit Thomas Sanchez d. lib. VIII. disp. XXII. n. 10. juncta disp. II. n. 28. Credibile autem est ejusmodi facul-

tatem dispensandi communicatam aliquando fuisse aliquibus, præsertim pro reginionibus remotissimis : imo contineri videtur in iis facultatibus, quas Leo X. communicavit aliquibus religiosis in regionibus infidelium prædicantibus, quæ habentur in bulla III. ejusdem Leonis in Bullario regularium Emman. Roderici ; nam ibi conceditur eis facultas generalis dispensandi cum schismaticis, qui ad fidem convertuntur, ut possint retinere uxores, cum quibus contraxerant in gradibus a lege divina non prohibitis. Certum est autem, primum gradum affinitatis in linea transversa, et secundum consanguinitatis in eadem linea transversa, non irritare matrimonium de lege divina, sed de jure humano. Credibile ergo est, religiosos illos usos fuisse facultate sibi concessa, et dispensasse cum aliquibus etiam concurrente simul utroque illo impedimento, cum summus Pontifex absque limitatione facultatem illis concessisset.

Tertio ille, qui habet facultatem a summo Pontifice dispensandi in secundo gradu consanguinitatis, potest dispensare concurrente duplici impedimento, ex duplici secundo gradu consanguinitatis, ut cum aliis docet idem Sanchez disp. XXIV. n. 9. Fortius autem etiam esse impedimentum, quod resultat ex secundo gradu consanguinatis, quam quod resultat ex primo affinitatis in linea transversa, asseruit idem Sanchez lib. VII. *de matrimonio*, disp. LXVI. n. 11. Quare in ejus sententia, ut consequenter loquatur, difficilius dispensari poterit cum habentibus duplex impedimentum ex duplici secundo gradu consanguinitatis, quando, v. g. ex parte utriusque parentis sunt consanguinei in secundo gradu, quam cum habentibus impedimentum simul ex secundo gradu consanguinitatis, et primo affinitatis in linea transversa ; cum in primo casu utrumque impedimentum sit fortius, quam unum ex impedimentis currentibus in secundo casu.

His ergo, et aliis quæ adducta fuerunt, attente perpensis, et præsertim, quod dispensatio cedebat in bonum publicum religionis et fidei, et quod Oratrix constanter affirmabat, non fuisse se carnaliter cognitam a primo marito, atque ideo non fuisse contractum impedimentum affinitatis, sed solum publicæ honestatis : quamvis ad majorem cautelam, et ne ad difficiles probationes veniendum esset, dispensatio peteretur, etiam quatenus resultasset impedimentum affinitatis in primo gradu : his, inquam, consideratis, post longam disputationem, et considerationem, felic. record. Urbanus VIII. anno in fallor, 1643. dispensationem concessit.

## DUBIUM XLIV.

*An non obstante promissione, posset non contrahi matrimonium promissum, cedente femina cum damno prolis ?*

Titius, dum uxorem haberet Seiam, violavit Juliam, feminam quidem non sibi parem, sed tamen conditionis honestæ : quam iterum, mortua jam uxore Seia, violavit, ac demum ut sese a peccato absterreret, obligavit se, et cum juramento eidem Juliæ promisit quod eam in uxorem accipere deberet, si rursus eam carnaliter cognosceret ; sed propositi parum tenax ab ea sæpius copulam extorsit : desiderabat ergo relaxationem juramenti et promissionis factæ, ne ad matrimonium cum Julia ineundem teneretur, ex qua post mortem uxoris quatuor filios, qui adhuc extabant, susceperat. 1

Dixi, si promissio matrimonii etiam cum juramento facta fuisset a Titio, vivente adhuc propria uxore, non fuisset opus relaxatione, cum promissio ipsa ad nihil obligaret, quippe quæ fuisset de re turpi et illicita ; copula enim per adulterium habita, et promissio matrimonii, durante primo matrimonio, inducunt 2

impedimentum criminis, quod irritat subsequens matrimonium, ut constat ex c. finali, *de eo qui duxit*, etc. et tradunt communiter doctores, quos vide apud Sanchez lib. VII. *de matrim.* disp. LXXIX. qui n. 3. bene advertit, nihil referre quod promissio præcedat, vel subsequatur adulterium; in utroque enim casu nascitur idem impedimentum dirimens futuri matrimonii.

3 Quia tamen in casu proposito nihil dicebatur de fide data a Titio, durante primo matrimonio, atque ideo non præsuminus, ejusmodi impedimentum irritans ortum fuisse; negare non possumus, promissionem illam validam fuisse, atque ideo, per se loquendo, Titium, posita conditione subsequentis copulæ, teneri ad eam adimplendam, cum promissio ex animo facta, et præsertim subsecuta copula, obliget promittentem, ut tradunt omnes, et dixi to. I. *de Justitia* disp. XII. sect. 2. n. 1. Nec facile sperari potest, quod summus Pontifex concedat relaxationem illius juramenti, et liberet Titium ab obligatione contracta: nam, licet ex rarissima et gravissima causa, quando id ad bonum publicum necessarium judicatur, possit Pontifex relaxare juramenta, quibus jus alicui tertio fuerat acquisitum; id tamen facere non potest, nisi ex gravissima causa ad bonum commune spectante, ut cum aliis, quos affert, docet Thomas Sanchez lib. III. *in Decalog.* c. XXI. n. 9. et nos diximus t. II. *de Justitia* disp. XXII. sect. 8. n. 192. In casu autem nostro non aderant causæ sufficientes, ut Pontifex uti posset plenitudine potestatis ad tollendum jus acquisitum tertio ex promissione matrimonii cum juramento.

4 Unica restabat via, ut Titius liberari posset, obtinere scilicet a Julia, quod remitteret obligationem Titio; ipsa enim remittente, et respuente nuptias promissas, cessabit obligatio juramenti, quod est accessorium promissioni, cujus obligatio ex voluntate promissarii nolentis rem promissam, potest dissolvi. Et quidem fortasse id non nimis ægre a Julia impetrari posset: ego tamen verebar, ne id Julia vel metu reverentiali, vel certe contra conscientiam faceret; supponebatur enim habere quatuor filios a Titio genitos post mortem uxoris, atque ideo ejus conditionis, ut per subsequens matrimonium legitimi fierent, quorum commoda et honores, qui ex legitimitate sequerentur, videtur eorum mater vel ex justitia, vel certe ex charitate et pietate quam propriis filiis debet, non posse sine gravi culpa negligere, cum facile possit filios ab infamia et paupertate liberare, retinendo jus quod habet adversus Titium, ut sibi fides promissa servetur, præsertim cum filii ipsi sub ea spe futuri matrimonii concepti videantur quasi jus aliquod ad futuram legitimitatem comparasse, nec genitrix excusanda sit, si prodiga honoris, et fortunarum filiorum sine causa sufficienti eorum omnium jacturam non impediat, cum impedire facile possit. Quare consulit, ut Titius quamprimum promissa impleret, omni prorsus tergiversatione, vel dilatione sublata, ne forte (quod frequenter contingit) dum causas differendi prætendit, morte præoccupatus satisfacere non possit, et filios suos, quos legitimare poterat et debebat, illegitimos et egenos relinquat.

## DUBIUM XLV.

*An Episcopus possit sua lege irritare matrimonia contrahenda sine præmissis denuntiationibus?*

Archiepiscopus quidam, cum tentatis variis mediis, et impositis aliis pœnis, non posset extirpare abusum, qui in sua diœcesi nimium irrepserat, quo aliqui variis de causis occulte matrimonium contrahere volentes, sub prætextu infirmitatis, vel alio simili, parochum ad se

vocabant, illoque præsente, et duobus testibus matrimonia repente contrahebant, antequam parochus effugere posset; ex quibus matrimoniis multa scandala et dissensiones oriebantur: idcirco lege et edicto publico non solum id prohibuit, sed abstulit facultatem parochis, et aliis sacerdotibus de eorum licentia assistendi ejusmodi matrimoniis, non præmissis denuntiationibus, eosque omnes quoad hunc actum assistendi suspendit, ac declaravit matrimonia, si quæ deinceps hoc modo fierent, fore invalida, ob defectum potestatis assistendi ex parte parochi, vel alterius sacerdotis, quæ jam hac lege ablata fuerat. Quæsitum fuit, an id Archiepiscopus valide facere potuerit?

2 Respondi, Archiepiscopum potuisse ultra pœnas jure communi statutas, aliis pœnas addere ad ejusmodi abusum impediendum. Dixi, *ultra pœnas jure communi statutas;* quia certum est, parocho assistenti, non præmissis denuntiationibus, imponi triennalem suspensionem in c. finali, *de clandest. desponsat.* et ipsis contrahentibus dicitur ibidem, imponendam condignam pœnitentiam; quare respectu contrahentium est pœna arbitraria, ut cum aliis docet Thomas Sanchez lib. III. *de matrim.* disp. XLVI. n. 7. suspensionem vero triennalem non esse ipso facto, sed ferendam, observat idem Sanchez ibi disp. XLVIII. nu. 2. et 5. Testes vero, quamvis iis nulla pœna ibi imponatur, cum tamen delinquant, auctoritatem suam præstando matrimonio ab Ecclesia interdicto, puniendos esse condigna pœnitentia pro delicti qualitate, docet cum aliis idem Sanchez d. disp. XLVI. n. 8. Ultra has ergo pœnas de jure communi statutas, potuit Archiepiscopus propria lege graviores pœnas addere ad observantiam legis ecclesiasticæ; quod facere posse episcopum ad adjuvandas pœnas jure communi statutas, docet idem Sanch. d. disput. XLVI. n. 9.

3 Quoad irritationem vero matrimonii deinceps eo modo contrahendi, an Archiepiscopus potuerit eam inducere, non levem dubitandi occasionem præbere posset Thomas Sanchez d. lib. III. disp. XXXII. num. 2. ubi proposita quæstione, an si episcopus, aut constitutio synodalis interdicat parochis dare licentiam assistendi matrimonio, nisi approbatis ab episcopo, vel si episcopus prohibeat aliquos nominatim matrimonio conjungere, validum sit matrimonium contra ejusmodi prohibitionem factam; respondet n. 2. mtrimonium valere, *nisi episcopus vel constitutio synodalis expresse addiderit decretum irritans aliter gesta*, quibus verbis significare videtur, addita ea clausula, prout in casu nostro addita fuit, matrimonium non valere. Ratio autem esse potest, quia episcopus in sua diœcesi potest ferre leges in omnibus materiis, in quibus id ei prohibitum non invenitur, ut fatentur doctores in tractatu *de legibus*, et videri potest Suarez lib. IV. *de legibus* cap. IV. n. 2.

Nihilominus censui, Archiepiscopum 4 non potuisse matrimonia sic contracta irrita reddere, quod videtur esse juxta mentem sacræ congregationis cardinalium interpretum concilii Tridentini, quorum declarationem affert idem Sanch. d. l. III. disp. XXI. n. 12. his verbis: « Prohibitione facta ab ordinario, ne parochus aliquos desponset, an ita tollatur jurisdictio parochi, ut ad contrahendum matrimonium contra talem prohibitionem non sit legitimus parochus, cum possit Ordinarius in totum, vel in partem auferre a parocho jurisdictionem: sicut fit quando reservantur aliqui casus, et in proposita quæstione majorem vim habet, quia prædictus sacerdos non erat principalis parochus, nec verus proprietarius, sed annuus vicarius, qui ad nutum Ordinarii poterat removeri; congregatio cardinalium respondet, valere matrimonium contractum coram parocho, cui interdictum est ab episcopo ne interveniat. » Rationem vero reddit idem Sanchez num. 11. qui adhuc ille

est vere parochus, retinetque parochiæ titulum, quæ ratio militat etiam in casu nostro : nam parochus adhuc manet parochus ; quare matrimonium coram eo, et duobus testibus contractum habet omnes conditiones quas concilium Tridentinum exigit ad valorem matrimonii, licat non habeat conditiones alias ab eodem concilio requisitas, ut licite fiat.

5 Possumus autem hoc ipsum confirmare et explicare exemplo, quod affert idem Sanch. d. lib. III. disp. XLVI. n. 10. ubi refert factam fuisse constitutionem quamdam synodalem Salmanticæ, cujus meminit Covarr. IV. decr. II. part. cop. 6. initio n. 9. qua excommunicabantur ipso jure clam contrahentes matrimonium, et cavebatur hos excommunicatos, vitandos esse etiam ante denuntiationem excommunicationis, quam tamen constitutionem ipse Sanchez cum aliis dicit, non potuisse valide id statuere, quia in Extravaganti, *Ad evitanda*, requiritur denuntiatio, ut debeat vitari excommunicatus, nisi sit notorius clerici percussor. Cum ergo concilium Tridentinum ad valorem matrimonii solum requirat præsentiam parochi et duorum testium, non potuit Archiepiscopus irritare matrimonia coram parocho et testibus facta, qualia sunt ea de quibus agitur, cum ille revera adhuc maneat verus parochus retinens titulum suæ parochiæ, præsertim cum assistentia illa non sit actus jurisdictionis in parocho ; quare licet ob excommunicationem vel aliam censuram suspensus esset ab omni jurisdictione, adhuc valide assisteret matrimonio, ut cum communi docet idem Sanch. d. lib. III. disp. XXI. n. 4.

6 Ratio denique a priori, et fundamentalis est, quia, quidquid sit de aliis materiis ; in hac tamen materia non potest episcopus lege sua inducere impedimentum irritans matrimonium ultra illa, quæ jure communi inducta sunt, hoc enim utpote gravissimum negotium, et ex quo gravissima inconvenientia sequuntur, merito reservavit sibi uni summus Pontifex, ut fatentur communiter doctores, quos sequuntur Thomas Sanchez lib. VII *de matrim.* disp. I. nu. 9. Basilius Pontius lib. VI. *de matrimon.* cap. I. nu. 12. et alii omnes. Cum ergo Ecclesia universalis defectum denuntiationum præcedentium, solum voluerit esse aliquid impediens matrimonium, ne licite contrahatur ; non potuit Archiepiscopus facere quod impedimentum hoc transierit in numerum impedimentorum dirimentium : unde merito a sacr. congregatione Concilii benevole monitus fuit, ut quamprimum edictum in hac materia promulgatum revocaret.

## DUBIUM XLVI.

*Circa valorem matrimonii coram simplice sacerdote ex delegatione vicarii deputati ab episcopo nondum confirmato.*

Cum vacaret ecclesia cathedralis N. 1
designatus fuit ad eam a summo Pontifice vir quidam doctus et dignus : qui cum variis negotiis et impedimentis detineretur, non potuit per aliquod tempus ad examen in curia fieri solitum venire, ut procedi postea posset ad præconizationem, et propositionem in consistorio secreto, ut a Pontifice ibi legitime confirmaretur. Ne autem interim ecclesia in spiritualibus, et temporalibus detrimentum pateretur, summus Pontifex eidem N. administrationem ejusdem ecclesiæ commisit brevi suo speciali sequentis tenoris.

« Venerabilis frater, salutem, etc. Cum nos ecclesiæ N. pastoris solatio destitutæ de persona tua providere, teque illi in episcopum, et pastorem præficere sub certis modo, et forma decreverimus, prout in litteris Apostolocis sub plumbo desuper expediendis latius ex-

plicabitur ; Tu vero ob diversa impedimenta, quibus detentus fuisti, et adhuc detineris, solito examini in Romana curia te non subjeceris. Nos, ne interim ecclesia prædicta aliqua propterea in spiritualibus, et temporalibus detrimenta patiatur, providere volentes, ac de tua fide, prudentia, doctrina, et religionis zelo plurimum in Domino confisi, motu proprio, et ex certa scientia, et matura deliberatione nostris, te ipsius ecclesiæ N. administratorem in spiritualibus, et temporalibus cum facultate omnes et singulos ipsius ecclesiæ N. fructus, reditus, et proventus, jura, obventiones, et emolumenta quæcumque etiam decursa a die etc. percipiendi, exigendi, et levandi, in tuosque usus, et utilitatem convertendi ad nostrum, et sedis Apostolicæ, beneplacitum, Apostolica auctoritate tenore præsentium facimus, constituimus, et deputamus, mandantes propterea dilectis filiis clero, et populo civitatis, et diœcesis N. cæterisque ad quos spectat, ut tibi in omnibus officium tuum concernentibus et quæ eis in Domino mandanda duxeris, prompte pareant, et obediant, etc. non obstantibus constitutionibus, etc. Dat. Romæ, etc. »

Hujus ergo Brevis virtute prædictus N. deputavit sibi vicarium N. litteris ad eum missis, tenoris sequentis :

« Molt' Illust. Dall' incluso Breve concessomi dalla benignita di N. S. dell' amministrazione della mia chiesa, finchè possi essaminarmi, ed averne lespedizioni necessarie delle bolle, vedrà la facoltà concessami da sua Santità del governo di essa. E perchè la principale cura è appoggiata al vicario generale ; per tanto confidato non meno nella bonta, e valore di V. S. che nella disposizione quale mi promette l'affetto, che io le porto, la deputo con questa lettera mio vicario generale, dandole la cognizione di tutte le cause civili, criminali, miste, e matrimoniali, e nelle cause d'appellazioni, etc. e come tale voglio che sii da tutti ubbidita, e riconosciuta, dandole in eis vices, et voces nostras. Attendo di sentire quello, che l'accaderà per l'occorenze della medesima Curia, e per fine, etc. »

Hoc supposito ab eodem vicario petita fuit licentia conjungendi duos in matrimonio in propria domo, non præmissis denuntiationibus, et coram sacerdote non parocho, quam licentiam ipse in scriptis concessit his verbis :

« Con la presente concediamo licenza, e facoltà al R. Padre fra N. della religione di N. di poter conjungere in matrimonio il signor N. et Madonna N. etc. dandoli licenza per cause note a noi, che il tutto possa fare senza denunzie, ed anco in casa dell' abitazione del signor N. o in altro luogo più opportuno, alla presenza di due testimonii. Del seguito poi dovra fare fede il detto padre a tergo di questa, e portarla a noi, accio venga conservata a perpetua memoria, etc. »

N. Vicarius generalis. N. cancellarius.

Facto itaque, et celebrato matrimonio 2
coram illo sacerdote regulari, et testibus juxta tenorem licentiæ, dubitari cœpit de valore matrimonii. Contra valorem enim videbatur esse, quod tota hæc facultas videbatur fundari in jurisdictione episcopi designati, qui revera non erat episcopus, atque ideo non videbatur habere jurisdictionem ordinariam, sed solum delegatam ad tempus. Quamvis autem delegatus principis, qualis videbatur esse ille administrator, possit subdelegare ; non tamen potest ejus subdelegatus iterum subdelegare ; quia, licet delegato principis ad universitatem causarum reperiatur in jure concessa facultas subdelegandi ; nullibi tamen reperitur concessa facultas dandi subdelegato facultatem subdelegandi, ut cum communi juristarum quos congerit, probat Th. Sanch. lib. III. *de matr.* disp XXXI. n. 9. et 17. et communem omnium sententiam esse, testatur Basilius Pontius lib. v. *de matr.* c. XXVI. n. 14. Si ergo Administrater non habebat jurisdictionem

ordinariam, sed delegatam a principe, ipse quidem delegare poterat : ejus tamen delegatus, qualis erat vicarius, non potuit rursus subdelegare etiam ad unum casum specialem.

3 Dixi tamen, matrimonium juxta narrata reputandum validum, utpote factum coram testibus et sacerdote deputato ab eo qui deputare poterat, nempe a vicario generali administratoris generalis habentis totam potestatem episcopalem, ut constat ex Brevi supra relato. Suppono enim, quando vicarius generalis episcopi dat licentiam sacerdoti simplici assistendi matrimonio, validum esse matrimonium, ut cum communi doctorum quos affert, probat Thomas Sanchez l. III. *de matrimonio*, disput. XXIX. num. 18. quod multo verius est, quando in sua deputatione accepit expresse facultatem ad cognoscendas causas matrimoniales, ut notat idem Sanchez ibi. In nostro autem casu vicarius acceperat suam deputationem cum ea clausula expressa, ut constat ex litteris deputationis supra relatis. Porro Administratorem potuisse constituere vicarium cum facultate delegandi causas speciales, probatur fundamento contrario ; quia nimirum administrator ille a summo Pontifice deputatus ad regendam ecclesiam vacantem, non est censendus delegatus, sed ordinarius ; ad quod est glossa singularis in c. *Is, cui*, XLII. verb. *confirmatus*, *de electione*, libr. VI. ubi in textu summus Pontifex describit nostrum administratorem his verbis : « Is, cui procuratio, seu administratio cathedralis ecclesiæ, plena, et libera in spiritualibus et temporalibus a sede Apostolica, cui soli hoc competit, est concessa : potest (alienatione bonorum immobilium dumtaxat excepta) omnia, quæ jurisdictionis episcopalis existunt, et quæ potest electus exequi confirmatus, libere exercere. Illa quippe, quæ ministerium consecrationis exposcunt, nisi fuerit episcopus, per alios faciat episcopos expediri. » Unde glossa prædicta quærit, an istius administratoris officium expediret mortuo Papa? et respondet non expirare, *quia ordinariam potestatem habet.*

Si vero rationem indagare velimus, 4
cur administratoris jurisdictio dicatur potius ordinaria, quam delegata, ratio petenda erit ex doctrina quam optime explicuit Pater Molina tom. VI. *de Justitia*, tr. V. *de jurisdictione*, disp. 14. num. 2. et sequentibus ; ubi regulam generalem statuit ad dignoscendum, quando sit jurisdictio ordinaria, vel delegata, ex Bart. in l. *more*, nu. 8. ff. *de jurisdict. omnium judic.* et Panorm. in c. *relatum*, num. 5. *de officio delegati ;* nempe jurisdictionem ordinariam eam esse, quam confert lex, consuetudo, aut princeps ; non quod princeps non possit etiam, et soleat dare jurisdictionem delegatam, sed quod possit etiam dare ordinariam. Quare, quando alicui committit aliquod, vel aliqua negotia particularia, censetur solum dare jurisdictionem delegatam ; quando vero committit negotiorum universitatem, censetur dare ordinariam, nisi aliquid apponat, quo significet ut procedat non propria auctoritate, sed auctoritate committentis : ut si dicat : *Nostra auctoritate facias ;* vel procedas *appellatione postposita* : cum de jure in tali negotio a judice inferiori deberet concedi appellatio. In dubio autem princeps, vel lex potens dare jurisdictionem ordinariam, et delegatam, præsumitur dare ordinariam ad universitatem causarum, quia censetur creare officium et magistratum, cui insit ea jurisdictio. Inferiores autem, quia non possunt constituere novos magistratus, et munera publica, non possunt dare jurisdictionem ordinariam, sed delegatam, nisi quando constituunt officiales inferiores ex tacito, vel expresso legis, vel principis consensu, ut quando episcopus deputat sibi vicarium generalem, qui unum, et idem tribunal cum episcopo facit, ut ex glossa in cap. *Romana*, verb. *generaliter*, *de appellat.* lib. VI, et ex Covar. III. variar. resol. c. ult. num. 4.

notaverat idem Molina ubi supra disp. x. num. 6. tunc enim ii Vicarii jurisdictionem etiam ordinariam habent, qui a lege constituuntur, ex qua regula varias illationes subdit idem Molina, quæ apud ipsum videri possunt.

5 Ex hac ergo regula, et doctrina possumus rationem colligere, et applicare ad casum nostrum, in quo administrator constitutus fuit a supremo principe, nempe a summo Pontifice, ad universitatem causarum, et cum tota et plena jurisdictione episcopali, neque apposita fuit clausula aliqua indicans, vel imponens, ut operaretur et ageret auctoritate ipsius Pontificis; quare omnino censetur accepisse potestatem et jurisdictionem ordinariam annexam muneri et officio administratoris. Potuit ergo jure suo constituere vicarium generalem, qui vicarius potuit etiam licentiam assistendi matrimonio speciali committere sacerdoti non parocho : nam sive dicamus vicarium generalem habuisse jurisdictionem delegatam, sive dicamus habuisse jurisdictionem ordinariam, id facere potuit; si enim habebat jurisdictionem solum delegatam, habebat tamen illam ad universitatem causarum, ut constat ex ejus deputatione supra relata. Est autem regula generalis, delegatum ad universitatem causarum ab habente jurisdictionem ordinariam, posse unam vel aliam causam in particulari subdelegare, ut cum communi doctorum supponit pro certo Th. Sanch. d. lib. III. *de matrim.* disp. XXXI. num. 2. et 3. Si autem dicas, vicarium habuisse jurisdictionem ordinariam, prout revera habebat, quia deputatus fuit ab administratore habente potestatem episcopalem, ac lege permittente, ut deputetur vicarius generalis faciens unum et idem tribunal cum deputante : tunc, inquam, compertum est, potuisse vicarium committere sacerdoti simplici assistentiam matrimonii, atque adeo matrimonium validum fuisse, cum factum fuerit coram sacerdote de licentia ordinarii, et duobus testibus, quod solum exigit concilium Tridentinum ad valorem matrimonii.

Denique id totum confirmatur ex de- 6
claratione sacræ congregationis concilii Tridentini, in qua cum hoc semel, et iterum proponeretur 12. Septembris et 14. Novembris 1648. re bene discussa, Congregatio pro matrimonii validitate respondit.

# LIBER SECUNDUS.

## DE QUÆSITIS VARIIS CIRCA CENSURAS.

### DUBIUM I.

*An incurrerit excommunicationem ob duellum qui non provocavit explicite, sed confuse ?*

Titius nobilis litteras misit ad Seium 1
pariter nobilem, dicens : Desidero a te audire explicationem, et sensum talium verborum, quæ heri mihi dixisti : ad hoc autem expectabo te solus in tali loco remoto, tali hora ; et spero, facturum te juxta debitum tuum. Venit Seius, et gladiis pugnaverunt, neutrius tamen morte subsecuta. Quæsitum fuit, an incurrerint excommunicationem, et pœnas spirituales duelli prohibiti, quæ est excommunicatio Papæ reservata, ut constat ex decretis pontificiis, quæ affert, et explicat late Th. Sanc. lib. II. *in Decalog.* c. XXXIX. n. 18. et seqq.

Aliqui volebant, in casu nostro non 2
incurrisse Titium, et Seium pœnas duelli prohibiti, quia scriptura sua Titius non vocabat Seium ad pugnandum, sed ad declarandum sensum verborum, quæ die præcedenti protulerat. Pœnas autem illas non incurrunt nisi provocantes, vel

acceptantes, condicto loco et tempore ad pugnandum. Quod autem animus scribentis, et acceptantis fuerit de pugna ineunda, non videtur sufficere ad incurrendas pœnas, quæ non incurruntur nisi propter delictum externum quare, quandiu illa intentio mansit in animo, et non fuit exterius sufficienter explicata, non videtur fuisse provocatio externa ex condicto, qualis requiritur ad eas pœnas incurrendas.

3 Respondi tamen, procul dubio Titium et Seium censuram incurrisse ; quia intentio pugnandi fuit sufficienter manifestata exterius per scripturam a Titio missam, et a Seio acceptatam : sensus enim verborum illorum fuit vel disjunctivus, vel conditionalis. Disjunctive quidem intelligebatur hoc modo, nempe : Venias tali hora ad talem locum, et ibi satisfacies mihi circa verba quæ mihi dixisti, vel mecum pugnabis. Seius autem acceptavit secundam partem ut pugnaret ; ergo ex sensu utriusque fuit electus locus et hora certaminis ; nam quod sub disjunctione offertur, data optione, simpliciter offertur. Conditionaliter etiam verba illa potuerunt intelligi, et tunc in idem recidit, et sensus erit : Veni tali hora in talem locum, ut si non satisfeceris mihi circa verba a te prolata, invicem ibi pugnemus. Hæc autem conditio posita fuit : nec enim Seius satisfecit Titio, nec explicuit verba juxta ejus voluntatem ; ergo provocatio, et conditio certaminis transiit in absolutam, cum perseveraret adhuc voluntas præcedens.

4 Confirmarique potest, quia locus talis non fuit a Titio electus ex industria ad explicationem verborum audiendam ; ad hoc enim non erat necessarius locus ille remotus, sed solum ad pugnam : nam ad merum colloquium quilibet alius locus erat opportunus. Unde constat ad rationem in contrarium adductam : illa enim intentio duelli non fuit mere interna, sed sufficienter externa, quam litterarum tenor, et reliquæ circumstantiæ loci et temporis sufficienter significabant. Et quidem Seius visis litteris sufficienter intellexit, ad quid vocaretur, et ideo ad pugnam adiit præparatus ; nec ullus, qui praxim duellorum haberet, potuit alio sensu litteras interpretari : non est ergo ratio, ob quam secuta pugna, potuerit uterque a censura contrahenda excusari.

Quam etiam sententiam significat Diana III. p. tr. VI. resol. I. v. *dico secundo*, 5
ubi, si quis inveniens alium ei dicat : Si sustinere velis quod mihi dixisti, mentiris, et hoc dicens manum ensi apponat, ex eo tantum capite a pœnis duelli excusatur, quia non fuit ex condicto statutus locus et tempus ; non ergo, quia sub conditione vel disjunctione provocaverat.

## DUBIUM II.

*An regulares post decreta Clementis VIII. et Pauli V. absolvere adhuc possint juxta sua privilegia a peccatis circa duellum, excepta provocatione et pugna ?*

Suppono, post decretum sacræ con- 1
gregationis jussu Clementis VIII. editum anno 1602. sublatam fuisse facultatem saltem intra Italiam omnibus regularibus absolvendi intuitu suorum privilegiorum a casibus in bulla Cœnæ contentis, et ab aliis quinque pontificiis, quorum unus erat, provocantium, et pugnantium in duello juxta decretum sacri concilii Tridentini et constitutionem felic. record. Gregorii XIII. incipientem. Ad tollendam, etc. quorum verborum occasione dubitatum fuit, an regulares habentes privilegia ad absolvendum a casibus Pontificiis, possent post illud decretum absolvere consilium ad duellum dantes, associantes, ex composito aspicientes, patrocinantes, et

similes; an vero horum etiam omnium absolutio sublata fuerit regularibus, et aliis pariter privilegiatis.

2 Ratio dubitandi est, quia ex uno capite in prædictis verbis non exprimuntur, nisi *provocantes et pugnantes in duello*. Cum ergo decretum sit odiosum, non debet ad alias personas extendi. Ex alio tamen capite videntur omnes alii comprehensi propter verba illa sequentia *juxta decretum sacri concilii Tridentini, et constitutionem Gregorii XIII.* Nam in Tridentino, et in constitutione illa Gregorii omnes illæ personæ comprehenduntur. Cum ergo decretum Clementis referat se ad Tridentinum, et ad constitutionem Gregorii, videtur de iisdem personis loqui. Quare in hoc sensu verba decreti Clementis intellexit Bonac. *de censuris* disp. II. qu. VI. puncto 2. in ultima editione, ita ut per illam relationem ad constitutionem Gregorii voluerit Clemens omnes personas comprehendere, quæ a Gregorio enumeratæ fuerant: atque peccata eorum omnium erunt ita reservata, ut a regulari privilegiato absolvi non possint.

3 Respondi tamen, probabilem videri aliorum explicationem, qui prædicta verba, *juxta decretum sacri concilii Tridentini, et constitutionem Gregorii XIII.* etc. ita intelligunt, ut referantur solum ad casum præcedentem *provocantium, et pugnantium in duello*, atque adeo solum auferri facultatem privilegiatis absolvendi, provocantes, et pugnantes in duello juxta terminos Tridentini, et constitutionis Gregorianæ: quia decretum illud congregationis versatur in materia odiosa, cum auferat facultatem regularium ad absolvendum, atque adeo stricte est interpretandum, quantum verborum proprietas permittat, prout revera permittit in casu nostro, cum verba illa applicata ad solum delictum provocantium, et pugnantium in duello juxta terminos Tridentini, et constitutionem Gregorii habeant optimum sensum. Neque enim verba illa, *juxta decretum sacri concilii Tridentini, et constitutionem Gregorii XIII.* frustra addita sunt, sed ad explicandam reservationem, et revocationem privilegiorum.

Pro quo notandum est, Gregorium 4
XIII. in sua constitutione ibi citata, extendisse ad duella etiam privata pœnas et censuras quæ in Tridentino, et aliis bullis antiquioribus impositæ fuerant duellis solum publicis, ut cum aliis advertit Sanchez lib. II. in Dec. c. XXXIX. nu. 20. Quare, ne fortasse decretum congregationis ita intelligeretur, ut censeretur ablata facultas absolvendi solum provocantes et pugnantes in duello publico et solemni, de quibus antiquiora decreta loquebantur, additum est debere intelligi juxta decretum Tridentini, atque etiam constitutionem Gregorii XIII. ubi de duellis etiam privatis et secretis actum fuerat, hoc est, debere intelligi de duello publico juxta decretum Tridentini, atque etiam de privato juxta bullam Gregorii.

Adde, addita esse fortasse illa verba ad 5
limitandam quoad aliquid reservationem explicatam illo decreto, quod quidem editum fuit anno 1602. et ante decem annos, nempe anno 1592. idem Clemens bullam ediderat, quæ incipit, *Illus vices*, in qua præter alia quæ addidit, voluit etiam prædictam excommunicationem reservatam incurrere provocantes etiam pugna non secuta, ut cum aliis explicuit Filliuc. II. to. tr. XXIX. c. 8. n. 170. qui tamen casus non fuerat comprehensus, nec excommunicationem reservatam incurrebant provocantes pugna non secuta, juxta constitutionem Gregorii XIII. ut docuit Thomas Sanchez dicto cap. XXXIX, n. 28. Dum ergo in decreto Congregationis aufertur privilegiatis facultas absolvendi provocantes, et pugnantes in duello, juxta decretum Tridentini, et constitutionem Gregorii, sensus est, intelligi de provocantibus et pugnantibus in duello publico, de quo loquitur Tridentinum, et in privato de quo loquitur Gregorius XIII. secuta tamen pugna, quo solo ca-

su Tridentinum et Gregorius excommunicationem tulit contra provocantes, et ideo additæ sunt illæ particulæ, ne in ea ablatione facultatis et privilegii procederet bulla rigidior ejusdem Clementis VIII. qui etiam pugna non secuta, reservaverat excommunicationem contra provocantes latam. Unde particulæ illæ non fuerunt superfluæ, sed cum magno mysterio additæ, quamvis non comprehenderint socios, et alios, contra quos in Tridentino etiam et in constitutione Gregorii lata fuerat excommunicatio.

## DUBIUM III.

*An incurrerit censuras parochus, qui retenta sibi pensione sine consensa episcopi alium deputavit vicarium suum irrevocabilem ?*

1 Franciscus parochus pactum fecit cum Antonio sacerdote, eumque suum œconomum, procuratorem et vicarium in spiritualibus, et animarum cura a se irrevocabilem nominavit, ita ut daret ipsi Francisco 140. ducata annua ex fructibus et addidit, quod peteretur et accederet consensus episcopi, ad quem spectabat confirmatio œconomi et vicarii : sed ante episcopi consensum res fuit mandata executioni. Postea Franciscus accusatur ab Antonio de contractu simoniaco, et quod in pœnas simoniæ incurrerit.

2 Respondi, mirum esse, quod Antonius accuset Franciscum ; cum, si quod fuit simoniæ crimen, ipsemet Antonius fuerit particeps illius. Deinde dixi, non contraxisse Franciscum ipso facto pœnas contra simoniacos statutas. Primo, quia hæ omnes procedunt in materia beneficiali : vicariatus autem ad vitam proprietarii non est, proprie loquendo, beneficium, ut docent Suarez lib. IV. *de simonia*, cap. LVII. n. 47. et sequentibus, et aliis relatis Thomas Sanchez lib. II. *consil.* cap. III. dub. 107. n. 3. et 6. quia nimirum vicariatus temporalis non dat jus perpetuum, quæ perpetuitas est de ratione beneficii, et requiritur etiam in beneficiis manualibus saltem quantum est ex parte ipsius beneficii, quod morte, vel amotione possessoris non expirat, sed debet transire ad alium successorem, quod non reperitur in illo vicario temporali destinato pro libito parochi.

Secundo probatur, non contraxisse 3
ejusmodi pœnas, quia hæ non contrahuntur nisi ob simoniam completam ex utraque parte, nimirum ex parte conferentis spirituale, et dantis temporale, ut cum communi docet Thom. Sanch. dicto c. III. dub. 10. nu. 4. qui notat, id certius esse quando, licet pretium sit solutum, non tamen fuit beneficium datum, quod quidem accidit in casu nostro : nam quamvis Antonius promiserit et fortasse cum effectu solverit 140. ducata annua Francisco ; ipse tamen Franciscus non dedit cum effectu vicariatum : quia etiamsi fuisset vicariatus ille temporalis, beneficium, atque ideo simonia in eo contractu inferret pœnas ecclesiasticas impositas simoniæ commissæ in materia beneficiali ; sed tamen institutio illa vicarii non fuit valida ob defectum confirmationis episcopi, quæ, ut in casu supponitur, fuerat necessaria ad ejus valorem. Hæc autem regula generalis est in materia simoniæ, quod quoties actus est invalidus aliunde, quam ex vitio simoniæ ob eum actum, ut si quis renuntiet simoniace beneficium sine auctoritate superioris potentis eam renuntiationem admittere, non incurrit pœnas simoniæ ; quia renuntiatio est nulla, licet simonia non obstaret. Quamvis enim ejusmodi actus, interveniente simonia, semper sint ipso jure invalidi ; requiritur tamen ad pœnas incurrendas quod actus non sit ex aliis capitibus invalidus, sed potius sit talis, ut nisi simonia intercederet, posset subsistere, ut ex Navarro lib. V. *Consil.* tit. III. *de simonia*, consil. 48. et in novis consil. 33. n. 2. tradit Thom.

Sanchez dicto cap. III. dub. 34. nu. 14. Cum ergo dicta vicarii constitutio fuerit aliunde invalida, deficiente episcopi consensu, consequens est ut etiamsi vicariatus ille æstimaretur beneficium, non incurrisset Franciscus pœnas simoniæ ob invaliditatem actus quem gessit, ob quam non censetur simonia completa ex parte Francisci.

Quia tamen posset aliquis dicere, licet Franciscus propter rationes adductas non incurrerit pœnas in jure statutas contra simoniacos, posse tamen accusari de crimine simoniæ commissæ in institutione vicarii pro pretio, et hoc ad effectum ut puniatur a judice aliqua pœna extraordinaria : ideo dixi, defendi merito posse Franciscum ab omni simoniaca suspicione, nam ex duplici capite poterat in suspicionem simoniæ adduci Franciscus, nempe vel quia emit ab Antonio functiones spirituales exercendas, dando ei pro pretio fructus beneficii præter 140. ducata, quæ sibi reservavit : vel quia dedit Antonio aliquid spirituale delegando eum, et dando ei facultatem ad actus spirituales exercendos, et hoc pro pretio 140. ducatorum annuorum, ad quæ solvenda Antonius se obligavit. Neutrum autem horum convincit Franciscum simoniacum fuisse.

Non primum, quia fructus beneficii potuerunt non dari Antonio ut pretium functionum spiritualium, sed in stipendium sustentationis ipsius, ut qui ministraturus erat loco parochi, haberet unde sustentaretur : quod quidem stipendium potest absque simoniæ labe in pactum adduci, ut cum communi tradit Sanchez dicto c. III. dub. XI. nu. 8 et 9. Neque etiam ex altero capite potest simonia probari, quatenus Franciscus delegavit Antonium, et vicarium constituit pro pensione 140. ducatorum ab eo solvenda, quia illa non præsumitur venditio delegationis pro pretio, sed potius reservatio partis fructuum, quam sibi Franciscus reservavit, qui potuit dare Antonio reliquam fructuum partem in stipendium, reservando sibi aliquam partem, quam nollet dare, et quam ipsi non acciperet ab Antonio, sed sibi retineret, quo casu nullum prorsus pretium temporale ab Antonio acciperet pro delegatione, sed potius ipse daret Antonio omnes alios fructus in stipendium præter partem illam, quam sibi retinuit. Unde idem Sanchez d. c. III. dub. XXIV. nu. 6. ingenue fatetur, quod si ejusmodi pacta et reservationes pensionum non fuissent jure ecclesiastico in materia beneficiorum prohibitæ, nullam continerent simoniam : « quia ibi, inquit, nihil datur temporale, sed tantum renuntians beneficium non integre renuntiat fructus beneficii, sed aliquos sibi reservat. » Cum ergo casus noster non procedat in materia beneficii, ut vidimus, standum erit juri naturali, juxta cujus terminos in eo pacto et reservatione nulla invenitur simonia.

Clarissime tamen idem Sanchez eodem c. III. dub 7. nu. 4. nostrum casum fere in iisdem terminis breviter proposuit, et resolvit his verbis, quæ nostrum responsum clarissime approbant. « Non est tamen simonia, sed licitum, si parochus, a quo petitur licentia ministrandi sacramenta, eam neget, nisi stipendium, quod sibi obtingeret, si ipse ministraret, sibi concedatur ; quia id non petit quasi licentiam vendens : hoc enim esset simonia, cum hæc facultas procedat ex jurisdictione spirituali, sed quasi stipendium sibi debitum, et ut servet se indemnem : ut scriba per ministrum scribens contractum, juste petit stipendium sibi debitum, idem est de licentia audiendi confessiones, et concionandi, quando parochus erat concionaturus : potest enim pacisci cum eo, cui dat licentiam, ut stipendium, quod sibi dandum erat, conferatur ab eo cui dat licentiam, ut servet se indemnem. Sic Panorm. et Verberius, quos refert, et sequitur Silvester verb. *simonia*, qu. VIII. dict. 2. Aragon. 2. 2. qu. 100. art. 2. in fine, qui omnes addunt, quod si exigat majorem summam, quam 6

dicta portio valet, præsumetur licentiam vendere, et sic committere simoniam. » Hæc Sanchez, ex qua doctrina a fortiori apparet, non posse Franciscum in casu nostro, ut pacti simoniaci reum damnari, quidquid sit, an ob negligentiam petendi confirmationem ab episcopo debuerit puniri.

## DUBIUM IV.

*An femina procurans abortum in se, incurrat excommunicationem latam a Sixto V.*

1 Sciendum est, Sixtum V. anno 1588. constitutione sua incipiente, *Effrœnatum*, quæ habetur in bullario, et est 87. inter bullas Sixti, gravissimas pœnas statuisse in procurantes abortum, vel ad hunc cooperantes, et postea excommunicationem ipso facto incurrendam tulit in personas dantes potionem ad abortum, his verbis : « Omnes et singulos cujuscumque status, gradus, ordinis, et conditionis existentes, tam laicos, quam clericos sæculares, et cujuscumque ordinis regulares, nec non mulieres sæculares, velquemcumque Ordinem professas, qui, vel quæ uti principales, vel ut sociæ ad tale facinus committendum, opem, consilium, favorem, potionem, vel alia cujuscumque generis medicamenta scienter dederint, ac etiam scribendo litteras privatas, vel apochas, vel alias verbis, aut signis, juverint, aut consuluerint, ultra supradictas pœnas, ipso facto nunc prout ex tunc excommunicamus, et pro excommunicatis declaramus, decernentes, ac declarantes, quod per quæcumque Jubilæa, et indulgentias per nos, et successores nostros etiam anno Jubilæi, aut quovis alio tempore etiam Cruciatæ sanctæ Jubilæi, vel quovis alio titulo concessas, et concedendas, nec non per quascumque litteras Apostolicas quibusvis principibus, seu ad eorum instantiam per nos, et successores nostro pariter concessas, et concedendas, ac etiam vigore privilegiorum, *Mare magnum*, vel alias quomodolibet nuncupatorum quibusvis congregationibus regularium, aut episcopis vigore concilii Tridentini, vel alias per nos et prædecessores nostros quomodocumque concessorum, vel in futurum concedendorum, nec personæ sic, ut præfertur, delinquentes et excommunicatæ, præterquam in mortis articulo, obsolvi valeant, nec cum his clericis, qui hujusmodi delicta perpetraverint, etiamsi eorum crimen occultum fuerit, super irregularitate præmissorum occasione contracta, nec per locorum ordinarios, nec per alios quavis auctoritate fulgentes, quem per nos et Romanos pontifices successores nostros, et tunc nonnisi urgentissimis de causis dispensari possit. Ac tam absolvendi, quam dispensandi facultatem hujusmodi, et quoad forum conscientiæ in casibus superius expressis nobis, et successoribus nostris dumtaxat reservamus, etc. »

Hanc tamen Sixti constitutionem moderatus fuit Gregorius XIV. ejus successor anno 1591. constitutione sua, quæ incipit, *Sedes Apostolica*, et habetur in Bullario, et est octava inter bullas ejusdem Gregorii, in qua decernitur; quod a prædicta excommunicatione ultimo loco addita possit quilibet confessarius approbatus absolvere in foro conscientiæ ex speciali commissione Ordinarii loci : et quoad sumentes vel procurantes venena sterilitatis, vel procurantes abortum in se, vel in aliis fœtus nondum animati, reducitur hoc ad terminos juris communis, et sacrorum canonum et concilii Tridentini.

His suppositis, dubitatum fuit, an excommunicatio illa a Sixto V. apposita, quæ erat antea summo Pontifici reservata, nunc vero potest de licentia Ordinarii tolli, comprehendat etiam ipsam feminam, quæ in se ipsa potione sumpta, vel aliter abortum procurat? Communis

sententia videtur id omnino affirmare, dum communiter dicunt in universum, excommunicationem latam a Sixto V. contra omnes procurantes abortum, cum qua generaliter loquuntur P. Thesaurus *in praxi ecclesiastica*, p. II. c. 1. *de abortus procuratione*, n. 1. apud ipsum Filiucius, Quaranta, Barbosa, Farinacius, et Homobunus, et magis expresse de femina sumente potionem, Bonac. *de restitut.* disp. II. q. ult. sect. 1. puncto 7. n. 6. qui addit, ita esse usu receptum, et colligi ex ipsa bulla Sixti V. qui exprimit excommunicari feminas omnes, *quæ uti principales, vel ut sociæ ad tale facinus committendum*, etc. Comprehendit ergo primo loco delinquentem principalem, quæ est femina quæ abortum sibi procurat.

Alii tamen sentiunt, quamvis aliis pœnis in ea bulla contentis comprehendatur femina abortum proprium procurans; quia in iis expresse nominatur illis verbis; *ac etiam prægnantes ipsas mulieres, quæ scienter præmissa fecerit*, et inferius, quanuo de veneno sterilitatis agitur, additur: *ac mulieres ipsas quæ eadem poculа sponte, ac scienter sumpserint;* in ordine tamen ad excommunicationem ab eodem Sixto additam, non videri comprehendi feminam suum proprium abortum procurantem, quia ibi nec ipsa nominatur, sicut nominata fuerat ad alias pœnas; nec excommunicatio illa fertur generaliter in omnes procurantes abortum, sed in eos, vel eas, « qui, vel quæ uti principales, vel ut sociæ ad tale facinus committendum opem, consilium, favorem potionem, vel alia cujuscumque generis medicamenta scienter dederint, ac etiam scribendo litteras privatas, vel apochas, vel alias verbis, aut signis juverint, aut consuluerint, » quæ omnia non habent locum in femina ipsa, quæ quidem non dat sibi opem, potionem, consilium, favorem, litteras, auxilium, etc. Quare hanc sententiam tenent Naldus in *Summa* verb. *Abortus*, num. 1. Avila *de censuris*, II. p. c. v. disp. 3. dub. 12 §. *Quinto sequitur*, et Lezana in *summ.* q. *regul.* t. III. verb. *Abortus*, nu. 11. et mihi etiam stando præcise in verbis dictæ bullæ satis probabile videtur.

Ad hoc autem ponderari potest, non potuisse nisi ex industria omitti in sola excommunicationis pœna nominationem ipsius feminæ prægnantis, quæ adeo diligenter in singulis aliis pœnis seorsim nominata fuerat. Nam, licet satis potuisset intelligi contenta nomine *procurantis abortum*; voluit tamen Pontifex ad omne dubium tollendum eam feminam specialiter nominare. Quando vero venit ad excommunicationem ferendam, non imponit eam procurantibus abortum, sed solum cooperantibus, nec ullam ipsius mulieris prægnantis mentionem facit. 5

Nec obstat fundamentum Bonacinæ ex verbis illis, *quæ uti principales, vel ut sociæ ad tale facinus committendum*, etc. ubi nomine *principalis* dicit intelligi ipsam feminam prægnantem: Respondetur enim, debuisse totam clausulam referri, ex qua constat tam principales, quam socias intelligi de cooperantibus: nam inter ipsas cooperantes possunt esse et principales, et sociæ, v. g. quæ poculum ad abortum mittit, est principalis; famula quæ nomine suæ dominæ portat, est socia criminis: sicut et qui poculum procurat, emit, et dat; pharmacopola vero, qui ejus jussu præparat et vendit, est socius, et sic in aliis casibus. 6

Si autem petatur, cur cooperantes potius, quam ipsa principalis delinquens feriantur excommunicatione, et cur ab hac potius pœna, quam a reliquis ipsamet femina prægnans exempta fuerit? Ratio congruentiæ esse potuit, quod Pontifex compassus fuerit infirmitati feminarum, quæ quidem nonnisi ex gravissimi damni timore, et ex vehementissima passione tantum malum sibimet procuraturæ præsumuntur. Et quidem, si damnum corporale proprium abortus secuturi eas non deterret ab illo facinore, nec etiam excommunicatio regulariter deterrebit: quare hæc plus noceret 7

ad illaqueandas earum animas, quam prodesset ad impedienda peccata, quæ ratio non ita procedit in cooperantibus ad abortum : hi enim minora motiva habent ad cooperandum crimini, cum non timeant communiter ex partu secuturo eam infamiam, et graviora aliquando mala, quæ timere potest femina prægnans. Quare facilius possunt excommunicationis metu deterreri ; quoad alias vero pœnas non oportuit feminam prægnantem eximi, quia cum illæ omnes non incurrantur ipso facto, sed post judicis sententiam, ad judicem spectabit examinare gravitatem culpæ, et excusationes minuentes crimen ex parte feminæ, ut possit juxta varias circumstantias pœnas moderari.

8 Dixi tamen, hanc sententiam probabilem mihi videri, *attentis verbis dictæ bullæ ;* quia si usus et praxis aliter illam explicuit, ut videtur significare Bonacina loco cit. standum erit stylo ut usui communi. Consulendus tamen erit usus, et considerandum an solum fundetur in sententia communi docente ipsam etiam feminam comprehendi quoad excommunicationem, in qua sententia fundatæ pœnitentes absolutionem petunt ab excommunicatione, saltem ad cautelam, quod non videtur satis ad inducendam excommunicationem, si vere Sixtus V. eam imponere non intendit.

9 Post hæc scripta vidi P. Dianam VII. p. tr. v. resolut. 7. ubi pro secunda sententia negante affert etiam Alfonsum de Leone *de censur. recollect.* VII. numer. 34. licet ipse Diana primam sententiam communem amplectatur.

## DUBIUM V.

*Utrum excommunicatus nominatim per edicta publica, nisi intra certum terminum satisfecerit, transacto termino sit vitandus.*

Cum incolæ locorum N. N. decimas fructuum, maxime vini, nucum, castanearum, et animalium, quæ in distributiones quotidianas convertuntur, vel omnino subtraherent, vel notabiliter fraudarent, vel penitus negantes, vel quid minimum pro libito solventes ; quam ob causam cultus Ecclesiæ paulatim a ministris negligebatur et deserebatur, præpositus ecclesiæ litem contra prædictas communitates, et quamplures particulares coram Ordinario instituit ; nec minis aut pollicitationibus deterritus ab ejus executione voluit desistere : quia tamen Ordinarius pluries requisitus nunquam declaravit, præpositus ad sacram rotam Romanam confugit, quæ constito legitime de non tuto accessu, decrevit, quod citationis per affixionem incolæ in certis locis ita afficerentur, ac si personaliter essent citati. Citantur ergo permulti nominatim, alii etiam generatim, omnes habentes bona in illis territoriis, quod scientes adversarii ad senatum et gubernatorem confugerunt, procurantes intimari sibi præceptum sub pœna capitis, et confiscationis bonorum non comparendi in hac causa : quod quidem præceptum ipsi dicunt factum sibi fuisse, quamvis de eo in actis non constaret. Sub eo tamen prætextu comparere neglexerunt, et causa in contumaciam proposita, decretum est in favorem præpositi, et omnes tum nominatim, tum etiam generatim citati condemnati sunt ad integram decimarum solutionem a die motæ litis, atque etiam ad expensas litis. Pro cujus sententiæ executione, quæ in rem judi-

catam transierat, litteræ executoriales in forma decretæ fuerunt, quibus inter cætera mandatum fuit, omnibus citatis, ut intra triginta dies post affixionem deberent præposito et canonicis satisfacere de omnibus decimis decursis a die motæ litis, et de ducatis 90. ratione expensarum sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, quas litteras præpositus in locis decretis affigi curavit, et ad majorem cautelam ex altari per parochos evulgari, ut nemo ignorantiam prætendere posset. Sed tamen adversarii non paruerunt, imo aliqui eorum deinceps non solverunt id parum, quod antea solvere soliti fuerant, idque omnibus publicum et notorium fuit.

Qua facti serie posita, quæsitum fuit a theologis, an omnes nominatim citati, et condemnati ad solutionem sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, et qui notorie non parent, sed subtrahunt decimas etiam illas quæ sine controversia et lite solvebantur, sint publice vitandi, atque ab usu sacramentorum et divinis officiis excludendi, qua occasione quæsitum est ulterius, an essent etiam excommunicatæ mulieres sub potestate viri constitutæ, habentes bona decimis subjecta, sive ex causa dotis, sive hæreditatis, sive ususfructus, sive ex alia causa, si decimæ ex ii bonis non solvantur.

Et quidem quoad personas non nominatas in citatione et sententia, non videtur dubium, quia illæ non sunt nominatim excommunicatæ et denuntiatæ, prout requiritur ad hoc, ut ab aliis fidelibus vitari debeant. Tota controversia esse poterat de illis qui specialiter fuerant nominati : ii enim cum sint notorii excommunicati, et per sententiam publicati, non videntur posse ad communicationem sacram vel civilem recipi, quod suaderi potest primo, quia satis abunde publicatur excommunicatus, qui per publicam judicis sententiam excommunicantur, ut docent Adrianus in materia de confessione dub. IX. Medina C. *de confessione*, quæstione *de confessione confessori excommunicato scienter facta*, Petrus de Soto sect. VI. *de confessione*, et sect. ult. *de excommunicatione*, et Felinus apud Suarez *de censuris*, disp. IX. sect. 2. nu. 8. præsertim, cum ipsa sententia postea affixa sit in locis publicis judicum jussu, ut ad omnium notitiam veniret, et ex altari a parochis promulgata, quæ solemnem et legitimam publicationem et denuntiationem inducere videntur.

Secundo, quia decretum concilii Basiliensis sess. XX. ad fin. in quo ad evitanda scandala, inducta fuit differentia excommunicati tolerati, non videtur requirere determinate denuntiationem excommunicationis, ut aliquis debeat vitari, sed videtur sufficere publicatio sententiæ excommunicationem inferentis : imo videtur sufficere notorietas facti et excommunicationis incursæ. Verba concili sunt hæc : « Ad evitanda scandala, et multa pericula, subveniendumque conscientiis timoratis, statuit etiam quod nemo deinceps a communione alicujus in sacramentorum administratione, vel receptione, aut aliis quibuscumque divinis, vel extra, prætextu cujuscumque sententiæ, aut censuræ ecclesiasticæ, seu suspensionis, aut prohibitionis ab homine vel a jure generaliter promulgatæ, teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut interdictum ecclesiasticum observare, nisi sententia, prohibitio, suspensio hujusmodi fuerit in, vel contra personam, universitatem, ecclesiam, aut locum certum, aut certam, a judice publicata, vel denuntiata specialiter et expresse, aut si aliquem ita notorie excommunicationis sententiam constiterit incidisse, quod nulla possit tergiversatione celari, aut aliquo modo juris suffragio excusari. Nam a communione illius abstineri vult juxta canonicas sanctiones. Per hoc tamen hujusmodi excommunicatos, suspensos, interdictos, seu prohibitos, non intendit in aliquo relevare, nec eis quomodolibet suffragari. » In quibus verbis sufficit notorietas excommunicationis, ut vitari de- 4

beat excommunicatus, et multo magis, si, prout in casu nostro, præcessit sententia judicis promulgata et in ecclesiis publicata.

5 Tertio, quia, licet hoc indultum aliter ex concilio Constantiensi referri soleat, ita ut soli nominatim denuntiati, vel notorii percussores clerici sint vitandi : alii tamen dicunt standum esse decreto prædicto concili Basiliensis, quia hoc posterius fuit, et potuit limitare indultum a Constantiensi datum : et quia de decreto concilii Basiliensis constat, ex actis ejusdem concilii ; de decreto autem illo Constantiensi non constat cum non reperiatur in tota concilii serie tale decretum, sed solum ab aliquibus auctoribus referatur. Quamvis autem concilium Basiliense non fuerit semper legitimum ; confirmatum tamen fuit quoad multa a Nicolao V. imo hoc ipsum speciale decretum receptum fuit postea in concilio Bituricensi, et in statutis ecclesiæ Gallicanæ, et concordatis inter Leonem Papam X. et Franciscum regem Galliæ, quæ habentur et approbantur in concilio Lateranensi sub eodem Leone sess. XI. et eamdem formam amplexi sunt Patres in concilio Moguntino capit. 104. Quare hujus decreti verbis standum esse docuerunt Abbas, Felin. et Navarr. quos affert Suar. dicta sect. II. num. 4.

6 Respondi tamen, stante veritate narratorum, illos non esse reputandos excommunicatos vitandos, sed toleratos ; quia juxta communem theologorum sententiam, quos congerit et sequitur Suarez ibi num. 5. in hoc non est hodie standum concilio Basiliensi, sed Constantiensi anteriori, cum Basiliense nec fuerit legitimum, nec approbatum a Romano pontifice. Neque enim Nicolaus V. illud approbavit, nisi quoad aliquas causas beneficiales, et alias quasdam ibi tractatas, quæ ad factum spectabant, et non ad jus novum constituendum, ut ex bulla ejusdem Nicolai, quæ habetur in fine ejusdem Concilii, probat idem Suarez nu. 2. et 5. in qua bulla nihil continetur pertinens ad illius decreti approbationem. Nec etiam Leo X. in concilio Lateranensi revocavit decretum Constantiense, sed solum Gallis, qui forma illa Basiliensi contenti erant, permisit ut ea uterentur, si vellent. Quare nec ipsi Galli postea amplexi sunt rigorem decreti Basiliensis, sed tam ipsi, quam omnes alii fideles ubique amplectuntur decretum Constantiense, quod licet in corpore Concilii non reperiatur ; refertur tamen ab Antonino gravissimo illius temporis scriptore III. p. tit. XXV. c. 3. et in tr. *de censuris*, c. LXXXIII. alias in tr. *de excommunicatione*, cap. LXXIX. nu. 16. qui habetur in tom. XIV. *tractatuum diversorum Doctorum*, qui ex testimoniis fide dignis refert, Martinum V. de hac re interrogatum respondisse : *illa est una de concordatis, et volo quod semper duret.* Denique praxis et consuetudo universalis totius Ecclesiæ eam formam ubique recepit et approbavit, quæ est optima legum interpres, ut videri potest apud Suarez loco citato.

Supposita autem necessitate denuntiationis nominatim factæ, ut alios præter clerici percussores, vitare debeamus ; dicendum videtur, cessare eam obligationem in casu nostro, in quo non fuit denuntiatio talis, qualis ad hoc requiritur ; defecit enim ex duplici capite. Primo, quia communior et verior sententia tenet, ad hanc obligationem non sufficere sententiam excommunicationis in aliquem latam, etiamsi de ea sententia notorie constet, nisi etiam publice et legitime denuntietur excommunicatus vitandus, ut probat idem Suarez ubi supra, num. 8. et alii communiter.

Quæ denuntiatio in casu nostro defuit : nam solum publicata fuit sententia excommunicationis, ut veniret ad notitiam eorum qui solvere debebant ; non tamen fuit intimatum populo ut eos vitaret, nec ad eum finem fiebat publicatio, cum aliquæ etiam personæ incertæ et non nominatæ in ea continerentur, quæ vitari non poterant nec debebant, cum non agnoscerentur, nec nominatim denuntiarentur.

Secundo defecit denuntiatio debita, quia dato quod sufficiat notorietas sententiæ, qua aliquis excommunicatus, ut excommunicatus vitari debeat ; sententia tamen illa non debet esse conditionalis, et talis ut effectus pendeat a conditione futura, sed debet esse absoluta : quare non sufficit proferre sententiam qua Petrus nominatim excommunicetur ipso facto, nisi intra octo dies, v. g. solvat, ut Petrus vitari debeat, quamvis intra terminum præscriptum non solverit ; sed requiritur quod elapso termino, iterum absolute et publice judicis jussu denuntietur, quia prima sententia et denuntiatio, etiamsi publice et in ecclesia facta sit, non fuit absoluta sed conditionata : quare ex vi illius non habetur absoluta notitia censuræ, sed solum sub conditione : quod autem conditio impleta sit, non scitur ex denuntiatione, ac per consequens non habetur ex vi solius denuntiationis notitia censuræ a Petro incursæ, quod breviter notavit Suarez ubi supra, num. 10. cum Covarruv. et aliis quos affert. Cum ergo in casu nostro solum publicata fuerit sententia excommunicationis incurrendæ ipso facto sub conditione futura, non potuit ex vi illius denuntiationis induci obligatio vitandi illos debitores, qui intra terminum assignatum non satisfecissent ; per quod patet responsio ad primam rationem in contrarium adductam. Negamus enim sufficere notitiam publicam censuræ, ut teneamur aliquem vitare, nisi vel sit clerici percussor, vel notitia illa habeatur ex vi denuntiationis publicæ et juridicæ. Ne in hoc standum est concilio Basiliensi, sed potius decreto Constantiensis, seu Martini V. propter rationes supra adductas.

Advertendum tamen est, quamvis ob defectum denuntiationis non esset obligatio vitandi illos excommunicatos quoad officia divina aut commercium et convictum civilem : debere tamen vitari quoad sacramenta, quæ quidem non possent illis licite ministrari, si de eorum excommunicatione constat, quamvis denuntiati non sint. Regula enim generalis est, quod peccatori publico neganda sunt sacramenta, sive in publico sive in occulto petat ; de qua regula dixi late disputation. VIII. *de Sacramentis in genere,* sect. 10. et sequentibus. Multo ergo magis repellendus erit a sacramento recipiendo excommunicatus publicis et notorius, quamvis quoad alia toleratus sit. Hæc tamen prohibitio non est ecclesiastica, atque adeo ejus violatio non inducet excommunicationem minorem ob indebitam communicationem cum excommunicato ; hæc enim pœna sublata est in concilio Constantiensi quoad communicantes cum excommunicatis toleratis etiam in sacramentis ; sed est prohibitio juris divini, quo tenemur non conferre sacramenta indignis, quæ obligatio semper perseverat eo modo, quo loco citato latius explicui, neque huic obligationi in concilio Constantiensi derogatum est.

An illud vero quod ultimo loco quærebatur, an excommunicationem incurrerint mulieres, quæ ex bonis suis decimas non solvunt? Breviter respondendum est, si bonorum administratio libera ad ipsas mulieres pertineat, ita ut de fructibus possint pro arbitrio disponere, sive bona sint dotalia, sive paraphernalia, sive allodialia, vel quæcumque illa sint, incurrere procul dubio excommunicationem supradictam mulieres quæ decimas non solverint, cum possent : secus, si usus-fructus, vel administratio ad virum pertineat, nec uxores possint de fructibus disponere, in quo regionum et provinciarum consuetudo attendenda est. 11

## DUBIUM VI.

*Utrum appellatio a denuntiatione excommunicationis suspendat effectum ?*

Quidam Generalis ordinis cujusdam religiosi præcepit subdito regulari sub 1

excommunicatione sibi reservata ipso facto incurrenda, ut infra tot dies recederet a quodam munere, quod sine religionis præjudicio exercere non poterat. Subditus frivolis rationibus ab obedientia se excusavit. Unde generalis transacto termino eum sententia in scriptis prolata declaravit excommunicatum, quæ declaratio ei fuit coram testibus intimata: ipse tamen a declaratione appellavit ad judices competentes; atqui provinciali voluit, ut alii religiosi abstinerent ab audienda ejus confessione, cum appellatio frivola et sine causa sufficienti appareret. Sed adhuc unus ex religiosis noluit desistere ab audienda ejus confessione, dicens, appellatione interposita suspensum fuisse excommunicationis effectum: quare provincialis voluit eidem confessario auctoritatem et jurisdictionem auferre ad audiendam illius subditi confessionem.

2 Respondi, prædictum religiosum, posita conditione inobedientiæ, et transacto termino, incurrisse ipso facto excommunicationem, atque adeo non potuisse suspendi postea per appellationem a declaratione interpositam, ut probant Suarez *de censuris*, disp. III. sect. VI. nu. 5. et 6. et Thomas Sanchez lib. III. *Consil.* cap. unico, dub. XXXII. num. 240. et constat ex c. *Pastoralis*, §. *Verum, de appellationibus*, et c. *Is cui*, in fine, *de sent. excommunicat.* in VI. ubi habetur, per appellationem ab excommunicatione post latam sententiam, non suspendi ejus effectum, quia hæc sententia affert secum executionem, et eodem tempore quo profertur, operatur; quare appellatio subsequens invenit jam excommunicatum ipsum appellantem. Potuisset quidem suspendi effectus excommunicationis, si ante elapsum terminum præfixum subditus appellasset, ut cum aliis docet idem Sanchez ibi num. 236. ex c. *Præterea* ibi II. *de appellat.* quod ipse Sanchez num. 260. extendit ad eum qui post decem dies elapsos, qui communiter ad appellandum conceduntur, sed tamen ante elapsum terminum præfixum ad obediendum appellavit: in nostro autem casu subditus appellavit post elapsum terminum totum totum præfixum, atque adeo post excommunicationem jam contractam, quæ semel contracta non potest nisi per absolutionem, auferri.

Addidi tamen, in casu posito, quamvis appellatio non suspenderit excommunicationem; suspendisse tamen effectum declarationis, atque adeo subditum mansisse quidem excommunicatum, non tamen declaratum nec vitandum, sed toleratum. Quod enim appellatio non suspendat censuras latas, non extenditur ad alia, atque adeo ad sententiam declarationis et denuntiationis, ut cum communi Doctorum, quos congerit, tradit idem Sanchez dicto dub. XXXII. num. 243. et dub. XXXIII. n. 2. qui addit hoc esse verum etiamsi delictum sit notorium, ita ut nulla tergiversatione celari possit; quia hodie post Extravagantem *Ad evitanda*, multo magis gravatur quis per excommunicationem et denuntiationem, quam per solam excommunicationem, cum ex tolerato fiat non toleratus. Cum ergo a declaratione statim appellaverit, debuit declarationis effectus impediri.

Unde ulterius dixi, non debere prohiberi confessarium ordinarium ab audienda ejus confessione: nec enim potest judex copiam confessarii reo negare, cum sit forum valde diversum et in quo confessarius debet pœnitenti pro se, et contra se dicenti credere, et poterit pœnitens aliquas causas occultas offerre, ob quas confessarius judicet eum non esse excommunicatum: imo poterit eum cum solis venialibus reperire, ad quorum absolutionem habet potestatem talem, quæ non possit per prælatum regularem auferri. Unde ipsimet Inquisitores, quando reum convictum et adhuc negantem tradunt curiæ sæculari, eo quod in foro externo præsumatur hæreticus obstinatus: adhuc non possunt ei negare copiam confessarii, nec hunc possunt prohibere ne eum absolvat a peccatis; sed debent relinquere, ut ipse juxta notitiam in con-

fessione acceptam judicet pœnitentem, quem non debet judicare ex allegatis et probatis in processu, sed solum ex ipsius confessione sacramentali, ut cum aliis dixi disp. XXIII. *de fide* sect. III. num. 94. et sequentibus. Sicut ergo non derogatur jurisdictioni Inquisitorum judicantium illum ut hæreticum, quamvis detur ei copia confessarii, imo quamvis unus ex Inquisitoribus audiret sacramentaliter ejus confessionem, ut dixi ibi num. 95. quia nimirum nihil commune habet forum judiciale cum foro sacramentali, nec notitia unius fori deservit ad judicium alterius: ita nihil derogat auctoritati prælati generalis excommunicantis, quod confessarius audiat confessionem subditi, et talem eum judicet, qualem eum in confessione invenit, saltem quandiu subditus nondum est legitime denuntiatus et vitandus.

Si tamen Generalis sciret confessarium illum in particulari habere opiniones aliquas improbabiles, verbi gratia quod appellatio suspendat effectum excommunicationis antea latæ, vel alias similes, posset merito prohibere ne audiret confessionem illius subditi. Nam ob eamdem causam et propter doctrinas laxas et improbabiles posset confessarium aliquem ascere ab audiendis omnium confessionibus; ergo a fortiori propter tale periculum poterit prohibere, ne audiat confessionem talis subditi. Deberet tamen tunc aliis confessariis permittere, ut eum in confessione audirent; et expediret quod simul declararet ob quam causam talem confessarium in particulari prohibeat ab eo munere, ne det ansam suspicandi quod id faciat cum detrimento libertatis requisitæ in eo sacramento, vel ob alias rationes æque odiosas.

## DUBIUM VII.

*Quid agendum cum episcopo irregulari ob illegitimitatem mala fide occultatam in adeptione episcopatus?*

N. Episcopus sæcularis illegitimus ex soluto et soluta, acceptavit episcopatum sibi oblatum, tacita scienter irregularitate ex defectu natalium, imo inductis duobus testibus ad probandam legitimitatem, quorum alter dubitat an ejus nomine fuerit aliquid promissum; scit tamen postea datum. Suscepit deinde omnes ordines sacros, et consecrationem episcopalem, ac per decennium exercuit munera pontificalia. Petiit denique occulto nomine et loco, a Sanctissimo dispensationem irregularitatis, revalidationem tituli, et retentionem fructuum, dubitatumque fuit an expediret petitioni annuere post delictum adeo diuturnum? 1

Dixi, posse concedi, et non paucas rationes esse ut concederetur. Primo, quia agitur de impedimento occulto: nam, licet defectus natalium esset publicus, in ratione tamen impedimenti manebat occultus; omnes enim quibus illegitimitas constabat, supposuerunt pro certo præcessisse dispensationem ut episcopus fieret. Quod autem hoc sufficiat ut impedimentum reputetur occultum, et ut dispensetur in eo, sicut in casibus occultis, si manet occultum in ratione impedimenti, probat late Thomas Sanchez lib. VIII. *de matrimonio*, disp. XXXIV. nu. 56. et quidquid sit, an id sufficeret, ut posset in hoc casa dispensare inferior, qui potest in irregularitate occulta; certum tamen est hanc esse rationem sufficientem ut summus Pontifex, extantibus paribus causis dispensandi, possit æque prudenter dispensare in hoc casu, ac si esset illegitimitas ipsa occulta. 2

3 Secundo, quia plures et graves Doctores tenent, etiam stante irregularitate, collationem episcopatus et aliorum beneficiorum esse validam, et fecisse fructus suos : ita Silvest. verb. *excommunicatio* 4. Joannes Præpositus in III, part. quæ. v. *de irregularitate* dub. 3. num. 17. et probabilem putant Suarez *de censuris* disput. XL. num. 35. Luisius Turrianus *de censuris* lib. VII. disput. LVIII. dub. 2. Gaspar Hurtado disp. I. *de irregularitate*, difficultate 20. num. 21. Coninch. in III. p. disp. XVIII. *de eensuris* dub. 1. nu. 6. Diana IV. pun. tract. II. *de irregularitate* resolut. 37. et alii antiquiores quos ipsi referunt.

4 Tertio, quia non desunt etiam, qui dicant illegitimum juvari regula Cancellariæ triennalis possessionis ad acquirendum titulum, nempe Parsius, Probus, et Navarrus apud Sanchez lib. VII. in Decalogum cap. XXIX. num. 87, et quos ego retuli to. I. *de Justitia, et jure*, disp. VII. num. 109. ubi licet contrariam opinionem secutus sim ; hanc tamen amplectitur Sanch. lib. II. *cons.* ca. I. dub. 31. num. 24. et potuisset episcopus eamdem amplecti quoad valorem tituli, quamvis non quoad licitam acceptationem aut retentionem.

5 Quamvis autem ad fruendum regula illa de triennali possessione, necessaria sit bona fides, ut cum communi sententia dixi dicta disp. VII. num. 115. Sunt tamen qui dicant non requiri, ut Ludovicus Gomezius supra illam regulam q. XLII. ubi affert duas Rotæ decisiones pro ea sententia.

6 Quarto movebar ex c. II. *de clerico ordinato ministrante*, ubi Urbanus III. loquens de diacono qui sine sacerdotio celebravit, ideoque mansit irregularis, dicit episcopo Legionensi, ut injuncta ei pœnitentia, misericorditer ei de beneficio provideat, ne egeat ad suam sustentationem : quod vel de retentione intelligitur, ut aliqui volunt, vel ut alii fortasse melius intelligunt, de novi beneficii collatione, hoc autem inveniri videtur in casu nostro, in quo, si episcopus sine episcopatu maneret propter irregularitatem, indigeret quæstuari magno cum dedecore dignitatis episcopalis ad suam sustentationem, atque adeo expedit cum eo dispensare ad ejusdem episcopatus retentionem, præsertim cum sit unus ex tenuioribus episcopatibus, et vix ad pauperem sustentationem sufficiat.

Hæc autem omnia probare videntur, ad minus posse dispensari cum illo : cum enim sint rationes quibus tot auctores dicunt eum valide accepisse titulum, et fecisse fructus suos, et alii dicant acquisivisse saltem postea verum titulum per triennalem possessionem ; sufficient saltem hæc omnia ut dispensetur cum illo, præsertim cum sit jam senex, et tot annis in suo munere laboraverit, cui labori respondere debet stipendium proportionatum, et denique scandalum magnum sequeretur ex dimissione episcopatus, nec alia via ei suppetat ad sui sustentationem ; debere itaque ei gravis pœnitentia occulta imponi, pro præteritis, non tamen pecuniaria, quia fructus omnes in sustentationem consumpsit, et ad eamdem indiget omnino futuris.

Nec denique obstat id quod proponebatur de simonia commissa cum duobus testibus pretio inductis ad testificandam ejus legitimitatem : nam cum primo teste nulla simonia commissa fuit, cum ante testificationem nihil ei promissum fuerit. Cum secundo etiam teste, post diligens examen non apparet, quod præcesserit promissio : in dubio autem quod diligentia adhibita superari non potest, nemo debet se reputare simoniacum vel excommunicatum. Adde, a gravissimis Doctoribus æstimari probabile quod propter simoniam juris humani non incurrantur pœnæ, exceptis quibusdam specialibus casibus, ut videri potest apud Thom. Sanc. lib. II. *cons.* cap. III. dub. 108. qui etiam dub. XXVI. nu. 9. dicit, non esse simoniam de jure divino, sed solum de jure ecclesiastico, dare aliquid

mediatori ut intercedat apud alium, qui mihi beneficium conferat, atque adeo non incurri tunc pœnas simoniæ, quia non emitur beneficium sed intercessio : quod idem dici posset ab aliquo in casu nostro, pretium datum testi ob falsum testimonium non inducere simoniam de jure divino, sed solum de jure humano, quia non emitur beneficium a teste sed sola testificatio falsa circa legitimationem ; sed quidquid sit de hoc, ad minus hæc omnia juvant ut appareat congruitas ad faciliorem dispensationem. Propter quæ in speciali congregatione jussu Urbani VIII. facta coram cardinali majori Pœnitentiario, et aliquibus prælatis, ac theologis, omnium sententia judicatum fuit dispensationem concedendam, imposita pœnitentia et absque ulla mulcta pecuniaria.

## DUBIUM VIII.

*An in dispensatione irregularitatis ex homicidio, necesse sit ad ejus valorem narrare dispensationem præcedentem ob alterum homicidium?*

Communis sententia affirmat, quia Pontifex vel non concederet secundam, vel certe difficilius concederet, si præcedentis dispensationis notitiam haberet ; quia difficilius est remittere pœnam duplicis delicti quam unius, et gravius solet puniri relapsus, quam ob primum lapsum : ut late probat Suar. lib. VI. *de legibus* c. XXXIII. n. 12. et multis relatis Thomas Sanch. lib. VIII. *de matrimonio* disp. XXII. nu. 2. et 20. quibus consensit Basilius Pontius *de matrim.* lib. VIII. c. XVII. n. 8.

Hoc tamen non caret difficultate, quia, ut bene notat Suar. dicto c. XXIII. n. 9. et seqq. ratio subreptionis in hoc casu debet oriri vel ex jure positivo exigenti quod narretur prior dispensatio ad valorem secundæ ; et hoc jus non facile reperietur : vel debet oriri ex præsumpta voluntate Pontificis non habentis animum dispensandi in secundo crimine, si præcessit dispensatio prioris. Et quidem, licet ad hoc præsumendum sit aliquod fundamentum in lege III. C. *de Episcopali audient.* dicente : « Ut remissionem veniæ crimina, nisi semel commissa, non habeant, etc. » unde arguitur non facile indulgendum esse in secundo crimine : contrarium tamen est quod testatur versatissimus in sacra Pœnitentiaria Filliucius tr. X. part. II. cap. X. nu. 325. ubi de hac necessitate exprimendi priorem dispensationem super primo crimine, subdit, *non credo esse receptum ;* quod etiam testati sunt Illustrissimi Datarius atque etiam Joann. Baptista Coccinus decanus sacræ Rotæ, et Regens sacræ Pœnitentiariæ, pietate et doctrina ubique notissimus ; quorum uterque interrogatus die 13. Martii anno 1631. asseruit non esse necessarium id explicare ad valorem secundæ dispensationis : cum autem ii duo melius quam alii omnes testari possent de usu pro foro externo in Dataria, et pro foro interno in sacra Pœnitentiaria, videtur potuisse iis credere, qui ob non narratam priorem dispensationem, de valore secundæ dispensationis dubitabat ; quia tamen totum hoc pendet ex intentione concedentis, et hæc potest variationem accipere, poterit etiam fieri quod vel tempore præterito contrarius usus fuerit, vel etiam futuro tempore contrarium usum, et regulam pariat contraria intentio concedentis ejusmodi dispensationes, prout de facto hodie modernus Regens sacræ Pœnitentiariæ hanc ob causam addi jubet in brevibus hanc clausulam : « Et, si Orator simile delictum iterum admiserit, dispensationemque super eo, a sacræ Pœnitentiariæ officio denuo obtinuerit, ejusmodi dispensatio nequaquam ei suffragetur, si præsentis gratiæ mentionem in illa non fecerit, et ita illum monere, etc. » Quam tamen clausulam nonnisi in dispensatio-

nibus de abortu inductam esse audio. Unde a contrario arguitur, ea clausula non posita, non esse necessariam ejusmodi expressionem; cui sententiæ favere videntur Henriquez lib. XXIV. c. XVII. n. 5. littera I. Molina *de primogenitis* lib. II. c. IV. n. 55. et Padilla, Bart. et Bald. quos affert Henriquez loc. supra cit. qui saltem in foro conscientiæ id approbat.

## DUBIUM IX.

*De irregularite cujusdam parochi regularis incitantis subditos ad occidendos aggressores.*

1 In quodam oppido Indiæ parochi munus legitime exercebat sacerdos quidam e societate Jesu. Accidit autem, ut illuc advenirent Æthiopes quidam, mancipia nimirum fugitiva, qui turmatim accedentes non leviter Indos incolas turbarunt, dum illis mortem et devorationem minabantur. Accurrunt territi Indi ad suum sacerdotem consilii causa; ipse vero respondit: Ite, et occidite illos, vel, ut alii referunt, Ite, comprehendite eos; si vero resistant, occidite. Sacerdos non recordatur horum verborum; probabile tamen putat attenta sua natura et indole, se ea verba protulisse. Indi ergo his verbis facti animosiores procedunt ad capiendos aggressores, et dum resistunt occidunt ex iis sex, aut septem. Sacerdos ergo irregularis reputatus recurrit ad suum provincialem, a quo dispensatur cum ipso, quia propter difficilem recursum ad generalem ex loco remotissimo, judicavit facultatem provinciali competere, juxta id quod habetur in proœmio compendii privilegiorum ejusdem societatis. Quæsitum ergo est, quid sentiendum sit de valore dispensationis, et de potestate ad dispensandum in eo casu?

Dixi, in primis in proœmio dicti compendii non contineri dictam facultatem: nam ibi prohibetur quidem usus aliorum privilegiorum, de quibus non fit mentio in eo compendio, et postea additur: Si tamen illorum usus alicubi necessarius fuerit, is a præposito generali impetrandns erit, aut si periculum in mora esset, censeatur provincialibus, et visitatoribus, et dumtaxat in casu communicatus, dummodo societatis instituto non repugnet. » Facultas ergo concessa provincialibus ad alicujus privilegii usum, non monito prius generali propter periculum et distantiam, solum est in ordine ad privilegia non contenta in compendio. Quare, cum facultas dispensandi in irregularitate homicidii, si quæ est, sit contenta in compendio, non potuit prætextu distantiæ et periculi in mora provincialis eam sibi usurpare, fundatus in illis proœmii prædicti verbis.

Dixi secundo, si in hoc causu intercessit irregularitas homicidii, nec ipsum generalem potuisse dispensare, multo minus provincialem: quia, quidquid sit, an pro foro conscientiæ et in occultis possit dispensare; hoc tamen fuit publicum. Et quidem quoad casus publicos derogata fuerunt omnia regularium privilegia in concilio Tridentino sess. XIV. c. 7. *de reformat.* Unde in eodem compendio privilegiorum Societatis verb. *dispensatio*, post §. 6. monentur superiores omnes de hac Concilii revocatione, et de ablata facultate dispensandi in casibus publicis.

Dixi tertio probabile videri, quod aliunde potuerit provincialis cum illo sacerdote dispensare ad usus ordinum: nimirum primo ex concessione Pauli III. facta per bullam, et relata in dicto compendio societatis, verb. *dispensatio*, §. 2. quæ ibidem provincialibus communicatur, ut scilicet universaliter possint cum subditis post vota emissa dispensare in omni irregularitate ad usus ordinum, excepta irregularitate homicidii voluntarii, bigamiæ, et mutilationis membro-

rum : et de eadem irregularitate homicidii voluntarii loquitur Tridentinum dicto c. VII. quando eam indispensabilem reddit. In casu autem nostro videtur probabile, non fuisse irregularitatem propriam homicidii, nedum homicidii voluntarii, nam homicidium proprie non est, nisi sit injusta occisio. Videtur autem verisimile, in casu nostro non fuisse occisionem contra justitiam : tum quia præcesserunt minæ incutientes metum gravem probabilem, et ab iis, qui eas solebant exequi, ut multi testantur : tum etiam, quia cum Æthiopes illi essent delinquentes in Indorum territorio, et aggressores injusti, habebant Indi jus eos capiendi auctoritate gubernatoris Indi, qui cum aliis etiam tunc aderat, et præstabat auctoritatem publicam actui : usi ergo sunt jure suo occidendo eos qui justæ capturæ resistebant. Non ergo fuit homicidium injustum, nec parochus suo consilio cooperatus fuit injustæ occisioni, atque adeo non contraxit irregularitatem homicidii proprie dicti.

Secunda ratio esse posset, quia esto illud fuisset homicidium proprie contra juxtitiam ; irregularitas tamen consulentis non videtur excepta in facultate illa Pauli III. supra relata, in qua excipitur irregularitas ex homicidio voluntario : nam pœnæ impositæ homicidio simpliciter non comprehendunt mandantes et consulentes homicidium, nisi per legem ipsam extendatur ad mandantes et consulentes. Unde si irregularitas non fuisset in jure expresse extensa ad mandantes, non incurreret eam mandans, quantumvis homicida esset irregularis, ut cum aliis fatetur Thomas Sanchez dicto c. x. n. 44. et alibi. Hæc tamen ratio non videtur solida : quia quamvis consulens, vel mandans homicidium non incurreret irregularitatem homicidii, nisi esset in jure expressum, et extensa irregularitas homicidii ad mandantes et consulentes : at postquam id in jure expressum est, et extensa irregularitas ad utrosque ; jam nomine irregularitatis homicidii voluntarii intelliguntur etiam mandantes et consulentes, quia ii etiam quoad hoc intelliguntur homicidæ voluntarii, quod videntur supponere doctores communiter, dum agentes de irregularitate homicidii voluntarii, et de ejus dispensatione, vel indispensabilitate comprehendunt mandantes et consulentes, quod clare significat P. Suarez disp. XLIV. *de censuris* sect. III. n. 16. et 31. et idem supponere videntur responsa sacræ congregationis cardinalium interpretum concilii Tridentini : nam sess. XIV. c. 7. ubi de indispensabilitate hujus irregularitatis homicidii voluntarii agitur, duæ declarationes reperiuntur ejusdem congregationis, tam in impressis, quam in manuscriptis, quæ id supponunt. Prima est subscripta a Cardinale Caraffa nomine congregationis ad episcopum Hieracensem anno 1587. his verbis : « Mandans homicidium committi in personam unius, si committatur in personam alterius, an dicatur incurrisse irregularitatem, adeo ut super ea nec dispensari debeat juxta hoc decretum, nec episcopus possit ex cap. VI. sess. XXIV. quamvis homicidium sit occultum. Congregatio censuit non incidisse in irregularitatem, quæ contrahitur ex homicidio voluntario. »

Secunda vero responsio habetur postea his verbis : « Quærebatur an is, qui mandavit aliquem baculo verberari, eo expresso ne occideretur, si mandatarius armis percusserit et occiderit, intelligatur incidisse in hoc decretum Concilii, adeo ut omni ordine, atque beneficio, et officio ecclesiastico absque spe dispensationis perpetuo carere debeat. Congregatio censuit negative. » In utraque autem responsione supponitur contrahi irregularitatem homicidii voluntarii indispensabilem a mandante, quando mandans intendebat mortem illius qui ejus jussu occiditur, nam in illis duobus casibus excusant mandantem ab hac irregularitate indispensabili ex eo solum quod vel non intendebat mortem, sed percussionem, vel certe non intendebat mortem 6

hujus, sed alterius. Unde Navarrus *in manuali* c. 27. n. 240. aperte fatetur, mandantem contrahere ejusmodi irregularitatem homicidii voluntarii, etiam quando ipse mandatarius eam non contrahit, v. g. quando famulus propinat potum veneno infectum animo jocandi, mandato heri persuadentis esse solo sale inspersum : quo casu dicit, herum incurrere irregularitatem homicidii voluntarii. Unde, redeundo ad casum nostrum, prælatus non potest dispensare cum hoc sacerdote eo solum prætextu quod non occiderit, sed mandaverit, vel consuluerit occisionem ; nam hæc etiam venit, ut vidimus, nomine irregularitatis homicidii voluntarii.

7 Tota ergo ratio reduci debet ad hoc quod probabile sit, ut diximus, non fuisse illud homicidium injustum : quia tamen de hoc non constabat, dixi procurandam et mittendam esse illi sacerdoti dispensationem aliam magis securam, et certam ab eo qui eam impertiri posset.

## DUBIUM X.

*Utrum suspensus occultus celebrare possit sine periculo irregularitatis ad alendum se, et matrem egentem ?*

1 N. ante legitimam ætatem fraudulenter presbyteratum accepit, nec obtinere potest ab episcopo dispensationem : celebrat tamen quotidie ad se, et matrem egentem alendam. Quæsitum fuit, an id sine periculo irregularitatis incurrendæ facere posset ? .

2 Suppono, hunc propter pravam ordinis susceptionem incurrisse ipso facto suspensionem ab ordine male suscepto, quæ, licet a Sixto V. in bulla, *Sanctum, et salutare*, quæ est in Bullario XCI. inter ejusdem Sixti bullas, fuerit reservata summo Pontifici ; postea tamen reducta est ad terminos juris communis a Clemente VIII. in bulla incipiente, *Romanum Pontificem*, quæ habetur apud Quarantam verb. *Ordo*, et est XL. in Bullario communi, de quibus videri possunt Suarez *de censuris* disp. XXXI. sect. 1. et alii plures, quos congerunt Carolus Thesaurus *in praxi ecclesiastica* p. I. verb. *Ordines* cap. I. et Diana ab eodem citatus.

Quomodocumque autem sit, consequenter fatendum erit, hunc, si absque dispensatione celebret, vel absque sufficienti excusatione, fieri irregularem, juxta regulem generalem, quod suspensus ab Ordine, si illum exerceat, eo ipso contrahit irregularitatem ; dubium ergo solum est, an necessitas se, et matrem inopem alendi excuset ab incurrenda irregularitate ob non observatam suspensionem, et licitam reddat celebrationem missæ ?

Dixi in primis, non mihi probari hanc viam excusandi N. ab observanda censura, nec aperiendam hanc portam ita latam, quæ, si semel aperiatur, censuræ ecclesiasticæ suum rigorem maxima ex parte amittent. Nam hoc prætextu, posita cessatione a divinis, omnes pauperes sacerdotes celebrare præsument, sicut in diebus festis possunt laborare, si indigent ad sui sustentationem ; imo eodem prætextu sacerdos pauper dicet, se posse missam celebrare feria VI. hebdomodæ sanctæ, vel etiam sine vestibus sacris, aut sine pane azymo, quando is non habeatur : quia nimirum hæc omnia sunt præcepta mere ecclesiastica, quæ non obligant in ea necessitate, si non obligat præceptum servandi censuram suspensionis : quæ omnia sunt manifeste absurda. Consideranda ergo sunt in quolibet præcepto pondus, et substantia rei præceptæ, et finis a præcipiente intentus, ut judicetur de damno quod sequitur, vel de commodo quod impeditur, an sufficiant ad excusandum ab obervantia præcepti ; nec enim potest una generalis pro omnibus regula assignari, cum non

sint omnia hæc præcepta æqualia, et tota hæc excusatio fundetur in præsumpta legislatoris voluntate nolentis obligare cum tanto, vel tanto incommodo, aut damno. Oportet etiam advertere, an agatur de vitando damno, quod aliquis hic et nunc patitur in rebus suis, si observet præceptum ; an vero solum de lucro quod impeditur observando præceptum. Facilius enim excusatur quis ob jacturam rerum suarum quam incurret, quam ob spem lucri quod posset habere, et observatione præcepti impeditur. Hinc enim videmus facilius excusari aliquem ab observatione festorum ob damnum quod inde patietur, quam ob lucrum quod sperare poterat, ut colligi potest ex c. *licet de feriis*, ubi Pontifex dispensat cum piscatoribus archiepiscopatus Tiburiensis, ut diebus festis, exceptis majoribus solemnitatibus, si halecia terræ se inclinaverint, possint eorum capturæ intendere, ita tamen ut ecclesiis vicinis et pauperibus congruam portionem distribuant. Vide, cum quot conditionibus dispenset in festi observantia, quando periculum erat magni lucri amittendi, eo quod pisces illi nonnisi in transitu, et temporibus incertis appareant, et capi possint. Cum tamen ad damnum vitandum dispensatio non sit necessaria, quia tunc censetur necessitas adesse, quæ lege caret, quæ etiam differentia in censurarum observatione locum habet : nam ad vitandum scandalum, infamiam, et similia, licite potest non observari censura, quando damnum quod timetur, proportionem habet ad eum effectum sufficientem. Non tamen ita facile danda est licentia, quando agitur de lucro captando, alioquin posset irregularis licite episcopatum oblatum acceptare, ne transacta occasione episcopatus alteri detur, et ipse careat lucro ingenti sibi tunc temporis obveniente, et sic de aliis similibus.

Hæ autem omnes circumstantiæ ostendere videntur obligationem observandi suspensionem in casu nostro. Nam in primis non agitur de vitando damno, sed de non captando lucro, quod haberi posset ex celebratione missarum ; et quidem de lucro ad quod sacerdos ante suspensionem contractam nullum jus habebat, cum antea nondum esset sacerdos, et in ipsamet illegitima sacerdotii susceptione suspensionem incurrerit. Deinde considerandum est, hanc ipsam lucri amissionem non advenire per accidens ad censuram, sed ex intentione imponentis censuram. Ad hoc enim etiam imponitur suspensio, ut sacerdos suspensus careat honoribus et emolumentis quæ consequuntur ad ordinum exercitium. Quare non se habet sicut detrimentum in salute corporea, vel in re familiari quod incurritur observatione festi, quod quidem est præter intentionem legislatoris.

Quamvis autem N. non videatur mihi excusandus eo titulo ab incursione irregularitatis, si mala fide velit celebrare ; dixi tamen, posse fortasse alia via facilius liberari : expleta enim jam ætate necessaria, posse illum accipere absolutionem suspensionis contractæ non solum a suo episcopo, sed a quocunque confessario privilegiato habente facultatem absolvendi a censuris, atque adeo a suspensionibus non reservatis, quæ tamen cum non sint pœnæ, et in punitionem, sed censuræ propriæ, colligi potest ex iis quæ multi doctores communiter docent, dum dicunt ejusmodi confessarios posse absolvere a suspensionibus non reservatis, quando sunt propriæ censuræ, prout docent Avila, Alterius et Garzias, quos affert et sequitur P. Carolus Thesaurus *in praxi ecclesiastica* p. 1. c. 24. versus finem. Aliunde vero suspensionem in casu nostro incursam, esse proprie censuram et non pœnam, docet Suar. disp. XXXI. *de censuris* sect. 1. n. 24. quem sequitur Thesaurus ubi supra part. II. verb. *Ordines* c. 1. n. 2. Ex quibus fit, posse non solum episcopum, sed dictos confessarios privilegiatos post expletam ætatem absolvere a dicta suspensione, quæ qui- 6

dem, ut supra vidimus, non est hodie reservata, quamvis olim a Sixto V. reservata fuerit, quod amplius colligi poterit ex regula quam clarius fortasse, quam alii, tradit Joannes Præpositus in III. p. q. 3. *de censuris* dub. IV. ubi dicit, posse ejusmodi confessarios absolvere a suspensione non reservata, quæ non sit imposita ad certum tempus, sed indefinite; tunc enim regulariter intelligitur esse censura, ut fatetur Suarez disp. XXIX. *de censuris* sect. I. n. 19. Porro suspensio imposita a Pio II. in bulla supra citata contra ordinatos ante ætatem, non est perpetua positive, hoc est, cum clausula inferente positive perpetuitatem, sed indefinite, ut constat ex verbis bullæ, ubi solum dicitur: « A suorum ordidum executione ipso jure suspensi sint ; et si hujusmodi suspensione durante in ejusdem ordinibus ministrare præsumpserint, eo ipso irregularitatem incurrant. » In quibus verbis potius significatur eam suspensionem non esse sine spe absolutionis, ad quod videntur alludere verba illa, *si hujusmodi dispensatione durante ;* supponitur enim non esse positive perpetuam. Quamvis autem Sixtus V. eam positive perpetuam imposuerit, addendo particulam *perpetuo suspendimus ;* tamen Clemens VIII. in bulla citata reduxit eam Sixti bullam ad terminos juris, et bullæ Pii II. et concilii Tridentini, in quibus non habetur suspensio reservata et positive perpetua. Unde colligitur, hodie hanc suspensionem tolli posse per confessarium habentem facultatem ad absolvendum a suspensionibus non reservatis : qua absolutione habita, et ætate completa, non video cur prædictus orator non possit celebrare, nisi forte irregularitatem jam incurrerit celebrando mala fide, durante suspensione ; a qua tamen irregularitate, si occulta sit, poterit per suum episcopum in foro conscientiæ dispensari juxta facultatem episcopis in concilio Tridentino concessam.

## DUBIUM XI.

*An irregularis occultus possit retinere beneficium solum habens annexam recitationem officii ?*

N. Irregularis irregularitate orta ex homicidio voluntario occulto, cum aliunde capax esset ob primam tonsuram quam habebat, accepit beneficium quoddam, cujus titulus nullum actum ordinis, vel ministerium habebat annexum, nisi meram recitationem officii divini. Quæsitum est, an in foro conscientiæ posset illud licite retinere, non obtenta dispensatione?

Suppono, circa validitatem collationis duas esse sententias. Prima asserit irregularem non solum illicite, sed etiam invalide accipere beneficium ecclesiasticum, quam tenent Lessius, Villalobos, Navarrus, Avila, Sairus, Covarruvias, Henriquez, et alii apud Dianam part. IV. tr. II. *de irregularitate*, resolut. 37. Unde obtenta postea dispensatione irregularitatis, debet vel dimittere beneficium et reddere fructus perceptos, vel obtinere denuo revalidationem tituli, et retentionem fructuum. Secunda sententia docet, non potuisse irregularem sine peccato gravi beneficium acceptare ; collationem tamen fuisse validam, quamvis retentio sit illicita quandiu non obtinetur dispensatio irregularitatis, quam sententiam probabilem fatentur Suarez *de censuris* disp. IV. sect. II. n. 35. Turrianus, Gaspar Hurtado, Joannes Præpositus, Silvester, Plovius, et Coninch, quos refert et sequitur Diana loco citato, quibus adde Castrum Palao t. II. tract. XIII. *de beneficiis* disp. I. punct. XI. §. 3. n. 8. et Filliucium tom. I. tract. XIX. cap. III. num. 85.

Hoc ergo supposito dicendum videtur in casu nostro, quamvis juxta secundam sententiam collatio beneficii valida fue-

rit, fuisse tamen illicitam, atque illicitam etiam esse retentionem, nisi dispensatio irregularitatis obtineatur, qua obtenta, non erit necessaria nova tituli revalidatio, cum valida fuerit prima collatio ; ea tamen dispensationem non obtenta, illicitam esse beneficii retentionem : quia doctores utriusque sententiæ in hoc convenire videntur, quod acceptatio et retentio illicita sit, quamvis aliqui eorum magis benigne loquantur, non obligantes ad statim dimittendum, sed permittentes quod possit aliquo tempore beneficium retinere, ut dispensationem irregularitatis obtineat, dummodo in ea procuranda nimium negligens non sit, et interim ex redditibus beneficii sufficienter provideat ecclesiæ, ut saltem per alium ei inserviatur, si necesse sit : hoc enim ad tempus facere propter causam adeo gravem non est contra justitiam, sic videtur loqui Suarez ubi supra n. 35. adjuncto n. 19. ad quem videtur ibi se remittere. Omnes autem videntur supponere obligationem dimittendi beneficium, si dispensationem irregularitatis non vult, vel non potest impetrare, quod in casu nostro videtur a fortiori procedere, in quo irregularitas procedit ex homicidio voluntario, cui strictissime ablata est spes obtinendi quodlibet beneficium in concilio Tridentino sess. XIV c. 7. Unde P. Thesaurus *in praxi ecclesiastica* part. II. verb. *homicidium* c. I n. 5. fatetur, homicidam voluntarium ex illo decreto Tridentini incurrere inhabilitatem indispensabilem ad acquirenda ecclesiastica beneficia.

His autem non obstantibus, quæ apud doctores communia et certa esse videntur, non defuerunt in casu nostro, qui dicerent oratorem posse tuta conscientia retinere beneficium, etiam non obtenta nec petita dispensatione, cujus obtinendæ nullam fere spem poterat habere : fundamentum præcipuum erat ex doctrina P. Suarez, qui dicta sect. II. n. 35. de irregulari accipiente beneficium dicit quidem, debere beneficium dimittere, si dispensationem irregularitatis non potuerit obtinere : addit tamen, *saltem cum limitatione posita in præcedenti puncto*, ubi videtur, se omnino referre ad id quod dixerat in puncto præcedenti n. 19 ubi loquens de irregulari habente beneficium ante irregularitatem, et de obligatione dimittendi, distinguit de qualitate beneficii et servitii illi annexi : « nam interdum, inquit, est adeo simplex beneficium, ut solum obliget ad recitandum officium canonicum, ut præstimonium (quod sit gratia exempli dictum.) Aliud solum requirit ministerium, quod per alium exerceri : et in his, et similibus nulla est ratio obligationis dimittendi illud, cum possit irregularis obligationi beneficii satisfacere per se, vel per alium. Alia etiam sunt beneficia ecclesiastica, quæ personalem residentiam cum exercitio alicujus operis postulant : et in his maxime procedit ista sententia ; sed limitanda, ac declaranda est, quia non tenetur statim irregularis dimittere beneficium, sed potest aliquo tempore retinere, ut dispensationem irregularitatis obtineat, dummodo in ea procuranda nimium negligens non sit, et interim ex redditibus beneficii sufficienter provideat ecclesiæ, ut saltem per alium ei inserviatur, si necesse sit : hoc enim ad tempus facere propter causam adeo gravem non est contra justitiam. » Huc usque Suarez, qui duo videtur ibi permittere, nempe, et retinere beneficium sine dispensatione, si tale sit et adeo simplex quale in casu nostro supponitur, et retinere saltem ad aliquod tempus, dum dispensatio procuratur, si beneficium sit quod personalem residentiam cum servitio aliquo exigat. Quamvis autem limitatio, cujus postea meminit nu. 35. videatur solum debere intelligi de secunda parte, nempe de retentione ad aliquod tempus, quandiu dispensatio procuratur : nam ante illam partem immediate præcedunt verba illa, *sed limitanda, ac declaranda est*, quare illam solam videtur sub nomine *limitationis* postea in-

tellexisse, atque adeo illud solum concessisse irregulari, qui stante irregularitate beneficium novum acceptavit : aliqui tamen volebant, utramque partem comprehensam fuisse a P. Suario, dum n. 35. limitationem suprapositam dixit habere locum etiam in beneficio accepto in irregularitate.

Quod rursus confirmabant ex doctrina Joannis Præpositi, qui in III. part. qu. V. *de irregularitate*, dub. III. n. 13. regulam generalem statuit, his verbis : « Notandum convenire inter doctores, quod quando irregularitas præcedens non impedit functiones beneficii, aliquis non redditur inhabilis ad illud obtinendum, v. g. si beneficium solum obligat ad lectionem horarum canonicarum, clericus contrahens irregularitatem, eo quod privatur manu non redditur inhabilis ad illud obtinendum, imo licite potest beneficium recipere, et retinere. » Hæc ille, cui favere videtur Suarez, qui dicta sect. II. n. 38. loquens de beneficio post irregularitatem obtento, dicit clericum irregularem non esse inca pacem nisi recipiendi beneficium, cujus actus impedit irregularitas, et reprobat Navarrum qui hoc limitaverat ad irregularitatem absque peccato contractam.

5 Ratione denique hoc ipsum probatur : quia supposita sententia probabili, dicente collationem beneficii irregulari factam esse validam, eo ipso quod irregularis bona vel mala fide beneficium accepit, jam illud est vere suum, nec apparet præceptum dimittendi : quare sicut potest licite retinere beneficium quod ante irregularitatem obtinebat, si id sit adeo simplex, ut ad solam recitationem officii ordinetur, non apparet cur non possit retinere aliud simile beneficium post irregularitatem valide acceptum, cum hoc sit tam suum quam illud aliud, et cum tota obligatio dimittendi beneficium ante irregularitatem acceptum fundetur in eo quod non potest satisfacere muneribus et officiis, ad quæ beneficium ordinatur et datur, quæ ratio cessat in casu nostro.

Nec videtur obstare Tridentini decretum supra adductum loquens de homicida voluntario : quia præterquam quod non fit prohibitio accipienti, sed conferenti beneficium, nullum verbum est de retentione, sed de collatione, nec ea ibi irritatur, sed prohibetur illis verbis : « nec illi aliqua ecclesiastica beneficia, etiamsi curam non habeant animarum, conferre liceat, » et quamvis statim addatur aliquid, quod ad retentionem ipsam pertinere videtur, nempe : « sed omni ordine, ac beneficio, et officio ecclesiastico perpetuo careat, » hæc tamen videntur intelligenda de privatione per judicem facienda, alioquin deberet ipso facto, et ante sententiam amittere beneficia, quæ ante irregularitatem habebat, eum verba illa universaliter loquantur de omni beneficio, quam tamen pœnam communis sententia negat ipso facto incurri ante sententiam.

Hæc tamen responsio, ut verum fatear, 6
videtur mihi satis dubia : quia communis doctorum sensus et Curiæ in utroque foro stylus aperte repugnat. Nec loca illa quæ ex Suario afferebantur, ostendunt eam fuisse ejus mentem : nam num. 35. solum approbavit in casu nostro limitationem, quam nu. 19. tradiderat, ubi sub nomine *limitationis*, solum permisit retentionem ad tempus, dum dispensatio irregularitatis procuratur, quod vero afferebatur ex nu. 38. minus videtur favere, quia ibi loquitur Suarez solum de irregularitate partiali, quæ non impedit *omne exercitium ordinis*, ut ipse loquitur, sed aliqua ; non vero de irregularitate universali et totali, qualis procul dubio est irregularitas homicidii, si quæ alia in toto jure. Et in illa Suarii apud Lezanam tom. III. verb. *irregularitas*, n. 5. Quare non videtur mihi in eodem sensu loqui Præpositus supra allegatus, qui doctrinam Suarii transcripsit, et in eo sensu intelligitur, et refertur doctrina illa Suarii apud Lezanam, tom. III. verb. *irregularitas*. Quare non videtur mihi in re tanti ponderis facile

recedendum a communi sententia, et sensu doctorum. Volui tamen motiva utriusque partis producere, ut alii melius cogitare possint.

## DUBIUM XII.

*De irregularitate ex infamia occulta in loco distanti.*

1 N. Absens a sua diœcesi per duas dietas, in loco, ubi aderat, denuntiatus fuit de crimine falsæ monetæ, et indiciis quasi evidentibus deprehensus. Fugit igitur ex eo loco ; et citatus, aliisque diligentiis factis, nunquam comparuit. Postea Romam venit, et beneficium ecclesiasticum bona fide obtinuit, et factus sacerdos celebravit. Quærebatur, an esset irregularis, et an posset sacra Pœnitentiaria cum eo dispensare tanquam cum irregulari occulto ?

2 Supponitur autem, et Romæ, et in patria sua id totum occultum esse, neque fuisse spem quod unquam publicetur, præsertim lapso jam quadriennio a tempore delicti.

3 Respondi, videri quidem esse irregularem : posse tamen quoad irregularitatem a sacra Pœnitentiaria dispensari. Prima pars probatur, quia vel in loco delicti lata fuit sententia, et condemnatus fuit reus in contumacia ; et tunc procul dubio incurritur irregularitas infamiæ ex sententia, cum crimen falsæ monetæ sit unum ex incutientibus infamiam : est enim crimen læsæ majestatis, ut tradit P. Molina tom. III. *de Justitia* disp. 702. nu. 1. in fine, et videri potest Thomas Sanchez lib. VI. *Consil. moral.* cap. III. dub. 6. num. 14. et Coninch. in III. part. disput. XVIII. *de irregularitate* dub. 7. num. 56. Si vero sententia non fuit prolata, adhuc videtur incurrisse irregularitatem ; sunt enim aliqua enormia delicta, in quibus etiam ante sententiæ prolationem incurritur infamia, ex qua consequenter oritur irregularitas, inter quæ computari debere hoc crimen, colligi potest a fortiori ex Majolo *de irregularitate* lib. III. ca. I. n. 9. et 10. ubi docet, omnes capituli crimine irretitos, hoc est, dignos sententia capituli, esse infames ipso facto et ante sententiam, et num. 14. exprimit reos læsæ majestatis, qualis certe est monetam falsificans, ut supra diximus, quod idem docere videtur Molina tr. IV. *de Justitia* disp. VII. in fine, ubi ait, accusatum de crimine furti fieri infamem, etiamsi solum verisimilia indicia delata sint ad judicium, cognitaque sint ex delatione, esto nondum in judicio plene probata sint. Constat autem in casu nostro, esto non fuisset perventum ad sententiam (quod tamen vix præsumi potest) factum tamen fuisse delictum publicum, deprehenso reo quasi evidentibus indiciis, eoque postea fuga elapso et publice citato, quæ publicatio sufficit ad infamiam contrahendam, ut cum aliis docet Suarez *de censuris* disput. XLVIII. *de censuris* sect. 1. num. 21. ubi dicit, sufficere probabilem et publicam opinionem de crimine patrato. Cum ergo hæc opinio publica fuerit in loco delicti in casu nostro propter supradicta, non potuit postea mutatione loci auferri irregularitas infamiæ semel contracta, ut cum Ugolino notavit Bonacina *de censuris* disp. VII. in antiqua editione, qu. III. punct. 1. num. 1. et Majolus dictor. cap. I. versus finem. Ratio autem esse potest, quia irregularitas, quamvis non sit proprie censura, imitatur tamen censuras in eo quod ipso facto incurratur, et quod semel contracta afficiat personam quocumque ierit, donec legitime auferatur : erit ergo irregularis fugitivus, sive in patria sua, sive Romæ, ubi delictum ejus ignoratur.

Secunda vero pars, quod scilicet sacra Pœnitentiaria possit in ea irregularitate dispensare in foro conscientiæ, probari potest ex iis quæ in simili docent Avila *de censuris* part. II. cap. VII. disp. I. dub.

11. conclus. 3. Sanch. *in Decalog.* lib. II. cap. XI. n. 20. et Durandus, ac Paludanus apud ipsum, Fagundez item et Barbosa quos affert et sequitur Lezana tom. VI. verb. *occultum*, num. 10. qui dicunt, facultatem dispensandi, vel absolvendi in casibus occultis extendi ad eum casum, quo delictum, in loco remoto est publicum, non tamen ibi ubi pœnitens, vel dispensadus commoratur et in quo petit absolutionem dispensationem, neque est spes quod ibi publicetur ; quamvis contrarium doceant Suarez to. IV. *de pœnitentia* disp. XXX. sect. 2. n. 2. in fine, et P. Thesaurus *in praxi* part. I. c. 21. §. *Advertendum tertio*. Cum ergo in casu nostro, quadriennio jam elapso, non sit spes quod Romæ publicandus sit casus ille, qui in loco remotissimo contigit, probabilissimum videbatur posse a sacra Pœnitentiaria dispensari in irregularitate contracta : non tamen dispensabit in revalidatione tituli, et retentione fructuum, nisi prius compositione facta et consensu obtento per Datariam Apostolicam, ad quam ea omnia jam spectant ex decreto Urbani VIII.

# LIBER TERTIUS.

## DE VARIIS CASIBUS AD REGULARES SPECTANTIBUS.

### DUBIUM I.

*Utrum tacens homicidium ad judicium deductum, licite et valide Professionem emiserit ?*

1 Non est sermo de ordine religioso, in quo homicidium antea comissum, sit impedimentum substantiale irritans ingressum et professionem subsequentem, juxta ejus constitutiones ad sede apostolica approbatas, prout de facto habetur in constitutionibus societatis Jesu : nunc vero loquimur de alio ordine, in quo talis constitutio irritans professionem non habetur ; casus quippe propositus fuit, quod in ejusmodi ordinem novitius quidam reciperetur, qui revera fuerat delatus : postea vero in loco ubi id ignorabatur, habitum religiosum petiit, et informationes ante professionem solitæ factæ fuerunt juxta bullam Sixti V. et Clement. VIII. ex quibus apparuit, ipsum nec criminosum esse, nec debitis aut ratiociniis obnoxium. Ipse autem circa hæc interrogatus homicidium commissum tacuit, atque adeo ad professionem admissus fuit. Quæsitum est, an valide et licite eam emiserit ?

Suppono, Sixtum V. anno 1587. bullam edidisse, quam refert integram Emman. Roder. tom. III. qu. 56. post. art. 6. in qua homicidas et alios quibusdam criminibus obnoxios reddidit inhabiles ad professionem religiosam, variasque pœnas imposuit recipientibus eos, non præmissa informatione juridica de eorum qualitate. Postea vero anno sequenti alia sua bulla, quæ habetur apud eumdem Roder, ubi supra, declaravit, non obstare professioni prædicta crimina, nisi quando « actis publicis constiterit, ipsos judices et curiam sæcularem ante susceptionem habitus de ipso crimine adversus eos accusationem suscepisse, vel inquisitionem instituisse. » Denique Clemens VIII. anno 1602. moderatus est dictas Sixti constitutiones, et valorem professionis restituit, remanentibus aliis pœnis adversus suscipientes ad religionem ejusmodi criminosos, quæ bulla habetur in bullario communi, et est LXXXIII. inter bullas ejusdem Clementis, ubi eamdem formam in informationibus capiendis observari vult ab iis, ad quos pertinet, sicut antea et sub eisdem pœnis.

Hinc constat, professionem in casu nostro fuisse omnino validam, tum quia ca-

sus supponitur accidisse post bullam dictam Clementis VIII. qua restitutus fuit valor illis professionibus : tum, quia servata fuerat forma a Sixto V. præscripta ad earum valorem, nec enim temere receptus fuerat ille ad professionem, sed præmissa diligenti informatione, quamvis in ea non constiterit de crimine patrato. Sixtus autem solum tunc reddit nullam professionem, quando temere data fuisset, hoc est, non præcedente ejusmodi informatione, ut observavit Emmanuel Roder. dict. quæstione LIV. artic. 1. Difficultas ergo solum restat, an ipse professus potuerit licite etiam interrogatus tacere suum crimen, et professionem emittere.

Circa quod dubium, suppono etiam primo, si prælati, vel ii ad quos spectabat professionem acceptare, protestati sint antecedenter, se non habere animum acceptandi professionem, si revera ille affectus esset iis criminibus, vel notatus iis defectibus, de quibus interrogabatur, professionem certe subsecutam nullum valorem habere : quia, cum ad ejus valorem requiratur et voluntas profitentis et voluntas acceptantis professionem ; deficiente hac voluntate ex parte acceptantis, deficiet valor professionis ex defectu acceptationis validæ, ut notarunt Th. Sanch. et Emman. Rod. quos affert, et sequitur Lezana *de obligat. Regul.* tom. I. cap. XXIV. n. 35. et tom. IV. verb. *Professio regularis*, n. 18.

Suppono secundo, neque etiam potuisse professum tacere licite, vel negare crimen suum, quoties ex hoc provenire posset religioni aliquod grave detrimentum ; hoc enim esset contra justitiam, et decipere injuste in re gravi, ut in simili docet Sanchez lib. V. *in Decal.* cap. IV. num. 57. Tota ergo difficultas est, an deceptio in hoc casu fuerit ita gravis, ut reddat illicitam habitus susceptionem et professionem ex parte ipsius professi.

P. Laurentius Portel *in responsionibus casuum moralium* par. I. cas. VIII. n. 7. indicat etiamsi homicidium non fuisset omnino occultum, si tamen occultum sit in eo loco ubi habitus religiosus petitur, nec sit spes quod aliquando detegatur, posse novitium tacere et negare, quamvis sub juramento interrogetur, an habeat impedimentum aliquod ex iis quæ apposita sunt a Sixto V. intelligendo apud se, quod non habeat impedimentum dirimens professionem, cum post bullam Clementis VIII. jam non sit impedimentum irritans, sed impediens professionem, et sit in hoc loco occultum, nec teneatur sese infamare. Addit tamen, se non audere hoc resolvere aut consulere.

Posset tamen confirmari hæc opinio 7
ex eo quod Clemens VIII. ablata irritatione professionis per Sixtum V. inducta, reliquit solum pœnas, et præcepta admittendi ejusmodi homicidam ad professionem, vel habitum religiosum. Illa autem præcepta, et pœnæ videntur dirigi solum ad prælatos et alios, ad quos pertinet admittere ad professionem vel habitum, nisi præmissa informatione sufficienti super his. Quare in casu nostro videtur observari totum illud præceptum, cum informatio diligenter facta fuerit, et nihil tale compertum sit, atque adeo ex parte prælati et recipientium nulla culpa commissa fuit, nec pœna incursa. In ipsum autem novitium nulla pœna statuta fuit a Sixto V. nec etiamsi fuisset, maneret post bullam Clem. VIII. qui expresse dicit, se relinquere in sua vi pœnas *suscipientium ad religionem ;* non vero dixit pœnas ingredientium cum ejusmodi impedimentis. Nihil ergo fit contra bullas Sixti V. vel Clem. VIII. qui solum voluerunt ligare recipientes, non vero receptos ad habitum religiosum.

Sed, ut verum fatear, esto quod hæc 8
ratio probaret casu quo novitius non interrogaretur ab admittente illum : non tamen videtur excusare novitium a peccato gravi, quando legitime interrogatur a prælatis super ejusmodi impedimentis. Ratio est, quia independenter a bullis

Sixti et Clementis, receptio ipsa ad habitum vel professionem videtur esse contractus mutuus inter religionem et professum, vel novitium receptum, in quo sicut in aliis contractibus, dolus et fraus, licet non semper annullet contractum, quando non versatur circa substantiam, sed circa accidentia ; semper tamen reddit illicitum et injustum, quoties infert grave damnum alteri contrahenti, qui fraude cognita nollet consentire, ut constat in matrimonio et similibus : extorquetur enim consensus per dolum occultando vitium et defectus in re gravi quam contrahens merito exquirit et interrogat, ut cognoscat statum et conditionem materiæ, circa quam contractus fieri debet. Unde in terminis professionis religiosæ omnes fatentur habentem morbum gallicum, vel alium defectum similem, si interrogatus ante professionem, neget, etiamsi non semper professio sit invalida, peccare tamen graviter contra prælatos et religionem : ut docent Nav. Emman. Roder. Sorb. et Vega, quos affert, et sequitur Th. Sanch. lib. V. *in Decal.* cap. IV. n. 57.

9 Solum ergo dubitari posset, an fraus in casu nostro æstimanda sit in re gravi, eo quod homicidium occultum in loco habitus religiosi suscepti, parum vel nihil detrimenti religioni possit afferre, atque adeo parum ei nocet quod taceatur vel negetur, tanquam aliquid impertinens ad rem de qua agitur, cum satis sit quod id nec sciatur, nec timor sit quod aliquando manifestetur, si aliunde novitius aptus et utilis sit ad ordinem illum profitendum. Hoc tamen non videtur satis ad excusandum dolum, neque enim negari potest homicidium secundum se, etiamsi nunquam fuisset in judicium adductum, prout adductum fuit in casu nostro, rem esse tanti momenti ut possit prudenter religio illa novitium illo defectu laborantem nolle ad habitum acceptare. Sic videmus, ex vi constitutionum societatis Jesu a S. Ignatio conditarum, homicidium solum, absque eo quod in judicium deducatur, esse impedimentum adeo substantiale, ut eo ipso invalida sit professio et votorum emissio, ac ipse etiam in ordinem ingressus ; et hoc quamvis occultissimum sit et nullus sit timor quod ullo tempore sciri possit, ut fatetur Suarez tom. IV. *de Relig.* tr. x. lib. II. c. I. n. 12. qui n. 13. rationem assignat congruentiæ hoc impedimentum statuendo, quia nimirum hoc crimen commissum ostendit naturam nimis iracundam et ferocem, atque adeo minus aptam ad vitam religiosam. Merito ergo potest religio ipsa æstimare se deceptam in re gravi, quando hominem tali vitio affectum dolose cogitur recipere, præsertim, cum, ut idem Suarez ibi numer. 13. notat, licet delictum hic et nunc sit occultum, semper manet periculum, quod aliquando manifestetur cum gravi nota ipsius religionis, quæ huic periculo nollet ulla ratione sese exponere.

## DUBIUM II.

*De Professione illius, qui annum probationis interruperat?*

Quidam novitius post 21. dies a suo ingressu, relicto habitu, sponte discessit animo non redeundi, sed elapsis septem diebus rediit, et obtento iterum habitu novitiatum prosecutus est, et elapsis undecim mensibus et decem diebus, qui cum illis 21. diebus annum integrum faciebant, bona fide professionem emisit, ac postea per quindecim alios annos in ordine permansit, factusque ibi sacerdos omnes professorum actus etiam capitulares gessit, nunquam tamen professionem positive ratificavit, de cujus quippe valore dubium nunquam illi occurrit.

Quæsitum est primo, an professio valida fuerit? Secundo an saltem postea professio tacita intervenerit? Tertio, quia dubitat quod conventus nunc non facile

novum consensum præstabit, an non requisito novo consensu, possit nunc primam professionem ratificare saltem coram prælato et testibus? Quarto quid tandem faciet ut valide profiteatur? Quinto denique, an ad hoc necesse sit annum integrum probationis denuo promittere; an vero sine novo anno novitiatus possit prior professio statim ratificari.

Ad primum responsum fuit, professionem illam procul dubio fuisse invalidam, nam, licet aliqui antiqui quos referunt Thomas Sanchez lib. V. *in Decalog.* cap. IV. nu. 30. et Suarez to. III. *de Relig.* tract. VII. lib. V. *de ingressu Religionis*, cap. XV. num. 1. dixerint, non esse de substantia novitiatus quod annus sit continuus; sed tamen alii communiter dicunt esse de substantia, præsertim post concilium Tridentinum, ubi annullatur professio, nisi novitius post ingressum perseveraverit per annum in probatione, prout docent fere omnes, quos congerunt et sequuntur Sanchez, et Suar. ubi supra, et alii quos affert et sequitur Lezana tom. IV. verb. *professio regularis*, nu. 20. et quamvis aliqui judicent interpolationem brevem non nocere, id tamen reprobant Suarez ubi supra n. 6. Sanch. n. 32. et in casu nostro res est extra controversiam, cum interruptio fuerit per septem dies, quæ a nemine parva interruptio æstimatur.

Ad secundum videtur etiam certum, nondum fuisse professionem illam sanatam et factam validam: quia ad valorem professionis requiritur consensus positivus profitentis, ad quod necesse est quod vel profitens sciat defectum professionis, et velit denuo se obligare, vel saltem quod habeat voluntatem conditionatam qua dicat: Si forte ego non sum vere professus, ex nunc volo me denuo obligare. Non tamen sufficit mera perseverantia in religione, et exercitium actuum quos faciunt professi: nam qui putat se esse professum, perseverando in religione, non vult profiteri sed implere professionem quam putat se emisisse, ut cum Cajetano, Navarro, et aliis notant Suar. ubi supra lib. VII. c. I. nu. 4. et Sanch. lib. VII. *de matr.* disp. XXXVII. n. 59.

Ad tertium, quamvis Suarez ubi supra num. 20. dicat, in hoc casu requiri novum consensum ex parte religionis scientis priorem acceptationem fuisse invalidam, quod etiam securius et probabilius esse fatetur Sanch. d. disp. XXXVII. n. 64. Idem tamen Sanchez ibi cum Navarro, et aliis dicit esse tutum et probabile, quod non requiratur nova scientia et consensus ex parte prælati vel conventus, quandiu prior ejus consensus non fuit revocatus, quod idem fatetur Lezana to. I. c. II. n. 7. et to. IV. verb. *Professio regularis*, n. 20. et videtur non leviter colligi ex concilio Tridentino sess. XXV. c. 19. *de Regularibus*, ubi post quinquennium in ejusmodi defectibus non admittitur reclamatio contra professionem, quia supponitur eo tempore ratificata, atque adeo per solum consensum profitentis, nulla etiam stante nova acceptatione ex parte religionis; posset ergo religiosus in casu nostro hanc sententiam amplecti, quod quidem bene procederet, quatenus solum attenditur ad professionem revalidandam; difficile tamen sustineri potest in ordine ad novitiatum, vel ejus partem supplendam, ut constabit ex dicendis. 5

Ad quartum constat ex dictis, posse religiosum hunc amplectendo hanc ultimam sententiam, ratificare professionem, vel solum vel coram prælato aut aliquo teste, quæ ratificatio, ut notat Suarez ubi supra nu. 6. debet fieri signo aliquo externo explicite, vel saltem implicite significante voluntatem se obligandi, quale esset permanere in habitu et obedientia animo se obligandi, quæ permanentia duret tempore requisito ad professionem tacitam inducendam, juxta ea quæ notat Sanch. lib. V. *in Decalog.* cap. III. n. 21. Vel, si juxta alteram sententiam velit novum prælati, et conven- 6

tus consensum habere, poterit uti medio illo quod consulit idem Sanchez d. disp. xxxvii. num. 57. ut sub secreto prælato rem totam detegat, et prælatus tacito petentis nomine, id conventui proponat, et explicata professionis nullitate, consensum ad secundam professionem obtineat : vel pro foro conscientiæ, si res occulta sit, dispensationem a Pontifice impetret ad professionem occulte ratificandam, et novitiatum supplendum : quæ dispensatio necessaria videtur saltem ad retinenda jura antiquitatis in rebus alicujus momenti, ut notat idem Sanch. dicta disput. xxxvii. n. 68.

7 Hæc tamen procedunt, ut dixi, quatenus sermo est de revalidatione professionis : est tamen in casu nostro peculiaris difficultas circa tempus probationis, quæ vel tota vel ejus pars videtur supplenda ; et ad hoc videtur requiri scientia prælati et conventus, ut ex responsione ad quintum punctum constare poterit.

8 Ad quintum ergo de novitiatu repetendo, sciendum est, aliquos sentire quod debeat reiterari annus integer novitiatus : quia prior novitiatus interruptus moraliter fuit per professionem invalidam, qua facta, jam ille religiosus putabat se professum, atque ideo non erat in probatione, ad quod requiritur libertas manendi vel discedendi, quam libertatem non habebat putans se professum ; et licet postea cognito defectu professionis incipiat jam habere libertatem, et constituatur iterum in statu novitii : hoc tamen tempus non continuatur cum novitiatu priori, qui interruptus fuit per professionem putatam validam : cum ergo annus probationis debeat esse continuus, ut cum communi probant Suarez ubi supra, lib. v. cap. xv. n. 3. et Sanchez lib. v. *in Dec.* cap. iv. n. 31. consequens est ut debeat denuo fieri annus integer continuus probationis ; ita Suarez ubi supra, lib. vii. cap. i. n. 31. putat tamen probabile posse computari tempus præcedens, additis postea diebus qui ad annum deerant, quia non videtur fieri interruptio moralis, cum semper fuerit continuatus status et habitus religiosus, quod etiam pro comperto supponit Sanchez dicto lib. vii. *de matr.* dips. xxxvii. nu. 50. cum communi.

Advertit tamen Suarez dicto cap. i. 9
n. 22. et 24. oportere quod notus sit defectus professionis præteritæ ipsi prælato, et aliis ad quos pertinet admittere ad professionem, et hoc antequam tempus probationis et novitiatus incipiat continuari : quia, sicut non computatur pro legitimo novitiatu, nisi quandiu novitius scit se non esse professum, sed novitium ; ita non computatur nisi quandiu prælatus, et alii idem sciunt. Eadem enim scientia requiritur ex parte utriusque, ut et novitius probet religionem, et ut religio ipsa probare possit novitium. Oportet ergo eam notitiam dare, ut novitiatus tempus legitime currat et continetur, quod etiam in casu occurrenti olim responderat et subscripserat idem Suarez cum P. Joanne de Salas in Collegio Salmanticensi. Et mihi quidem videtur consequenter dictum, cum eadem videatur esse ratio de novitio, et de religione, ut non possit computari ad probationem, quandiu utrique non est notus defectus probationis.

Non tamen facile apparet, quam con- 10
sequenter id dictum sit a P. Suarez, qui eodem cap. i. nu. 11. inde probaverat, ad valorem novitiatus non exigi habitum proprium novitiorum, et diversum ab habitu professorum, quia nimirum in Tridentino sess. xxv. cap. 19. de regularibus statuitur, non esse audiendos eos qui post quinquennium allegant nullitatem suæ professionis propter vim aut metum, vel ob defectum ætatis, aut quid simile, ubi in illis verbis, *aut quid simile*, dicit comprehendi omnes alios defectus, etiam qui fuit in integritate anni novitiatus, quem tamen defectum et alios omnes temporales, dicit suppleri perseverantia quinquennii subsequentis, in quo præsumitur ratificatio subsecuta.

Unde consequenter videtur admittere quod potuit novitiatus legitime et valide continuari non data notitia prælatis : nam Concilium etiam eo casu præsumit ratificationem sufficientem ad valorem professionis. Et quidem ipse Suarez postea nu. 14. pro ratione dubitandi contra obligationem id manifestandi religioni objicit secundo loco hoc Tridentini decretum, in quo absque ejusmodi manifestatione præcedente supponitur valide ratificata professio quinquennio subsequenti. Ad quam tamen objectionem et difficultatem ex Tridentino propositam non invenio ipsum respondisse saltem in eodem cap. I. nam postea cap. IV. nu. 8. et 9. cum idem Tridentini decretum incidisset, fatetur tandem inmo sermonem esse de nullitate allegata professionis factæ per vim et metum' aut ante debitam ætatem, *aut quid simile*, hoc est, causas tales ut postea potuerit ratificari tacite professio per voluntatem solam ipsius religiosi, sine novo consensu religionis, atque ideo non esse comprehensum nostrum casum, in quo necessaria erat scientia et voluntas ex parte ipsius religionis, nisi solum cum accommodatione quadam, ut in his etiam casibus non audiatur religiosus post quinquennium, nisi quando cessat præsumptio ratificatæ professionis ex parte religiosi, et ex parte etiam religionis, vel certe non audiatur, nisi velit probare non potuisse tempore illo ratificari professionem, undecumque hæc impotentia processerit, atque ita mihi videtur consequenter dicendum.

## DUBIUM III.

*An, et quomodo regulares cujusdam congregationis potuerint reclamare contra prælatos, a quibus regebantur ?*

Congregatio quædam regularium in India orientali subjecta erat cuidam ejusdem ordinis provinciæ in Europa, a qua fuerat fundata, et ab eadem regebatur auctoritate Apostolica, ab eaque successive accipiebat electiones præcipuas, scilicet, provincialis, definitorum, visitatorum, etc. Dubitatum diu fuit a patribus ejusdem congregationis, an provincia ista Europæa haberet legitimam auctoritatem super ipsam congregationem, et consequenter, an prælati ab illa provincia electi, et ad hæc munera illuc transmissi essent legitimi ? Imo doctissimorum hominum judicio, non solum ex eadem congregatione, sed ex ipsamet provincia gubernante, dubium hoc fere transibat ad certitudinem de defectu legitimi tituli. Quare, ut rem totam superioribus proponerent, ad generalem ordinis, summumque Pontificem recurrere volentes, ut controversia cognita, de opportuno remedio provideretur, a suis prælatis impediti sunt. Unde cognita omnimoda recursus negatione et impossibilitate, voluerunt se eximere a gubernio illius provinciæ Europæ, et a prælatis ab ea transmissis. 1

Ad hunc finem uniti, et capitulariter congregati mentem suam, et motiva litteris ab eorum antiquissimo omnium nomine subscriptis ad vicarium provincialem dictæ congregationis, tunc forte extra civitatem degentem, mandaverunt, exponentes et postulantes, quomodo negato eis toties recursu ad sedem Apostolicam, et ordinis generalem, nullaque alia ratione manente, qua suis conscientiis possent consulere, pateretur, quod 2

Per judices ab ipso deputandos res tota examinaretur, qui et ipsum viceprovincialem, et patres etiam ejusdem congregationis audiret.

3 Vicarius provincialis initio visus est annuere, et judices deputavit, sed postea mutato consilio, ad proregem, qui status consilium actu habebat, recurrit, significans, quomodo congregationis fratres contra ipsum rebellassent, atque ideo ejus auxilium et opem imploravit.

4 Prorex vicarium provincialem interim pro bono pacis in alio alterius ordinis conventu manere voluit, deputavitque archiepiscopum illius urbis, et Inquisitores apostolicos, ut auditis partibus rem totam componerent. Hi habito utrinque tractatu, proposuerunt fratribus congregationis, ut ab instantia desisterent, et in obedientia vicarii provincialis manerent; ita tamen, ut recursum ad generalem, et summum Pontificem toties denegatum libere haberent, et securitatem, ac impunitatem de iis quæ in vicarium intentaverant.

5 Consentiunt fratres congregationis, ea conditione addita, ut concederetur ipsis facultas eligendi procuratores ad recursum profecturos, qui a nemine quovis prætextu impedirentur ab ipso pro rege, archiepiscopo, et aliis pacificatoribus. Item pro itineris et negotiorum expensis, certa pecuniæ summa ex communi congregationis ærario procuratoribus daretur, et quod has conditiones vicarius provincialis, ejusque in officio successores deberent observare, et D. Prorex, archiepiscopus, et alii ad hoc ipsum deberent concurrere. Interim, quantum de se erat, sub eodem solito gubernio se promiserunt mansuros usque ad novam summi Pontificis, vel generalis declarationem. Subscripserunt huic concordiæ prorex, archiepiscopus, inquisitores apostolici, vicarius provincialis, et fratres congregationis : et sic tandem tumultus compositus fuit.

6 Dubitatum Romæ fuit primo, an dicti fratres rei facti fuerint rebellionis contra prælatum ? Secundo, utrum vicarius provincialis incurrerit censuras, et pœnas contra recurrentes ad judices laicos in causis spiritualibus ? Tertio, an fratres iniquas, et irrationabiles conditiones a suo prælato postulaverint ? Quarto, an vicarius provincialis eas conditiones acceptare potuerit ? Quinto, an ipse, et ejus successores pœnas simoniæ incurrerint obligando se ad illas conditiones, ut ad exercitium suæ prælaturæ admitterentur ? Ultimo, an Fratres potuerint se propria auctoritate ab obedientia vicarii provincialis eximere.

Ad primum dixi, Fratres non incurrisse verum rebellionis crimen, quia non negarunt obedientiam legitimo prælato, sed orto dubio circa prælati titulum, intentarunt litem legitime coram suo prælato, petendo ob eo id quod ipse legitime facere poterat, nempe ut deputaret judices ad cognoscendum de legitimate suæ prælationis, de qua cum magno fundamento dubitabatur.

Ad secundum dixi, vicarium provincialem recurrendo ad proregem non incurrisse pœnas, aut censuras ; quia ille non fuit recursus ad judicium sæculare, sed invocatio brachii sæcularis ad coercendos eos, quos ipse pro subditis habebat, et in quorum subditorum possessione erat. Certum est autem, judices ecclesiasticos, et prælatos regulares posse invocare auxilium a magistratu laico ad capiendos et coercendos suos subditos.

Ad tertium dixi, prædictas conditiones justas et rationabiles fuisse, cum fratres congregationis fere pro certo haberent prælatos illos non esse legitime electos, quare potuerunt petere a vicario provinciali ea omnia, quæ ipse etiam non rogatus in eorum opinione facere tenebatur.

Ad quartum dixi, vicarium provincialem potuisse saltem prudenter, et pro bono pacis eas conditiones acceptare, nam, si vera sunt, quæ fratres congregationis afferunt contra legitimum titulum illius prælaturæ, prælatus ipse ex se

debebat eas conditiones offerre, et dare recursum ad generalem, et expensas, etc. ad quod facit doctrina, quam tradit Emmann. Roder. tom. II. *q. regular.* q. LIII. art. 13. ubi cum prælatus superior nollet confirmare electionem a conventu factam, et ex parte conventus fuisset appellatum, dicit, debuisse saltem ex honestate judices compromissarios dari ad cognoscendum de justa vel injusta electione. Quanto ergo magis in casu nostro potuit vicarius provincialis designare judices, et postea concedere recursum liberum ad generalem, et expensas, etc. cum ageretur de legitimate suæmet prælaturæ ? Unde ejusdem etiam successores in vicariatu potuerunt, et debuerunt acceptare easdem conditiones easque observare. Nam sicut primus potuit et debuit, ita etiam et ejus successores, in quibus ratione ejusdem officii procedebat eadem omnino ratio.

Ad quintum dixi, nec vicarium provincialem, nec ejus successores incurrisse pœnas simoniæ statutas, obligando se ad illas conditiones observandas, atque ideo non fuisse ex hoc capite intrusos, si aliunde legitimum titulum habebant, neque eorum acta ex hoc capite reddi irrita, vel irritanda. Primo, quia electio valida non redditur invalida per confirmationem simoniacam subsequentem, sed ipsa sola confirmatio ad summum vitiabitur, ut notavit Suarez tom. I. *de Relig.* lib. IV. *de simonia*, cap. 58. num. 7. Multo ergo minus electio, et confirmatio præcedens potuit reddi invalida, si valida fuerat, propter possessionem meram subsequentem simoniace obtentam. Secundo, quia in extravaganti II. *de simonia*, ubi statuitur invaliditas prælaturæ regularis simoniacæ, solum nominantur electiones, postulationes, confirmationes, provisiones, et quævis aliæ dispositiones, non vero nominatur adeptio possessionis ; quare ex hoc capite non videtur prælatura fuisse invalida. Tertio, quia probabile est, prælaturas regulares, quæ præbendam, seu reditus non habent annexos, non comprehendi dicta extravaganti secunda, quoad pœnas statutas contra simoniam in beneficiis, ut cum aliis tradit Lezana tom. IV. *Simonia quoad regulares*, num. 29. et alii, quos affert P. Thesaurus in *praxi ecclesiastica*, verb. *Simonia*, cap. II. num. 10. vers *Amplia prædictas pœnas*.

Ad ultimum dixi, si fratres congregationis habebant certitudinem de illegitimitate prælati, potuisse illi negare obedientiam, cum esset certum, quod non erat prælatus, ut fatentur omnes, quos refert, et sequitur Th. Sanchez libr. VI. *in Decal.* cap. III. n. 29. Si autem solum erat opinio probabilis, quod ille non erat verus, et legitimus prælatus, aliqui adhuc dicunt quod poterant ei negare obedientiam, quos refert Sanch. ibi, nu. 28. Alii vero, quos ipse sequitur, id negant, quia non poterant eum spoliare possessione in qua erat. Hoc tamen ad propositum videtur parum referre, cum de facto fratres solum petierint judices deputari ad cognoscendum de legitimate prælati, et recursum ad prælatos superiores, quod jure petere potuerunt. Quod si id acerbiori modo extorquere conati sunt, et terrore aliquo injecto, id utique fecerunt ad propulsandam injuriam, quam ex negato et impedito recursu patiebantur, et quia videbant propriam congregationem, et ejus bona a prælatis aliunde venientibus dilapidari, et tam in spiritualibus quam in temporalibus tendere in dies in evidentem interitum et ruinam. Quare consultus censui, quod relicta quæstione de rumore secuto ageretur solum de examinanda legitimate illorum prælatorum, et de remedio in futurum adhibendo, quo congregatio legitime et religiose regeretur.

## DUBIUM IV.

*Utrum generalis regularis possit præcepto obligare subditum ad acceptandum episcopatum?*

1 Initio anni 1643. magna fuit in Urbe disputatio de hoc casu; erat enim religiosus quidam professus in ordine quodam Excalceatorum, in quo professionis formula post tria uota solemnia consueta, continet quartum votum et solemne, quo religiosi se obligant ad non procurandum episcopatum, imo nec acceptandum, nisi cogantur præcepto potentis sub peccato præcipere. Quamvis autem præfatus religiosus postea valetudinis causa transiisset cum licentia ad calceatorum familiam, in qua prædictum votum quartum non fiebat; existimatur tamen eodem voto astrictus propter constitutionem Urbani VIII. editam anno 1635. qua decrevit et declaravit, hujusmodi professos, etiamsi cum debita facultate ad alium ordinem transferrentur, in quo tale votum non emitteretur, adhuc voto illo semel in priori ordine facto astrictos remanere. Unde cum prædictus religiosus designatus fuisset cuidam ecclesiæ episcopus, et ipse sine dispensatione vel præcepto acceptare non posset; generalis sui ordinis ei præcepit, ut acceptaret, qua occasione dubitatum et acriter disputatum fuit, an generalis potuerit id præcipere taliter, ut juxta voti formulam subditus posset acceptare, eo quod jam id faceret coactus præcepto potentis præcipere.

2 Non defuerunt theologi docti, qui id affirmarent, pro qua sententia afferebatur Emman. Roder. II. tom. *qu. regul.* qu. LVIII. art. 1. in fine, ubi de professis societatis id affirmat ex Bulla Pauli III. et rursus de omnibus religiosis id videtur affirmare in *Summa*, tom. IV. ca. LXVI. nu. 2. Item Hieronymus Rodrig. in *Compendio* res. 60. num. 2. et Henriq. libr. VII. *de Indulgentiis*, c. 22. in comment. littera H. Rursus afferebatur S. Thomas 2. 2. q. CLXXXV. art. 2. ad 3. ubi dicit: « Accipere episcopatum fieri necessarium ex superioris præcepto, etc. » et infra addit: « Qui autem votum emittit de non suscipiendo episcopatu, si per hoc intendat se obligare ad hoc, quod nec per obedientiam superioris prælati accipiat, illicite vovet. » Quo loco nomine *Prælati* intelligi debet prælatus regularis, qui semper venit intelligendus, quoties de subditis religiosis sermo habetur.

Confirmabant denique exemplis, quia P. Fr. Ludovicus de Granata, ex ordine Prædicatorum, cum esset provincialis Lusitaniæ, præcepto coegit fratrem Bartholomæum de Martyribus ad acceptandum archiepiscopatum Bracarensem; et alius provincialis Augustinianus simili præcepto coegit B. Thomam de Villanova ad acceptandum episcopatum Valentinum: erant autem et provinciales ipsi, et subditi viri doctissimi, qui tamen ejusmodi potestatem agnoverunt.

Ego tamen cum aliis multis doctissimis viris in contraria fui sententia, et dixi, Generalis præceptum non fuisse satis in casu nostro ut episcopus designatus acceptare posset, quam sententiam tradiderunt auctores omnes societatis, in qua ab ejus professis hujusmodi votum (non tamen solemne, sed simulex), emittitur. Suar. tom. III. *de Religione*, lib. X. cap. 10. Th. Sanch. lib. IV. *in Decal.* c. VIII. num. 38. et lib. VI. c. II. num. 49. Lessius lib. II. cap. XLI. dub. 9. n. 76. Castro Palao tom. III. tr. XVI. disp. 4. puncto 5. qui addit, hanc esse certissimam regulam, Valentia tom. III. disp. X. qu. 3. puncto 3. Layman. lib. IV. tract. V. cap. 9. num. 1. et alii, qui solius summi Pontificis præceptum sufficere semper agnoverunt.

Ratio a priori est, quia prælatus regularis non potest præcipere, nisi ea quæ,

retenta regulari subjectione ad ipsum, impleri possunt, et multo minus præcipere potest ex obedientia id per quod debitum ejusdem obedientiæ dissolvitur ; repugnat enim quod dicat : Quia es meus subditus, præcipio tibi ut non sis meus subditus ; quia hoc esset præcipere ex obligatione obedientiæ id per quod subditus ipso facto eximeretur ab obligatione obediendi ; quare ex debito obedientiæ careret debito et obligatione obediendi, et obedientia destrueret simul seipsam, quod ut clarius appareat, ponamus religiosum illum non solum esse designatum, sed electum a summo Pontifice, ita ut sola desit ejus acceptatio, ut eo ipso sit jam episcopus electus et confirmatus, ac per consequens exemptus a prælatis regularibus. Præcipiat ei tunc generalis quod acceptet. Ecce tunc eo ipso instanti, quo acceptat, est episcopus electus, et exemptus ab obedientia Generalis. Est quidem, si metaphysice loquamur, pro priori naturæ ante acceptationem indifferens, ut sit vel non sit subditus ipsius Generalis, quatenus est indifferens ad acceptandum vel non acceptandum episcopatum. Si tamen acceptat, non est subditus, sed exemptus, atque adeo non est capax præcepti, nec obligationis erga suum Generalem, qui ut eum obliget, deberet eum tunc invenire positive subditum, quod repugnat, si eo instanti acceptet, et fiat non subditus : operaretur enim ex motivo obedientiæ erga prælatum, cui tamen eo instanti quo obedit, nullam obedientiam debet, cum jam non sit ejus subditus.

Confirmarique potest, et amplius explicari primo exemplo quodam desumpto ex generali societatis Jesu, qui ex facultate Pontificum potest professo cuilibet Societatis facultatem concedere ex causa transeundi ad alium ordinem etiam laxiorem. Nemo autem dicet, quod possit etiam ex causa obligare subditum sub præcepto, ut transeat ad alium ordinem, et in eo professionem faciat : cujus nulla alia videtur esse posse ratio, nisi quia non potest suo subdito præcipere, nisi quæ subditus manens subditus potest exequi. Professio autem in alio ordine non est talis, quia eo ipso quod valide fiat, eximit professum ab obedientia prælatorum Societatis, et transfert in obedientiam prælati alterius religionis in qua fit professio. Idem ergo erit de præcepto acceptandi episcopatum, cujus acceptatio non potest mandari executioni a manente subdito generalis, qui eam præcipit.

Confirmatur secundo alio exemplo desumpto ex potestate ejusdem generalis Societatis, qui quidem juxta constitutiones a sede Apostolica confirmatas, et juxta bullas Pontificias, potest subditos suos non professos, ligatos tamen votis simplicibus, quibus veri religiosi constituuntur, dimittere ex societate liberos ab obligatione votorum. Quamvis autem possit Generalis iis subditis omnia præcipere, quæ intra societatem possunt exequi ; et quamvis possit illos ex causa dimittere a Societate : non tamen potest iis præcipere quæ includunt exemptionem et liberationem a voto obedientiæ, v. g. ante bullam Gregorii XIII. qui ejusmodi religiosos Societatis nondum professos, sed votis post novitiatum ligatos, reddit inhabiles ad matrimonium contrahendum, potuerant ii quidem non licite sed tamen valide matrimonium contrahere. Nemo tamen dicet quod potuisset tunc generalis subdito suo ex causis etiam justis præcipere in virtute obedientiæ, ut duceret uxorem, cujus eadem videtur esse ratio, quia ipsamet obedientia et consensus in matrimonium transferret subditum in alium statum incompossibilem cum statu regulari ; quare non poterat obedientia debita prælato Societatis extendi ad præcipiendum consensum in matrimonium, quo ipso consensu redderetur subditus inhabilis ut maneret sub obedientia Societatis. Hoc autem ipsum videtur procedere in casu nostro, in quo episcopus contrahit matrimonium spirituale cum sua eccle-

sia, ut supponitur in cap. *Inter corporalia, de translatione episcopi*, per quod spirituale matrimonium, et per consensum præstitum electioni factæ a Pontifice ; eximitur ipso facto religiosus a subjectione debita suis prælatis regularibus: non ergo poterit magis Generalis obligare subditum ad eum consensum, quam potuisset olim generalis Societatis ex voto religiosæ obedientiæ obligare subditum ad consensum in matrimonium corporale, cum eadem videatur esse ratio de utroque.

8 Adde, formulam, sub qua votum hoc emittitur in illo ordine, esse strictissimam. Primo, quia fit simul et eodem tenore cum aliis tribus votis solemnibus, paupertatis, castitatis, et obedientiæ ; quare non est votum simplex, ut in societate Jesu (in qua votum non acceptandi episcopatum est votum simplex, et emittitur post professionem solemnem alio tempore et loco,) sed est solemne, additum aliis tribus solemnibus, ut de quarto voto professorum societatis obedientiæ summo Pontifici circa missiones, propter easdem rationes probant esse solemne, Suar. to. IV. *de Religione*, tract. X. lib. VI. cap. 5. n. 38. et Castro Palao tom. III. tract. XVI. disp. 5, puncto 3. n. 5. Deinde constat, illud votum de quo erat quæstio, proferri per strictissima verba ; non enim dicunt : Voveo non acceptare, *nisi coactus obedientia*, etc. prout dicunt professi Societatis ; ex quibus verbis, ut notat Suarez ubi supra, lib. II. c. VIII. n. 16. potuisset aliquis colligere, quod sufficiat obedientia simplex sine præcepto sub peccato : et tamen ipse et alii dicunt, requiri præceptum obligans sub peccato : At vero illud aliud votum de quo agebatur, dicit, *nisi astringar præcepto*, etc. quod verbum *præcepti*, significat obligationem sub peccato, ut declaratur in Clementina, *Exivi, de verb. signific.* et in cap. *exiit, eod. tit.* lib. VI. et notat Suar. cum aliis lib. III. *de legibus*, cap. XXVI. n. 5.

9 Responderunt aliqui primo, verba illa *nisi astringatur præcepto*, etc. verificari sufficienter posito præcepto Generalis, non enim dicit, *nisi astringatur præcepto ejus, qui id præcipere possit ;* sed dicit *nisi astringatur, præcepto ejus, qui præcipere possit.* Quamvis autem Generalis non possit id præcipere ; potest tamen alia præcipere, quare jam intervenit præceptum ejus qui ei præcipere potest in aliis materiis. Hæc tamen responsio subsistere non potest. Primo, quia si id sufficeret, posset etiam sufficere præceptum Provincialis, vel prælati localis, nam hi etiam præcipere possunt in aliis materiis. Consequens autem ex se affert absurditatem, quod prioris, vel prælati localis præceptum sufficiat ad acceptandum episcopatum, non obstante voto solemni non acceptandi. Secundo, quia ex subjecta materia constat, verba illa intelligenda esse in sensu formali de præcepto ejus, qui in hac materia præcipere possit, cum potestas præcipiendi solum in aliis materiis per accidens se habeat ad præceptum hoc, quod superat potestatem præcipientis. Tertio, hoc ipsum manifeste constat ex illis verbis, *nisi astringar præcepto*, etc. nam præceptum non potentis hoc præcipere, non potest astringere, cum non possit obligare ; non ergo acceptabit astrictus præcepto, et per consequens violabit votum.

10 Propter hæc responderunt secundo, Generalem quidem ex se non posse hoc præcipere ; posse tamen facultate ipsi data ab ipso subdito vovente tali verborum formula, quia satis significat se nolle acceptare sine præcepto sui generalis, atque ideo subdit se Generali in hac etiam materia, quæ aliunde non comprehendebatur in materia obedientiæ religiosæ.

11 Hæc responsio aperte impugnatur. Primo, quia si tota hæc potestas præcipiendi provenit Generali ab ipso subdito, qui eo peculiari voto eam illi communicat, deberet etiam subditus in ipsomet voto explicare, cuinam prælato in hac materia se subdat ; an soli Generali, an

etiam provinciali, vel priori, aut prælato locali, quod tamen vovens non explicat, ut constat ex formula voti.

Secundo a priori, quia subditus in rigore non potest hanc potestatem præcipiendi in rigore communicare. Potest quidem subditus vovere, et promittere Deo, quod in ea materia faciet id quod Generalis ei faciendum dixerit, et ad hoc poterit se ex virtute religionis obligare, contra quam peccabit id non faciendo, si tamen melius sit id facere, quam non facere. Non tamen potest dare suo Generali potestatem ei proprie, et in rigore in ea materia præcipiendi. Sicut etiam Papa posset ex privata devotione promittere Deo, se petiturum consilium in aliqua materia a viro aliquo religioso, et id facturum quod ipse consuluisset, si melius id judicaret. Per hoc tamen non constitueret Papa superiorem suum virum illum religiosum etiam in illa materia (hoc enim facere non potest, nec fieri subditus alterius quandiu maneat Papa), atque adeo si votum violasset, peccaret quidem contra religionem et votum, non tamen contra obedientiam, aut præceptum proprium, cum religiosus ille non possit Papæ præcipere. Sic in casu nostro subditus peccabit contra votum, si voluit se obligare ad faciendum id quod Generalis dixerit : non tamen peccabit contra præceptum, cum ipse non possit Generali communicare potestatem præcipiendi in illa materia, quam potestatem Generalis ex jure et munere suo a summo Pontifice non habet, atque ideo non acceptabit episcopatum astrictus præcepto Generalis, sed voto acceptandi quando Generalis id dixerit; quod tamen constat esse contra mentem voventis, qui non vult acceptare nisi astrictus præcepto potentis proprie præcipere.

Tertio denique id constat ex formula ipsius voti, promittit enim, quod non acceptabit, *nisi astringar præcepto ejus, qui jure præcipere possit :* non dicit, *præcepto ejus, qui ex mea facultate præcipere possit*, sed, *qui ex jure præcipere possit*, hoc est, qui ex lege et officio suo habet potestatem præcipiendi in hac materia. Solus autem Papa potest ex jure id præcipere religioso exempto ; ergo solius Papæ præceptum sufficit et requiritur ut ille religiosus possit acceptare.

Nunc respondeamus breviter ad auctoritatem et exempla in contrarium adducta, et in primis Emmanuel Rodericus to. II. dicta qu. LVIII. art. 1. loquitur solum de professis societatis, de quibus dicit debere acceptare episcopatum, si eorum prælatus eos ad hoc obliget, quia ita ordinavit Paulus III. in sua bulla. Unde magis videtur ibi esse pro nostra sententia, si enim ad hoc ut Generalis possit eos obligare ad acceptandum episcopatum, necessaria fuit bulla summi Pontificis, non potuisset Generalis id præcipere. Sed revera hic auctor deceptus fuit, nec satis bene notum habuit Societatis institutum : nam Paulus in sua bulla data anno 1549. locutus fuit de omnibus personis Societatis professis, et non professis, et dixit eos omnes non posse acceptare episcopatum sine consensu Generalis, nulla facta mentione præcepti ; quia tunc temporis nondum fiebat hoc votum non acceptandi episcopatum in Societate, imo nec constitutiones Societatis factæ fuerunt usque ad annum 1553. votum vero hoc introductum fuit postea mortuo jam S. Ignatio. Quare Paulus III. non dedit Generali facultatem id præcipiendi, sed consentiendi, ita ut sine ejus consensu subditi non possent acceptare. Quando vero idem auctor in *Summa* tom. IV. cap. LXVIII. num. 2. dixit, posse religiosos ad hoc a prælato obligari, non expressit a quo prælato, id enim debet intelligi prælato supremo, nempe summo pontifice, nec S. Thom. quem ibi affert, eam facultatem tribuit prælato regulari, ut mox videbimus. Sed de mente illius auctoris non est locus dubitandi, cum ipse postea to. III. q. *regul.* q. XIX. art. 8. ex professo hoc dubium tractaverit, et concludit prælatos regulares non posse id suis subditis præcipere, quia hoc esset

14

eos invitos extra ordinem trahere. Fatetur tamen posse eos obligare ut ad Indos transeant et acceptent episcopatum, *si a Summo Pontifice præcipiantur, cum Sum. Pontifici incumbat cura universalis boni communis*. Hæc sunt verba et hæc est mens expressa illius auctoris.

15 Henriquez etiam non bene affertur pro illa sententia : nam in illo lib. VII. *de Indulgentiis*, cap. 22. nihil dicit, in alio tamen loco, nempe lib. X. *de Sacramento Ordinis*, cap. XXXII. nu. 2. dicit, aliquos bene vovere non acceptare episcopatum sine præcepto Generalis, vel Pontificis, quod non est ad rem nostram, cum in voto de quo agimus, nulla fiat mentio Generalis, sed illius solum quid id jure præcipere possit. Porro idem Henriq. etiam eo casu quo mentio facta fuisset in voto de præcepto Generalis, videtur dubitare de ejus potestate ad præcipiendum ; nam statim subjungit, Generalem vix unquam posse id præcipere, et rationem reddit in glossa, quia non potest præcipere, quæ non pertinent ad statum regularem, et quamvis ibi afferret Sotum lib. X. *de justit.* q. II. ad 2. quasi contrariam sentientem, Sotus tamen ibi nihil tale significat.

16 Immerito etiam affertur S. Th. qui dicta q. CLXXXV. art. 2. nomine *Prælati superioris*, non intelligit prælatum regularem, sed prælatum potentem id præcipere, quicumque ille sit. Supponit enim S. Doctor, non solum summum Pontificem id posse præcipere, sed etiam alios, ut archiepiscopum et primatem, ut colligitur clare ex ejus doctrina in responsione ad 2. ubi dicit superiorem obligantem suum subditum ad acceptandum episcopatum, aliquando posse ab eo auferre impedimentum irregularitatis (qui est solus Papa,) aliquando non posse, ut est archiepiscopus. Non ergo loquitur de Prælato regulari, qui potest id precipere suis subditis sæcularibus non exemptis : in quibus non procedit eadem ratio, quæ in subditis regularibus, quibus prælati regulares non possunt præcipere, quæ non sunt juxta institutum et disciplinam sui ordinis.

Ad exempla denique, quæ afferebantur, dico in primis, si quid probant, nimium probare, nimirum non solum Generalem sed alios prælatos inferiores posse id præcipere cum exempla illa non sint de præcepto Generalis. Unde Lezana I. to. c. IV. n. 18. dicit, illos subditos laudabiliter quidem fecisse obediendo, non tamen ex obligatione. Non sunt ergo ad rem nostram, quia illi subditi non habebant votum non acceptandi episcopatum sine præcepto obligante sub peccato. Sic etiam S. Ignatius noluit acceptare generalatum Societatis ante præceptum sui confessarii, ut legitur in ejus vita ; et S. Franciscus imponebat socio, ut ei præciperet. Si tamen habuissent votum expectandi præceptum obligans sub peccato, non fuissent contenti præcepto illo confessarii, vel socii. Sic ergo illi venerabiles viri ad acceptandum episcopatum acceperunt pro præcepto jussionem sui provincialis, cui potuissent sine peccato inobedientiæ resistere, saltem per principia extrinseca, cum sit ad minus communis doctorum sententia, ut vidimus, non posse ipsum etiam generalem ad id obligare. Quod si provinciales illi addiderunt censuras, excusandi sunt propter consuetudinem quam habebant præcipiendi sub censura in rebus gravioribus, sicut etiam aliquando in meris licentiis solent addere præceptum in virtute sanctæ obedientiæ ad majus subditorum meritum augendum.

Addo, id, quod referebatur de Bartholomæo a Martyribus, noluisse ipsum acceptare archiepiscopatum Bracarensem ante præceptum sui provincialis, videri vel falsum vel dubium, ut constat ex Reverendissimo Joanne Lopez episcopo Monopolitano in IV. p. *Chronicæ Ord. Prædicator.* lib. III. c. 27. ubi dicit, ipsum statim absque excusatione acceptasse archiepiscopatum illum a regina Lusitaniæ sibi oblatum, Unde constat, minus accurate locutum Barbosam I. p. *de officio*,

et potestate episcopi, tit. II. gloss. 1 n. 25. ubi dicit, illum coactum jussu superioris acceptasse, sed statim obtinuisse a summo Pontifice facultatem renuntiandi et rediisse ad conventum : quod est omnino falsum, nam vixit in eo munere usque ad extremam senectutem, ut constat ex loco citato. Quamvis autem idem Joannes Lopez postea eodem lib. III. c. 37. sibi contrarius dicat, jussum fuisse a suo provinciali sub excommunicatione acceptare: addit tamen caute idem auctor, quod illius prælati verbis territus, nec volens videre aut disputare an prælatus posset id præcipere, cessit et acceptavit; quibus verbis satis indicat potuisse non acceptare ob defectum potestatis prælati præcipientis. Certum mihi est quod non acceptasset, si astrictus fuisset voto non acceptandi sine præcepto potentis ad id proprie et rigorose obligare.

9 Propter hæc ergo et alia quæ producta fuerunt, fel. record. Urbanus VIII. congregationem peculiarem destinavit ex variis prælatis et theologis, ac jurisperitis doctissimis, qui re plene examinata dixerunt, Generalis præceptum in casu nostro non sufficere. Id quod idem Pontifex proprio motu litteris suis Apostolicis edito 26. Februarii anno 1643. et in locis publicis de more affixis, et publicatis declaravit. Quare, si quando aliter in hoc puncto sentiendi facultas fuit, prout sensisse videtur Villalobos in *Summa*, tract. XXXV. difficultate 40. et si quis alius ita sensit, jam nunc post sedis Apostolicæ declarationem nemini fas est aliter opinari. Tenor autem litterarum Apostolicarum, quia non omnibus fortasse copia data fuit illas videndi, talis est.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Honorum, dignitatumque vana ambitio adeo quorumdam regularium mentes interdum excæcat, ut ab eo quod abnegantes semetipsos sponte voverunt, postmodum inanis gloriæ cupiditate ducti resilire conentur, cum tamen dicat Propheta, *Vovete, et reddite vota vestra Deo.* Quamvis igitur, ut accepimus, tam fratres discalceati S. Augustini, et B. M. de Monte Carmelo etiam discalceati ordinum, quam clerici regulares ministrantes infirmis respective nuncupati, et nonnulli aliorum ordinum, seu congregationum regulares, etiam societatis Jesu, et alii regulares etiam individuam expressionem requirentes, aut in ipsa professione una cum tribus essentialibus votis, paupertatis scilicet, castitatis, et obedientiæ, aut ante vel post professionem prædictam sive solemne, sive, ut dicunt, simplex votum, in manibus tamen superioris regularis emittant de non procurando, nec acceptando aliquam dignitatem, seu prælationem, vel prælaturam extra religionem, nisi coacti, vel astricti fuerint præcepto ejus, qui sibi jure præcipere potest, et aliqui addant etiam illa verba, videlicet, *sub pœna peccati*, juxta formam suarum constitutionum a sede Apostolica confirmatarum; nihilominus aliqui ex ipsis regularibus etiam translati ad ordines regularium, etiam mendicantium, qui prædictum, aut simile votum non emittunt, retro aspicientes, emissique a se voti hujusmodi immemores, prælationes, seu prælaturas, vel dignitates ambiunt, imo etiam episcopatus, majorumque dignitatum solium conscendere moliuntur, prætendentes, quod suis superioribus regularibus, præsertimque generalibus, liceat eis præcipere, ut dignitatem, prælationem, seu prælaturam, vel episcopatum, majoremve dignitatem extra religionem acceptent, aut ipsum votum relaxare, et cum ipsis desuper dispensare, licet per præcepta, et dispensationes hujusmodi ipsi ab obedientia præcipienti, seu dispensanti debite examinantur, ac etiamsi vota prædicta, tanquam emissa in manibus superioris regularis dicantur solem-

nia, vel saltem efficaciam voti solemnis habeant, regulariumque constitutiones sint confirmatæ auctoritate Apostolica, et cum decreto irritante, a quo propterea manus quorumcumque inferiorum ligatæ existunt. Quapropter Nos ambitum hunc retundere, et prætensionem hujusmodi excludere, ac etiam omnem dubitationem super præmissorum interpretatione a nonnullis excitatam Apostolicæ declarationis auctoritate penitus tollere volentes, motu proprio, certaque scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, hac perpetua nostra constitutione declaramus, super prædicto voto, etiam per translatos ad ordinem, seu congregationem regularem capacem, ante translationem emisso de non procuranda, nec acceptanda extra quemlibet ex ipsis ordinibus, seu congregationibus regularibus, aut societate prædicta respective aliqua dignitate, seu prælatione, vel prælatura, sive aliquo episcopatu, aut majori dignitate, neminem superiorem regularem, etiam generalem, aut capitulum, seu congregationem generalem, nec etiam nuntium Apostolicum, aut prædictorum ordinum, seu congregationum protectorem, etiam S. R. E. cardinalem, nec etiam legatum sedis Apost. etiam de latere, non quemlibet alium etiam speciali, et individua mentione dignum, sed tantummodo Nos, et Romanum pontificem pro tempore existentem posse dispensare, taleque votum relaxare, aut adversus illud aliquam licentiam, vel indultum concedere, aut aliquod præceptum procurandi, seu acceptandi, vel aliud simile ipsis regularibus voventibus facere, cujus vigore prædicti religiosi illas, et illos procurare, vel acceptare possint, aut teneantur, aut alias quomodolibet voventes prædictos a prædicto voto liberare. Prout pariter declaramus, quascumque facultates generales dispensandi super quibuscumque votis, seu illa relaxandi, aut commutandi, vel adversus illa præcipiendi, aut alias quomodolibet voventes habilitandi, etiam in foro conscientiæ dumtaxat, sive per dictas constitutiones a sede Apostolica confirmatas, sive per litteras etiam in forma Brevis Romanorum pontificum prædecessorum nostrorum, aut nostras, vel successorum nostrorum, etiam motu scientia deliberatione, ac potestatis plenitudine paribus, etiam consistorialiter, etiam ad supplicationes, seu contemplationes quorumcumque, etiam imperatoris, regum, et principum, seu rerumpublicarum, ac prædictorum ordinum, congregationum, et societatis, aut vigore cujuscumque jubilæi, etiam universalis, vel Cruciatæ sanctæ, aut sanctæ Inquisitionis, seu missionum, et alias quovis modo, et ex quacumque causa quantumlibet pia, favorabilis, publica, et privilegiata concessæ, et emanatæ, concedendæque, et emanandæ, nuncque, ac pro tempore competentes ad præmissa omnia, et singula nullatenus se extendre intelligantur, sed esse nobis, et Romanis pontificibus successoribus nostris dumtaxat reservata, prout tenore præsentium decernimus et reservamus. Decernentes quoque easdem præsentes litteras etiam ex eo quod prædicti regulares, et alii quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere prætendentes illis non consenserint, nec ad id vocati, citati, et auditi, causæque propter quas illæ emanarunt sufficienter, aut nullatenus adductæ, seu probatæ fuerint, de surreptionis, obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis nostræ, aut alio quoquam defectu, vel ex quacumque alia causa, occasione, prætextu, colore, et capite notari, impugnari, rescindi, in jus vel controversiam revocari nunquam posse, sed easdem præsentes litteras semper, et perpetuo validas, firmas et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, et inviolabiliter observari, sicque et non aliter in præmissis omnibus, et singulis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, et causarum palatii Apostolici auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de

latere legatos, et quosvis alios quacumque auctoritate fungentes, nunc, et pro tempore existentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, et judicari et definiri debere, irritumque et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis etiam conciliaribus, et quatenus foret opus nostra, et cancellariæ Apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, necnon quorumvis ordinum et congregationum regularium, dictæque Societatis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia, roboratis statutis, et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris Apostolicis eisdem ordinibus, congregationibus et Societati, illorumque superioribus, fratribus, clericis, et personis, ac generaliter quibusvis aliis etiam individuam mentionem requirentibus, sub quibuscumque verborum tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et pluries innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficiente derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda foret, tenore hujusmodi, ac si de verbo ad verbum exprimerentur, et inferrerentur, præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum duntaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut præsentium transumptis, etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ alicujus in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur; si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 26. Februarii 1643. Pontificatus nostri vigesimo.

M. A. Maraldus.

Anno a Nativitate D. N. J. C. 1643. indictione 11. Pontificatus vero Ss. D. N. Urbani divina providentia Papæ VIII. anno ejus vigesimo, die vero 11. mensis Martii, supradictæ litteræ Apostolicæ affixæ, et publicatæ fuerunt ad valvas Basilicæ principis Apostolorum de Urbe, in acie campi Floræ, ac aliis locis solitis, et consuetis Urbis, per me Josephum Masseum ejusdem Sanctissimi D. N. Papæ Cursorem. »

Franciscus Angelicus.
Mag. Curs.

## DUBIUM V.

*An summus Pontifex cogere possit religiosum suo præcepto ad acceptandum episcopatum?*

Hoc dubium merito annectitur præcedenti, in quo diximus, neminem præter summum Pontificem, posse suo præcepto obligare religiosum ad episcopatum acceptandum. De ipso autem summo Pontifice dubitatum aliquando fuit, an id possit absolute, et constanter præcipere subdito religioso acceptare renuenti? 1

Pro negativa sententia videntur esse aliqua decreta antiqua, et præsertim verba Simplicii Papæ relata in cap. *Ubi ista*, dist. 17. in quo Pontifex acriter reprehendit episcopum Ravennatem, quod 2

presbyterum quemdam invitum ad episcopatum promoverit, et concludit his verbis : « Denuntiamus autem, quod si post hac quicquam tale præsumpseris, et aliquem, seu episcopum, seu presbyterum, seu diaconum invitum facere forte credideris, ordinationes tibi Ravenatis ecclesiæ, vel Æmiliensis noveris auferendas, » quod idem ex concil. Aurelianensi III. cap. 7. refertur cap. 1. ead. dist. 74. his verbis : « Episcopus, qui invitum, aut reclamantem præsumpserit ordinare, annuali pœnitentia subditus missas facere non præsumat : » quod videtur etiam supponere Gregorius relatus in cap. *Gesta*, dist. 74. ubi de eo quem invitum volebant aliqui ad sacerdotium promovere, subjungit : « et sicut justum est, ut nemo crescere compellatur invitus, ita censendum puto similiter, ne quisquam insons ab ordinis sui ministerio dejiciatur injuste. » Quæ decreta, dicunt aliqui, in hoc saltem sensu locum habere, ut si subditus non solum initio fugiat et renuat, sed postea etiam constanter, vel obstinate in sua renitentia perseveret, nullo modo sit cogendus. Ita expresse docuit glossa in cap. *Ante omnia*, verb. *mihi*, dist. 40. et in cap. *Sicut is*, verb. *renuit*, 1. q. 6. et in c. *Displicet*, verb. *inviti*, 23. q. 4.

3 Pro affirmante tamen parte sunt alia clarissima decreta : nam in primis in concilio Charthagin. relato in ca. III. et IV. dist. 74. de iis qui resistunt promotioni ad superiorem gradum, sic statuitur : « Placuit, ut quicumque clerici, vel diaconi pro necessitatibus ecclesiasticarum rerum, (vel, ut alii legunt, ecclesiarum) non obtemperaverint episcopis suis, volentibus eos ad honorem ampliorem in ecclesia sua promovere : nec illic ministrent in suo gradu, unde noluerunt recedere. » Hoc ipsum supponit Gregorius Magnus I. p. *Pastoralis*, cap. VI. ubi de nolentibus hæc munera acceptare sic ait : « Quorum profecto humilitas si cæteris quoque virtutibus cingitur, tunc ante oculos Dei vera est, cum ad refutandum hoc quod utiliter subire præcipitur, pertinax non est. Neque enim vere humilis est, qui superbi nutus arbitrio, ut debeat præesse intelligit, et tamen præesse contemnit. Sed divinis disputationibus subditus, atque a vitio obstinationis alienus, cum sibi regiminis culmen imperatur, si jam donis præventus est, quibus et aliis prosit, et ex corde debet fugere, et invitus obedire. » Idem significat Augustinus relatus in cap. *Displicet*, 23. qu. 4. ubi usum ecclesiasticum refert, ut hæretico suadeat posse absque injuria illum cogi ad hæresim relinquendam exemplo eorum, qui ad episcopatum suscipiendum coguntur. « Sed neque hoc, inquit, putas tibi fieri debisse, quia neminem existimas cogendum esse ab bonum. Attende, quid dixerit Apostolus : *Qui episcopatum* 1. 7
*desiderat, bonum opus desiderat.* Et tamen tam multi, ut episcopatum suscipiant, tenentur inviti, perducuntur, includuntur, custodiuntur, patiuntur quæ nolunt, donec eis adsit voluntas suscipiendi operis boni. Quanto magis vos ab errore pernicioso, in quo vobis inimici estis, trahendi estis, et perducendi ad veritatem vel cognoscendam, vel eligendam, non solum ut honorem salubriter habeatis, sed etiam ne pessime pereatis ? » Idemque etiam sensit Augustinus relatus in c. *Vos autem*, 16. quæst. 1. Monachos quosdam sic alloquitur : « Vos autem fratres exhortamur in Domino, ut propositum vestrum custodiatis, et usque ad finem perseveretis : ac si quam operam vestram mater ecclesia desideraverit, nec elatione avida suscipiatis, nec blandiente desiderio respuatis ; sed miti corde obtemperetis Deo cum mansuetudine, portantes eum, qui vos regit, qui dirigit mites in judicio, qui docet mansuetos vias suas, nec vestrum otium necessitatibus Ecclesiæ præponetis, cui parturienti si nulli boni ministrare vellent, quomodo nasceremini, non inveniretis. » Quare glossa in cap. *Catinensis*, distinct. 61. verbo *compellat*, aperte fatetur posse

aliquem cogi ad episcopatum acceptandum.

Hanc sententiam docent omnes Theologi communiter cum S. Thoma 2. 2. quæst. CLXXXI. art. 2. Bonaventura *super regulam* cap. II. circa medium, ubi loquens de religiosis, sic : « ait. Si coacti ab Ecclesia hujusmodi inevitabili necessitate suscipiant regimen animarum, non sunt reputandi ab ordine egressi, si quantum in ipsis est, semper appetant in sinu ordinis confoveri. » Suarez tom. IV. *de Religione*, tract. X. lib. VI. cap. 8. num. 3. S. Antonius III. p. titul. 20. §. 6. Richardus quodlib. III. qu. 21. Silvester *in summa*. verb. *electio* I. q. 19. Armilla ibi n. 3. *Summa Angelica* ibi num. 30. Miranda *in manuali Prælatorum*, tom. II. q. 23. artic. 31. Lezana tom. I. cap. IV. num. 18. Valentia, Corduba, Ludovic, Lopez, et Roderic. quos affert et sequitur Sanchez lib. IV. *in Decalog.* cap. 8. num. 38. et lib. VI. cap. 2. num, 49. Lessius lib. II. cap. XLI. dub. 9. num. 76. et alii communiter; quam doctrinam certam omnino puto, nec in genere loquendo posse de ea dubitari, quamvis in aliquibus circumstantiis possit dubitari de obligatione talis præcepti, ut postea videbimus.

Potest autem probari primo a posteriori ex voto quod multi religiosi emittunt non acceptandi episcopatum, nisi astringantur præcepto summi Pontificis, ut vidimus dub. præcedenti, quod votum et ejus formula continetur in eorum constitutionibus approbatis, et confirmatis a sede Apostolica. Esset autem votum illud vanum et ridiculum, si summus Pontifex non posset obligare ad acceptandum episcopatum : si enim non potest subditus astringi a summo Pontifice id præcipiente ; dicere, *nisi astringar præcepto summi Pontificis*, perinde esset ac dicere, nisi cœlum terram tetigerit, cum utrumque esset impossibile. Damnare autem illam vovendi formulam a Sede Apostolica approbatam et confirmatam, non careret maxima temeritate.

A priori autem ratio ea esse videtur, 6
quam prædicti doctores reddunt, quia scilicet Ecclesia debet in se habere potestatem necessariam ad sui gubernationem et conservationem, ad quam necessaria est potestas cogendi aliquando ad hæc munera acceptanda. Sicut potestas sæcularis et civilis propter bonum publicum cogere potest cives ad munera publica obeunda, ut constat ex l. si Magistratum, Cod. *de decurionibus*, lib. XI. et toto tit. *de excusat muner.* eod. lib. quod multo magis in republica ecclesiastica necessarium est, in qua qui meliores et aptiores sunt ad prælaturas ecclesiasticas, magis eas effugient, et dignitates abhorrebunt, prout fecerunt plures sanctissimi viri, quorum alii omnino eas refutarunt, alii nonnisi coacti acceptarunt ; debet ergo esse potestas in Ecclesia ad eos obligandos, ne careat pastoribus et prælatis.

Tertio denique afferri possunt multo- 7
rum exempla, quos summi Pontifices, præcepto formali imposito, coegerunt ad ejusmodi dignitates acceptandas, a quibus omnino abhorrebant. Sic legimus de B. Laurentio Justiniano, qui quantum potuit, episcopatum recusavit, donec resistere non potuit Eugenio Papæ ter jubenti, ut refert Bernardus Justinianus in ejus vita, cap. IV. in fine. Idem legimus de S. Antonino Archiepiscopo Florentino, quem omnino recusantem Eugenius IV. Papa suo præcepto coegit ad assentiendum, ut refert Platus *De bono status religiosi*, lib. I. cap. 38. Idem fecit Martinus Papa V. cum venerabili et laudatissimo patre Nicolao Albergato, monacho Carthusiano et episcopo Bononiensi, quem recusantem et renuentem non potuit, nisi obedientiæ præcepto et sub excommunicationis pœna cogere ad cardinalatum acceptandum ; quo etiam præcepto et excommunicationis pœna coactus fuit a Clemente VIII. cardinalis Bellarminus ad eamdem dignitatem acceptandam, ut omittam cardinalem Franciscum Toletum, et alios, quibus

summi Pontifices similia præcepta imposuerunt, probantes re ipsa, se in seipsis hanc potestatem agnoscere: quam etiam in me ipsum omnium novissimum exercuit felic. record. Urbanus Papa VIII. cui usurpanti verbum illud *mandamus*, post repetitum sæpius illud verbum, ego quidem aliquandiu non acquievi; sciebam quippe non deesse, qui de obligatione saltem gravi eo verbo significata dubitent, quos refert Thomas Sanchez lib. VI. *in Decalog.* cap. IV. num. 35. donec expresse dixit, se qua procul dubio pollebat potestate suprema, præcipere id mihi præcepto formali in virtute sanctæ obedientiæ, quod in exemplum fit potestatis ad præcipiendum et obligandum sub peccato gravi, quam in hac materia Pontifices summi credunt sibi competere.

8 Restat nunc ad auctoritates in contrarium adductas breviter respondere: ad quas aliqui dicunt, non posse invitum cogi ad acceptandum episcopatum, quia sine ejus consensu non erit valida ordinatio; posse tamen cogi præcepto ut consentiat, quæ quidem doctrina in se vera est, sed aliqua loca ex ibi adductis plus aliquid volunt. Quare pro eorum intelligentia distinguendum est inter eum, qui ita invitus est ut non consentiat interius, qui procul dubio non est ordinandus per vim, cum esset irrita ordinatio: et inter eum qui resistit electioni, et a quo petitur consensus; qui quidem, si non potest ab eo facile obtineri, tentanda erunt pro gradu necessitatis diversa media: advertunt enim in hoc puncto Sanchez dicto lib. IV. *in Decalog.* cap. VII. num. 39. et clarius lib. VI. cap. II. num. 39. in fine, juncto num. 48. in fine, Suarez dicto tom. IV. *de Religione*, tract. X. lib. VI. cap. 8. num. 3. debere ad hoc præceptum imponendum intervenire Ecclesiæ necessitatem, cujus ratio esse potest, quia præceptum de re adeo gravi, et perniciosa non videtur posse pro libito imponi, sed ex necessitate boni publici, propter quam, et ut Ecclesia recte gubernari possit, et ne careat ministris et Prælatis ad ea munera idoneis, ejusmodi potestas cogendi Ecclesiæ collata censetur, ut supra vidimus. Quare ea causa cessante, videtur superior abuti collata sibi potestate. Nomine tamen *necessitatis* ego intelligerem magnam etiam Ecclesiæ utilitatem qua Ecclesia careret si talis persona ad prælaturam non assumeretur, quia hæc etiam publica utilitas bono privato præferenda est.

Hinc ergo ad singula loca supra adducta responderi facile potest. Ad primum ex cap. *Ubi ista*, dist. 74. constat ex ipso textu ibi non fuisse impositum præceptum, sed per violentiam fuisse subditum in episcopum consecratum, quod factum archiepiscopi merito reprobat summus Pontifex. Primo, quia ibi nulla erat necessitas, ut significat illis verbis, *non dilectione, sed invidia*, et rursus, *non per animi tranquillitatem, sed per amentiam*. Secundo, quia etiamsi intercederet necessitas, non erat ad violentiam deveniendum, sed tentanda alia media, ut ex nolente fieret volens, et tandem veniendum ad præceptum, cui si non obediret, posset tanquam inobediens puniri, prout puniendus dicitur dicto cop. IV. eadem dist. 74. nunquam tamen vis inferenda propter indecentiam, et propter periculum, ne forte ordinatio esset irrita ab defectum consensus interni ex parte illius qui ordinatur. In quo etiam sensu intelligitur decretum supra relatum ex cap. I. eadem dist. 74. ubi punitur *Episcopus, qui invitum, aut reclamantem præsumpserit ordinare*, ubi non est sermo de episcopo præcipiente, sed de ordinante per vim eum qui actu invitus est, vel reclamans.

Colligi autem potest horum decretorum mens ex Gelasio Papa relato in c. *Consuluit*, ead. dist. 74. ubi Pontifex consultus a Victore episcopo, quid facere deberet in sua ecclesia, in qua diaconi nolebant transire ad gradum presbyteri, cum tamen ecclesia pluribus presbyteris

indigeret. Ad quod Pontifex respondet his verbis : « Quapropter quia invitos fieri ecclesiastica moderatio gravitasque non patitur ; ut ex nolentibus fiant volentes, ordinatio illa potest perfici ; si quos habes vel in acolythis, vel subdiaconis maturiores ætate, et quorum sit vita proba, hos in presbyteratum studeas promovere, ut qui in suis ordinibus proficere noluerint, reddantur suis inferioribus post minores ; ipsaque commoda presbyteri propensius, quam diaconi consequantur : ut hac saltem ratione constricti, et honorem, quem refugerant, appetere nitantur et quæstum. » Ubi vides prudentiam summi Pontificis, qui in primis non vult violentiam injici contra modestiam, et gravitatem ecclesiasticam. Deinde vult, quod suaviter reddantur volentes et consentientes, dum vident alios inferiores, in gradu honoris et in emolumentis præferri. Nec consuluit ut præcepto cogeret ad consensum, quia non apparebat tanta necessitas, cum possent ad diaconatum et sacerdotium aliqui ex subdiaconis ætate et meritis provecti, vel etiam ex acolythis ad sacros ordines, et sacerdotium promoveri. Si tamen nulla esset alia via ad providendum ecclesiæ necessitati, non dubium quin posset etiam ad præceptum perveniri.

11 Denique hinc constat responsio ad verba Gregorii in d. cap. *Gesta*, eadem dist. 74. ubi dicit, *justum esse, ut nemo crescere compellatur invitus,* pro cujus intelligentia sciendum est, ibi sermonem esse de quodam Honorato archidiacono ecclesiæ Salonitatæ, cujus causa refertur ex professo ab eodem Gregorio in cap. *Honoratus*, ead. dist. 74. quem Natalis episcopus volebat ad sacerdotii gradum promovere, non quidem necessitate ductus, vel zelo boni publici, sed ex affectu privato, ut eum ab archidiaconatu removeret, in quo munere se eidem episcopo ecclesiæ bona dissipanti constanter opponebat. Quapropter Gregorius archidiaconi causam suscipiens, episcopum per specialem delegatum a proposito absterret, pœnam etiam privationis pallii, et excommunicationis comminatur, nisi a proposito desistat, nam, ut supra diximus, necessitas, vel magna Ecclesiæ utilitas justificat ejusmodi coactionem et præcepta : nec permittendum est quod prælatus superior ob rationes privatas, et affectus inordinatos prætextu honorandi subditum ; sed revera, ut eum suo loco dejiciat et speciose removeat, compellat eum ad episcopatum acceptandum : hoc enim esset abuti potestate data in bonum Ecclesiæ, et armare superiorem ad dehonorandos subditos sub specie majoris honoris.

Circa hoc tamen duo advertenda sunt. 12
Primum est, si religioso habenti votum non accipiendi episcopatum summus Pontifex præcipiat quod acceptet, non debere formidare ne forte Pontifex affectu potius humano et privato ducatur, quam utilitatis Ecclesiæ ; sed posse tuto acceptare, quia votum non fuit non acceptandi, nisi Pontifex ex causa necessaria id præcipiat, sed solum non acceptandi sine præcepto Pontificis quomodocumque, et ex quocumque fine id præcipiat, ut expresse observavit Thomas Sanchez dicto lib. IV. *in Decalog.* cap. 8. n. 39. ubi pro eadem sententia affert Hostiensem in *Summa* tit. *de voto* num. 4. et Abulensem in cap. XXX. *Num.* qu. 58.

Alterum notandum est, optimum 13
esse consilium eo casu, ne forte subditus nimium obstinatus prætendat, sine causa sufficienti id sibi præcipi, ut aperiatur subdito causa necessitatis, vel utilitatis publicæ, vel certe in genere Pontifex testetur, et asserat, constare sibi de ejusmodi causis, cujus dicto tenetur subditus credere ; nec debet eas causas in particulari exquirere : neque enim agitur de foro contentioso et judiciali, sed de materia ad rectam gubernationem Ecclesiæ pertinente ; nec tenetur supremus gubernator rationes semper explicare quas ipse pro majori rerum notitia quam habet, cognoscit, quibus uti debet ad Ecclesiæ gubernationem. Sicut etiam princeps

sæcularis potest ex justa causa aliquem ministrum ab officio removere, quin teneatur ei causam reddere ; quam interdum oportebit in occulto retinere. Nec apud sanctos viros invenio ullum qui summo Pastori præcipienti et constanter imponenti ei munus episcopale, ausus fuerit post unam vel alteram excusationem obstinate resistere. Exemplum potius Apostoli Petri sequendum est, qui, licet proposita propria indignitate, recusaverit semel et iterum pedum ablutionem ; ubi tamen Christus Dominus comminatione gravissimæ pœnæ constanter perseveravit, totum se abluendum ejus arbitrio commisit : quamvis facti rationem noluerit antea Dominus ei reddere, sed aliquandiu occultare verbis illis, *Quod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea* ; ut doceret fidendum, cedendumque esse subditis, quamvis summi Pastoris motiva rationesque occultas penetrare, vel comprehendere non possint.

Joan. VIII, 7.

14 Hac tamen occasione unum restare potest dubium, an quæ dicta sunt de obligatione acceptandi episcopatum præcipiente summo Pontifice, locum habeant in ordine ad acceptandum Pontificatum, quando aliquis legitime eligitur, nimirum per suffragia cardinalium, concurrentibus in ejus electionem duabus tertiis partibus cardinalium præsentium in conclavi ? Non quærimus autem, an votum non acceptandi episcopatus et dignitates, quod in aliquibus ordinibus religiosis emitti solet, impediat acceptationem etiam summi Pontificatus : de hoc enim puncto late et bene tractat P. Suarez dicto tom. IV. *de Relig.* tract. X. lib. VI. cap. 9. a num. 11. ubi juxta formulam qua votum hoc in Societate fit, dicit in primis, si jam aliquis e societate ad cardinalatum præcepto Pontificis transivit, posse postea episcopatum, et summum Pontificatum acceptare. Deinde addit num. 15. etiamsi contingeret, professum Societatis nondum cardinalem nec episcopum, sed commemorantem adhuc sub obedientia Generalis, eligi immediate ad summum Pontificatum, posse non obstante prædicto voto illum acceptare, quia votum non videtur ad illum casum extendi, propter multas rationes, quas ibi adducit et doctissime ponderat. Dubium ergo nostrum non est, an possit, non obstante illo voto, acceptare, sed an debeat ; hoc est an electores, vel aliquis alius possint præcepto obligare electum ad acceptandum summum Pontificatum.

De hoc dubio non invenio aliquid a 13
doctoribus definitum. Et quidem P. Suarez dicto num. 15. obiter unico verbo id attigit, sed in ambiguo reliquit : nam inter alias rationes, quibus probat votum illud Societatis non impedire acceptationem summi Pontificatus, hanc affert : « Neque enim, inquit, est credibile constitutiones Societatis voluisse limitare modum acceptandi electionem adeo singularem, et ad totius Ecclesiæ bonum pertinentem, et quæ eo tempore fit, in quo Ecclesia caret universali pastore, qui huic bono prospiciat, et vix potest moraliter fieri, ut præceptum de illa electione acceptanda imponatur, etiamsi maxima instet necessitas. » In quibus verbis non videtur omnino negare possibile ejusmodi præceptum, cum solum dicat, vix posse moraliter contingere ut imponatur, quod si ab aliquo imponi potest, non apparet a quo alio, nisi ab ipsis cardinalibus penes quos potestas residet ad electionem necessaria.

Unde desumi potest ratio pro sententia 16
concedente cardinalium collegio illam potestatem præcipiendi, et obligandi electum, quia, quamvis verissimum sit Sede vacante non remanere penes collegium cardinalium potestatem jurisdictionis, quam habebat summus Pontifex, sed solum potestatem ad eligendum successorem pontificem, et alia quædam agenda, quæ expresse illis concessa sunt, ut cum aliis probat Suarez lib. IV. *de legibus* cap. 6. num. 7. et plures, quos congerit Diana p. V. tract. II. *de potest. et privileg. Cardinalium*, resolut. 9. et constat ex cap. *Ubi periculum, de elec-*

*tione* lib. VI. et ex Clementina *ne Romani, eodem tit.* Semper tamen intelligitur iis concessa potestas necessaria in ordine ad eam electionem conficiendam, et breviter expediendam, prout eam potestatem referre et agnoscere videntur Suarez loco citato, et Baldellus tom. I. lib. v. disput. 7. num. 9. unde Diana dicta resolut. 9. versus finem, cum Lavorio concludit, mentem Pontificum in dictis constitutionibus fuisse non denegare cardinalium collegio necessaria, et signanter ea, quæ retardare possunt negotium electionis. Cum ergo possit ad electionis expeditionem maxime expedire quod electus non renuat, sed acceptet electionem, non videtur adempta cardinalium collegio potestas, cogendi, sed potius hæc videtur inclusa in potestate eligendi juxta vulgarem juris regulam, ex l. 2. ff. *de jurisdict. omnium judicum*, quod illi cui conceditur jurisdictio, intelliguntur concessa omnia quæ necessaria sunt ad eam exercendam.

17 Quæ ratio confirmari magis potest ex supradictis: nam inde probavimus potestatem summi Pontificis ad cogendos suo præcepto subditos, ut episcopatus acceptent, quia aliter non esset sufficienter Ecclesiæ provisum, quæ indiget bonis prælatis ad suam rectam gubernationem, si non posset illos obligare ad hæc munera suscipienda; sicut etiam respublica sæcularis obligare potest suos subditos ad munera publica, et præfecturas suscipiendas, quia hæc potestas necessaria est ad rectam reipublicæ gubernationem: videtur autem multo magis necessaria ecclesiæ destinatio et electio bona supremi capitis, ex cujus bonitate magna ex parte pendet bonitas et salus totius corporis et reipublicæ christianæ; ergo debuit Ecclesiæ dari potestas non solum ad eligendum, sed ad cogendum electum ad acceptandam electionem: sine qua potestate non poterit aliquando finis necessarius obtineri. Hæc autem potestas non potest per alios commode exerceri, nisi per illos quibus competit jus eligendi, quod jus residet penes collegium cardinalium, quibus solis potestas hæc demandata est.

Ex alia parte difficile videri potest 18
hanc potestatem absolutam cardinalibus concedere, nam ejus exercitium numquam expresse reperitur; quamvis enim nonnullos restitisse legamus suæ electioni, eos tamen precibus et cleri ac populi Romani instantia, aliquando etiam per annum fere perseveranti, ut in Victore III. an. 1086. per vim etiam fere illatam ad consensum inductos, nunquam tamen præcepto coactos invenimus. Ratio autem a priori videtur colligi posse ex dictis dub. præcedenti: quia nullus videtur reperiri in terra, qui id posset præcipere, cum nemo sit summo Pontifice superior, cui ipse obedientiam debeat. Quamvis autem ante acceptationem non sit adhuc summus Pontifex, atque adeo sit subditus Ecclesiæ, et ejus legibus ac præceptis teneatur: in ipso tamen momento quo acceptat, eo ipso desinit esse sub ullius potestate et jurisdictione, atque adeo non apparet quomodo eodem momento possit tanquam subditus exercere actum propriæ obedientiæ, et acceptare pontificatum propter obligationem obedientiæ, quam obedientiam eo ipso instanti exercere non potest, cum jam tunc, si acceptat, nullius in terris sit subditus, nec possit alicui proprie obedire, quæ ratio, si quid probat, videtur etiam probare nec id fieri posse ex præcepto sibi imposito a prædecessore suo; posset enim aliquis cogitare, quod prædecessor ante mortem præciperet ei, ne resisteret suæ electioni, si forte a cardinalibus eligeretur: sed nec id videtur ad hoc satis esse; tum quia præcepta personalia a prædecessore imposita, eius morte expirant, juxta communem theologorum doctrinam: tum etiam, qui, quamvis id fieret, non simplici præcepto sed lege, quæ de se est perpetua, et non finitur mortis legislatoris, ita ut propter Ecclesiæ bonum Pontifex vivens statueret, ut nemo legitime electus posset assensum negare;

adhuc repugnare videtur, quod ex lege illa obligaretur ad assentiendum, cum eo ipso quod acceptaret, non esset eodem instanti subditus legibus suorum prædecessorum, sed par omnino illis, nec par in parem potestatem habet præcipiendi, vel obligandi. Quare unica videtur via ad illum obligandum, si nimirum prædecessor faceret, ut propter Ecclesiæ bonum et majorem libertatem electionis, omnes cardinales jurarent et promitterent se non restituros electioni, sed consensum præstituros; quia tamen Ecclesiæ necessitas non est tanta, ut remedio adeo violento indigere credatur, merito usque adhuc adhibitum non est, nec imposterum adhibebitur, præsertim cum frequentius contingere possit quod expediat dissensus electi, ut electio aliqua minus fortasse diligenter facta corrigatur par spontaneum dissensum, et cessionem electi, quam quod necessaria sit obligatio antecedens ad consensum, ob cujus defectum vix unquam electio dignioris caruit effectu: concurrente aliquando ipso Deo signis manifestis externis ad extorquendum consensum in ejusmodi casibus, ut contigisse legimus in electione sanctorum Fabiani et Gregorii.

19 Ex quibus ad rationes dubitandi supra adductas posset aliquis respondere. Ad primam dicere posset, datam esse Cardinalibus potestatem omnem necessariam ad electionem Pontificis faciendam, hoc est, ut ex parte ipsorum sit valida, et legitima: non tamen datam ad obligandum electum; hanc enim potestatem nec ipsimet Pontifices auctores illorum decretorum habebant ad obligandos suos successores, ut vidimus. Quare non bene applicatur ad hoc regula illa communis ex leg. 2. ff. de jurisdictione omnium judicum. Nam electoribus in hoc casu datur quidem tota potestas necessaria, quæ dari potuit, non tamen illa, quæ dari non poterat, cum ipsi in hoc casu non sint ei superiores electo, sed potius eo ipso quod acceptet, sint ei inferiores; quare nec conferunt ei jurisdictionem, aut potestatem, sed destinant, et eligunt personam, cui Christus immediate potestatem, et jurisdictionem confert.

Ad confirmationem denique dici posset, etiam sine hac potestate præcipiendi sufficienter esse provisum Ecclesiæ, cum experientia tot sæculorum probaverit, nunquam ex hujus potestatis ad præcipiendum defectu electionem aliquam summi Pontificis ad bonum publicum necessariam effectu caruisse, supplente Deo, et manifestando suam voluntatem aliquando signis externis; sæpius vero per lumen internum, quo electus agnosceret ex variis circumstantiis, resistere se divinæ voluntati, si in dissensu persisteret. Nec est eadem ratio in electione ad episcopatus inferiores, qui, cum multi sint et multis indigeant ministris optimis, frequentius contingere posse quod deficerent idonei ad tot ecclesias: vix autem contingere potest non reperiri, nisi unum qui summum Pontificatum bene et utiliter gerere possit: ad quem tamen casum sufficit providentia Dei peculiaris, ad quam spectabit ejus voluntatem flectere ad consensum, quæ Dei providentia specialissima non est ad casus communiter occurrentes alliganda, sed lege aliqua communi occurrendum erat. Non itaque nego, potuisse Christum hanc etiam potestatem Ecclesiæ relinquere, ut posset electum cogere præcepto ad acceptandum summum Pontificatum, et quoad hoc relinquere illum subditum Ecclesiæ. Cum tamen regula generalis sit, summum Pontificem nullius in terris imperio subjici, non videtur hæc exceptio admittenda sine magno fundamento, præsertim cum in tot retroactis sæculis nullum inveniamus exemplum hujusmodi potestatis, aut præcepti impositi, sed si qui fuerunt reluctantes et resistentes aliis artibus et modis ad consensum præstandum fuerint inducti. Et hæc sufficiat breviter de hoc puncto pro utraque parte attrigisse; quia tamen ut verum fatear rationes etiam secundo loco allatæ possent fortasse non difficile dis-

solvi : ergo in hoc puncto nihil definire auderem, sed casu occurrente, judicio Ecclesiæ acquiscerem, quæ melius potestatem suam, Deo illuminante, agnoscere posset.

## DUBIUM VI.

*An regulares virtute bullæ Cruciatæ possint saltem extra confessionem absolvi a censuris Papæ reservatis.*

Non quærimus nunc, an bulla Cruciatæ prosit regularibus ad eligendum confessarium, a quo sine licentia suorum prælatorum absolvi possint a peccatis reservatis, de hoc enim puncto dixi satis disp. xx. *de Pœnitentia* sect. 9. ubi ex Pontificum decretis, præsertim novissimo Urbani VIII. comprobavi, id fieri non posse, et n. 195. ostendi id etiam extendi ad peccata mortalia non reservata, a quibus etiam non possunt regulares sine consensu suorum prælatorum absolvi virtute Cruciatæ, nisi a confessario per eosdem prælatos deputato. Aliqui tamen totam illam doctrinam admittentes, nec potentes amplius apertissimis Pontificum verbis contradicere, contendunt, omnia illa intelligi debere de solo sacramento pœnitentiæ. Quare, cum juxta probabilem doctorum sententiam possit virtute Cruciatæ conferri absolutio a censuris extra sacramentum pœnitentiæ, et sine absolutione sacramentali a peccatis, consequens est, ut regularibus quoad hoc non sit interdictus usus bullæ Cruciatæ, sed possint adhuc ejusdem favore absolvi a quibuslibet censuris etiam Papæ reservatis, excepta hæresi, ita ut a reservatis Papæ, et a contentis etiam in bulla Cœnæ absolvi possint semel in vita, et semel in articulo mortis, prout in eadem bulla Cruciatæ conceditur.

Ratio præcipua hujus opinionis desumitur ex verbis Pontificum, qui in suis decretis, quibus hunc usum Cruciatæ regularibus negant, loquuntur semper de usu in ordine ad sacramentum pœnitentiæ ; sic enim videtur loqui S. Pius V. in quodam Brevi edito anno 1571. pro ordine Prædicatorum, quod refert Roderic. in *explicatione bullæ Cruciatæ*, §. 9. num. 24. et cujus verba attuli dicta sect. IX. num. 171. ubi inter alia hæc habet : « Talem concessionem sanctæ Cruciatæ, quantum ad prædictum articulum eligendi confessorem, et absolvendi a casibus reservatis, cum fratribus et sororibus totius ordinis prædicti locum minime habere, sed nostræ intentionis existere, quod iidem fratres, sorores, quantum ad sacramentum pœnitentiæ, seu confessionis administrationem, dispositioni suorum prælatorum subjecti sint, Apostolica auctoritate, tenore præsentium perpetuo declaramus. » Iidem verbis usi sunt Clemens VIII. in suis litteris pro fratribus Carmelitanis, Paulus V. in suis litteris datis anno 1608. pro omnibus regularibus, quorum verba attulimus d. sect. IX. et iisdem verbis usus novissime fuit Urbanus VIII. in dictis suis litteris expeditis pro omnibus religiosis anno 1630. Cum ergo hæc omnia decreta sint odiosa, quatenus usum Cruciatæ regularibus negant, non sunt amplianda, sed potius restringenda ad merum sacramentum pœnitentiæ, de quo solo Pontifices præfati locuti sunt.

Confirmari vero potest ex decreto illo, 3
quod jussu Clementis VIII. anno 1601. congregatio pro negotiis episcoporum et regularium edidit, quo confessarii omnes intra Italiam et extra Urbem prohibiti sunt absolvere a casibus quos ordinarii locorum sibi reservant, quod habetur apud Ludovicum a Cruce in expositione bullæ Cruciatæ disp. I. c. III. dub. 5. num. 5. Post illud enim decretum volebant aliqui, quod possent adhuc confessarii regulares absolvere a censuris quas ordinarii sibi reservabant. Unde oportuit postea jussu Pauli V. anno 1617. eamdem congregationem declarare, nec a

peccatis neque etiam ab excommunicationibus reservatis posse illos absolvere, quam etiam declarationem et decretum novum refert ad litteram idem Ludovicus a Cruce ubi supra num. 7. Quanto ergo magis dubitari potest in casu nostro, in quo Pontifices prohibitiones suas restringunt ad sacramentum pœnitentiæ?

4 Respondi tamen, nec a censuris etiam extra sacramentum posse regulares virtute Cruciatæ absolvi. Primo, et a posteriori, quia si ejusmodi interpretationem et restrictionem leges illæ pontificiæ reciperunt, vanæ omnino essent, suoque fine omnino fraudarentur. Intendunt enim quod religiosi virtute Cruciatæ non possint absolvi a casibus reservatis suis prælatis, neque etiam a casibus sedi Apostolicæ reservatis, id quod expresse dixit et explicuit de sua et aliorum mente Urbanus VIII. in præfata bulla, ubi Pontifex, postquam retulit facultatem per Cruciatam fidelibus aliis concessam obtinendi absolutionem a casibus reservatis etiam in bulla Cœnæ, excepta hæresi in foro conscientiæ, subdit, hanc concessionem, « quantum ad prædictum articulum eligendi confessarium, et absolvendi a prædictis casibus reservatis etiam in bulla Cœnæ contentis, cum fratribus et monialibus quorumcumque ordinum, et congregationum, societatisque, et instituti, etc. locum minime habuisse, nec habere, etc. sed nostræ intentioni esse, quod iidem fratres et moniales quantum ad sacramenti pœnitentiæ, seu confessionis administrationem, ordinariæ dispositioni suorum prælatorum, et sedi Apostolicæ quoad sibi reservata subjecti sint, earumdem tenore præsentium perpetuo declaramus. » Unde constat Pontificem velle quod non obstante indulto Cruciatæ, regulares non possint absolvi a casibus sedi Apostolicæ reservatis, etiam in bulla Cœnæ, nisi ab eadem sede Apostolica, vel de ejus licentia, quæ lex esset omnino inutilis et vana si contraria opinio vera esset; casus enim sedi Apostolicæ reservati omnes, vel fere omnes habent annexam excommunicationem reservatam, et de omnibus casibus bullæ Cœnæ id compertum est. Et quidem reservantur ratione excommunicationis, atque adeo ablata censura, peccatum illud non manet amplius reservatum, sed potest absolvi a confessario ordinario potenti absolvere ab aliis peccatis mortalibus non reservatis, ut ex communi sententia suppono. Si ergo virtute Cruciatæ possunt extra sacramentum regulares absolvi ab excommunicatione quacumque reservata, etiam in bulla Cœnæ, excepta causa hæresis, et ablata excommunicatione peccata ipsa jam non remanent reservata, prodesset omnino bulla Cruciatæ religiosis ad absolutionem ab omnibus reservatis sedi Apostolicæ, etiam in bulla Cœnæ, excepta hæresi, cum ipsi facerent se a censura absolvi extra sacramentum, et postea a peccatis sacramentaliter a quocumque confessario potente absolvere illos a non reservatis, atque adeo non minus possent virtute Cruciatæ regulares, quam sæculares absolutionem obtinere a casibus sedi Apostolicæ reservatis, quod quidem constat manifeste quam sit contra intentionem, et mentem summi Pontificis relatis verbis clarissime expressam. Cum ergo verba legis, si aliquid fortasse in illis ambiguum et dubium esse appareat, interpretanda ita sint, ut maxime ad legislatoris intentionem attendendum sit, ut cum communi docet P. Suarez lib. VI. *de legibus* cap. I. num. 12. imo debeant verba a propria significatione ad impropriam detorqueri, quando alias lex remaneret inutilis, ut pro comperto et ex omnium sententia supponit idem Suarez ibi cap. I. num. 7. ubi probat, id etiam in lege odiosa locum habere, quod ex variis juribus et doctoribus ostendit : consequens est ut verba illa Pontificum, *quantum ad sacramentum pœnitentiæ, seu confessionis administrationem*, non de sola absolutione sacramentali a peccatis stricte sumpta debeant intelligi, sed de abso-

lutione etiam a censuris, quæ regulariter simul cum absolutione a peccatis conferri solet. Tum quia alioquin lex inutilis foret, ut clare probatum est, et mens legislatoris ex verbis præcedentibus manifeste constat, juxta quam mentem verborum significatio temperanda est. Tum quia verba illa, *confessionis administrationem*, in significatione non impropria significare, et comprehendere possunt etiam absolutionem a censuris saltem in significatione vulgari, et usui populi accomodata, quæ popularis usurpatio vocis communiter præferenda est ad legis interpretationem, ut cum Bartolo, Panormit. et Felino observat Suarez dicto cap. 1. num. 9. Nomine enim *confessionis*, in communi loquendi modo, omnia illa intelliguntur, quæ a pœnitente, et confessario peraguntur : sicut autem pœnitens non solum peccata, sed censuras etiam incursas explicat ut ab utrisque solvatur, ita confessarius ab utrisque absolvit, et in utroque dicitur confessarii munus exercere, ut confessionis minister, neque aliquod aliud speciale nomen habet quo appelletur, quatenus a censuris absolvit, nisi nomen commune *Confessarii*. Quare non mirum, si Pontifex volens utrumque interdicere religiosis virtute Cruciatæ, usus sit vocabulo communi *confessionis administrationem*.

Secunda ratio a priori peti potest ex verbis Pontificum in dictis decretis, si attente considerentur, duo videntur regularibus prohibita ; duo enim sæcularibus in bulla Cruciatæ conceduntur : nempe quod possint eligere confessarium ex approbatis ab ordinario ; et rursus quod idem confessarius sic electus possit eum absolvere ab omnibus reservatis, excepta hæresi, quæ duæ concessiones sunt diversæ, cum possit prima sine secunda haberi, et possit aliquis eligere confessarium ad alios effectus, nempe ad obtinendam licentiam vescendi carnibus, cui tamen confessario non confiteatur, ut in simili docet Sanchez l. IV. *in Decalog.* c. 34. num. 17. et cum aliis idem observavi disp. XXVII. *de pœnitentia* num. 120. Similiter ergo hæc duo prohibent Pontifices religiosis, ne faciant virtute bullæ Cruciatæ, ita ut nec possint obtinere absolutionem a reservatis, nec etiam possint confessarium pro libito ex approbatis eligere. Unde fit, nec posse eos absolutionem a censuris reservatis, etiam extra Sacramentum obtinere virtute ejusdem Cruciatæ ; ad hoc enim deberet præcedere electio confessarii, quæ illis prohibita est.

Porro non solum absolutionem sacramentalem a peccatis, sed etiam electionem confessarii, et per consequens absolutionem etiam a censuris prohiberi ; constat satis ex verbis eorumdem Pontificum. Nam in primis Gregorius XIII. in bulla edita 3. Maii anno 1575. quæ incipit : *Decet Romanum Pontificem*, inter alia dicit : « non esse, nec fore unquam mentis suæ, aut sedis Apostolicæ, ut personæ Societatis absque expressa superiorum ejusdem societatis licentia, utantur facultatibus quæ in Jubilæis, bullis Cruciatæ, confessionalibus, aut aliis quibuslibet Apostolicis indultis, sive communitatibus, sive privatis personis, sive piis locis, aut quomodocunque aliter hactenus concessæ sunt, aut in posterum concedentur, etiamsi in illis expresse indulgeatur, ut omnes regulares etiam mendicantes, hujusmodi facultatibus uti possint. Si quando autem usus aliquarum ex prædictis facultatibus, personis ex dicta Societate ab ejusdem societatis superioribus concedetur, ut nulli earum liceat, nisi intrà numerum eorum qui ad confessiones personarum ejusdem domus, aut collegii audiendas deputati sunt, confessarium eligere, nisi ratione itineris, aut alia de causa ab iisdem superioribus aliis confessariis, intra, aut extra Societatem confitendi facultas ad id specialiter daretur. » Hoc ipsum declaravit quoad utramque facultatem Clemens VIII. in suis litteris datis 14. Junii anno 1595. ubi dicit : « Nulli religiosorum societatis licere facultatibus Cruciatæ in 6

quacunque mundi parte publicatæ, vel publicandæ, quoad eligendum confessarium, et obtinendam absolutionem a casibus reservatis uti.; nec eis quoad hanc eligendi confessarium, et obtinendi absolutionem prædictam facultatem Cruciatæ hujusmodi suffragari. » Eodem modo loquitur idem Clemens in litteris, quas retulit Paulus V. in aliis suis litteris datis 24. Decembr. anno 1608. ubi eas iterum perpetuo confirmavit et approbavit, in quibus de omnibus mendicantibus dicitur : « Concessionem sanctæ Cruciatæ, et aliorum indultorum, quantum ad prædictum articulum eligendi confessarium, et absolvendi a casibus reservatis cum fratribus, etc. locum minime habere, neque censeri. » Idem iisdem verbis declaravit Gregorius XV. loquens de personis Societatis in suis litteris datis 26. Februarii anno 1622. dicens : « Nulli religiosorum ejusdem societatis facultatibus Cruciatæ hujusmodi publicatæ, vel publicandæ, quoad eligendum confessarium, et obtinendam absolutionem prædictam, facultatem Cruciatæ hujusmodi suffragari. » Denique idem iisdem verbis declaravit pro omnibus regularibus utriusque sexus Urbanus VIII. suis litteris datis 19. Junii anno 1630. dicens : « Concessionem sanctæ Cruciatæ, quantum ad prædictum articulum eligendi confessarium, et absolvendi a casibus reservatis, cum iis regularibus locum minime habuisse, neque habere, neque illis ullo modo suffragari potuisse, neque posse. » Vides, quoties summi Pontifices testantur, se utrumque regularibus negare, nempe et eligere confessarium virtute Cruciatæ, et absolvi a reservatis. Sicut ergo, quia utrumque eisdem verbis sæcularibus in bulla Cruciatæ, conceditur, docent theologi, posse sæcularem uti prima facultate eligendi confessarium, licet non utatur secunda, nec absolvatur a peccatis : imo quamvis confessario sic electo non confiteatur peccata in sacramento, posse extra sacramentum per illum absolvi a censuris reservatis, et commutationem votorum obtinere, et dispensationem ad carnes edendas in diebus jejunii, quia ad hæc omnia et ad singula seorsim potest eligi confessarius : cur negata utraque facultate regularibus per eadem verba, non dicemus negari etiam electionem confessarii ad absolutionem a censuris reservatis ?

Confirmari denique potest ad hominem, quia adversarii non contendunt, posse regulares intra confessionem sacramentalem absolvi a censuris reservatis ; solum enim volunt, posse id extra confessionem fieri, quia Pontifices solum in confessione sacramentali negant iis Cruciatæ usum. Ex hoc autem manifeste infertur, etiam extra confessionem id fieri non posse, quia in primis alioquin eluderetur tota hæc prohibitio. Si enim confessarius dum confessiones audit, inveniret peccatum censura reservata, poterit statim pœnitenti regulari dicere : Ego non possum te absolvere ab hac censura intra confessionem, possum tamen extra illam : quare relinque pro nunc confessionem, et absolvam te ab hac excommunicatione, et postea redire possumus ad confessionem. Ad nihilum ergo deserviret prohibitio toties a summis Pontificibus repetita et inculcata, cum dispendio solum dilationis per horam totius Cruciatæ fructus a Regularibus obtineretur.

Unde ulterius idem argumentum ad hominem urgeri potest, quia non poterit facile explicari, quid intelligatur per illas voces, *extra confessionem*, quando dicunt religiosos absolvi posse virtute bullæ Cruciatæ a censuris extra, non vero intra confessionem, vel intra sacramentum. Nam loquendo in rigore absolutio a censuris, quocumque loco et tempore detur, non est sacramentalis neque pars sacramenti, sed dispositio extrinseca ad absolutionem sacramentalem, ad quam æque disponit, sive extra confessionem sive in ipsa confessione detur, cum semper reddat habilem pœnitentem ad accipiendam absolutionem a peccatis.

Si ergo Pontifices solum negarunt regularibus quæ pertinent proprie ad sacramentum pœnitentiæ, non negarunt absolutionem a censuris, etiam in confessione, vel si eam negarunt, quia pertinet aliquo modo ad sacramentum, quatenus disponit pœnitentem ad absolutionem sacramentalem : eodem modo negarunt illam etiam extra confessionem, cum semper æque disponat ad sacramentalem absolutionem, præsertim quando datur pro foro conscientiæ, ubi utrobique eodem modo remedium adhibetur.

Ex quibus facile jam erit ad rationem pro contraria sententia adductam, respondere ; dicimus enim, quamvis Pontifices in illis decretis aliquando dixerint suam intentionem esse, ut in sacramento pœnitentiæ vel confessionis regulares subdantur suis prælatis ; aliquando tamen verbis magis generalibus usos fuisse, negando generaliter regularibus facultatem Cruciatæ ad eligendum confessarium, qui eos a casibus reservatis etiam Sedi Apostolicæ, possit absolvere. Imo in illis etiam decretis, in quibus sacramenti pœnitentiæ meminerunt, antea locuti fuerunt de tota illa facultate eligendi confessarium, et absolutionem obtinendi a censuris reservatis. Deinde, etiamsi sensus vocis illius *confessionis* ambiguus esset, judicandus esset ex subjecta materia, et ex intentione Pontificum, de qua in præsenti dubitari non potest, cum velint regulares non posse virtute Cruciatæ absolvi, a casibus reservatis in bulla Cœnæ, quæ lex inutilis omnino, et vana esset, si possent extra confessionem absolvi, cum casus bullæ Cœnæ non sint reservati, nisi ratione censuræ reservatæ, cujus absolutione extra confessionem rite habita, auferretur tota eorum reservatio ; quam tamen Pontifices volunt non posse per Cruciatam regularibus auferri, ut ex eorum verbis manifeste ostendimus.

Ad confirmationem denique dici potest, inprimis immerito dubitatum fuisse, an prohibitio regularibus facta, ne absolverent a casibus Ordinario reservatis, extenderetur ad censuras eidem Ordinario reservatas : nam harum etiam absolutionem procul dubio comprehendebat, ut bene notavit Filliuc. tom. I. tract. xv. cap. 10. n. 153. sed quamvis dubium illud tunc rationabile fuisset, quia de mente legislatoris non satis constabat ; in nostro tamen casu dubitari non potest, cum ex subjecta materia, et ex verbis ipsorum Pontificum constet clare, eos voluisse omnem usum Cruciatæ passivum regularibus negare etiam ad absolutionem a censuris, cum loquantur etiam de casibus bullæ Cœnæ, qui non reservantur nisi ratione censuræ, et lex nullum haberet effectum, nisi absolutio a censura intra et extra confessionem prohiberetur, ut supra vidimus ; quare non est ad alias conjecturas recurrendum, cum legislatoris mens manifestissime nobis constet.

## DUBIUM VII.

*An extrahentes puellam e monasterio ; ubi ad educationem commorabatur, incurrerint excommunicationem.*

Nobiles quidem viri puellam in monialium monasterio educationis causa commorantem, consentientem tamen, et quidem, ut creditur, petentem, sine Prælatæ vel monialium consensu, extraxerunt, timebant enim ne quandiu in monasterio erat, desponderetur in nuptias minori quam oporteret, ipsius libertate. Quæsitum fuit an contra ipsos procedi posset, quasi incurrissent pœnas et censuras impositas iis qui cooperantur monialibus ad violationem clausulæ, vel eas comitantur, etc. 1

Suppono, S. Pium V. Kal. Febr. anno 1570. eddidisse bullam, quæ incipit, *Decori, et honestati*, et est octava inter ejus bullas tom. II. *Bullarii communis :* ubi 2

postquam strictissimis verbis egressum e clausura prohibuit, addit : « Aliter autem egredientes, seu licentiam exeundi quomodocumque concedentes, nec non comitantes, ac illarum receptatrices personas, sive laicas, aut sacerdotes, vel ecclesiasticos, consanguineas, vel non, excommunicationis majoris latæ sententiæ vinculo statim eo ipso absque aliqua declaratione subjacere, a quo, præterquam a Romano Pontifice, nisi in mortis articulo absolvi nequeant. Et insuper tam ingressas, quam præsidentes, et alios superiores prædictos eis licentiam hujusmodi concedentes, dignitatibus, officiis, et administrationibus per eas, et eos tunc obtentis privamus, et illos, et illas ad obtenta, et alia in posterum obtinenda inhabiles, etc. »

3 Hoc ergo supposito, aliqui dixerunt, tam virginem egressam quam qui eam extraxerunt, incurrisse pœnas hujus constitutionis S. Pii V. quod probabant ex Tamburino, qui tit. *de jure Abbatiss.* disp. VII. qu. 2. nu. 14. cum Gregorio Pollacco ab eo relato, dixit, prædictas pœnas extendi ad puellas, quæ educantur in monasteriis, et ad eas comitantes vel juvantes in egressu a clausura. Fundamentum autem desumi potuit ex decreto sacræ Congregationis edito 31. Augusti anno 1575. ubi inter alia quæ pro prædictis puellis statuuntur, dicitur, quod dum in monasteriis sunt, « eamdem servent clausuræ legem, quam moniales ipsæ : et, si semel exierint, nullam habeant ad ea revertendi facultatem. » Quod decretum integrum refert Quaranta verb. *Monasteria monialium.* Unde videri posset eodem modo, et sub eisdem pœnis ad clausuram obligari.

Dixi tamen, constitutionem S. Pii V. et pœnas in ea contentas ad puellam et extrahentes in casu nostro non extendi ; et in primis de extrahentibus res est clara, quia in dicto, decreto congregationis, in quo lex clausuræ extenditur ad ejusmodi puellas, nullum est verbum de comitantibus aut extrahentibus, sed de solis puellis. Quamvis ergo lex S. Pii V. ad eas extensa fuisset etiam quoad pœnas egredientium, non potest tamen dici extensam fuisse ad extrahentes, cum de iis mentio nulla facta fuerit.

Deinde neque ipsam puellam incurrisse pœnas illas, probatur, quia inprimis ex Bulla S. Pii V. eas non incurrunt, in qua sermo semper est de sanctimonialibus, seu monialibus, quales illæ puellæ non sunt, sed mere sæculares. Unde communis doctorum sententia tenet non comprehendi, nec incurrere pœnas illas monialem novitiam, ut fatentur Azor. I. tom. lib. XIII. cap. 8. qu. 1. §. *Item quærebatur*, et alii multi, quos refert et sequitur Thom. Sanch. lib. VI. *in Decalog.* c. XV. nu. 16. quibus adde eumdem Tamburinum ubi supra disp. XVIII. q. 6. num. 1. et favent illi, qui dicunt excommunicationem latam contra alloquentes moniales, non comprehendere loquentem cum novitia, ut cum Graffio docet Diana III. part. tr. II. de *dubiis regul.* res. 48. Multo ergo minus comprehendit constitutio illa puellam sæcularem, quæ multo minus potest intelligi sub nomine *Monialium*, vel *Sanctimonialium*, quam *Novitiæ*.

Sed nec decreto illo Congregationis, aut ex vi illius, possunt incurrere dictas pœnas, cum in eo decreto solum statuatur quod observent clausuram, sicut Moniales, non vero statuuntur contra illas eædem pœnæ, quæ statutæ sunt monialibus, sed solum quoad hoc, ut si semel exierint, non amplius possint redire, quod verba ipsius decreti satis significant : dicit etiam, « atque in eis, scilicet monasteriis, dum erunt, eamdem servent clausuræ legem, quam moniales ipsæ ; et ; si semel exierint, nullam habeant ad ea revertendi facultatem ; » quasi dicat, ipsas posse absque nova licentia exire non reversuras, dum tamen ibi permanere volunt, debere ab iis clausuram observari, contra quam non facit, quæ jure suo utens vult in domum propriam reverti, sicut et novitia non indiget li-

centia, ut e monasterio exeat ad propria, non revesura ad statum religiosum, neque ad monasterium.

Porro tunc esse sensum prædicti decreti, clarius adhuc apparere potest ex aliis declarationibus ejusdem sacræ congregationis Concilii, quarum plures, nempe 17. congerit Emman. Roder. tom. I. *qq. regul.* qu. XLVI. art. 10. ex quibus constat, ejusmodi personis libertatem relinqui exeundi, ut non revertantur ad monasterium; nam in tertia dicitur : « Nec inde, nisi non reversuræ, possunt, exire, et obligatæ sunt ad clausuram, et ad cætera, sicut ipsæ moniales » et in quinta dicitur expresse : « Puellæ, quæ sunt monasteriis educationis gratia, debent reddi patri quandocumque eas petierit » et in septima dicitur : « et dum ibi erunt, servare debent clausuræ eamdem legem, quam moniales servant » : et in octava dicitur : » et quandiu ibi sunt, clausuram servare tenentur, et reliquam vivendi rationem prout ipsæ moniales. » Vides legem clausuræ non imponi his puellis, nisi in sensu composito, ut ita loquar, et ex suppositione, quod ibi manere volunt. In quo earum clausura differt a clausura monialium, sicut et obligatio servandi modum vivendi regularem quo moniales absolute obligantur ad eam vitæ rationem et ad clausuram : puellæ autem prædictæ nonnisi supposito quod velint in monasterio manere, et ad proprias domos non reverti. Unde merito huic sententiæ subscripsit, (quem post hæc scripta vidi), P. Franc. Pellizzar. in tract. *de Monialibus* cap. v. sect. 4. num. 187.

Addit tamen in casu proposito, quia puella illa erat quasi in deposito et custodia monasterii, cum videtur facta aliqua injuria vel irreverentia per illam clandestinam et occultam extractionem puellæ, posse fortasse episcopum procedere contra nobiles illos, ut, nisi rationem probabilem afferant sui facti, quatenus vim aliquam vel importunas preces timebant, quibus puella resistere non auderet, et consensum puellæ, vel eorum quorum curæ suberat, possit episcopus eos aliqua pœna extraordinaria pro ratione delicti punire.

## DUBIUM VIII.

*An regulares licite promittant communitati sæculari, se nunquam empturos bona immobilia in eo territorio ?*

Cum ageretur de fundatione domus religiosæ in quadam civitate, et ad hoc requireretur consensus magistratus sæcularis, hic renuebat consentire ; timebat quippe ne ea via minuerentur gabellæ publicæ, si forte religiosi paulatim emerent multa bona immobilia, quæ postquam ad eorum manus devinerent, essent immunia a gabellis. Petierunt ergo ab illis religiosis, ut pacto firmarent, se nunquam in eo territorio bona immobilia empturos. Quæsitum fuit, an possent regulares, salva ecclesiastica immunitate, hoc pactum inire cum magistratu ? 1

Videbatur aliquibus posse id pactum acceptari, quia, licet magistratus intenderet indemnitatem suarum gabellarum ; in pacto tamen nihil dicebatur de gabellis solvendis, sed solum de non comparandis bonis immobilibus, ex quibus sæculares gabellas solvere solent. Ego tamen plane dixi, me nunquam in eo consilio futurum, ut pactum illud fieret sine consensu summi Pontificis, quod mihi valde suspectum erat quod ecclesiasticam immunitatem lædere posset. Primo, quia quidquid verba sonarent, re tamen ipsa, et æquivalenter erat contra legis canonicæ mentem. Perinde enim erat in re ipsa, ac si magistratus sæcularis daret quidem consensum ad erigendum conventum, sed simul prohiberet religiosis ne possent bona immobilia ac- 2

quirere, quod aperte esset contra immunitatem ecclesiasticam. Pacti autem appositio nihil aliud videtur esse, nisi palliatio speciosa gravaminis quod religiosis imponitur, qua ratione posset magistratus alia vice negare consensum alteri religioni, nisi conventus se obligaret ex pacto ad donandum singulis annis communitati illius civitatis 200. aureos, eam nempe summam, quæ probabiliter ab iis religiosis contribuenda foret, si contribuerant ad solutionem gabellarum communium, quod non esset aliud nisi solutio gabellarum nomine donationis ex pacto, et hoc modo possent pacta diversa inveniri ad eludendas omnes immunitates ecclesiasticas.

3 Secundo, quia non videtur quod religiosi propria auctoritate, et sine consensu summi Pontificis possint cedere libertati quam habent, ut ex testamento, donatione, vel etiam emptione, aut alio titulo oneroso, possint acquirere bona immobilia. Pro quo suppono, hoc esse unum ex capitibus libertatis et immunitatis Ecclesiæ, quod non possint sæculares principes impedire translationem dominii circa bona immobilia factam, vel faciendam in ipsam Ecclesiam a legitimis eorum bonorum dominis; quam Ecclesiæ libertatem plurimi doctissimi viri acerrime propugnarunt, quos omnes et eorum præcipua fundamenta, videre in compendio poteris apud Antoninum Dianam variis in locis, sed præsertim I. parte tract. II. *de immunitate Ecclesiastica*, resolut. 57. et 63. et III. part. tract. I. resolut. 14. et IV. part. tract. I. resolut. 13. et 57. et 70. et V. part. tract. I. resolut. 3. et denique VI. part. tract. III. per totum : quo posito, certum etiam videtur, non posse religiosos propria auctoritate cedere huic libertati et immunitati ecclesiasticæ; quia exemptiones et immunitates concessæ toti statui ecclesiastico, non intuitu singularum personarum sed totius status, non possunt a singulis renuntiari, ut constat ex cap. *Si diligenti, de foro competenti*, et testantur doctores, quos congerit idem Diana I. part. tract. II. resolut. 3. Sicut ergo non possent religiosi, ut consensum prædictum a magistratu obtinerent, obligare se ad solvendas gabellas, et renuntiare immunitati quam habent ab iis solvendis, quia hæc renuntiatio et subjectio cederet in præjudicium libertatis ecclesiasticæ quam læderent; sic non videntur posse renuntiare libertati quam Ecclesia habet ad acquirenda bona immobilia, cum non minus pertineat ad ecclesiasticam immunitatem hæc libertas, quam illa alia a gabellis. Quid autem aliud est pactum illud quod ab illis exigitur, non comparandi bona immobilia, nisi cessio et renuntiatio facultatis quam habent ad illa acquirenda? Non videbatur ergo tutum quod religiosi pacto illo consentirent sine consensu summi Pontificis, vel certe non consulta sacra cardinalium congregatione de immunitate ecclesiastica, cujus censuram et correctionem potuissent merito timere, si ea inconsulta aliquid ejusmodi intentassent.

Similis valde præcedenti casui fuit 4
alius quo Baro quidam catholicus in provincia hæretica desiderabat habere in suo territorio patres Societatis, ut subditos suos ad fidem catholicam inducerent. Volebat tamen rebus suis præcavere, et patres Societatis sese obligare ad non acceptanda ibi bona ulla immobilia sine ipsius consensu : testabatur autem se consensurum ad rationabilia. Dixi tamen juxta responsionem præcedentem, Societatem non debere pacto se ad id obligare ; citra pactum tamen posse P. Generalem non solum hortari Patres, ne acceptent bona immobilia sine Baronis consensu, sed etiam id eis prohibere, auferendo ab eis facultatem acceptandi ; quam tamen prohibitionem ipse Generalis non debeat ex obligatione sustinere, sed possit pro libito auferre. Posset item a Barone petere, ut probet an inveniat patres Societatis sibi in hoc obsequentes et placentes. Quod si quæ fortasse bona immobilia Patres jam antea

acceptassent, hæc quidem dimitti non poterunt sine licentia sedis Apostolicæ ; quare orari poterit Baro prædictus, ut vel patienter expectet dum consensus impetrari procuratur summi Pontificis, vel certe hæc bona computet pro parte eorum bonorum, ad quæ promiserat se consensum præstiturum. Hæc tamen omnia sine pacto, vel obligatione fiant, ne aliqua ratione præjudicetur immunitati ecclesiasticæ.

## DUBIUM IX.

*Utrum bona, quæ possident regulares supra summam statutam, possint alienari sine licentia S. Congregationis ?*

Præcedenti dubio annexum est hoc, quod sequitur. In Belgio, prout mihi narratum est, habetur lex statuens religiosis conventibus certam summam bonorum immobilium, ultra quam non possint retinere, de cujus legis justitia modo non disputamus, sed supponimus ad præsens dubium, justam fortasse esse, atque factam de consensu sedis Apostolicæ, ideoque diligenter et exacte observari, quo supposito, quæsitum est, an domus regularis, cujus bona immobilia eam summam excedunt, possit propria auctoritate bona excedentia alienare, ut pretio emat census aliquos perpetuos redimibiles, vel irredimibiles (hi enim non sunt illi prohibiti,) et hoc sine licentia sacræ Congregationis.

Respondi posse, si lex illa sit justa, et in illa provincia observetur ; est enim communis doctorum sententia, quod lex prohibens alienationem bonorum ecclesiasticorum non obliget quando ea bona quovis titulo acquiruntur alicui loco ecclesiastico, qui lege incapax est ad ea retinenda ; tunc enim sine alia licentia potest ea alienare, cum necessitas alienandi adsit, quæ plus est quam mera licentia ; nam, licet non omnis qui potest, debeat alienare, omnis tamen qui debet potest, et lex ipsa obligans dat simul licentiam ad id faciendum quod jubet. Ita de religione non potente retinere bona immobilia, docent plurimi doctores, quos refert et sequitur Thomas Sanchez lib. VII. *in Decalog.* cap. XXVI. num. 30. et cap. XXVII. n. 17. Carolus Antonius Thesaurus *in praxi Ecclesiastica* part. II. verb. *alienatio*, cap. 1. nu. 3. Lezana tom. I. cap. x. n. 4. et alii, quos affert, et sequitur Diana part. V. tract. XIII. *Miscellaneo*, resolutione 6. ubi refert declarationem sacræ congregationis cardinalium concilii Tridentini interpretum qui in dubio proposito, an sacra patrum Theatinorum religio posset alienare bona immobilia sine licentia ejusdem congregationis, responderunt his verbis : « Congregatio censuit, religionem clericorum regularium Theatinorum, quandiu institutum propositum retineat quoad bona immobilia, non comprehendi in prohibitione nuper edita de rebus regularium non alienandis, » cujus responsionis nulla alia fuit ratio, nisi quia ex sua regula supponebantur non posse ejusmodi bona retinere, ut significant illa verba, *quandiu institutum propositum retineat*, scilicet vivendi ex solis eleemosynis, et non ex reditibus. Eadem autem est ratio, si incapacitas retinendi proveniat ex lege extrinseca justa, quæ taxat bona immobilia quæ a singulis monasteriis retineri possint. Nam aliqui ex auctoribus supra citatis loquuntur etiam de necessitate extrinseca proveniente ex contractu, vel testamento, ut quando testator legavit monasterio fundum cum obligatione vendendi illum intra tantum tempus, ut videri potest apud Sanchez ubi supra dicto cap. XXVI. num. 30. Idem ergo dicendum est in casu nostro.

Unde obiter inferret fortasse aliquis, in casu proposito, posse domum illum regularem, quæ jam habebat bona immobilia usque ad taxam lege præscriptam, et denuo acquisivit legato, vel do-

natione bona alia immobilia, posse, inquam, alienare aliqua ex iis quæ antea habebat, ut ex pretio emat census, ut dictum est, et retinere bona quæ ultimo loco acquisierat : nam lex, ut suppono, non prohibet acquisitionem novam bonorum, sed solam retentionem supra taxam præscriptam ; non ergo obligat magis lex ad alienanda hæc bona posteriora quam priora, nec prohibet magis retentionem posteriorum quam priorum bonorum, sed solum prohibet retentionem bonorum ultra taxam : retinendo ergo solum bona taxata, satisfit plene legi, et illa quæ alienantur ex legis necessitate alienantur, quæ non obligat ad hæc determinate alienanda, sed ea solum quibus taxa superatur, quæcumque illa sint.

4 Quod explicari potest exemplo societatis Jesu, quæ ex suo instituto a sede Apostolica confirmato retinere non potest bona immobilia fructifera, neque etiam census in domibus professis. Potest tamen ex eodem instituto quælibet domus professa retinere domum aliquam, seu villam suburbanam ad recreationem, ex qua nullos habeat reditus, nec fructus tritici, vini, aut olei, etc. Ponamus ergo, quod domui professæ Romanæ, quæ jam habet unam illam suburbanam ad recreationem, legetur alia magis opportuna : quo casu aliquis diceret, quod quamvis non possit utramque retinere, sed debeat retinere unicam, possit tamen ex iis alienare quam voluerit, quia ex suo instituto non magis ligatur ad hanc quam ad illam alienandam ; ergo cum utriusque dominium interim habeat, potest unam vel alteram quam maluerit retinere, præsertim, cum contingere possit quod facilius inveniat emptorem unius quam alterius. Hoc tamen ego intelligerem, quando utraque esset æqualis valoris, vel certe illa quam retinet, esset majoris valoris quam altera quam alienat. Alioquin si prima ulla valebat quatuor millia, et illa quam acquisivit et retinet, valeat solum duo millia, jam censeretur sponte et nulla lege cogente alienare totum illum excessum rei immobilis, quem stante suo instituto retinere poterat, et quoad illum excessum non fieret alienatio ex necessitate legis, quæ sola necessitas excusat a petenda licentia sacræ congregationis ad alienandum. Ex hoc autem exemplo argui potest, ut dicebam, ad casum proposito situm, in quo eadem videtur esse ratio, solumque est differentia, quod in exemplo necessitas sit quasi ab intrinseco ex proprio instituto : in casu autem proposito necessitas sit extrinseca ex lege ; quod tamen ad intentum nihil referre videtur.

Hoc tamen non videtur carcere difficultate, quia, si tunc non esset necessaria licentia, sequeretur quod nec esset necessaria, si occurrente aliquo emptore qui desideraret emere a regularibus prædium illud, ipsi dicerent nos non possumus alienare sine licentia sacræ congregationis ; possumus tamen alienare ea quæ non possumus retinere, atque ideo si haberemus jam prædium alterum, cum quo non possemus simul retinere illud prius, possumus tunc sine alia licentia illud antiquum alienare. Tunc enim si ad hunc finem, vel hoc pacto daretur illis alterum novum prædium ut illud prius alienarent, hæc procul dubio esset implicita permutatio. Constat autem, eum qui vendere et alienare non potest, non posse pariter permutare, quæ permutatio non procedit tunc ex necessitate sed ex voluntate alienandi prius prædium. Unde ergo doctrinam hujus corollarii non facile admitterem ; vereor enim ne sacræ congregationis mens contraria sit.

Inferebam secundo ex eadem responsione, si lex illa præscribens religiosis taxam bonorum immobilium justa sit, et obliget ante sententiam, non opus esse quod interveniat judicis decretum, ut possint religiosi absque alia licentia alienare bona immobilia quoad illum excessum, cum lex ipsa obligans sit quasi quoddam decretum perpetuum urgens

pro alienatione facienda ; secus esset si lex non censeretur immediate obligare, sed post sententiam vel decretum judicis : nam tunc antequam alienatio urgeret ex parte illorum quorum interest, non videtur esse necessaria, atque ideo, cum fieret absque necessitate intrinseca, requireretur licentia specialis sacræ congregationis, a qua licentia petenda excusantur solum ii qui retinere non possunt, vel ex proprio instituto vel ex lege justa talem retentionem immediate prohibente.

Circa prædictam tamen declarationem sacræ congregationis pro patrum Theatinorum religione datam, aliqua advertenda videntur. Primo enim adverto, nonnullos eam extendere ad alienanda etiam mobilia pretiosa, quæ servando servari possunt, ita ut pro his etiam alienandis non sit necessaria facultas sacræ congregationis iis, qui bona immobilia alienare possunt. Pro qua sententia affertur Joannes Antonius Novarius *in summa Bullarum, de alienatione rerum regularium prohibita*, n. 29. et in eamdem inclinat Diana ubi supra, dicta resolut. 6. quia mobilia pretiosa ideo comprehenduntur in prohibitione alienandi, quia inter immobilia reputantur ; ergo cui licet alienare immobilia, licebit etiam hæc mobilia pretiosa alienare quæ pro immobilibus computantur ; et ideo hanc sententiam approbare videtur Castro Palao tom. II. tr. XII. disp. unica, puncto 15. §. 1. num. 13.

Hæc tamen explicatio mihi nunquam placuit, et video displicuisse etiam Peregrino *in Compendio privilegiorum clericorum regularium*, verb. *alienatio*, in principio sui scholii, et colligi potest ex verbis ejusdem declarationis sacræ congregationis supra adductis, in quibus caute addita sunt illa verba, *quoad bona immobilia non comprehendi ;* noluit enim excludere ab omni prohibitione non alienandi, sed solum quoad immobilia, quæ ex proprio instituto non poterant retinere, quam esse legis mentem in hoc casu docuerunt etiam Riccius resol. LIII, n. 5. et Barbosa allegat. XCV. n. 59. in fine, apud Castro Palaum ubi supra, et ideo doctores limitantes prohibitionem alienandi, ut non procedat in religiosis incapacibus retinendi, locuti sunt caute, dicentes eos quoad bona immobilia non obligari prædicta prohibitione. Unde credo domos professas Societatis nullo modo posse ejusmodi bona mobilia pretiosa alienare sine licentia sacræ congregationis.

Ratio autem videtur clara, quia lex 9
prohibens alienationem bonorum ecclesiasticorum, maxime pertinentium ad regulares generalis est, et ab ea non excipiuntur prædicti regulares incapaces retinendi bona immobilia, nisi propter rationem generalem, quod scilicet obligatus ad alienandum non comprehenditur prohibitione alienandi. Hæc autem ratio procedit solum in bonis immobilibus, quæ dicti regulares retinere non possunt ; non vero procedit in bonis mobilibus pretiosis, quæ utique possunt retinere, sicut et alii omnes religiosi. Cum ergo ipsi non habeant facultatem ex privilegio ad alienandum, per quod legi derogetur, sed habeant meram facultatem fundatam in jure, quatenus incapacitas retinendi facit, quod lex non loquatur de illis ; non potest facultas hæc extendi, nisi ad bona illa, quorum retinendorum sunt incapaces, qualia non sunt pretiosa mobilia, ut constat.

Confirmari potest exemplo ; nam si 10
testator relinquat conventui religiosorum bona immobilia cum clausula, ut possint, et debeant ea vendere ad hoc, ut ex pretio aliquid aliud faciant ; poterunt utique ea bona absque licentia sacræ congregationis alienare, cum ex testamento ad id sint obligati ; non tamen ideo poterunt alienare bona mobilia pretiosa ejusdem conventus ; quia facultas alienandi non magis extenditur, quam necessitas, et hæc non est nisi ex testamento, quod solum obligat ad alienanda bona illa immobilia ; imo, licet eodem

testamento legata iis fuissent bona mobilia pretiosa : si tamen testator solum obligavit ad vendendam domum, vel vineam, quam in eodem testamento iis relinquebat ; non possent alienare bona illa mobilia, propter eamdem rationem ; quia necessitas ex testamento orta solum erat ad alienandam domum, vel vineam : similiter ergo in casu nostro, cum facultas alienandi tota fundetur in necessitate et obligatione, et hæc sit ex incapacitate retinendi, quæ incapacitas solum est in ordine ad bona immobilia, fatendum erit facultatem alienandi non extendi ad mobilia pretiosa, ad quæ non extenditur necessitas retinendi.

11 Nec obstat modus loquendi aliquorum, qui dicunt mobilia pretiosa computari cum immobilibus quoad effectum non alienandi ea : per hoc enim solum intendunt eamdem esse prohibitionem alienandi utraque ; non vero quod non possit dispensari, vel etiam excusari aliquis ad alienanda bona unius generis, quin dispensetur vel excusetur quoad alienanda bona alterius generis : quod maxime intelligitur quando exceptio fit expresse quoad unum bonorum genus, prout facta fuit in prædicta declaratione sacræ congregationis quoad bona immobilia, eo quod necessitas et obligatio alienandi excusabat solum quoad eorum alienationem.

12 Unde adverto secundo quod eamdem declarationem, non debere ita intelligi, ut omnia el quæcumque bona etiam immobilia possint sine facultate sacræ congregationis alienari ab ejusmodi regularibus incapacibus retinendi : nam, si velint partem aliquam propriæ habitationis, et conventus, in quo degunt, vendere alicui vicino sæculari, non poterunt id facere sine licentia sacræ congregationis ; hanc enim alienationem non facerent ex necessitate proprii instituti, a quo non prohibentur habere domum propriam, ecclesiam et conventum in quo habitent, sed solum prohibentur habere alia bona immobilia, ex quorum fructibus et reditibus vivant ; quare quoad hæc sola bona alienanda quæ retinere non possunt, intelligi debent non comprehendi in lege prohibente alienationem. Atque idem dicerem, si domus professa societatis, quæ juxta suas constitutiones retinere potest, ultra domum propriæ habitationis, domum aliam ruralem et villam ad recreationem ; si hanc, inquam, vendere vellent, et privari commoditate illa ad recreationem permissa, indigerent enim consensu sacræ congregationis, propter eamdem rationem, cum alienatio illa non esset ex necessitate et obligatione proprii instituti, cui nullo modo repugnat retentio illius horti, aut villæ ad religiosam recreationem.

Tertio denique, et consequenter adverto, in iis casibus in quibus alii regulares indigent consensu sacræ congregationis ad vendendum censum, et hypothecanda sua bona ad ejus solutionem, indigere etiam eadem licentia domos professas societatis, et regulares alios incapaces retinendi bona immobilia ; cujus contrarium supponere videtur loco supra citato Diana ex sententia Novarii, qui in sua Theatinorum religione dicunt, posse etiam hodie census redimibiles imponi ex consensu præpositorum et duarum partium vocalium. Sed certe non credo, id esse ex mente sacræ congregationis, quæ solum declaravit, eos non comprehendi prohibitione alienandi quoad ea quæ ex proprio instituto alienare tenentur ; census autem imponere super bona quæ retinere possunt non est illis necessarium ex proprio instituto. Aliud esset, si censum imponerent super prædio aliquo sibi donato, quod ex proprio instituto intra paucos annos alienare debent, quia non possunt illud retinere. Nam, sicut hoc prædium possent sine alia licentia omnino alienare ; ita possent gravare interim censu aliquo, quæ est quasi partialis alienatio. Super aliis vero bonis, quæ retinere perpetuo possunt, non video quomodo possit census sine licentia congregationis imponi. Suppono

enim recentioribus decretis sacræ congregationis Urbani VIII. jussu editis ablata fuisse religiosis omnibus privilegia, et facultates alienandi et imponendi sibi quoslibet census imo et mutuum accipiendi ad cambium, vel cum interesse, vel lucri cessantis vel damni emergentis solvendo, quæ decreta videri possunt apud Lezanam I. t. c. x. num. 2. et 3. Et in hoc sensu intelligo declarationem aliam sacræ congregationis, quam ex Barbosa in *Collectan.* verb. *domus*, refert idem Lezana to. I. c. XIX. num. 55. qua dictum est domos professas societatis Jesu comprehendi etiam in decretis prohibentibus alienationem rerum ecclesiasticarum. Si quæ enim fuit talis declaratio, fortasse agebatur de mobilibus pretiosis alienandis, aut de re immobili quæ retineri poterat, vel, quod verius puto, de censu aliquo redimibili imponendo, quæ omnia diximus domos illas professas non posse facere sine licentia sacræ congregationis. Si autem aliquid plus sacra congregatio intendit, ejus intentioni et declarationi standum erit.

## DUBIUM X.

*An fructus a donatore destinati ad emptionem bonorum immobilium possint ex ejus consensu applicari ad solvenda debita ejusdem conventus?*

N. sæcularis donavit cuidam domui regulari aliqua bona immobilia, quorum retinendorum erat capax, et imposuit inter alia hoc onus, ut fructus deberent rursus applicari ad emenda bona immobilia fructifera, donec totum capitale ascenderet ad tantam summam. Religiosi acceptarunt donationem cum illis oneribus, atque ita observarunt per aliquod tempus ementes bona alia fructifera ex reditibus. Post novem vero annos, quia domus illa gravata erat ære alieno, petierunt religiosi a donatore, ut quamvis fructus nondum ascenderant ad summam ab ipso præfixam, consentiret tamen quod ex fructibus subsequentibus solverentur debita, quibus domus illa gravata erat. Donator itaque denuo in scriptis donationis præteritæ nonnulla onera abstulit, et consensit ut si Generalis ita judicaret, fructus in posterum ad solvenda debita applicarentur; qua occasione dubitatum fuit, an accedente consensu donatoris, sine alia sacræ congregationis licentia, fructus qui ex vi prioris donationis applicandi erant ad emptionem bonorum immobilium, applicari jam possent ad debita solvenda?

Videbatur, non sufficere consensum 2
donatoris, ut applicarentur reditus ad debita solvenda; quia quamvis aliqui voluerint pecuniam computari inter bona immobilia vel mobilia pretiosa inalienabilia: contraria tamen sententia communis est de magna pecuniæ summa, vel de pecunia quæ semel destinata est ad emenda bona immobilia, ut post alios quos affert, videri potest apud Filliucium in *Appendice* tr. XLIV. cap. IV. num. 25. et Lezana II. to. cap. XIX. num. 59. et omnes fatentur id saltem verum esse quando destinatio illa ad emenda bona immobilia facta est ex obligatione orta ex lege, testamento, vel contractu: tunc enim illa pecunia sic destinata reputatur inter bona immobilia, ut fatetur Vasquez in *Opusculis*, tract. *de reditibus*, cap. II. §. II. dub. 13. nu. 44. in nostro autem casu reditus omnes usque ad talem summam deputati et destinati fuerunt a donatore et a religiosis acceptantibus talem donationem, ad emenda bona immobilia. Quare non solum primum capitale sed tota illa summa conflanda ex reditibus, facta fuit inalienabilis, et computari debet inter bona immobilia. Nec jam erit in potestate donatoris eam pecuniam reddere alienabilem; considerandum enim est duplex impedimentum in illa pecunia, ut applicetur ad alios usus. Primum est ex voluntate donatoris, qui voluit non

posse converti ad alios usus, nisi ad emenda bona immobilia : et hoc quidem impedimentum potest idemmet donator auferre, quia ejus est solvere cujus fuit ligare, et obligatio per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur. Secundum tamen impedimentum oritur ex lege ecclesiastica, quia bona immobilia regularium, in quibus diximus computari pecuniam semel destinatam ad emenda bona immobilia, redduntur inalienabilia et inconvertibilia in alios usus ; quod quidem impedimentum non potest auferri o donatore, nec ab alio nisi a sede Apostolica : quod adeo verum est ut quamvis testator vel donator dicat expresse, quod relinquit vel donat conventui talem fundum ad hoc, ut possint religiosi illum libere alienare, nullius ad hoc petita licentia ; adhuc conventus fundum illum semel habitum alienare non posset sine licentia sedis Apostolicæ, ut cum aliis observat idem Filliucius ubi supra, num. 29. Ratio autem est, quod res illa semel posita sub dominio Ecclesiæ debet omnino participare conditiones rei ecclesiasticæ, quas non potest testator vel donator impedire, nisi impediendo dominium Ecclesiæ supra illam rem : ut si diceret, relinquo talem fundum Ecclesiæ ea lege ut eum vendat : tunc enim non dat ecclesiæ plenum fundi dominium, cum obliget ecclesiam ad eum alienandum. Quando vero non obligat ecclesiam ad alienandum, sed permittit solum ei alienationem, jam dat ecclesiæ plenum rei dominium, et aufert impedimentum alienandi ex parte sua, non tamen ex parte legis ecclesiasticæ, in qua ipse non potest dispensare. Cum autem bona illa sint jam sub pleno dominio ecclesiæ, atque ideo bona ecclesiastica, subduntur plane legi ecclesiasticæ, et participant inalienabilitatem, a qua non possunt nisi auctoritate ecclesiæ, liberari.

3 Confirmatur, quia si donator ille post dictam donationem irrevocabilem factam, et post novem annos voluisset et bona illa, etiam quoad primum capitale et quoad bona immobilia quæ donavit, et jam erant facta bona ipsius conventus, liberare ab inalienabilitate, et consentire ut libere alienarentur ; non sufficeret utique hic consensus donatoris, ut accedente etiam consensu prælatorum ordinis, et consensu religionis, possent alienari fine licentia sacræ congregationis ; quia jam semel facta fuerant bona religionis inalienabilia. Eadem autem ratio videtur esse de reditibus usque ad summam præscriptam, cum tota illa summa donata fuerit irrevocabiliter, et ad bona immobilia, atque hoc pacto acceptata, atque adeo videntur jam pertinere ad bona ecclesiastica immobilia, ad quæ fuerat destinata : non ergo poterit magis ex consensu donatoris alienari, quam possent bona immobilia ab eodem donatore primo donata, propter quæ videtur mihi hæc pars non solum magis tuta, sed etiam in puncto juris, et in rigore magis vera.

Non tamen auderem damnare ut omnino improbabilem contrariam sententiam, quæ diceret posse a religiosis converti subsequentes reditus ad solvenda debita ex consensu donatoris auferentis gravamen, quod in prima donatione apposuerat. Ratio autem hæc esse potest, quia reditus illi considerari possunt inalienabiles, vel ex obligatione imposita a donatore, et pacto cum ipso inito, vel ex lege ecclesiastica, quatenus illa sunt bona religiosa subdita legibus Ecclesiæ prohibentibus alienationem. Ex primo quidem capite, nempe ex voluntate donatoris, fatemur esse inalienabilia ; hoc tamen impedimentum, sicut totum fundatur in voluntate donatoris, sic ejusdem consensu et voluntate auferri potest, cedente donatore juri suo ; atque ideo ex hoc capite cessat obligatio applicandi eos reditus ad emenda bona immobilia, quia tota illa obligatio respicit donatorem, quo cedente juri suo, dissolvitur.

Ex secundo autem capite, nempe ex legibus Ecclesiæ, non videntur reditus illi esse inalienabiles, quia lex Ecclesiæ so-

lum prohibet alienari mobilia pretiosa, quæ servando servari possunt, et bona immobilia, non vero eorum fructus et reditus ; hi enim ex natura sua ordinantur ad usum quotidianum, ad quem finem necesse est quod alienentur. Quamvis autem pecunia in magna summa alicui conventui legata, vel donata participet naturam rei immobilis, et debeat applicari ad emendam rem immobilem, ut cum aliis notat Filliucius dicto c. IV. nu. 25. quando tamen pecunia colligitur ex fructibus, vel reditibus bonorum immobilium Ecclesiæ, non subjacet prohibitioni ecclesiasticæ alienandi. Talis autem videtur esse pecunia ex reditibus in casu nostro : nam in rigore loquendo donatur solum donavit conventui prædia ipsa, seu bona immobilia ; fructus vero subsequentes non sunt objectum, ut ita dicam, donationis, sed acquiruntur conventui, eo quod sint fructus rerum suarum, et omnis res fructificat suo domino. Donator ergo præscribens, quod fructus usque ad talem summam applicarentur ad emptionem immobilium, non utique id fecit tanquam disponens de fructibus, qui futuri erant sui, sed per modum gravaminis quo gravavit conventum, ut teneretur fructus (qui futuri erant sub dominio ipsius conventus, utpote fructus bonorum ejusdem conventus) applicare ad emenda bona immobilia. Si ergo fructus illi ex natura sua fiebant conventus eo titulo, quod essent fructus rerum suarum, non comprehendebantur sub lege ecclesiastica non alienandi, quæ lex solum loquitur de bonis immobilibus, non de eorum fructibus et reditibus. Tota ergo prohibitio alienandi oriebatur, non quidem ex lege ecclesiastica, quæ eorum fructuum alienationem non prohibet, sed ex mero pacto oneroso inito cum donatore, quo conventus acceptavit donationem bonorum stabilium cum onere, et obligatione non expendendi fructus, nisi ad usum emendi alia bona stabilia ; quod gravamen cum solum obliget conventum donatori, condonante et cedente ipso donatore, manebunt fructus omnino liberi, tam a pacto et debito erga donatorem, quam a prohibitione legis ecclesiasticæ, ratione cujus nunquam alienatio fructuum impediebatur.

6 Posset tamen aliquis dicere, in casu nostro fructus non acquiri conventui, sed donatori cujus mens in illo contractu ea fuisse videtur, ut scilicet transferret in conventum dominium solum directum bonorum immobilium, et reservaret sibi dominium utile, seu usumfructum per tot annos, quo tempore donabat, eosdem fructus conventui, ad hoc solum, ut ex iis emerentur alia bona immobilia. Non ergo nascuntur fructus illi immediate conventui, ut domino rei fructificantis, sed nascuntur donatori, qui reservavit sibi dominium utile, seu fructus per tot annos ; qui tamen denuo illos donat conventui, ut ex iis emantur bona immobilia. Cum ergo fructus, et pecunia ex iis conflata, donati sint ad bona stabilia comparanda, et hæc donatio fructuum sit acceptata a conventu, jam videtur summa illa manere affecta lege ecclesiastica et inalienabilis ad alios usus : nam pecunia relicta, vel donata conventui ad emendum fundum, jam eo ipso reputatur inter bona immobilia inalienabilis.

7 Propter hæc dixi, tutius et verius videri, quod non possint fructus illi converti in alios usus, vel in solvenda debita sine licentia sacræ congregationis, quia mens donatoris videtur fuisse donare immediate non solum capitale, sed fructus etiam tot annorum, ut converterentur in bona stabilia : quare videtur esse quasi donatio pecuniæ numeratæ ad emenda bona stabilia, quæ pecunia sic donata et destinata non potest in alios usus expendi. Addidi tamen, non audere me reprobare ut improbabile, si quis diceret sufficere in casu proposito consensum donatoris, ut fructus annorum subsequentium applicentur ad solutionem æris alieni ; quia in primis posset aliquis dicere, donatorem in nostro casu non ap-

posuisse conditionem illam circa fructus; retinendo sibi dominium utile et usumfructum ; sed potius donasse simpliciter totum capitale et transtulisse in conventum dominium totum, et directum, et utile : apposuisse tamen gravamen illud convertendi fructus in bona immobilia ; quod gravamen non supponit fructus manere sub dominio donatoris, sed potius acquiri conventui tanquam fructus rei suæ ; cum onere tamen ex pacto inito cum donatore convertendi illos in bona immobilia, quod pactum et gravamen ex voluntate donatoris postea auferri potest, ut dictum est.

8 Deinde, quia etiamsi ex pacto et voluntate donatoris, tota illa summa destinata jam sit ad emenda bona immobilia : illa tamen destinatio non videtur certo sufficere ad hoc, ut censeatur legibus ecclesiasticis comprehensa et prohibita ne alienetur ; potest enim considerari deputatio illa vel quatenus procedit a voluntate donatoris deputantis ad bona immobilia, vel quatenus procedit etiam a voluntate conventus acceptantis donationem ad eum affectum. Loquendo ergo de deputatione facta a donatore, ea non videtur sufficere ad obligandum ipsum donatorem, qui certe non intendit se ipsum obligare, sed donatarium cui gravamen illud apposuit. Nec enim se obligat aliquis ad persistendum in decreto et voluntate quam semel habuit, emendi bona stabilia pro aliqua religione, nisi forte votum emisit, sed potest libere ab ea intentione desistere.

9 Difficultas solum potest esse ex parte regularium, qui acceptarunt ejus summæ donationem ad eum finem, atque adeo jam ex parte sua deputasse videntur eam summam ad bona immobilia. Quare, cum donator non possit, mutata voluntate, auferre jus quod regulares acquisierunt ad ea bona, et aliunde ipsi non possit mutare voluntatem, et convertere in alios usus pecuniam, quam deputaverunt ad bona immobilia, videtur jam ex hoc capite summa illa subdita legibus ecclesiasticis prohibentibus alienationem. Cæterum dicere aliquis posset, nec deputationem, prout oritur ex voluntate regularium, inducere hanc obligationem ; est enim sententia gravissimorum doctorum, non sufficere ad hunc effectum deputationem meram extrinsecam, qua prælati et conventus deputant et reservant aliquam suam pecuniam ad emenda bona immobilia ; ita cum aliis, quos affert, docet P. Vasquez *in opusculis*, tr. *de reditibus*, c. II. §. II. dub. 13. n. 44. et in terminis Castro Palao to. II. tract. XI. disp. unica, puncto 15. §. 1. num. 5. ubi dicit, deputationem a prælato et monasterio factam ad emenda bona immobilia ex aliqua pecunia, tunc solum impedire alienationem, quando pecunia fuit a testatore ad illum effectum relicta, vel habita fuit ex pretio rei immobilis venditæ, cujus loco substitui debet res alia immobilis, vel denique quoties pecunia in se habet intrinsece illam obligationem. Aliæ namque destinationes, inquit, videntur accidentariæ, neque conditionem pecuniæ mutant ; quo supposito, non videtur sufficere ad inducendam eam obligationem deputationem, qua conventus destinaverat pecuniam fructuum subsequentium ad emenda bona immobilia, cum hæc non possit mutare conditionem fructuum, qui ex natura sua sunt consumptibiles, sine alia licentia sedis Apostolicæ.

Solum posset obstare, quod hæc destinatio non fuit omnino spontanea, sed ex obligatione et pacto imposito ab ipso donatore, qui voluit quod ad hunc effectum deputaretur pecunia illorum fructuum, quo casu prædicti doctores fatentur, per destinationem reddi pecuniam inalienabilem. Ad hoc tamen dici posset, casum nostrum differre ab omnibus exemplis, quæ illi doctores afferunt : ea enim sunt de pecunia ad eum effectum destinata ex obligatione irrevocabili, qualis est pecunia ex pretio census redimibilis extincti, vel ex re immobili vendita, quæ quidem pecunia subrogatur loco

census, vel rei immobilis, cujus pretium est, nec hoc habet ex voluntate alicujus hominis, sed ex sua natura. Idem est de pecunia a testatore relicta conventui ut emat rem immobilem, quæ debet in eum usum converti ex voluntate testatoris, quæ voluntas revocari non potest jam a testatore mortuo. At vero in casu nostro obligatio tota est ex voluntate donatoris, qui potest suam voluntatem revocare, et remittere obligationem quam ipse solus imposuit ; quare deinceps non erit jam pecunia ad eum effectum deputata ex obligatione, cum obligatio ab ipso qui obligavit, sublata fuerit, atque adeo manebit pecunia illa deputata non ex obligatione ; nam prælati et religio non habuerunt animum absolute se obligandi, sed solum sub conditione, quando donator cui se obligarunt, jure suo non cederet ; quod commune est in omnibus contractibus onerosis, excepto matrimonio et professione religiosa et similibus, qui dissolvi non possunt ex consensu contrahentium : in cæteris enim contrahentes se obligant solum sub conditione, si ille cui se obligant, non cesset jure suo. Non ergo videtur pecunia illa deputata ex obligatione absoluta, sed solum sub conditione, qua conditione deficiente, obligatio tota atque adeo deputatio ex obligatione cessare videtur. Et hæc sunt quæ mihi pro utraque parte dicenda occurrebant.

11 Hinc obiter infero, quid dicendum sit ad alium casum, qui in facti contingentia propositus fuit. Legata quippe fuit conventui regularium res immobilis. Prælatus conventualis et provincialis acceptare volebant, sed relicta sibi libertate ad alienandum ; quare non ita volebant rem illam conventui incorporare, ut redderetur inalienabilis, sicut alia bona immobilia ejusdem conventus, nec defuerunt qui probarent posse eo animo et cum ea limitatione acceptari. Sicut et testator vel donator posset eam conditionem in legato vel donatione rei immobilis addere, et obligationem alienandi imponere.

Dixi tamen, id fieri non posse, nec ac- 12
ceptari legatum rei immobilis, reservando sibi facultatem alienandi. Ratio est clara, quia antequam alienetur res illa a prælatis, debet acquiri conventui : nemo enim potest alienare rem non suam, neque transferre in emptorem dominium quod non habet : debet ergo prius acceptari legatum, per quam acceptationem res legata acquiritur legatario, imo posita acceptatione, retrotrahitur acquisitio rei legatæ ad tempus mortis testatoris, ut suppono. Eo autem ipso quod prælatus acceptat legatum, res illa manet sub dominio Ecclesiæ et conventus : quare non est differentia inter rem illam denuo acquisitam, et reliqua bona conventus, sed omnia æque sunt bona conventus : nec nomen *incorporationis*, quod attinet ad hunc effectum explicat vel addit aliquid supra nomen acquisitionis, cum nullus alius requiratur ad incorporationem præter dominii pleni acquisitionem, ut bene observavit Filliucius in *Appendice*, disp. XLIV. cap. 4. nu. 34. et quamvis aliquid adderet, id quidquid sit, non requiritur ad alienationem, nam lex ecclesiastica prohibens alienationem, loquitur universaliter de omnibus ecclesiæ bonis immobilibus, ut bene ad hoc propositum observavit Castro Palao tom. II. tr. x. disp. unica, puncto 15. §. 1. nu. 9. inferens, quamvis testator non obliget ad conservandam rem legatam, non tamen posse ab ecclesias alienari ; quia per meram acceptationem fiunt bona ecclesiæ, atque adeo comprehenduntur lege prohibente generaliter alienationem omnium bonorum ecclesiæ : quam etiam sententiam supponere videtur Filliucius ubi supra dicto cap. IV. num. 29. cum nolit posse alienari rem immobilem relictam vel donatam ecclesiæ, cum conditione expressa addita a donatore, vel testatore, ut possit ecclesia eam rem libere alienare, quanto magis quando sine ea conditione donata vel legata fuit ?

Nec obstat, quod, quando testator obli- 13

gavit ad rem alienandam, potest sine alia facultate alienari : tunc enim non solum potest sed debet alienari : quare non fuit unquam sub pleno et libero dominio ecclesiæ, cum ecclesia non possit eam rem sibi retinere : lex vero ecclesiastica prohibet alienari bona ecclesiæ, hoc est, quæ ita sunt sub ecclesiæ dominio, ut possit ecclesia ea sibi libere retinere, qualis est res legata et acceptata in casu nostro. Quia tamen de obligatione emendi immobilia loco rei mobilis cum licentia alienatæ locuti sumus : hac occasione aliquid insinuabimus de obligatione extinguendi censum, qui cum licentia sacræ congregationis impositus est ob necessitates regularibus occurentes, vel etiam investiendi pecunias pro capitali, quod fuerat alienatum.

## DUBIUM XI.

*Incidens de obligatione prælato imposita extinguendi censum, vel investiendi pecunias intra certum terminum ?*

1 Solet quippe sacra congregatio, quando ob necessitas urgentes concedit regularibus facultatem imponendi sibi censum redimibilem, apponere in ipsa licentia præceptum et obligationem extinguendi censum totum, vel saltem intra tantum tempus, prout major vel minor est spes extinctionis possibilis, quod idem fit quando alienatur cum licentia res aliqua immobilis, imposito præcepto investiendi pecunias intra tempus determinatum.

2 Cum ergo ex facultate sacræ congregationis alienata fuissent aliqua bona stabilia, eadem congregatio imposuit præceptum prælato ejusdem domus religiosæ, ad quem spectabat, investiendi singulis annis centum aureos in bonis stabilibus, donec compensaretur alienatio facta : et hoc sub pœna suspensionis, a qua non posset absolvi, nisi facto investimento prædicto. Cum ergo anno præsenti nihil investisset prælatus, qui diebus quinque ante finem anni cessavit ab officio, successor illius non invenit ex fructibus anni præcedentis, nisi decem aureos : quare dubitavit an sequenti anno deberet investire 200. aureos, an satisfaceret investiendo centum pro illo anno sequenti, qui erat primus annus suæ prælaturæ ?

Respondi, distinguendum esse : nam vel prælatus successor invenit provisiones factas ad victum, vestitum, et alia necessaria pro anno sequenti in totum, vel in partem, vel non invenit. Si eas invenit, falso dicit se non invenisse nisi decem aureos, nam res illæ anticipato emptæ ad annum sequentem æquivalent pecuniæ : quæ anno sequenti ad provisionem præsentem insumenda erat. Quare sicut teneretur investire pro anno præcedenti, si pecuniam invenisset collectam ex fructibus ejusdem anni, sic tenebitur, si invenit provisiones ex iisdem fructibus antecedenter factas ad annum sequentem : quia res illæ emptæ succedunt loco pecuniæ et redituum anni præcedentis. Si vero non invenit ejusmodi provisiones, videndum rursus erit, an prædecessor ex culpa sua non observaverit præceptum sibi impositum : quo casu probabile mihi visum fuit non obligari successorem ad investiendum pro utroque anno, sed solum pro anno sequenti, addita ad summum illa parva summa, quam invenit ex reditibus anni præcedentis, et rata illorum quinque dierum, hoc enim videtur significari in illis verbis Congregationis, *Prælatus ad quem spectabit*, etc. Ad illum enim prælatum videtur spectare investire centum ex pecuniis hujus anni, qui est prælatus hoc anno, qualis non est successor, qui diebus solis quinque anni hujus fuit prælatus atque ideo ipse non videtur esse prælatum ad quem spectat præceptum pro hoc anno. Si tamen prædecessor in utilitatem conventus distulit investire, tunc videtur successor

obligari etiam pro anno præcedenti, quia tenetur ad debita contracta a prædecessore in utilitatem conventus, inter quæ videtur etiam computandum hoc debitum quod oritur ex prædicto decreto sacræ congregationis.

## DUBIUM XII.

*De promissione facta a regularibus locandi fundum per plura triennia successive.*

N. donavit domui religiosæ in provicia ultramontana longinqua sex mille florenos, ut ex iis conventus frueretur censu durante donatoris vita, et ipso mortuo, ex capitali disponerent prælati pro ipsorum libito. Petiit etiam ut locaretur ei fundus quidam conventus ejusdem minori pretio per triennium, et renovaretur successive locatio per singula triennia durante ejus vita, alioquin rederentur ei 6000. floreni donati : consensit conventus, et per novem annos locationes continuatæ sunt. Quæsitum est, an sit obligatio continuandi eodem minori pretio sub obligatione reddendi capitale illius census?

Respondi, videndum in primis esse, an donatio 6000. florenorum, et promissio locationum fuerint factæ eodem tempore et contractu, an diversis temporibus, prout facti narratio indicare videbatur. Nam, si donatio facta fuit primo modo, non videtur fuisse donatio absoluta, sed conditionalis, et talis ut deficiente postea conditione, resolvatur et debeat restitui capitale donatori, quoties locatio fundi postea non renovabitur, prout vere renovari semper potest. Nam quamvis daremus quod non possit se obligare conventus ad renovandas locationes per alia triennia ex vi constitutionis Pauli II. de quo postea : donator tamen potuit non dare capitale absolute, sed sub conditione illa renovandi locationem ad quam nolebat obligare conventum, sed solum reservare sibi jus repetendi suam pecuniam donatam : unusquisque enim est dominus rei suæ, et potest illam ad tempus, vel in perpetuum, absolute, vel sub conditione donare, præsertim cum interim permitteret conventum frui reditibus illius census, quibus abunde compensari videbatur diminutio pretii in locatione fundi subeunda.

3 Si vero quod magis videtur reipsa factum, non fuit promissio illa locationum petita eodem tempore vel contractu, sed tempore diverso posteriori ; dixi, etiamsi conventus nolit continuare locationes, non debere reddere illos 6000. florenos, neque enim postea potuit se ad hoc obligare, cum hoc esset alienare censum conventui jam incorporatum. Imo, quamvis donator in ipsa prima donatione dederit facultatem conventui disponendi de capitali pro libito post mortem donatoris, id non sufficit ut absque sedis Apostolicæ licentia possit alienari, potest enim donator vel testator obligare quidem donatarium vel legatarium ad alienandam rem donatam vel legatam : si tamen nullam imponat obligationem, non potest facere, ut possit absque licentia sedis Apostolicæ eam alienare, cum res immobilis incorporata conventui eo ipso fiat inalienabilis. Non ergo potuit postea conventus obligare se ad relinquendum censum illum sibi jam incorporatum, neque ad id observandum tenebitur.

4 Quia vero obiter quærebatur, an prælati incurrissent censuras et pœnas Extravagantis Pauli II. cum se ad illas locationes faciendas obligarunt, dixi, verisimile satis esse quod eas non incurrerint. Primo, quia in constitutione Paulina exigitur dolus et præsumptio, ut constat ex ejus verbis : præsumptio autem importat temeritatem et dolum, ut cum aliis notat in terminis hujus bullæ Filliucius in *Appendice*, tract. XLIV. cap. VI. §. 1. num. 5. in casu autem nostro non

fuit præsumptio sed bona fides, vel ad summum ignorantia vincibilis. Secundo, quia constitutio illa prohibet solum locationem ultra triennium : in nostro autem casu non fuit unquam facto locatio, nisi ad unum triennium : et quamvis se obligaverit conventus ad renovandas locationes de triennio in triennium, vivente donatore : hæc tamen non fuit locatio, sed promissio locationis faciendæ, quæ quando est sola promissio personalis, qualis videtur hæc fuisse, non dat jus in re promissario, neque intelligitur comprehensa in prohibitione illa Paulina, ex sententia gravium doctorum, quos refert et sequitur Filliucius dicta disp. XLIV. cap. 2. num. 19.

5 Unde ultimo inferebam, quidquid sit, an conventus possit reclamare contra promissionem illam, sive quia sit infra dimidium juste pretii, sive ob aliud caput, et petere restitutionem in integrum minoribus concessam : prudenter tamen facturum generalem, si consideret an diminutio illa pretii locationis faciendæ sit talis, ut non excedat id quod intra terminos donationis remuneratoriæ potest conventus prudenter donare benefactori suo bene merito, qualis fuit donator : quo posito, expediret magis bono nomini et debitæ gratitudini, continuare locationes eodem pretio singulis annis, condonando defectum justi pretii ad vitandas saltem lites, querelas, et offensiones, quæ sine jactura nominis religiosi excitari non possent.

## DUBIUM XIII.

*De alienatione facta contra formam facultatis concessæ a sacra congregatione.*

1 Petita fuit facultas a sacra congregatione cardinalium interpretum sacri concilii Tridentini, ut domus quædam regularium posset alienare tres census ibi nominatos, dando illos in pretium pro certo fundo. Fuit autem commissa facultas Ordinario, ut prævio examine ab ipso faciendo circa evidentem utilitatem, etc. dispensaret. Postea vero in decreto ab Ordinario facto, positi sunt alii duo census diversi loco duorum ex tribus propositis sacræ congregationi, et contentis in commissione ejusdem congregationis, sed tamen ejusdem valoris. Itaque venditori fundi dati sunt in pretium fundi tres census, quorum unus solus continebatur in commissione sacræ congregationis, pro aliis vero duobus subrogati sunt duo diversi, sed ejusdem valoris. Quæsitum ergo fuit primo, an conventus ex hoc defectu facultatis possit allegare postea, et agere contra emptionem fundi, quæ apparuit temporis decursu parum utilis conventui, et contra alienationem censuum. Secundo, quo remedio liberari possit provincialis, ne forte in foro saltem externo accusetur, tanquam qui incurrerit pœnas statutas contra regulares alienantes sine debita facultate sedis Apostolicæ.

Ad primum dixi, alienationem cen- 2
suum procul dubio fuisse invalidam, cum ex dicta Extravaganti Pauli II. quæ incipit, *Ambitiosæ*, et ex decretis sacræ congregationis jussu Urbani VIII. editis irritæ sint alienationes a regularibus factæ sine licentia ejusdem congregationis : quæ licentia defuit, cum petita fuerit et concessa ad alienandos alios census nominatos in individuo, et eorum loco alii diversi sint alienati, ad quorum alienationem nec fuit petita, nec concessa facultas. Nec obstat, hos census fuisse ejusdem valoris et qualitatis cum illis aliis, quare eodem modo et æque facile data fuisset licentia adillos sicut ad istos : hoc, inquam, non obstat, quia adhuc defuit voluntas concedendi facultatem ad horum alienationem, cum data fuerit facultas solum ad illorum aliorum alienationem nominatim. Nec fuit error in nomine, sed in substantia, designando unum cen-

sum realem pro alio diverso. Regula autem generalis est, ut concessio facultatis non extendatur ad casum sub verbis concessionis non comprehensum, quamvis ad illum etiam casum, si peteretur, æque facile concessio facta fuisset, quæ regula potissimum locum habet in mandato, quale fuit in præsenti mandatum sacræ congregationis destinatum Ordinario, cujus mandati termini strictissime sunt observandi, ut cum communi doctorum quos affert, notat Thomas Sanchez lib. VIII. *de Matrimonio,* disp. XXI. num. 36. et colligitur ex c. *Cui de non Sacerdotali, de præbendis*, lib. VI. et c. *Susceptum* ; *de rescriptis,* eodem libro, in quibus deciditur, mandatum de conferenda alicui præbenda certi valoris vel beneficio vacante per resignationem, non extendi ad conferendam præbendam minoris valoris, nec beneficium quod vacaret per obitum. Aliud item simile et magis strictum exemplum afferunt doctores, quos refert et sequitur idem Sanchez ibi num. 39. si, v. g. rescriptum impetretur ad recuperandum debitum quod tibi debetur ex mutuo : quod rescriptum nihil poterit conducere ad recuperandum debitum, quod non sit ex mutuo sed ex alio contractu, quamvis æque facile et facilius ad id concessum fuisset. Cum ergo rescriptum et mandatum sacræ congregationis fuerit ad tales census alienandos, et ad facultatem pro iis ab Ordinario concedendam ; non potuit valide Ordinarius extendere mandatum ad alios census alienandos, quamvis æque facile ad eos concessa fuisset facultas, si petita fuisset.

3 Nec etiam obstat, quod posita facultate alienandi hos census, videatur levis transgressio, si commutentur pro aliis æqualibus : hoc, inquam, non obstat, quia si hæc esset levis transgressio legis, sequeretur quod possent hodie prælati regulares absque alia facultate sedis Apostolicæ permutare fundos, vel alia bona immobilia pro aliis æqualibus, vel melioribus, quod tamen est falsum omnino et contra omnes doctores, qui non minus dicunt esse prohibitam permutationem quam venditionem horum bonorum, quos refert et sequitur Filliucius *in Appendice*, tr. XLIV. cap. II. num. 23. et constat expresse ex cap. *Nulli de rebus Ecclesiæ alienand.* et cap. II. *de rerum permutatione*, et ex Extravaganti *Ambitiosæ.*

Denique nec dici potest hanc alienationem fuisse validam saltem quoad partem, nempe quoad censum illum contentum in iis tribus, ad quos data fuerat commissio, et facultas a sacra congregatione. Hoc, inquam, non subsistit, quia, cum tres census dati fuerint pro pretio fundi, qui indivisibiliter permutabatur pro illis tribus censibus : si non potuit permutatio valere quoad partem propter defectum licentiæ, consequens est ut quoad nihil valere potuerit, cum fundus non potuerit solum quoad sui partem conventui acquiri. Restat ergo quod alienatio censuum, et totus ille contractus invalidus omnino judicari debeat. 4

Ad secundum vero punctum de liberando Provinciali a pœnis et censuris ob alienationem indebite factam, cui contractui ipsemet personaliter auctoritatem et consensum præstitit ; dixi, quamvis Provincialis possit etiam in foro externo se excusare, dicens, se probabiliter deceptum auctoritate Ordinarii concedentis facultatem : videri enim potuit Ordinarius visa et considerata commissione sacræ congregationis, agnovisse adhuc in se potestatem ad id faciendum, etiam deficiente identitate censuum : adhuc tamen ad majorem securitatem tentandum esse pro absolutione obtinenda a sacra pœnitentiaria, quæ habere solet in ordine ad regulares facultatem pro utroque foro, et absolvendi et dispensandi et habilitandi, et liberandi ab aliis similibus pœnis canonicis. Peti etiam hoc ipsum potest a sacra congregatione Concilii, et attenta errandi occasione prædicta, facile impetrabitur absolutio et dispensatio. Denique potest 5

idem intentari apud Datariam, vel etiam apud secretariam Apostolicam, ut absolutio et dispensatio habeatur per Breve Pontificium. Quoad forum vero internum, probabilis est sententia multorum, qui dicunt pœnas inhabilitationis, et privationis vocis activæ, et passivæ non incurri ante sententiam criminis declaratoriam, quam sententiam docent cum aliis multis, quos afferunt, Thomas Sanchez lib. II. *in Decal.* cap. XXXIX. num. ult. et Filliucius dicto tr. XLIV. c. VI. num. 7.

## DUBIUM XIV.

*De religioso non manifestante hæreditatem sibi delatam.*

1 Titius antequam fieret religiosus, institutus fuit hæres universalis a Sempronio avunculo materno; postquam vero Titius professionem emiserat in religione capaci successionis hæreditariæ, longo post tempore mortuus est Sempronius, nullo alio testamento condito: quia tamen testamenti facti temporis lapsu notitia communiter non habebatur, existimatus est decessisse ab intestato, atque adeo propinquiores consanguinei testamenti facti conscii hæreditatis possessionem acceperunt. Nec id Titio displicuit, qui mallet hæreditatem a suis propinquis retineri, quam ad religionem transferri. Quæsitum fuit, an Titius dissimulare posset, et tacere ac permittere testamenti ignorantiam, ob quam religio, ad quam ex testamento spectabat hæreditas, eam non exigebat.

2 Suppono, esse controversiam apud doctores, an religioso aliquo hærede instituto, hæreditas acquiratur immediate ipsi, et eo mediante, et adeunte hæreditatem, acquiratur religioni: an vero jus adeundi acquiratur immediate monasterio, ita ut non sit necesse quod religiosus institutus adeat hæreditatem, sed monasterium immediate possit eam acceptare: quam quæstionem late tractat Thomas Sanchez lib. VII. *in Decalog.* c. XII. num. 35. et sequentibus, et nos de hoc ipso egimus tom. I. *de justitia*, disp. III. sect. 5. num. 94. et sequentibus; et quamvis aliqui asserant nonnisi mediate acquiri monasterio, atque adeo requiri quod religiosus institutus adeat hæreditatem; nos tamen cum Sanchez et aliis multis diximus, posse monasterium immediate adire hæreditatem, ignorante etiam religioso ipso suam institutionem.

Quia tamen primam sententiam tenent 3
graves doctores, eamque probabilem esse fatetur Sanchez ubi supra, num. 36. ideo in casu nostro aliqui volebant, propinquos potuisse hæreditatem possidere, et nihil de testamento dicere, quandiu religiosus ipse institutus non contradiceret, sine cujus voluntate hæreditas non poterat ad monasterium devolvi. Nec etiam ipsum religiosum obligari ad aliquid monasterio manifestandum, sed posse tacere, quia quandiu ipse non acceptat, nullum videtur jus acquisitum monasterio ad bona illa hæreditaria. Posset autem confirmari ex doctrina communi doctorum, qui dicunt posse religiosum cui donum offertur, illud respuere sine licentia prælati ad respuendum, neque in hac refutatione peccare contra votum paupertatis, aut contra justitiam, licet aliquando peccare possit contra charitatem, quando sine rationabili causa impedit monasterio lucrum quod dono acceptato posset habere; quod docet idem Sanchez lib. VII. cap. XIX. n. 75. et nos etiam dicta disp. III. sect. 8. nu. 166. cum aliis ibidem a me relatis. Poterit ergo etiam in casu nostro religiosus non acceptare hæreditatem absque ulla injuria contra monasterium, amplectendo sententiam probabilem, quod sine acceptatione religiosi non possit hæreditas monasterio acquiri.

Dixi tamen, religiosum non posse mo- 4
nasterio occultare suam institutionem,

et hæreditatem sibi delatam. Primo, quia præterquam quod religiosus peccaret contra charitatem defraudando monasterium lucro ex hæreditate obveniente, sine justa et rationabili causa excusante ; statuendum est, in utraque sententia supra relata, religiosum non posse sine licentia prælati adire vel etiam repudiare hæreditatem sibi delatam, imo additionem vel repudiationem esse nullam, ut cum aliis advertit Thomas Sanchez dicto cap. XII. num. 37. et nos etiam dicta sect. V. Unde constat religiosum in casu nostro non posse sine consensu prælati licite, nec valide repudiare hæreditatem, quam scit sibi ex testamento delatam, præsertim cum in iis circumstantiis eo ipso, quod hæreditatem non adit nec petit, censeatur illam omnino repudiare ; nam hæres ab intestato, qui notitiam habet testamenti antea facti, et videt religiosum nolle uti eo testamento, nec illud monasterio manifestare, sed potius velle quod hæreditas veniat ad hæredes ab intestato, prudentissime judicat religiosum nolle hæreditatem, sed potius, quantum in se est, eam repudiare eoque titulo hæreditatem possidet. Cum ergo repudiatio illa tota sit invalida, utpote facta sine licentia prælati, peccat religiosus repudiando hæreditatem repudiatione illicita et invalida, et quæ non solum est contra justitiam sed etiam contra votum paupertatis.

Unde fieri potest secunda ratio, quia hæres ab intestato peccat possidendo quasi ab intestato hæreditatem, non præcedente valida et legitima repudiatione hæredis, quem scit testamento designatum esse : hæres enim ab intestato nullum habet jus, antequam hæredes testamentarii repudient. Huic autem peccato cooperatur ipse religiosus, dum suo silentio et occultando testamentum, fiduciam et animum generat in hærede ab intestato, qui alioquin hæreditatem non peteret nec caperet, si sciret testamentum manifestandum, et hæredem testamentarium velle succedere. Cooperatur ergo iniquæ usurpationi bonorum, qua hæres ab intestato sine titulo sufficienti hæreditatem possidet. Denique addi potest injuria contra legatarios : fortasse enim plures alii præter hæredem aliquid ex illo testamento capere debebant, qui quandiu testamentum occultum manet, carebunt iis quæ sibi debentur : quod præsertim locum habebit in iis, quæ etiam hærede repudiante hæreditatem adhuc ab hærede ab intestato solvi deberent, qualia sunt legata pia in testamento relicta, imo et legata etiam non pia, quando in testamento apposita fuit clausula codicillaris, vel aliquid æquipollens, ut adductis etiam aliis casibus observat P. Molina t. I *de Justitia*, tract II. disp. 181. omnes ergo legatarii in illo testamento scripti habent jus ad legata illa ab hærede etiam ab intestato accipienda, quia communiter clausula codicillaris apponi solet, et ea etiam non apposita, debentur saltem legata pia : quæ tamen omnia non habita notitia testamenti, effectu suo carebunt. Nec religiosus tacendo excusari poterit ab his omnibus detrimentis, si, ut consanguineis indulgeat, veritatem occultet in præjudicium monasterii, et aliorum.

## DUBIUM XV.

### *Utrum grangia regularium gaudeat immunitate ?*

Delinquens sæcularis captus fuit a ministris curiæ sæcularis in capella quadam, quæ erat in grangia regularium. Reclamatum fuit a regularibus, et coram episcopo accusati ministri curiæ, eo quod immunitatem ecclesiasticam violaverint, dum reum ex capella illa extraxerunt ; ipsi tamen excusabant factum, allegantes illum fuisse capturatum in villa, quæ non est locus sacer, ut docet Cardin. Tuschus in *conclusionibus juris*, verb.

*grangia*, his verbis : « Grangia est membrum suppositum monasterio, in quo est Oratorium ad celebrandum, sed non est locus sacer, nec fundatus de licentia episcopi, ideo episcopo non subest. » Quare Barbosa, et Gambacurta, quos affert, et sequitur Lezana tom. III. verb. *immunitas Ecclesiarum*, n. 3. dicunt, domos, seu villas quas religiosi habent recreationis gratia, separatas ab eorum ecclesia, non gaudere immunitate.

2 Ego tamen oppositum episcopo consului ; concessi quippe libenter, eum non esse locum sacrum, nec etiam esse monasterium, in rigore loquendo, atque ideo de rigore juris non gaudere immunitate ; et in hoc sensu locuti sunt prædicti auctores. Secus tamen dicendum, si speciali privilegio id concessum sit : quod quidem privilegium quia prædicti auctores vel non viderunt, vel illius memores non fuerunt : ideo absolute negarunt immunitatem ; extat tamen ejusmodi privilegium ab Eugenio IV. concessum Cisterciensibus, prout ex compendio ordinis Cistercien. refert Emman. Rodericus to. II. *qu. regutar.* q. 75. art. 2. his verbis : « Concessit, quod grangiæ monasteriorum Cisterciensium, sicut ecclesiæ atria, pravorum hominum incursu, et violentia, liberæ, et quietæ debeant esse ; ita ut nemo in eis hominem capere, spolium, aut ruinam exercere præsumat in virtute Spiritus sancti inhibendo statuit. » Ex quibus verbis constat, id non fuisse concessum vivæ vocis oraculo, sed per litteras authenticas. Nam, licet oraculo concedi soleant privilegia pura, quia id sufficiebat ad securitatem conscientiæ ipsius privilegiati ; nunquam tamen eo solo oraculo statuuntur pœnæ facientibus contra privilegium ; ad hunc enim finem id nihil deserviret, cum non constaret tunc de privilegio, nisi ex testimonio privilegiati, cui alii de quorum præjudicio agitur, credere non tenerentur; quod potissimum locum habet in materia immunitatis, quæ nihil aliud est, nisi prohibitio ministrorum curiæ, et inhibitio eorum circa aliquas personas vel loca : quæ inhibitio nihil operabitur, nisi legitime et authentice de ea constet. Cum ergo hoc sit speciale privilegium ordinis Cisterciensis, atque ideo competat illis aliis ordinibus, qui plenissimam privilegiorum communicationem habent cum cæteris (qualis erat ordo religiosus, ad quem grangia illa spectabat) consequens est, ut extractio delinquentis fuerit contra immunitatem, atque ideo reus restituendus omnino esset : quod etiam in propriis terminis tenet Villalobos in *Summa* tom. II. tr. 39. difficultate 5. num. 6. ubi id probat ex eodem privilegio Cisterciensibus concesso, et Peregrinus *de Immunitate*, cap. IV. num. 58.

Quapropter episcopus sacram congregationem Romæ consuluit, quæ respondit, *si Capella illa erat in grangia, observandum privilegium :* qua occasione iterum ex parte curiæ sæcularis apud episcopum oppositum fuit, illam non esse grangiam, sed villam : quasi sub grangiæ nomine non veniant meræ villæ, sed hospitia quædam, seu parvæ domus religiosorum, quæ sunt quasi membra monasterii, et sub ejusdem prælati gubernatione ; quod videtur intellexisse P. Diana VI. p. tract. I. *de Immunitate Ecclesiarum*, resolut. 6. post medium, (quæ post litem illam in lucem prodiit,) ubi, cum adversus nonnullos teneat grangias gaudere immunitate, addit hæc verba : « Et grangiæ sunt quædam parvæ domus religiosorum, quæ sunt veluti hospitia ipsorum, et membra monasterii, quæ sunt sub potestate, et jurisdictione prælati monasterii, cujus sunt grangiæ. » Quare videtur velle quod ibi habitent aliqui religiosi permanenter, in quos prælatus exerceat jurisdictionem. 3

Ego tamen dixi, *grangiæ* nomine intelligi villam etiam illam cum capella, in qua religiosi recreationis gratia adeuntes, vel ibi commorantes celebrant, quod probavi ex cap. ultimo, *de Censibus*, ubi Pontifex dicit : « Auctoritate præsentium inhibemus, ne quis pro eo, quod in ora- 4

toriis, quæ in grangiis vestris habetis, interdum aliqui vestrum celebrant, procurationes, quæ ratione visitationis debentur, a vobis exigere, vel extorquere præsumat. » Ubi glossa verb. *ratione visitationis,* notat, quod in illis grangiis, licet ibi quandoque monachi celebrent, non consueverunt monachi morari, sed conversi causa colendi agros suos, et glossa marginalis addit, *in multis Hispaniæ locis, grangias vocari, quæ Latini rura appellant.* Et quidem Italica etiam lingua eamdem appellationem retinet, et ejusmodi villas religiosorum solet *grangias* vocare. Quare merito episcopus persistit in defensione immunitatis sacræ congregationis mentem secutus, quæ prudenter addidit verbum illud, *observandum privilegium,* ut significaret immunitatem in hoc casu non esse de jure communi, sed ex privilegio speciali: quare reus tandem ratione immunitatis restitutus fuit.

## DUBIUM XVI.

*De prætensa invaliditate professionis cujusdam monialis ex causa metus, et postea ab eadem ratificatæ.*

De hoc casu per multos annos litigatum fuit in variis tribunalibus, et ultimo in sacra rota Romana controversum cujus variæ fuerunt et contrariæ decisiones ob circumstantias facti pluries alteratas, et testes etiam diversis temporibus aliter deponentes, de quo etiam casu, ut opinor, locutus est Laurentius Portel. *in responsionibus moralibus,* p. III. casu 32. qui tamen respondisse videtur ante ratificationem ab eadem moniali factam, et casu ipso principali paulo aliter narrato. Ego itaque relicto suo loco narrationi veriori, proponam casum prout mihi propositus fuit, et subjiciam, quid ipse juxta eam facti seriem in hac controversia senserim.

Femina quædam ingressa est monasterium, et facta intra bimestre ante professionem juxta decretum Tridentini renuntiatione bonorum, et jurium ad favorem sui patris, professionem emisit, coacta tamen, ut ipsa prætendit, metu et minis parentis, ac protestata prius ante imaginem Crucifixi, et coram multis aliis monialibus, se invitam profiteri; sed pars adversa negat et metum et minas et protestationem prædictam. Postea per multos annos more professarum actus omnes exercuit tam in electionibus prælatarum, quam id admittendis novitiis ad habitum et professionem, et hoc non solum vivente patre, sed etiam eo mortuo per longum tempus. Occasione tamen cujusdam hæreditatis, quæ ipsi obveniebat, sollicitata ab aliis consanguineis, qui ea bona per manus prædictæ monialis sibi comparare volebant, ut dicebatur, obtenta prius a summo Pontifice licentia reclamandi post quinquennium, reclamavit contra valorem professionis propter metum. Quia tamen causa in longum trahebatur, suadentibus nonnullis viris piis et doctis, quibus res illa non videbatur scandalo carere, ut post annos triginta negaret se esse monialem, quadam die, dum vicarius generalis archiepiscopi tanquam judex a Papa ad id muneris delegatus, testes examinaret, ipsamet accessit ad crates, eidemque vicario coram notario, et testibus palam edixit, ne ulterius procederetur in testium examine, quia ipsa sponte sua cedebat liti, *ac si antea,* inquit, *monialis non fui, hodie monialis esse volo.* Quare vicarius ab examine testium cessavit. Consanguinei tamen, qui ex renuntiatione præcedente bonis fruebantur, et idcirco pro valore professionis agebant, conscii hujusmodi cessionis, noluerunt eam acceptare, nisi simul ratam haberet renuntiationem honorum antiquam; timebant enim ne adhuc remaneret titulus eam annulandi ob nullitatem prioris professionis. Ipsa 2

etiam monialis parum constans, paulo post iterum rediit ad litem contra valorem suæ professionis, et contendit pro liberatione et reditu ad sæculum.

3 Videbatur itaque res in primo statu constituta, quia cessio litis facta, cum non fuisset ab adversariis acceptata, non potuit habere effectum, atque ideo potuit libere revocari. Ratificatio etiam professionis non videtur fuisse valida, quia professio, ut valide fiat, debet fieri in manibus abbatissæ, vel prælati potentis acceptare professionem: illa autem ratificatio non fuit facta in manu alicujus potentis eam acceptare, sed coram quodam judice delegato, ad quem non spectabat dare vel acceptare professionem.

4 Dixi tamen, ratificationem illam videri fuisse omnino validam, et non relinqui amplius locum reclamandi. Ne autem quæstio nostra ad alia diffundatur, omitto totum id quod spectat ad nullitatem prætensam professionis prioris ob metum, de quo alia quæstio erat: nam metus non probatur sufficienter, ac, etiamsi præcessisset, purgatus videbatur ex eo quod mortuo patre, qui metum dicebatur injecisse, ipsa per multos annos perseveraverit, ingerens se in omnibus actibus propriis professarum, quales sunt electiones prælatæ, admissiones novitiarum, et alii similes, per quos actus arguitur tacita ratificatio professionis. Sed quia non est animus de hoc articulo disputare, reducitur tota quæstio præsens ad valorem ratificationis expressæ subsecutæ, quæ videtur totam controversiam dirimere.

5 Et in primis concedo, cessionem litis, quatenus intra suos terminos continetur, non habere suum effectum nisi acceptetur ab adversario; quia est contractus humanus, et sequitur naturam aliorum contractuum: quare ante adversarii acceptationem potuit ab ipsa moniali revocari. Et quidem, ut hoc obiter dicam, minus prudenter adversarii fecerunt, dum illum actum recusarunt acceptare, eo timore, ducti, ne forte si prior professio censeretur invalida, declararetur etiam invalida renuntiatio, cujus virtute ipsi bona possidebant: debuissent enim advertere, quando renuntiatio fit expletis decem mensibus novitiatus, quamvis professio subsecuta sit irrita ex metu, quocunque tamen tempore postea tacite vel expresse ratificetur professio, renuntiationem confirmari, ut cum Emman. Roderico notavit optime Thomas Sanchez lib. VII. in Decalog. cap. v. num. 56. quod saltem de proprietate bonorum intelligi debet, quamvis de fructibus tempore intermedio decursis posset esse controversia, juxta ea, quæ addit idem Sanchez ibi n. 62.

6 Dixi itaque, ratificationem professionis illis verbis contentam non indiguisse ad sui valorem acceptatione adversarii, sed solum consensu ejusdem monialis volentis valide profiteri. Ratio est, quia ad valorem præcedentis professionis, dato quod illa ob metum fuisset invalida, solum deerat consensus liber, quo accedente quolibet tempore, professio fit valida, etiamsi ratificatio non fiat cum nova solemnitate in manibus prælatæ, vel prælati. Nec id videtur posse negari stante doctrina concilii Tridentini sess. xxv. ca. 19. *de Regularibus*, ubi post elapsum quinquennium a die professionis factæ negatur audientia regulari alleganti professionis suæ nullitatem ob metum, quia nimirum præsumitur tacita ratificatio, et sufficiens ad valorem professionis, etiam sine nova solemnitatate, vel acceptatione prælati, aut Capituli, quorum acceptatio jam antea præcesserat, et nondum est revocata. Quanto ergo magis juxta mentem Concilii sufficiet ratificatio expressa coram judice delegato, notario et testibus, qualis in casu nostro reperitur?

7 Ad hoc tamen ex parte monialis responsum fuit, supponi falso, quod præcesserit unquam acceptatio et consensus ex parte conventus; nam tempore primæ professionis constabat monialibus omni-

bus, vel pluribus earum, quod professio fiebat ex metu, qua notitia stante, non poterant moniales habere animum acceptandi eam quam sciebant invitam et reluctantem venire. Primo, quia delicta non sunt præsumenda : peccarent autem moniales gravissime acceptando professionem factam ex metu, et incurrerent excommunicationem impositam cooperantibus ad ejusmodi professionem a Tridentino dict. sess. XXV. cap. XVIII. *de Regular.* Secundo, quia non potuit esse consensus ex parte monialium, et voluntas obligandi se ad alendam et regendam eam quæ ex parte sua non se obligabat ad obedientiam, et vitam religiosam, ut explicat Castro Palao to. III. tr. *de Susceptione Religiosi status*, disp. II. punct. 5. num. 2. et seqq.

8 Contra hanc tamen responsionem opposui, eam videri esse elusionem decreti Tridentini supra citati approbantis ratificationem tacitam professionis factæ ex metu sine nova solemnitate, aut consensu ex parte prælati vel conventus. Suppono, si vitium illud nullitatis ex metu fuisset occultum, non requiri postea ad valorem ratificationis tacitæ, vel expressæ novum consensum prælati, vel monasterii, sed sufficere priorem illum consensum antea præstitum et non revocatum, etiamsi plurimi anni intercessissent, ut cum aliis multis quos affert, docet Thomas Sanchez in terminis fortioribus de matrimonio ex metu facto, lib. II. *de matrim.* disp. XXII. num. 12. et de professione ex metu, idem Auctor lib. VII. *de matrim.* disput. XXXVII. num. 60. LXI. *in Decalog.* cap. V. num. 81. Quare difficultas solum restat in præsenti, eo quod prætenditur pluribus monialibus tempore professionis constitisse de metu, atque ideo non potuisse tunc habere consensum ex parte sua ad eam acceptandam.

9 Cæterum, acceptationem illam ex parte monasterii fuisse validam, et voluisse moniales, quantum ex se erat, novitiam acceptare, si ipsa libere et sponte vellet profiteri, probari potest multis argumentis.

Primo retorquendo argumentum ab adversariis adductum ex Tridentino dicto capit. XVIII. ubi excommunicantur qui scienter consensum præbent professioni ex metu faciendæ ; supponit ergo Concilium quod cum notitia metus incussi potest stare ex parte acceptantis voluntas acceptandi professionem, quantum est ex se ; alioquin nemo illam excommunicationem incurrere posset. Ergo si non est præsumendum delictum monialium, non est præsumendum quod certam notitiam de metu incusso habuerint, sed ad summum aliquæ earum rumorem aliquem audierint. Neque enim evaderent illam Tridentini excommunicationem abstinendo solum a consensu interno, sed ad eam incurrendam sufficeret præstare consensum externum et auctoritatem, ut prælatus acceptaret professionem quam ipsæ scirent procedere ex metu. Nam in dicto Tridentini decreto excommunicantur omnes, qui scientes eam non ingredi sponte monasterium, quoquo modo eidem actui, vel præsentiam, vel consensum, vel auctoritatem interposuerint. Non ergo evaderent peccatum, vel pœnam per solam omissionem consensus interni. 10

Secundo probatur ex regula generali, quod in dubio semper præsumendum est pro valore actus. Cum ergo expresse dixerint, etiam per suffragia secreta, in quibus major libertas est, se eam acceptare, non est præsumendum quod voluerint solum fingere sine ulla voluntate eam ex parte sua acceptandi. 11

Tertio, et a priori, quia, etiamsi constaret illis de metu, non est dubium quod adhuc potuerint, si vellent, habere consensum et voluntatem eam acceptandi valide, quantum erat ex parte sua. Erat enim voluntas efficax consentiendi ex parte sua ad hoc, ut si metus cessaret in profitente, vel si ipsa non moveretur ex metu sed alio motivo, professio haberet effectum. Unde certum videtur, 12

quod, si post acceptationem monialium et antequam ventum esset ad actum professionis, metus cessasset, vel profitens non eam ex metu sed ex alio motivo voluisset profiteri, professio fuisset absque dubio valida sine nova acceptatione vel scrutinio faciendo, nec ullus de professionis valore dubitasset. Acceptatio ergo prior non fuit ficta sed vera, ac saltem conditionalis, ut valeret professio si ipsa sponte sua profiteri vellet. Cum ergo postea sponte sua profiteri voluerit, ratificando expresse priorem professionem, non fuit necessarius novus consensus ex parte monasterii : suppono enim non requiri acceptationem professionis consequentem, sed posse valide acceptari, etiam antequam fiat professio.

13 Quarto probatur hoc ipsum clare exemplo matrimonii, in quo si uterque conjux falso existimet subesse impedimentum dirimens, et adhuc contrahat, valet matrimonium, non solum si falso putabat posse esse validum non obstante consanguinitate, v. g. sed etiam si putasset non posse esse validum, ut ex c. I. *de Sponsalibus*, lib. VI. et ex *Clementina unica, de consanguinitate*, probat et tenet cum multis aliis quos affert Thomas Sanchez lib. II. *de matr.* disp. XXXIII. num. 2. quia adhuc potuit esse consensus validus ; quo voluerunt facere matrimonium quantum in ipsis erat. Et saltem in foro externo et Ecclesiæ, non esse tunc credendum contrahentibus, si dixerint se non habuisse verum consensum observat cum Cardenas et Covarruvia idem Sanchez ibi num. 3. Si ergo existimatio de consanguinitate, et impedimento irritante non tollit consensum validum ad matrimonium, et in foro externo debet præsumi intervenisse tunc animum contrahendi, quantum in ipsis erat, quanto magis præsumere debet Ecclesia in casu nostro animum consentiendi et acceptandi ex parte sua in monialibus, etiamsi illis constasset de metu, cum posset consensus ille deservire saltem ad valorem professionis, quoties postea cessante metu, vel mutata voluntate ipsa vellet sponte consentire ?

Quinto probari potest hoc ipsum 14
exemplo confessionis sacramentalis, ad cujus valorem requiritur etiam intentio confitendi, ut constat. Ex tamen quamvis pœnitens videat se adhuc non habere dolorem sufficientem de suis peccatis, et sciat sine dolore confessionem et absolutionem non habere effectum gratiæ : potest adhuc habere intentionem confitendi sacramentaliter, ita ut, si post confessionem et ante absolutionem concipiat verum dolorem, non sit necesse postea repetere totam confessionem, quia confessio jam fuit facta cum vera intentione confitendi, licet sine sufficienti dolore. Et ita plerumque contingit in multis qui accedunt et confitentur sine dolore sufficienti, quem postea hortante confessario concipiunt. Sicut ergo potest aliquis habere intentionem confitendi serio et sacramentaliter, sine fictione, sciens impedimentum ad effectum sacramenti et absolutionis, quia vult confiteri ponendo requisita præcise ex parte confessionis, ut si postea auferantur impedimenta alia et accedat debitus dolor, confessio illa habeat suum effectum : sic possent moniales, etiamsi essent consciæ metus incussi, velle ponere acceptationem et consensum validum ex parte acceptationis, ut si postea auferretur metus, vel novitia vellet sponte profiteri, acceptatio haberet suum effectum et professio fieret valida. Et hæc intentio semper præsumitur, nec contrarium dicentibus creditur, saltem in foro externo Ecclesiæ, ut vidimus.

Nec obstant adducta pro parte contra- 15
ria : potuerunt enim moniales præstare consensum validum ex parte sua. Primo, quia non constabat eis certo de metu illato, et in dubio poterant velle acceptare, quantum in ipsis erat. Secundo, quia dato quod aliquibus constaret de metu incusso, poterant adhuc ex parte sua velle dare consensum, ut, si ante vel post professionem cessaret metus,

vel mutata voluntate sponte profiterentur, valida esset professio ; quæ voluntas conditionata præsumitur ab Ecclesia in foro externo, ut vidimus, etiam in putante subesse impedimentum dirimens ad valorem matrimonii, quod multo magis procedit in casu nostro, in quo nulla ratio erat ex parte monialium ad fingendum consensum, cum ipsis nemo metum indiceret, nec erat cur non dicerent se nolle eam acceptare, quia non sponte sed coacta veniebat. Dicentes ergo se velle eam acceptare, censentur ex parte sua consensisse in quantum poterant, cum nulla esset causa fingendi et mentiendi.

16 Quod confirmari etiam potest exemplo optimo, quod affert Sanchez ubi supra, dicta disp. xxiii. num. 2. hæretici putantis ex suo privato errore baptismum nostrum esse cæremoniam irrisoriam : qui tamen si utatur debita materia et forma valide baptizat ; potest enim adhuc habere intentionem sufficientem faciendi id quod facit Ecclesia : imo et Judæus potest valide baptizare, ut constat ; licet nihil prorsus credat de valore baptismi. Unde, si dicat se velle valide baptizare, baptismus præsumitur validus, quia non obstante falsa illa existimatione de invaliditate actus, potuit habere intentionem sufficientem, ut constat ex capit. *A quodam Judæo, de consecratione* dist. iv. et de facto ita observatur in Gallia, ut baptizati ab hæreticis Calvinistis non rebaptizentur, si debitam formam et materiam adhibuerunt, ut respondit sacra congregatio Concilii ex sententia Pontificis, quia, licet ii hæretici putent formæ verba non habere efficaciam, sed esse solum verba concionatoria ad instruendam plebem ; præsumuntur tamen habere intentionem proferendi ea verba, ut formam efficacem, si talis sit : quanto ergo magis præsumendum est de monialibus religiosis, quod verba acceptationis protulerint cum voluntate sufficienti, etiamsi putassent professionem tunc fore invalidam propter metum ? præsertim cum in casu nostro potuissent efficaciam intendere saltem ad casum possibilem quo cessasset metus.

Nec etiam obstat, quod dicebant, non 17
præsumi delictum, atque ideo non præsumi moniales consensisse, ne incurrerent excommunicationem Tridentini contra cooperantes ad professionem, quæ fit ex metu. Ad hoc enim jam diximus moniales non potuisse evadere illam excommunicationem, etiamsi interius non consensissent : nam excommunicatio non imponitur iis solis qui concurrunt ad professionem validam, alioquin nemo eam incurreret, cum nunquam ea professio sit valida. Sufficit ergo cooperari ad professionem invalidam, prout revera moniales cooperarentur, acceptando exterius et dando suffragia, licet, interius non consentirent, nam sine illa acceptatione externa et ficta, non posset veniri ad actum professionis, ut constat. Sicut ergo pater cogens filiam ad professionem, incurrit excommunicationem, quamvis ipse sciat professionem fore invalidam : ita moniales, licet idem scirent ; incurrerent cooperantes exterius ad illam professionem invalidam. Ex hoc ergo capite non præsumitur defectus consensus interni, qui defectus non impediret excommunicationem.

Nec obstat etiam, quod dicebatur, 18
non potuisse, nec voluisse monasterium se obligare ex parte sua ad alendam et regendam eam, quæ non se obligat religioni. Respondetur enim ex dictis monasterium non se obligasse absolute ad hæc, sed sub conditione, si ipsa etiam se obligasset, et acceptando ex nunc obligationem et professionem ipsius, quoties postea sponte et valide fiat ; in qua obligatione conditionata antecedenti nullum onus subit monasterium, cum semper ante professionem valide emissam liberum maneat ad eam expellendam : quod autem interim sub prætextu professionis emissæ alimenta percipiat, non censetur onus grave monasterio fruenti interim ejus dote. Et probatur ab

eventu, siquidem libenter eam aluit per vigenti quatuor annos ante litem motam, etiamsi rumor esset de reclamatione ipsius futura contra professionem : denique hoc onus, quodcumque esset, non vitaretur magis per defectum consensus interni in acceptatione : sive enim consenserint interius, semper quandiu ipsa tacite vel expresse non ratificaret professionem et se obligaret monasterio ; maneret monasterium liberum ad eam expellendam, cum consensus fuisset solum conditionalis, et conditio posita nondum esset.

19 Nec Castro Palao supra in contrarium adductus huic doctrinæ contradixit : nam licet n. 2. videatur requirere in ratificatione novam scientiam et consensum ex parte monasterii, postea tamen n. 4. propter decretum concilii Tridentini supra adductum ex sess. xxv. c. 19. *de Regularibus*, vel revocat vel declarat quod dixerat, et fatetur, in casu nostro non requiri scientiam vel acceptationem novam monasterii, sed sufficere quod non contradicat, quia religione non contradicente, summus Pontifex, qui est supremus prælatus religionis, ratificationem professionis ex metu factæ acceptat, quoties postea sponte fiat, quod etiam docuerant Lessius lib. II. cap. XLI. dub. 7. n. 61. in fine, et Thomas Sanchez lib. VII. *de matrim.* disp. XXXVII. num. 64.

20 Nec satisfacit, quod aliqui respondent ; hanc doctrinam intelligi, quando antea monasterium valide consenserat, et solum desiderabatur consensus profitentis, quo solo casu Pontifex acceptat postea ratificationem professi : non vero quando monasterium a principio sciens invaliditatem futuræ professionis propter metum, non potuit nec voluit consentire ; hæc, inquam, responsio non juvat, jam enim vidimus scientiam de metu, etiamsi fuisset, non impedisse quod moniales potuerint ex parte sua valide consentire saltem sub conditione, et debere præsumi in foro Ecclesiæ externo ita consensisse, quare nihil deest ut Pontifex postea acceptet spontaneam ratificationem professionis.

Denique immerito pro contraria parte 21
adducitur P. Suarez tom. III. *de Relig.* lib. VIII. cap. 1. n. 20. ubi petit ex parte monasterii novam scientiam et consensum ad acceptandam ratificationem professionis invalidæ, nam ibi loquitur de professione quæ fuerat invalida ex defectu tenente se ex parte religiosi profitentis, et ipsius religionis, v. g. quando defuit annus probationis. Quando vero defectus tenuit se solum ex parte profitentis, et specialiter, quando defectus fuit propter metum, expresse fatentur n. 6. et seqq. non requiri novum consensum ex parte religionis, quia prior consensus semper remanet, quandiu non revocatur, et solum dicit requiri consensum novum ex parte profitentis aliquo signo externo proditum ; quanto magis quando fuit proditus coram judice delegato, notario publico, et testibus ?

Propter hæc, qui contra validitatem 22
ratificationis agebant, aliam viam tentarunt, contendentes quod consensus prior a monialibus præstitus revocatus postea fuerat, atque ideo tempore ratificationis subsecutæ non perseverabat amplius virtualiter consensus prior, quo jam deficiente, non poterat ratificatio valere, aut validitatem communicare professioni præteritæ. Adveniente enim postea notitia metus incussi, et posita tali ac tanta mutatione circa rei statum, non præsumitur perseverare consensus, quo novitiam in capitulo acceptaverant ad professionem, sed potius præsumitur revocatus vel ante professionem, vel certe ante ratificationem postea subsecutam, quando scilicet notitiam habuerunt coactionis et metus incussi.

Contra hanc responsionem probavi 23
iterum, non potuisse in casu nostro priorem consensum præsumi revocatum. Et in primis non videtur potuisse revocari ante primam professionem ; et hoc, licet concedatur (quod tamen falsum esse di-

citur,) metum fuisse incussum, et ad notitiam monialium, seu majoris partis earum venisse, quod primo probari potest ex dictis, quia adhuc stante illa notitia, potuerunt moniales præstare consensum ex parte sua, quo quantum erat ex se, vellent eam acceptare, si impedimentum ex parte novitiæ auferretur, ut supra probavimus ; ergo multo magis cum eadem notitia potuerunt non revocare consensum a se antea bona fide præstitum ; plus enim est denuo consentire quam consensum non revocare.

24 Secundo probatur, quia potissima ratio ob quam adversarii dicunt debuisse, et præsumi moniales revocare consensum habita notitia metus, ea est, quia non præsumitur quis delinquere, et ejusmodi revocatio consensus necessaria erat, ut vitarent excommunicationem Tridentini contra acceptantes ad professionem interveniente metu : hæc autem ratio nihil probat, quia, ut supra vidimus, desistendo interius a consensu priori, nullo modo vitabant excommunicationem aut peccatum, imo illud aggravabant : nam Tridentinum eo loco non solum excommunicat consentientes professioni monialis coactæ, sed etiam eos omnes qui scientes eam non ingredi sponte monasterium, quoquo modo eidem actui vel præsentiam, vel consensum, vel auctoritatem interposuerint. Vel ergo moniales sciebant tunc professionem esse coactam vel id nesciebant. Si nesciebant, non revocarunt consensum, si sciebant, non vitabant delictum et censuras revocando interius consensum, sed debebant fugere ab eo loco, ne præsentiam interponerent professioni coactæ : debebant intimare prælato revocationem consensus, et impedire ne professionem acciperet ipsi dissentientibus, quia dum hoc non intimabant prælato, dabant auctoritatem actui qui fiebat ex earum commissione et consensu, dum novitiam ad professionem offerebant : quod erat gravissimum delictum, nempe offerre ad professionem deficiente monialium consensu, sine quo professio fieri non potest.

Unde tertio retorquetur contra adver- 25
sarios doctrina illa ; quia moniales, dum aderant illi actui et non monebant nec impediebant ne fieret, eo ipso positive explicabant se consentire et acceptare, adeo ut etiam si antea in capitulo non acceptassent, sufficeret præsentia illa et silentium ad explicandum suum consensum, ut docet expresse cum aliis Thomas Sanchez lib. V. *in Decalog.* cap. III. nu. 14. in fine, dicens, scientiam et patientiam potentis admittere ad professionem, sufficere ad explicandum consensum in professione tacita, ac etiam in expressa, si intercessit aliquis actus externus, qualis in casu nostro procul dubio interveniebat ex parte monialium, quæ novitiam comitabantur et deferebant, ac offerebant prælato, per quæ satis expresse declarabant suum consensum : quod esset gravissimum peccatum si revera non consentiebant, sed potius priorem consensum jam revocaverant.

Quarto hoc ipsum probatur ex com- 26
muni doctrina doctorum, qui dicunt, etiam in his actibus in quibus requiritur positivus consensus, sufficere interpretativum, quando aliquis videns et potens facile impedire, non impedit : hoc enim idem omnino est ac si actu diceret, *consentio*. Unde prælatus videns subditum audire confessiones, quas sine ejus licentia non potest valide audire, et non impediens cum facile possit, censetur dare positivam licentiam, ut docet Suarez tom. IV. in III. p. disp. XXVI. sect. 1. et alii quos adduxi, et idem probavi in tom. *de pœnitent.* disp. XIX. sect. 2. n. 23. et plurimos congerit et sequitur Sanchez ib. III. *de matrim.* disp. XXXV. n. 26. inde inferens parochum qui videt alium sacerdotem assistere matrimonio, quem cum facile possit non impedit, eo ipso dare licentiam assistendi, quia scientia et patientia in his quæ sine magno incommodo possumus impedire, habetur pro consensu. Cum ergo in casu nostro mo-

niales adessent et viderent prælatum acceptare professionem, quam sine earum consensu non poterat valide acceptare, et tacerent, eo ipso significabant se consentire actui : nam ipsæ poterant facile impedire, cum si quis intercederet metus, non ipsis sed soli novitiæ fuisset incussus. Fatendum ergo est, vel ipsas nullam habuisse tunc notitiam de metu et invaliditate professionis, vel certe non revocasse consensum, cum per præsentiam et patientiam actu significarent prælato, se actu præstare consensum requisitum ex parte sua ad valorem professionis.

27 Quinto probatur, quia præsumptio orta ex actu externo significante consensum ad acceptationem professionis, est adeo vehemens, ut, si prælatus postea affirmet se non habuisse consensum internum, nec voluntatem acceptandi professionem, etiamsi id juret, non debeat ei in foro externo credi, neque professus debeat id credere, sed debeat se pro vere professo habere, quia magis debet credere actui externo prælati, quo significavit suum consensum, ut docet expresse Suarez tom. III. *de Relig.* tract. VII. l. VI. c. 4. num. 20. Cum ergo moniales in casu nostro per præsentiam et patientiam, et multo magis per actus positivos, quibus novitiam detulerunt et obtulerunt ad professionem, sufficienter explicuerint suum consensum præsentem, non deberet iis credi, etiamsi post tot annos jurarent modo se revocasse consensum, quod tamen nulla earum ausa est dicere, sed etiamsi id dixissent, non possumus in foro externo iis credere.

28 Sexto probatur retorquendo idem argumentum adversariorum, quia sicut non sunt præsumenda delicta, ita difficilius præsumenda sunt plura et graviora delicta : si autem moniales tunc revocassent consensum, plura et graviora delicta perpetrassent postea admittendo dictam monialem ad actus professarum in electionibus abbatissarum in admissione novitiarum ad habitum et professionem, et aliis similibus qui omnes actus fierent invalidi admittendo ad suffragium ferendum in capitulo eam quam publice scirent non esse professam, nec habere jus suffragii, juxta communem doctrinam canonistarum, quos refert Suarez *de censuris*, disp. XIV. sect. 2. nu. 13. qui eam sequitur tom. IV. *de Relig.* tract. VIII. lib. II. cap. 3. nu. 9. et saltem exponerentur periculo claræ invaliditatis, si forte numerus requisitus suffragiorum compleretur per suffragium illius personæ inhabilis ; quare non possent a gravissimo peccato excusari, quoties eam ad suffragium in capitulo ferendum admittebant, scientes se in ejus professionem non consensisse, quæ delicta cum plura, et graviora sint, et continuata per tot annos, non sunt ullo modo præsumenda.

Unde probatur septimo, præsumi po- 29
tius et omnino non fuisse revocatum consensum a monialibus, quæ post professionem emissam perseverarunt per tot annos, admittentes et vocantes eam ad omnes actus professarum. Sicut ergo actus proprii professorum inducunt in eos exercentes præsumptionem consensus in professionem, ut constat ex cap. *Vidua, de Regularibus*, et cum communi doctorum quos affert probat Sanch. lib. V. *in Decalog.* cap. VIII. num. 20. Sic admissio ad actus professorum inducit in admittente consensum in professionem ejus qui admittitur, cum eadem sit ratio. Ergo a fortiori inducet præsumptionem perseverantis consensus expressi antea præstiti, seu non revocationis illius, quod facilius præsumitur quam novus consensus.

Octavo denique probari potest argu- 30
mento practice concludente, si res hæc sincere consideretur, et supra insinuato : quia, si dicta monialis post professionem emissam nunquam reclamasset, nec intentasset litem, imo non obstante metu præcedente, si quis fuisset, eo ipso tempore quo professionem faciebat, sponte et non coacta professa fuisset spiritu devotionis commota, nemo prorsus scru-

pulum ei ingessisset circa valorem suæ professionis, nec dixisset : Tua professio non est valida, quia, licet non metu sed sponte eam feceris, sed tamen moniales in corde suo revocaverant jam consensum propter notitiam quam paulo ante habuerant de metu tibi incusso. Imo potius dixissent professionem fuisse validam, quippe quam mutato animo, non jam ex metu sed sponte emiserat, et ipsam posse esse quietam, saltem dum non constaret expresse quod moniales consensum ante revocassent : ita certe omnes tunc judicarent et consulerent, in quo unusquisque conscientiam suam consulat, et videat quod tunc dixisset, si a dicta moniali interrogatus fuisset. Ex hoc autem sequitur clare quod non sit fundamentum ad præsumendum quod moniales in corde suo revocarent consensum : alioquin, etiamsi novitia mutato animo, sponte et non ex metu vovisset, dicendum fuisset professionem non fuisse validam propter defectum consensus monialium, quæ jam tunc in corde suo consensum revocaverant : quod tamen in illo casu nemo prudens dixisset. Ergo fatendum est non esse sufficiens fundamentum ad præsumendam revocationem illam consensus a monialibus in corde factam ante professionem.

31 Restat nunc probanda pars altera, nempe neque esse fundamentum ad præsumendum, quod saltem post professionem in manibus prælati factam, moniales revocaverint suum consensum ante ratificationem ejusdem monialis factam coram judice delegato, notario et testibus, quam ratificationem ideo adversarii contendunt non fuisse validam, quia jam tunc non perseverabat virtualiter consensus antea a monialibus præstitus, sed potius ab eisdem revocatus jam fuerat, quod probant primo, quia in contractibus mutuis et onerosis, quando inter consensum unius et alterius contrahentis, intercedit multum temporis, non censetur manere virtualiter consensus primi contrahentis, sed censetur revocatus, ut cum aliis docet Thomas Sanchez lib. II. *de matrim.* disp. XXXII. num. 7. exemplum afferens in lapsu septennii, vel biennii, et tandem concludens arbitrio prudentis judicandum. In casu autem nostro elapsi sunt multo plures anni ante ratificationem professionis post consensum præstitum a monialibus : ergo non potuit tamdiu perseverare virtualiter. Ad hoc tamen constat responsio ex eodem Sanchez ibi nu. 12. et 14. dicente, in matrimonio et professione non obstare quamcumque temporis distantiam, sed semper præsumi perseverantem consensum priorem, non solum virtualiter sed formaliter et actu, cum semper intercedant actus quibus eum semper conjux tractat tamquam conjugem, vel religio tanquam suum religiosum : quare ex hac temporis distantia nunquam censetur revocatus prior consensus monasterii.

Secundo tamen id probare volebant, 32
quia licet in aliis casibus distantia temporis non impediret perseverantiam consensus : in hoc tamen casu debuit impedire propter notitiam quam moniales habuerunt de metu incusso, et de defectu consensus ex parte profitentis, quo defectu cognito, non potuit in illis perseverare consensus antea præstitus ; sed præsumuntur ab eo discessisse.

Sed hæc etiam ratio parum urget : 33
tunc enim haberet aliquam apparentiam, quando vel moniales postea significassent suum recessum a primo consensu, vel certe non significassent positive suam perseverentiam per tot actus, vocando eam ad omnes electiones et ad omnes actus capitulares, tamquam professam : qui actus significant satis clare, se ex parte sua velle illam ut professam habere, ac perseverare in eadem voluntate. Quare tantum abest, quod notitia illa de metu, si quæ fuit, inducat præsumptionem revocati consensus a monialibus, ut potius inducat præsumptionem majorem consensus perseverantis : si quidem, non obstante notitia metus

incussi, volebant adhuc eam ex parte sua tanquam professam habere et admittere ad omnes actus et jura professarum, quod nihil aliud erat, quam dicere illas, se ex parte sua permanere in eadem voluntate et consensu antea præstito : si enim ab eo discessissent, statim eam a capitulis et juribus professarum excluderent.

34 Est autem adeo vehemens et fortior præsumptio consensus perseverantis ex admissione ad actus professarum, quando fit post notitiam prioris defectus, ut, etiamsi defectus non fuisset solum ex parte unius patientis metum, qualis prætenditur fuisse in hoc casu, sed etiam ex parte conventus propter defectum, v. g. novitiatus integri, vel propter aliud impedimentum irritans consensum ex parte monasterii : si tamen postea cognito eo defectu, prosequatur monasterium admittens ad actus professorum, eo ipso censeatur denuo consentire et acceptare, ut cum communi docet Thomas Sanchez lib. II. *de matrim.* disp. xxxv. n. 45. et idem de matrimonio dicit postea disput. xxxvi. §. *Tertia conclusio*, ubi ait, eum qui cum serva contraxit ignarus servitutis, si postea cognito errore, eam affectu uxorio per copulam cognoscat, eo ipso absque aliis verbis consentire in verum matrimonium ; quia factum illud post scientiam prioris defectus affert suum consensum præsentem : unde fit argumentum concludens in casu nostro, quia vel moniales, professione subsecuta, sciebant postea ejus defectum, vel non sciebant. Si non sciebant ; ergo perseverat prior consensus qui per distantiam temporis non evanuit, ut vidimus, atque adeo, accedente ratificatione ipsius monialis, convaluit professio. Si vero sciebant defectum prioris professionis, et tamen perseveraverunt admittentes eam ad actus professarum, eo ipso multo magis significarunt consensum præsentem : ut pro comperto supponit Sanch. dicta disp. xxxv. num. 45. Nec apparet, quid possint adversarii respondere, stante facto, quod pro toto illo tempore dicta monialis admissa fuerit ad actus capitulares.

Quod autem post ratificationem aliquæ 35
moniales scripsisse dicantur ad Pontificem, se desiderare quod ejiciatur tanquam non professa, non obstat : tum, quia expresse contradicunt sibi in ipsis quæ antea dixerant : tum etiam quia illa scriptura dicitur facta post ratificationem ejusdem monialis, postquam jam non poterant discedere a consensu, qui antea non revocatus sed continuatus per admissionem ad actus capitulares professarum, accedente ratificatione ejusdem monialis, habuerat jam suum effectum revalidandi professionem.

Hujus autem argumenti, et præsumpti 36
consensus veritas roboratur valide ex doctrina communi supra adducta ex Sanchez lib. II. *de matrim.* disp. xxxiii. nu. 2. et ex cap. i. in principio, *de Sponsalibus*, lib. vi. et ex *Clementina unica*, *de consanguinitate*, nempe quando duo falso credentes se non posse valide contrahere matrimonium ob impedimentum dirimens, adhuc tamen illud contrahunt, matrimonium valere si postea constet non intervenisse impedimentum et consensum præsumi validum ; imo est adeo vehemens hæc præsumptio consensus valide præstiti, ut, quamvis postea dicant se ob illam falsam existimationem de impedimento dirimente, non vere consensisse, non sit eis credendum in foro Ecclesiæ, ut cum aliis notat idem Sanchez ibi num. 3. Cum ergo in casu nostro moniales tempore professionis significaverint suum consensum deferentes novitiam, et offerentes ad professionem, et postea ante ratificationem significaverint toties eumdem consensum perseverantem continuatis et repetitis actibus admittendo et revocando eam ad actus proprios professarum : nihil oberit quod habuerint notitiam defectus et metus incussi. Imo, etiamsi dicerent, se revocasse consensum ante positam ratificationem, quod tamen nec dixerunt,

nec audebunt dicere, non esset eis credendum in foro Ecclesiæ, quia prævalet semper præsumptio ex facto proprio contrario, præsertim cum neque metum neque aliam causam habuerint ipsæ moniales, ut fingerent consensum, quem non habebant, vel quem jam revocaverant.

Hæc autem omnia dicta sunt ad majorem abundantiam, et data hypothesi quod metus intercesserit, et quod moniales ejus notitiam habuerint ; quod tamen utrumque negant ii qui professionis valorem tuentur.

Restat nunc dissolvere aliqua argumenta quæ adversarii postea contra supradicta cumularunt.

37 Primum est, ut probent consensum primum monialium non potuisse postea perseverare, quia consensus seu acceptatio monialium ad summum fuit conditionalis, nempe ex parte nostra acceptamus professionem hujus novitiæ si valida sit. Cum ergo non fuerit valida propter metum, evanuit acceptatio, quia voluntas conditionata, deficiente conditione evanescit, et datum sub una conditione, sub contraria censetur ademptum. Hoc tamen argumentum nimium probaret, nimirum professionem per metum factam nunquam posse tacite revalidari cessante metu, etiam per quinquennium, sine nova acceptatione monasterii : quia, si prima acceptatio evanuit deficiente conditione in prima professione, necessaria est nova acceptatio, quod tamen, ut supra vidimus, est contra Tridentinum sess. xxv. cap. 19. *de Regular.* ubi habetur, quod elapso quinquennio, absque alia acceptatione ex parte monasterii, professio præsumitur revalidata ; fatendum ergo ut primam acceptationem fuisse absolutam, quam, quantum est ex parte sua, acceptarunt. Vel certe, si dicenda est conditionata, non astringitur ad illud tempus, sed dicetur acceptatio professionis, si valida sit, quandocumque fiat, atque adeo erit acceptatio professionis etiam postea ratificandæ.

Adde, non defuisse in casu nostro novum consensum monialium, nam quando insciæ, vel multo magis consciæ metus novitiæ incussi, eam postea ad actus professarum vocabant, toties denuo in suo primo consensu perseverabant. 38

Secundo arguunt, quia professio, sicut et matrimonium, quoad sui valorem requirit executionem et actualem traditionem, si fiat sub conditione de futuro, non perficitur adveniente conditione, sine novo consensu de præsenti, ut docent Suarez to. III. *de Relig.* tract. vii. lib. vi. cap. 12. num. 18. et Basilius Pontius lib. iii. *de matrim.* ca. 14. quod idem dicendum videtur de acceptatione professionis. Cum ergo moniales acceptaverint sub conditione de futuro, si nempe novitia postea sponte valide et sine metu ratificaret, necessarius fuit postea novus consensus monialium, ut acceptatio præterita sortiretur effectum. 39

Hoc etiam argumentum nimium probaret ; nempe fere nunquam professiones valide fieri, quia fere semper acceptatio ex parte monasterii præcedit per aliquod tempus ante professionem. Ergo acceptatio facta fuit sub conditione de futuro, nempe si valida professio sequatur, atque adeo requiritur postea novus consensus monasterii, qui tamen communiter non exhibetur ; omnes ergo debemus respondere. Et quidem ego late respondi, et explicui tom. II. *de Justitia, et jure,* disp. xxii. sect. 14. ubi doctores conciliavi, et ostendi sufficere et requiri, adveniente postea conditione, consensum virtualiter permanentem, quatenus consensus præstitus non fuit revocatus ; ideo virtualiter perseverat, et in virtute illius perficitur tunc contractus de præsenti, quando advenit conditio, quod totum in casu nostro positum est : nam ostendimus supra, consensum primum monasterii non fuisse revocatum, sed potius sæpe fuisse renovatum, dum novitiam ad professionem detulerunt, et eam postea semper ad actus professarum vocabant : quare ex eo consensu virtua- 40

liter perseverante, quando ipsa valide voluit se obligare spontanee, perfecta est valida professio absque ullo novo consensu explicito ex parte monasterii.

41 Tertio accumulant plura motiva ad probandam invaliditatem illius ratificationis. Primo, quia præcessit promissio illurum qui interesse habebant in valore professionis ; qui promiserunt ei solvere ejus debita, si professionem ratificaret. Secundo intercessit metus gravis etiam in ipsa ratificatione : timebat enim, ne ab adversariis lis in longum protraheretur cum magna et temporis et expensarum jactura. Tertio intercessit dolus, quia decepta a prædictis consanguineis, qui multa ei promiserunt, protulit verba illa : Dolus autem dans causam contractui bonæ fidei, reddit illum invalidum et nullum. Quarto denique intercessit error quo monialis putavit se hoc modo liberandam ab ære alieno, et consecuturam alimenta, nec aliter finem litis habendam esse.

42 Ad hæc facile respondetur, in primis promissiones etiamsi dolum continerent, non posse invalidam reddere professionem, vel ratificationem professionis, quia regula illa, quod dolus dans causam contractui irritat contractus bonæ fidei, non habet locum in matrimonio et professione religiosa, quando dolus non versatur circa substantiam, aut in matrimonio circa conditionem servitutis, ut cum communi probavi tom. II. *de Justit.* disp. xxii. sect. 6. n. 88. ubi rationem differentiæ reddidi inter hos duos contractus, et cæteros omnes. Adde, supponi falsum quod promissiones illæ dolosæ fuerint.

43 Unde idem dicendum est de errore, quando enim is non versatur circa substantiam, non irritat professionem, ut loco citato cum communi doctorum probavi. Quod vero additur de minis et metu incusso, præterquam quod id falsum est, ut constat ex attentione virorum gravium et piorum, qui internuntii tunc fuerunt, ut ei ratificationem suaderent, et negant ullas prorsus minas intervenisse ; adhuc si ipsa metum concepisset litis protrahendæ et expensarum, id non redderet invalidam ratificationem professionis. Suppono enim, cum communi sententia, non quemcumque metum ad id sufficere, sed metum gravem injuste incussum, ut cum aliis probavi late dicta dicta disput. xxii. *de Justitia* sect. 7. num. 165. et sequentibus. Metus autem litis et expensarum non erat injustus, cum ii qui pro professionis valore agebant, justam et rationabilem causam haberent litigandi, et experiendi in judicio circa valorem professionis, et concilium Tridentinum dicta sess. xxv. cap. 19. *de Regularibus*, nolit eo casu professionem irritam haberi, nisi in judicio et in causa cognita res tota examinetur et invaliditas probatur. Non ergo erat metus injuste illatus, sed ex re, quam jure suo utentes poterant litigantes exequi.

Quarto arguunt ex declaratione quadam sacræ congregationis cardinalium concilii Tridentini interpretum die 13. Septembris anno 1629. quam affert Barbosa in *Collectan. bullarum ;* verb. *matrimonium* pag. 45. quæ censuit : « matrimonium contractum a filia per metum a matre illatum, est invalidum, etiamsi mulier metum passa per multos annos post mortem matris permanserit cum marito, et filios procreaverit. » Cum ergo eodem modo judicandum sit de professione religiosa ac de matrimonio, pariter dicendum erit professionem ex metu factam nunquam fieri validam, quamvis post mortem patris qui metum intulit, per multos annos monialis perseveraverit et se actibus professarum ingesserit. 44

Respondetur tamen facile negando paritatem quoad hoc inter matrimonium et professionem, nam matrimonium ex sententia sacræ congregationis Concilii, quam semper etiam amplectitur sacra Rota, non potest post decretum Tridentini revalidari, nisi coram parocho et testibus, quæ solemnitas est de substan- 45

tia matrimonii: quare cohabitatio quæcumque non sufficit ad purgandum vitium nullitatis præcedentis. Hoc autem in professionis revalidatione non sequitur, ut constat ex eodem Tridentino dicta sess. xxx. cap. 19. ubi elapso quinquennio absque alia solemnitate præsumitur revalidata professio per consensum legitimum, qui antea in prima professione defecerat. Non potest ergo quoad hoc fieri argumentum a revalidatione matrimonii ad revalidationem professionis.

46 Quinto denique opponunt, non fuisse veram ratificationem professionis, quando monialis dixit: *Si antea monialis non fueram, hodie monialis esse volo:* nam verba illa non significant in rigore professionem præsentem, sed voluntatem, et animum ratificandi postea professionem: quia verbum *volo* injunctum alteri verbo infinitivi temporis, non importat dispositionem de præsenti sed voluntatem propensam agendi de futuro, ut ex multis notat Barbosa *diction.* 436. num. 14. et colligitur ex gloss. in leg. *servi electiones*, verb. *possumus*, ff. *de legatis* 1. Quare corruit totum fundamentum in illa ratificatione a nobis collocatum.

47 Respondetur verba illa, præsertim in iis circumstantiis, in quibus de examinanda nullitate prioris professionis agebatur, et ad hoc ipsum testes juridice interrogabantur, non potuisse in alio sensu intelligi, nisi in sensu revalidandæ professionis, et imprimis doctrinam illam, quod verbum *volo* adjunctum alteri verbo infinitivi temporis, non importat dispositionem de præsenti, veram in universum esse, negat gloss. in leg. *vendentis*, Cod. de *contrahenda emptione*, quæ dicit verbis illis, *volo vendere, volo emere*, perfici contractum emptionis, et venditionis, et Card. in cap. *ex litteris, de sponsalibus*, et novissime Basilius Pontius lib. II. *de matrim.* cap. IX. num. 8. qui dicunt, *Volo te ducere, volo te accipere, volo tecum contrahere*, significare consensum de præsenti ad matrimonium, nisi consuetudo vel circumstantiæ contrarium persuaderent. Deinde alii plures, qui de prædictis verbis id negant, quando verbo *volo* jungitur verbum significans inchoationem contractus, ut, *volo ducere, volo contrahere;* fatentur tamen significare consensum de præsenti, quando adjungitur verbum significans executionem, et exercitium contractus, ut si dicat, *Volo te habere ut uxorem, volo tenere te, vel tractare te ut uxorem;* quia ad habendum et tractandum ut conjugem, præsupponitur necessario conjugium, ita Panorm. Joannes Andreas, et Paludan. quos sequitur Pontius ubi sup. n. 7. et probabile putat Sanchez lib. I. *de matrim.* disp. XVIII. num. 24. in nostro autem casu non dixit, *Volo hodie professionem facere*, sed dixit, *Volo esse monialis*, ad quod præsupponitur professio; neque enim intelligi poterat de moniali novitia, cum nunquam dubitatum fuisset, an ipsa fuisset novitia, sed dubium et lis erat, an esset monialis professa, atque ideo verba illa, *si antea non fui monialis, hodie volo esse esse monialis*, non poterant aliud significare, nisi, *si usque adhuc non fui professa, jam ex nunc volo esse professa.*

Denique quamvis Sanchez d. disp. XVIII. num. 18. non admittat ut certum, matrimonium fieri per illa verba, *Volo te habere, te tractare ut uxorem;* idem tamen nu. 28. fatetur, si adjungatur particula temporis præsentis, v. g. *ex nunc volo te habere in uxorem*, matrimonium perfici, sicut n. 14. dixerat de illis verbis, *deinceps* vel *ab hoc tempore habebo in uxorem*, quibus æquivalere videntur verba illa, *hodie volo esse monialis*, præsertim cum posita fuerit particula illa *hodie* ad distinctionem explicandam a tempore præterito, nam dixit, *si antea non fui, hodie volo esse*, quasi diceret si usque ad hoc punctum non fui, deinceps et in posterum et posthac volo esse monialis, in quibus casibus nemo negat significari satis consensum de præsenti: hæc autem omnia, ut initio monui, dicta 48

sint juxta seriem facti mihi propositam, in quo si res aliter se habere probetur, facile cum aliter sentientibus quos scio plures esse, conveniam. Video tamen sacram Rotam pro hac nostra sententia in eodem casu decrevisse in decisione facta sub Carrillo Ulixbonensis nullitatis professionis 17. Maii 1641. quæ ad litteram integra habetur apud Dianam in fine sextæ partis. An vero postea Rota mutata specie facti ab ea decisione recesserit, non scio.

## DUBIUM XVII.

*Quousque extendatur concessio Leonis X. facta minoribus circa recitationem officii mentalem.*

1 Inter alias concessiones Leonis X. factas minoribus continetur quædam, cujus verba Emmanuel Rodericus refert in *Bullario regularium*, inter vivæ vocis oracula ejusdem Leonis n. 12. et tom. I. *qu. regular.* qu. XLII. art. 4. et ejusdem meminit Navarrus *de oratione, et horis Canonicis* cap. XIX. num. 88. et Lezana tom. I. cap. XII. num. 31. Verba autem petitionis et concessionis hæc sunt : « Placeat Sanctitati vestræ, ut ne fratres mutuo se impediant in officio divino, aut aliis sint fastidiosi, quod illa quæ in ordinario jubentur dici secrete sub silentio tam in horis canonicis, quam etiam in missa, non teneantur proferre vocaliter sed satisfaciant dicendo mentaliter, aut legendo intra se per librum, quia aliqui devotius sic dicunt, et absque impedimento, et fastidio aliorum, et eodem modo possit facere, qui dicit officium per se solus, cum prolatio verbalis sit præcipue ut ab aliis intelligatur. » Hæc fuit postulatio, cui cum aliis simul propositis annuit Leo Papa, ita per suas litteras authenticas attestante Laurentio presbytero cardinali sanctorum quatuor Coronatorum die 15. Aprilis anno 1516.

Hanc concessionem P. Lezana loco 2
citato dicit revocatam esse, quia facta fuit vivæ vocis oraculo, ejusmodi autem oracula religionibus facta revocata fuerunt antea a Gregorio XV. et postea magis universaliter ab Urbano VIII. anno 1631.

Alii tamen contendunt, concessionem 3
hanc factam non fuisse merum vivæ vocis oraculum, sed intervenisse signaturam Papæ : nam in calce memorialis, in quo multæ gratiæ postulabantur, petitum etiam fuit : « ut ejusmodi gratiæ et concessionis, sola signatura sufficeret, et eumdem effectum sortiretur, ac si litteræ sub plumbo, aut in forma Brevis expedirentur, attento quod omnia essent in foro conscientiæ tantum » et statim prædictus Cardinalis in suis litteris addit : « Omnia præinserta modo præfato, ut fuerunt petita, a præfato Sanctissimo Domino Nostro vobis concessa fuerunt, ideo in omnium et singulorum fidem, etc. » Testatur ergo Cardinalis fuisse appositam signaturam, nam eo modo petita fuerunt. Signatura autem Papæ videtur extrahere concessionem a vivæ vocis oraculo : nam ubi intervenit manus et scriptura Papæ, non est sola vox sed scriptura, atque ideo non videtur revocari, quando sola vivæ vocis oracula revocantur.

Quidquid tamen de hoc sit, dixi, præ- 4
dictam concessionem parum utilem esse, et ideo fortasse in compendio privilegiorum societatis Jesu non fuit apposita, nec præpositus generalis Societatis voluit uti communicatione privilegiorum latissima quam habet ut eam religiosis societatis communicaret, atque ideo isti non possunt ea uti, cum non sit ipsis a Generali communicata. Et quidem merito, nam imprimis non potest, nec debet ea concessio intelligi de iis quæ sacerdos, dum celebrat, debet secreto dicere in missa, alioquin posset nihil canonis proferre, præter verba consecrationis et ora-

tionem Dominicam ; orationes etiam quæ ad oblationem panis et vini pertinent, posset non proferre et alia similia, quod absurdissimum esset, nec facile apparet quomodo qui ejusmodi sacrificio adessent, missam integram audirent, cum missa sit actio quædam externa, et tunc magna pars missæ externæ omitteretur, et reduceretur ad orationem mentalem et internam sacerdotis, quod etiam ex verbis concessionis facile colligitur ; petiur enim ea concessio : « ut ne fratres mutuo se impediant in officio divino, aut aliis sint fastidiosi, sint quod illa, quæ in ordinario jubentur dici secreto sub silentio, tam in horis canonicis, quam in missa, non teneantur proferre vocaliter, etc. » ex quibus verbis apparet hoc non fuisse petitum pro ipso celebrante, sed pro fratribus qui sunt in choro simul psallentes, et qui si omnes proferant voce clariori, quæ debent sub secreto in silentio dicere, possunt sese mutuo rumore illo perturbare. Celebrans autem, qui seorsim est in altari, non potest alios impedire aut perturbare. Atque ideo fortasse non fuit petitum pro iis quæ in missali jubentur secreto dici, sed quæ in ordinario jubentur dici secreto : nam in missali agitur de sacerdote ipso celebrante, et de iis quæ ipse debet secreto, vel voce elevata dicere. In ordinario autem, præsertim illius ordinis, jubentur fortasse fratres aliqua recitare tempore missæ, v. g. dum organum pulsatur, supplere versus organo correspondentes, preces etiam aliquas, prout nunc aliquando pro necessitatibus occurrentibus dicuntur : et confessionem quam aliqui etiam in Choro dicunt, dum a ministris dicitur in altari ; qua de causa in missali e-iam Romano præscribitur in rubr. de ordine genuflectendi, quod in choro ii qui prælati non sunt, dum dicitur confessio genuflectant, quod Gavantus ibi part. II. tit. 17. num. 5. intelligit de omnibus præter cantores, qui si tunc cantant introitum, non possunt genuflectere. Ad hæc ergo et similia mentaliter dicenda propter majorem quietem deservire poterat illa dispensatio.

In officio vero, et horis canonicis in choro deservire poterat ad ea solum, quæ in Breviario jubentur secreto dici, qualia sunt oratio dominica, salutatio angelica, symbolum Apostolorum, et si quæ sunt alia ; reliqua jubentur clara et elevata voce dici. Quare ad reliqua non extenditur illo concessio, ut eb ejus verbis constat. Unde nec extra chorum in privata recitatione deservire potest, nisi ad illa pauca, nam extensio facta illius concessionis ad eos, qui extra chorum privatim recitant, non ampliavit materiam sed personas, vel loca. Cum enim postulatio esset ad illa solum, *quæ in ordinario jubentur dici secreto sub silentio*, et postea subdatur extensio ad recitantes extra chorum illis verbis, *et eodem modo possit facere qui dicit officium per se solus* ; debet omnino intelligi de eadem materia, et circa quam petita fuerat dispensatio pro recitantibus in choro cum allis, ne sese invicem impedirent. Non video ergo, quo fundamento possit conclusio illa ad totum officium divinum extendi, nec in eo sensu videtur unquam fuisse usu recepta. 5

## DUBIUM XVIII.

*Utrum ex causa correctionis, et punitionis possit monialis extrahi ad aliud monasterium ejusdem ordinis sine licentia speciali sedi Apostolicæ ?*

De hoc multum fuit disputatum Salmanticæ anno 1611. quo anno ego ibi eram, et disputatio pertransiit ad alias Castellæ universitates. Et quidem fere omnes theologi et juristæ sententiæ affirmanti subscripserunt, quarum subscriptionum exemplar penes me retinui. In iis autem fuerunt Emman. Rodericus, qui citavit seipsum tom. I. *qu. regular.* q. 1

XLIX. art. 5. Petrus Herrera Dominicanus, primarius theologiæ Salmanticensis professor, qui postea episcopus factus fuit, Petrus etiam de Ledesma Dominicanus, Joannes de Salas, Antonius Perez generalis ordinis S. Benedicti. et postea episcopus, qui multa opera in lucem edidit, Joannes Guttierez, qui citavit se pro eadem sententia *in quæstionibus canonicis*, Didacus Nugnus Dominicanus, Valentinus Herize societatis Jesu, doctor Sobrino theologus primarius canonicus, et postea episcopus Vallisoletanus, Basilius Pontius, et alii trigenta theologi et juristæ doctissimi ; qui pro sua sententia alios citarunt, nempe Petrum Lorcam in 1. 2. tom. II. tract. *de legibus* disp. XXIII. exemplo 5. tertii argumenti, Paulum Tuscum *de visitatione* lib. II. cap. 16. num. 42. Joan. Baptistam Confettium *in collatione privilegiorum* cap. XIX. Navarrum cons. XLVII. *de regular.* num. 4. et 6. alias cons. V. *de statu monachorum* ; et in cap. *Statuimus*, XIX. q. 3. num. 48. commentario 4. *de Regular.* vers. *Nota quarto*, Azevedum lib. VIII. novæ recopil. tit. XX. a num. 55. usque ad 60. qui quamvis non afferat Motum proprium S. Pii V. cum tamen jam fuisset publicatus, non potuit illum ignorare. Eamdem sententiam videtur amplecti P. Suarez tom. IV. *de Relig.* tract. VIII. lib. I. cap. 4. num. 6. in fine, ubi postquam dixit in casibus non expressis a S. Pio V. expectandam esse licentiam sedis Apostolicæ, addit : « quotiescumque causa mutationis talis non fuerit, quæ vel in jure sit expressa, ut dictum est de officio abbatissæ, vel nisi per æquiparationem rationis possit causa ad numeratas a Pio V. reduci : ut est, v. g. quando oportet ob pravos mores monialem alio transferre : nam illa causa non immerito contagioso morbo comparatur, vel scandalo communi, pro quo morbo vitando Bonifacius etiam egressum concessit. » Eamdem denique sententiam tenere videntur Bonacina in tractatu *de clausura* qu. I. punct. 9. num. 12. Portel. *in dub. regular.* verb. *Clausura monialium*, num. 22. et stando in decreto Tridentini, et bulla S. Pii V. idem sentit Franciscus Pellizzarius tract. *de monialibus* cap. III. num. 23. nisi obstet quædam declaratio sacræ congregationis regularium infra referenda.

2 Fundamenta præcipua hujus sententiæ sunt. Primum, quia quamvis S. Pius V. solos tres casus expresserit in quibus moniales cum licentia possint exire, nempe ob incendium, lepram, et epidemiam : Doctores tamen communiter dicunt, idem debere intelligi in aliis casibus, qui his tribus sint omnino similes, qualis videtur esse noster casus ; nam, sicut ob periculum contagii corporalis permittitur moniali exire ob lepram vel epidemiam ; multo magis ob periculum contagii spiritualis oportet quod moribus corrupta exeat, et corrigatur in alio loco, ne suo exemplo alias moniales corrumpat.

3 Secundo, quia in jure non solum permittitur, sed etiam præcipitur, quod recepta ad professionem per simoniam ejiciatur a monasterio, ut in arctiori monasterio pœnitentiam agat, ut habetur in cap. *Quoniam de simonia*, cui decreto non est derogatum in Tridentino, nec in bulla S. Pii V. sicut neque etiam ibi derogatum invenitur bullæ Urbani IV. quam refert Miranda quæst. III. de *Monialibus*, art. 2. in qua Pontifex pro monialibus S. Claræ approbat translationem ab uno conventu in aliud pro ea casu. Denique aliqui dicunt, ita responsum fuisse a sacra congregatione : hanc tamen responsionem nusquam invenire potui.

4 Alii tamen in casu nostro dicunt, requiri facultatem sedis Apostolicæ ad hoc ut monialis correctionis causa transferatur ad aliud monasterium. Ita Barbosa *in Collectan. Bullar.* verb. *Monialium translatio*, n. 8. Tamburinus *de jure abbatissarum* disp. XXI. qu. 3. num. 4. Zerola *in praxi Episcop.* verb. *Moniales*, ad finem, Lezana tom. III. verb. *clausu-*

*ra*, num. 16. atque idem sentire videtur Franciscus Pellizzarius loco supra citato, si quædam cardinalium declaratio, quam ibi affert, authentica sit.

5 Fundatur præcipue in declaratione cardinalium quam referunt Barbosa, et alii, his verbis : « Monialem nullam sibi subjectam ex uno monasterio ad aliud transmittere possunt locorum Ordinarii, vel superiores regulares, etiam ex causa seditionis, vel incorrigibilitatis, aut criminis perpetrati. » Quam declarationem Lezana dicit esse sacræ congregationis circa negotia episcoporum et regularium. Unde oportet esse duas declarationes, nam ego in decisionibus meis manuscriptis sacræ congregationis cardinalium concilii Tridentini interpretum (quæ est diversa congregatio, ut constat,) in invenio aliam in causa Mediolanensi, his verbis : « Non potest episcopus causa correctionis, pœnitentiæ, vel examinis, etiam in causis criminalibus moniales e monasterio facere exire, nec minus ipsæ egredi valent. » Ita habetur in decisionibus prædictæ congregationis ad sess. xxv. cap. 5 *de Regular.* in meo codice antiquo et manuscripto.

6 Mihi placuit standO saltem in jure communi quod tunc temporis respondit doctissinus P. Franciscus Corneio Augustinianus, qui postea primariam theologiæ cathedram in Salmaticensi academia rexit, et denique meritissime ob eminentiam doctrinæ ad episcopalem sedem assumptus fuit. Hic ergo ausus est tot tantorumque virorum sensui non omnino consentire, his verbis : « Quod quæritur de egressu monialis ex causa justæ correctionis, si id solum fiat ad puniendam delinquentem exilio a propria domo in pœnam delicti, non vero ob evidens periculum scandali, et alias pervertendi ; non æstimo tutum, quod propria auctoritate prælatus id faciat ; daretur enim latissimus aditus et facultas prælatus moniales ab uno in alium locum frequenter transferendi ; eisdemque monialibus daretur occasio delinquendi, spe concepta ejusmodi mutationis ; quæ quidem iis quæ sub clausura adeo stricta sunt, apparet appetibilis et grata. Si vero interveniret spiritualis necessitas communitatis, cui delinquentis præsentia scandalum affert, et occasionem ut reliquæ pervertantur, puto fieri posse non obstante constitutione Pii V. in qua cum excipiatur expresse casus pestis, et epidemiæ ob temporalem finem sanitatis corporeæ ipsius communitatis : merito præsumi potest exceptus etiam casu noster, in quo agitur de salute spirituali ejusdem familiæ. » Hucusque doctissimus ille magister, qui prudenter distinxit inter egressum ob meram punitionem, et egressum ob scandalum et periculum pervertendi cæteras, ut in primo casu prælati non possint egressum imponere, aut permittere ; in secundo autem possint.

Qua distinctione posita, potest utraque 7
sententia aliquo modo conciliari : imo si auctores attente legantur, constabit non ita generaliter locutos fuisse. Et inprimis Thomas Sanchez lib. VI. *in Decalog.* cap. XV. 47. caute sententiam suam expressit ; numerans enim casus in quibus sufficit prælati auctoritas sine licentia sedis Apostolicæ, subdit : « Similiter idem est dicendum causa correctionis ejus monialis, quando in proprio monasterio timore cognatorum, aut alia causa corrigi commode non potest. » Non ergo vult ob solam punitionem posse ad alium conventum transferri, sed quando aliter puniri non potest ; qui quidem casus moraliter non contingit : nam cognati vel alii qui punitionem eo loco impediunt, multo magis impedient exilium et absentiam cum punitione inde secutura ; nec puto eam causam approbandam a sacra congregatione saltem ut prælatus possit propria auctoritate monialem ad alium locum transferre, et scio sanctissimum Dominum Nostrum desiderare ut moniales, si puniendæ sunt, puniantur ibi ubi deliquerunt ; cum eadem limitatione loquitur Bonacina dicta q. 1. punct.

9. nu. 1. qui alios affert, et Emman. dicto tom. I. *qu. Regular.* quæst. XLIV. art. 5. Denique in hoc solum sensu loquitur Suarez in verbis supra relatis, nam tunc solum approbat ad egressum hanc causam correctionis, quando *illa causa non immerito contagioso morbo comparetur, scandalo communi*, vel in quo casu non videntur repugnare declarationes et responsa congregationum supra adducta : nam illa prima congregationis circa negotia episcoporum solum negat posse extrahi monialem *causa incorrigibilitatis, vel criminis perpetrati :* quod est dicere quod non possit ob solam punitionem delicti commissi. Aliud vero est, quando transfertur ad vitandum scandalum et contagium spirituale reliquarum, de quo casu congregatio ibi nihil dicit. Sicut nec illa alia responsio congregationis concilii Tridentini, in qua solum dicitur non posse extrahi *causa correctionis, pœnitentiæ, vel examinis*, quod nos etiam concedimus, non vero negat quod ad vitandum reliquarum periculum extrahi possit. Hæc ergo regula omnia videtur conciliare, si dicatur monialem puniendam omnino esse in suo monasterio, nec hoc titulo extrahendam. Si vero agatur de contagio morum vitando, quod aliter vitari non potest, sive non punienda, extrahi posse ad aliud monasterium ab episcopo et ejus prælatis.

8 Dixi tamen hanc regulam et distinctionem mihi placere, *stando saltem in jure communi*, quia contra illam scrupulum injicere potest privilegium quoddam concessum ab Urbano IV. ut refert Miranda quæst. III. *de Monialibus S. Claræ,* et Emman. Roderic. tom. I. *qu. Regular.* qu. XLIX. art. I. pro monialibus S. Claræ, quæ ob aliquas causas ibi numeratas transferri possunt ab uno ad aliud monasterium, inter quas ponitur *causa correctionis*. Quamvis autem hæc omnia privilegia revocata sint in prædicta constitutione S. Pii V. postea tamen Gregorius XIII. in sua bulla, quæ habetur apud Roderic. *in Bullario Regular.* et est prima inter bullas, ejusdem Gregorii, confirmavit et innovavit omnia privilegia minorum *de observantia,* et monialium S. Claræ cum clausulis efficacissimis, *ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine*, ubi postea derogat omnibus contrariis constitutionibus, et in specie litteris S. Pii V. Et quamvis addat, se confirmare et innovare omnia illa privilegia *quatenus sint in usu, et sacris canonibus, et decretis sacri concilii Tridentini non adversentur :* in illis tamen verbis, *sacris canonibus*, non est sermo nisi de canonibus ejusdem Tridentini, non de aliis quos affert, ut probat Lezana tom. III. verb. *clausula* num. 27. innovatio autem *ex certa scientia,* est nova concessio, et restituit privilegia revocata, ut docet ibidem n. 29. et tom. IV. verb. *privilegia Regularium.* n. 23. Nec privilegium illud videtur contrarium concilio Tridendino cum potius in Tridentino sess. XXV. cap. 5. *de Regularibus,* permittatur egressus monialis ex causa legitima declaranda ab episcopo. Unde Navarrus I. tom. *Consil.* lib. III. tit. *de Regularibus,* consil. 48. n. 6. in editione antiqua, fatetur plane translationem ex causa correctionis non esse contra decretum Tridentini.

Sed tamen ob solam hanc bullam Gre- 9
gorii XIII. confirmantis privilegia illius religionis, qua videntur frui posse qui habent omnimodam communicationem privilegiorum cum illo ordine, ego non auderem concedere eam facultatem. Nam, licet non obstent verba illa concessionis, *quatenus sacris canonibus, et decretis sacri concilii Tridentini non adversentur ;* videntur tamen obstare verba illa priora, *quatenus sint in usu.* Difficile autem credi potest quod tunc temporis esset in usu facultas transferendi moniales ob solam correctionem, cum jam præcessisset constitutio S. Pii V. qui egressum monialium ad tres solos casus reduxit, in quorum nullo, ut vidimus, continetur explicite, nec etiam per æquivalentiam, vel paritatem causa meræ correctionis et

punitionis, secluso scandalo et periculo perversionis aliarum. Si erga jam erat facultas illa revocata, credibile est quod non erat amplius in usu, et per consequens confirmatio et innovatio privilegiorum ex certa scientia, quatenus solum essent in usu, non videtur potuisse tunc extendi ad facultatem de qua loquimur, et saltem præsumptio videtur esse, quod lex fuerit acceptata et facultas contraria non esset jam in usu.

## DUBIUM XIX.

*An subditus possit, et debeat obedire prælato, quando dubitat an sit licitum quod præcipitur.*

1 Magister quidam theologiæ partem negantem docuit, qui ea de causa male audivit, et ad superiores prælatos delatus fuit, quasi religiosæ obedientiæ fundamenta labefactaret, et subditos adversus superiores armaret, qui propriam inobedientiam excusare pro libito possent, eo prætextu quod dubitarent, an tuta conscientia rem præceptam exequi possent. Et quidem occasionem dare potuit, quod Thomas Sanchez lib. VI. *in Decalog.* cap. III. num. 3. et sequentibus, universaliter docet, subditum posse et debere obedire, quando dubitat an res præcepta sit licita vel illicita, quod multis argumentis probare nititur, et pluribus exemplis illustrare. Ego tamen magistri illius tutelam suscepi et ostendere curavi, si quæstionis termini distinguantur et explicentur, vix posse controversiam remanere de uno puncto, de quo tamen quid sentiendum et quomodo loquendum sit, postea subjiciam.

2 Ut ergo faciliora et clariora præmittamus, et ne ad alias controversias digrediamur, suppono primo, nos non loqui nunc, quando subditus dubitat de auctoritate legitima prælati, nempe an sit verus et legitimus prælatus, nec etiam quando dubitat an res præcepta contineatur sub ejus potestate, v. g. si cum non possit præcipere, nisi ea quæ sunt secundum regulam, dubitat subditus an res præcepta sit juxta vel potius supra regulam ; atque adeo excedens potestatem prælati ; hæ enim sunt quæstiones diversæ, de quibus nunc non loquimur, sed solum quando constat illum esse prælatum, dubitatur tamen an res ipsa sit licita, v. g. si jubeatur aliquod delictum revelare, vel carnes edere in die jejunii et similia, quæ dubitat an licite et sine peccato fieri possint.

Suppono secundo, nec nos loqui, quando dubium est probabile, quia nimirum ex utraque parte sunt opiniones probabiles, affirmans, et negans, rem illam licitam esse, quo casu potest procul dubio subditus amplecti opinionem probabilem affirmantem, atque adeo tenetur eam amplecti et obedire, habet enim jam tunc locum regula generalis, quod obediendum est prælato, quoties res præcepta potest sine peccato fieri : nunc autem potest id fieri sine peccato cum possit subditus saltem per principia extrinseca amplecti illam opinionem, et exequi rem præceptam. Hoc enim ipsum prælatus præcipit, nempe quod amplectatur sententiam illam quam ipse subditus judicat probabilem : quare præcipit rem extra controversiam licitam, nimirum quod in ea operatione amplectatur opinionem probabilem ; ita cum aliis Sanchez ubi supra n. 6. et Suarez tom. IV. *de Relig.* tract. X. lib. IV. cap. 15. n. 21. qui addunt, etiamsi opinio dictans esse licitum quod præcipitur sit minus probabilis, si tamen probabilis sit, adhuc deberi obedientiam ; quia jam tunc præcipitur id quod subditus licite facere potest, cum possit licite, communiter loquendo, amplecti opinionem probabilem, relicta probabiliori. Nunc ergo solum loquimur de dubio, in quo non habet subditus fundamentum probabile ad judicandum licitum quod præcipitur, licet nec constet 3

evidenter, speculative loquendo, quod sit illicitum.

4 Suppono tertio, ad judicandum de statu dubio rei præceptæ, considerandos esse et distinguendos duos status quos habere potest. Primus est ipsius rei secundum se, et antecedenter ad præceptum prælati. Secundus est ejusdem rei in sensu composito cum præcepto ; potest enim contingere quod res ipsa secundum se, et antecedenter ad præceptum sit illicita, et tamen adveniente præcepto fiat licita, v. g. si religiosus ex voto privato obligatus sit ad audiendas hodie duas missas, et prælatus ei imponat eadem hora aliam occupationem incompossibilem cum auditione duplicis missæ, omissio quidem duplicis missæ erit illicita secundum se, et antecedenter ad præceptum prælati, quo tamen adveniente, ea omissio fit licita et necessaria, quia melior est obedientia quam sacrificium, nec votum obligat, nisi data opportunitate, quam non habet dum impeditur ex obedientia. Quare, etsi prælatus non dispenset in voto, adhuc cessat voti obligatio, quia prælatus utitur jure suo imponendo et imperando rem illam, cum prælatus non debeat attendere ad votum quod subditus emisit, nec votum illud præjudicet facultati et libertati quam prælatus habet præcipiendi subdito, et illum in variis rebus occupandi. Quæstio ergo nostra non procedit in hoc sensu, prout advertit etiam Suarez ubi supra num. 22. sed quando de re præcepta secundum se et secluso præcepto, dubium erat an esset licita vel illicita, an merum præceptum prælati, non addens vel tollens aliquam aliam circumstantiam, nisi quod facit esse præceptam, an, inquam, per hoc solum reddatur licita atque adeo debita ex obligatione obedientiæ.

5 Suppono quarto, duplex posse esse hoc dubium. Primum solet appellari speculativum, secundum vero practicum. Primum versatur circa rem præceptam secundum se, et antecedenter ad præceptum, quo dubitatur, v. g. an possit revelari prælato tale delictum subditi. Secundum vero versatur circa ipsam obedientiam, et dubitatur an hic et nunc licitum sit obedire prælato in hac materia ; et ideo vocatur practicum, quia opponitur ultimo judicio practico requisito ad licite operandum, quo judico me hic et nunc licite posse obedire, quod judicium ultimum practicum esse potest, licet præcesserit dubium speculativum de re ipsa. Quare illud primum dubium possumus appellare remotum, hoc vero secundum, proximum : quia hoc secundum reperitur in ipso statu proximo ante operationem. Et quidem, si omnibus pensatis, et posito præcepto, et attentis omnibus circumstantiis, adhuc subditus non formet judicium saltem probabile dictans practice, quod possit hic et nunc licite obedire, sed maneat etiam circa hoc ultimum mere dubium, non apparet quomodo in hoc dubio debeat vel possit obedire ; quare id merito negat Suarez ubi supra, num. 17. et ratio videtur clara, quia operari cum conscientia practica dubia nunquam est licitum, cum eo ipso exponat se homo periculo peccandi : quare ad licitam operationem necesse est ut formetur conscientia per ultimum judicium practicum, quo judicetur non obstante præcedenti dubio, licite posse hic et nunc operari, ut docet Suarez loco citato ; et aliis relatis latius ex omnium sententia Thomas Sanchez lib. II. *de matrim.* disp. XLI. n. 9. et *in Decalog.* lib. I. capit. x. num. 2. Si ergo supponamus subditum adhuc stante præcepto, non posse formare conscientiam, nec habere judicium practicum quo judicet se posse non obstante dubio, licite obedire ; certum erit illum non posse in eo statu licite obedire, quia non obediet juxta conscientiam, cum conscientia non dictet posse licite id fieri. Quæstio ergo non est de hoc dubio proximo, practico et ultimo, sed de dubio remoto et quasi speculativo, an eo non obstante, possit subditus ratione præcepti formare sibi

conscientiam et judicium practicum et verum dictans licitam obedientiam ?

6 Suppono quinto, si non solus subditus, sed prælatus etiam ipse dubitet, an possit licite rem illam subdito præcipere, nec habeat ultimum judicium practicum, nec saltem probabiliter judicet se posse id præcipere, non poterit prælatus præcipere, propter eamdem rationem, quia non præciperet juxta conscientiam, cum conscientia non dictet ei quod possit præcipere. Tunc autem multo minus tenebitur subditus obedire, tum ratione dubii quod habet de licita obedientia ; tunc etiam quia constat ei prælatum sine legitima auctoritate præcipere. Sicut enim non potest prælatus valide præcipere illicita, ita nec potest valide præcipere id de quo dubitat an sit licitum, et an licite possit præcipi, cum in hoc etiam casu abutatur sua potestate, non solum quoad modum extrinsecum, sed etiam quoad materiam præcepti, quæ solum extenditur ad licita : res autem de qua dubitatur modo explicato, an sit licita, eo ipso non est licita sed illicita, et per consequens præcipitur sine sufficienti potestate, atque adeo non affert obligationem nec facultatem obediendi ; quod ingenue fatetur et probat ipsemet Sanchez dicto lib. VI. *in Decalog.* cap. III. num. 21. et lib. II. *de matrimonio*, disput. XLI. num. 45. in fine, docens, subditum non posse licite militare, quando certo scit principem suum dubitare de injustitia belli. Addit vero Sanchez dicto num. 21. si subditus sciat rem sibi præceptam esse licitam, posse et debere obedire, quamvis certo sciat prælatum dubitare an sit licita, vel fortasse credere esse illicitam ; quia ignorantia prælati non tollit quod res illa sit materia præcepti et prælato debeatur. Sicut si quis ex errore putet rem a me possessam non esse suam, et male petat reddi sibi tanquam suam, teneor reddere illi si sciam revere esse suam. Hæc ille, de quibus non est necesse disputare, quia non spectant ad nostram quæstionem, ut constat.

His ergo suppositis, restat difficultas 7
solum, an quando secluso præcepto, subditus nullam habet rationem probabilem ad formandam scientiam, et judicandum licitum id quod præcipitur, sufficiat præceptum et auctoritas prælati ad formandum ejusmodi judicium, atque adeo ad exequendum id quod præcipitur, in quo puncto rursus distinguendum est ; neque enim potest una regula universalis tradi affirmans, vel negans : etenim frequenter sufficiet, aliquando tamen non sufficiet ; frequenter enim continget, quod præceptum ipsum afferat subdito motivum novum ad judicandum licitum quod antea non judicabat. Primo, quia ipsi auctoritas prælati, qui aliunde noscitur vir doctus et probus, et qui non solet temere præcipere, nec ignorat circumstantias rei præceptæ, potest esse magnum motivum ad deponendum dubium et formandam conscientiam et judicium probabile de honestate rei præceptæ. In quo tamen non attenditur prælatus mere ut prælatus, sed ut vir doctus, probus, et prudens. Secundo, quia aliquando materia est talis, ut in dubio prodesse possit dispensatio prælati, v. g. si sit dubium de causa sufficienti ad non jejunandum, vel non recitandum officium divinum, in quibus casibus aliqui prælati solent habere facultatem ad dispensandum : tunc enim prælatus prohibens jejunium vel officii recitationem, censetur in illo dubio dispensare, atque ideo subditus potest et tenetur acquiescere. Et cum his limitationibus fatetur subditum non posse in dubio obedire, nisi aliquid hujusmodi interveniat per quod tollatur dubium, et formetur judicium probabile, Suarez ubi supra dicto cap. XV. num. 19. et sequentibus. Vasquez tom. I. in 1. 2. q. XIX. disput. LXVIII. cap. 9. num. 52. et sequentibus, Salas in 1. 2. q. XXI. tract. VIII. disp. unica, sectione 17. numero 152. et 159. et alii, cum quibus nos idem diximus tomo I. *de Justitia*, disput. XVIII. sect. 1. n. 20. et sequentibus.

Possumus autem tertio addere, ipsum- 8

met prælati præceptum aliquando justificare et honestare rem, quæ aliunde non habebat de se justam causam, ut honeste fieret; cujusmodi fuit id, quod Beato Joanni Damasceno imposuit ejus magister seu prælatus, ut ex Joanne Patriarcha Hierosolymitano refert Surius in vita ejusdem Damasceni, die 6. Maii, tom. 3. misit nempe illum in civitatem, ut venderet sportas, et peteret duplo majus pretium supra justum valorem; quod dum faceret, et operam cum irrisione perderet, a quodam qui virum agnovit, pretium totum accepit. Certe actio illa, secluso præcepto, vix potuisset ab actione otiosa excusari, quamvis excusari posset ab injustitia, et quod non esset futurus, qui ex ignorantia pretium illud solveret. Accedente tamen præcepto, erat actio honesta ordinata a prælato ad eximiam obedientiam et mortificationem subditi probandam. Actio etiam illa rigandi per annum quotidie lignum aridum, quam de Joanne monacho refert Cassianus lib. IV. cap. 24. si propria sponte fieret, esset actio otiosa; facta tamen ex obedientia fuit honestissima et perfectissima, quam Deus miraculo comprobavit, revirescente et fructificante arido illo ligno. In his, et similibus casibus præceptum ipsum mutat materiam, et de actione inutili et otiosa, reddit utilem et honestam, quia facere hoc ipsum ex obedientia non est inutile, sed habet honestissimam causam operandi, nempe obedientiam.

9 Cæterum aliquando possunt hæc et alia similia deesse, et remanere subditus adhuc dubius, an liceat exequi rem præceptam, et tunc dicimus, non debere nec posse obedire. Rationem a priori reddidi in dicto loco *de Justitia*, num. 21. quia conclusio probabilis debet fieri ex aliquo novo motivo, ex quo probabiliter inferatur : ex hoc autem principio, *Prælatus id præcipit*, non potest semper probabiliter colligi; *ergo licitum est*, quando præsertim scirem prælatum solere temere et imprudenter præcipere pro libito, quæ non licent. Debent ergo concurrere alia adminicula præter merum præceptum in genere ad inferendam illam probabilem conclusionem, sine qua non potest subditus practicum judicium necessarium habere ad licite operandum, quibus adminiculis prælati auctoritas roboretur ad inferendam illam probabilem conclusionem.

Possumus autem hanc rationem, quam 10
ibi indicavimus, explicare, et urgere magis ad nostrum propositum. Et inprimis, si prælatus etiam ipse dubitet, res videtur clara quod non possit id subdito præcipere. Quomodo enim potest præcipere subdito id, quod ipsemet prælatus non posset licite operari? Cum ejusmodi autem dubio prælatus ipse operari non posset, propter regulam generalem, quod nemo potest licite operari sine judicio practico de licita operatione : si posset autem imperare, sequeretur quod quando prælatus vellet fieri aliquid de quo dubitat an sit licitum, tunc quia per seipsum non potest illud licite facere, imponeret alicui subdito ut faceret, atque ita obtineret per subditum quod ipse per se non poterat licite obtinere : quod quidem absurdissimum esset, ut constat. Non potest ergo concedi quod licet prælatus ipse dubitet, possit adhuc subdito id præcipere.

Cæterum quamvis subdito non constet 11
de dubio prælati, non tamen debere, aut posse ipsum obedire, quàndiu rès manet ei dubia, et nisi dubium deponat; probari rursus potest, quia antecedenter ad præceptum non poterat subditus licite cum eo dubio operari : præceptum autem non potest facere de illicito licitum; ergo nec accedente præcepto poterit. Major et consequentiæ sunt claræ : minor autem, in qua potest esse difficultas, probatur, quia vis et obligatio præcepti oritur ex obligatione voti obedientiæ, quo subditus obligavit se ad obediendum prælato, hoc est, ad facienda ea omnia, quæ prælatus præcipiat : ergo ea obligatio solum se extendit ad ea, ad quæ se poterat voto obligare. Non potest autem quis se voto obli-

gare ad operandum in dubio : alioquin etiam sine præcepto prælati posset aliquis licite operari in dubio, nimirum faciendo votum de operando in dubio circa talem, vel talem materiam : quod tamen nullo modo concedi potest. Non ergo potuit subditus voto obedientiæ hanc potestatem prælato tribuere, ut præcipiente prælato, posset facere, quæ sibi antea illicita erant. Nam, si hoc fieri posset, sequeretur idem absurdum in subdito, quod inferebamus in prælato : nam si aliquid desiderares facere, quod tamen propter dubium quod habes, facere non potes, peteres a prælato ut tibi illud præciperet, vel promitteres alicui ex voto obedientiam, ut eo jam præcipiente, licitum tibi fieret id quod antea illicitum erat. Fatendum ergo est, merum præceptum obedientiæ non transferre de illicito in licitum, nisi adveniat aliquod motivum ad deponendum dubium et formandum judicium probabile circa operationem licitam.

2 Confirmatur et explicatur primo, non si prælatus præcipiat, ut dubius circa factum homicidii, celebrem sine metu irregularitatis, non possum obedire, quia celebrare cum dubio homicidii perpetrati est intrinsece malum, et præceptum prælati non potentis dispensare in ea irregularitate, non potest auferre illam malitiam. Sed antecedenter ad præceptum æque est intrinsece malum operari in dubio, imo malitia non orta ex jure positivo humano, qualis est malitia celebrationis cum dubio homicidii, sed ex jure naturali ; ergo præceptum prælati non magis potest tollere hanc malitiam, quam illam ; neutrum enim tollere potest, nisi tollendo dubium, et subministrando motiva nova ut jam non dubitem, sed saltem probabiliter credam rem illam, quæ præcipitur non esse illicitam : quæ tamen motiva in casu nostræ assertionis non afferuntur : ut suppono, sed subditus manet æque dubius de re ipsa, sicut antea.

13 Confirmatur secundo, quia, si prælatus superior, v. g. Provincialis, vel generalis aliquid tibi prohibuit, et postea prælatus localis inferior conscius, vel ignarus illius prohibitionis id tibi facere præcipiat, procul dubio non debes, nec potes prælato locali obedire, quia præceptum est de re, quæ antecedenter erat illicita ex prohibitione prælati superioris. Sed non minus in casu nostro antecedenter ad præceptum prælati, prohibitum est præcepto naturali, et divino supremi legislatoris operari in dubio ; ergo præceptum prælati, nisi afferat nova motiva ad deponendum dubium, non potest præjudicare præcepto supremi legislatoris, nec reddere licitum id quod ex præcepto superioris erat illicitum.

Aliæ rationes hujus assertionis in solutionibus objectionum indicabuntur.

Objiciunt enim primo, quia in dubio 14
favendum est possessori : prælatus autem est in possessione præcipiendi ; quare quamdiu non constabit esse iniquum quod præcipitur, non debet in dubio sua possessione privari.

Respondetur imprimis, prælatum non 15
esse in possessione præcipiendi, nisi intra limites suæ potestatis, scilicet ea quæ licita et honesta sunt, et in hac possessione debet conservari, non vero in possessione præcipiendi bubia, quam possessionem numquam habuit, si maneat dubia. Vel aliter clarius dici potest (et in idem fortasse recidet) eo ipso quod dubium non possit superari, non esse jam dubium quod non sit materia præcepti : cum enim supponatur præceptum naturale et divinum non operandi cum dubio de operatione, an sit vel non sit licita, eo ipso quod res manet dubia, manet illicita, atque adeo est clare extra potestatem prælati inferioris. Ponamus enim, quod prælatus superior, v. gr. Provincialis, vel Generalis prohibuisset subditis ne operarentur, nec obedirent prælato locali in tali vel tali materia, quando esset dubium an esset licita, numquid possent obligari tunc subditi a prælato locali, vel possent ei obedire in dubio,

eo prætextu quod prælatus esset in possessione? imo eo titulo deberent magis obedire Generali vel Provinciali, qui etiam sunt in possessione, et quorum præceptum tunc clare urget. Cum ergo Deus, et lex naturæ sint multo magis in possessione, et antecedenter prohibeant ne operemur in dubio manente dubio, nihil juvat possessio prælati inferioris, quia prævenitur subditus præcepto legislatoris superioris, quo redditur eo casu illicita operatio a prælato imposita, atque adeo hic et nunc non negatur obedientia in dubio, sed in casu certo, quia stante dubio, est certa prohibitio legis divinæ et naturalis.

16 Urget Sanchez ubi supra dicto cap. III. num. 3. quod in dubio præsumptio stat pro prælato, quod præcipiat licita, et subdito incumbit onus probandi quod sit illicitum ; quo non probante, præsumptio favet præcepto prælati.

17 Respondeo, hunc non esse casum nostræ quæstionis : nos enim loquimur, quando etiam accedente præcepto prælati res manet in dubio, nec auctoritas, doctrina, probitas, vel prudentia prælati sufficit ad deponendum dubium, qui casus possibilis est, nam fieri potest quod subditus sit multo doctior prælato, et circumstantias omnes in facto, et in jure melius penetret, et quod prudentia ac probitate prælatum superet, atque adeo quod prælati auctoritas non sufficiat ad formandum judicium probabile de honestate actionis, quæ præcipitur. Quare assertio nostra procedit solum ex hypothesi, quod hic et nunc auctoritas prælati non sit talis, ut pro ipso stet præsumptio, quod præcipiat rem licitam : si enim præsumptio ejusmodi esset, jam res non maneret dubia, sed subditus posset et deberet formare conscientiam, et judicare operationem esse licitam, atque adeo deberet obedire.

18 Secundo objiciunt, quia conjux orto postea dubio circa valorem matrimonii, non potest quidem petere debitum conjugale, potest tamen, et debet reddere alteri conjugi petenti, qui non debet in eo dubio privari sua possessione, de quo dixi latius tom. I. *de Justitia*, disp. 17. sect. 4. n. 87. et sequentibus ; ergo idem dicendum est in casu nostro propter eamdem rationem.

Respondeo, retorqueri posse argumentum, quia si conjugi dubitanti de valore matrimonii constaret alterum conjugem similiter dubitare, non teneretur nec posset ei etiam petenti reddere, quia qui cum dubio petit, sine jure petit, ut loco citato latius ostendi ; ergo similiter si subdito constet quod prælatus præcipiens dubitat de honestate vel inhonestate rei quam præcipit, non tenebitur nec poterit ei obedire, nec possessio juvabit prælatum, sicut nec juvat conjugem dubitantem et exigentem.

Est tamen differentia aliqua quoad hoc inter conjugem, et subditum dubitantem : nam subditus, etiamsi putet prælatum bona fide præcipere, si tamen auctoritas et ratio prælati non habent pondus et vim ad superandum dubium, quod subditus habet de turpitudine rei præceptæ, non potest nec tenetur obedire : conjux vero dubitans de valore matrimonii, potest et tenetur reddere conjugi petenti debitum, si sciat conjugem non dubitare, sed credere bona fide matrimonium esse validum. Ratio autem hujus differentiæ est, quia conjux possidet corpus conjugis sibi traditum, nec potest qui bona fide possidet, spoliari antequam probetur injustitia vel invaliditas tituli, alioquin ei injuria irrogatur ; dum ergo non constat de impedimento, non potest conjux dubitans negare debitum conjugi petenti, quia hoc esset eum spoliare re quam possidet ; quare reddendo debitum non operatur cum conscientia dubia, sed certa, quatenus reddit id quod ratione possessionis debetur omnino conjugi possidenti bona fide, quandiu contrarium probari non possit. At vero in casu nostro subditus in dubio de turpitudine rei præceptæ non obediens, non privat prælatum re quam possidet, quia prælatus

non possidet jus ad omnes actiones subditi, sed ad actiones licitas et honestas, qualis non est hæc de qua dubitatur an sit licita, et per consequens secluso præcepto est illicita, manente illo dubio, atque adeo non comprehenditur sub potestate præcipiendi quam prælatus possidet, quæ potestas solum est ad ea, quæ antecedenter ad præceptum non sunt illicita, prout revera erat hæc actio, quandiu de ejus turpitudine dubitatur, et dubium superari non potest.

Sed contra objiciunt tertio, quia subditus potest et debet parere prælato, quoties in re præcepta non apparet manifeste peccatum ; ergo in eo dubio potest et debet parere. Major constat ex modo loquendi sanctorum Patrum, quos affert Suar. dicto lib. IV. cap. xv. num. 18. et sequentibus, qui dicunt faciendum esse quidquid superior præcipit, quoties non constat, vel non est certum displicere Deo. Quando ergo solum est dubium, obediendum est, cum non appareat manifeste peccatum, nec sit certum quod Deo displiceat.

Respondetur, doctrinam horum Patrum non esse contra nostram assertionem, nam in casu nostro constat manifeste peccatum, si res adhuc cum dubio illo executioni mandetur, non ergo volunt sancti Patres obedientiam subditi in casu nostro, quem potius a regula sua omnino excludunt.

Objiciunt quarto eosdem Patres et magistros rerum spiritualium, qui frequenter laudant et exigunt in subditis obedientiam cæcam : non ergo debet subditus judicare circa rem præceptam, sed id totum prælati judicio relinquere. Ad hoc optime respondet Suarez dicto c. xv. n. 26. et sequentibus, obedientiam exigi cæcam, ita ut excludat prudentiam carnis, non ut excludat prudentiam spiritualem et supernaturalem. Cum enim sit virtus, dirigi debet a regula prudentiæ, quæ circumspicere debet an illud opus sit contra præceptum Dei, vel alicujus prælati superioris. Non ergo debet subditus considerare, an opus illud sit utile, vel inutile, commodum, vel ingratum, et alia hujusmodi : et in eo sensu Bernardus et Bonaventura apud eumdem Suarez exigunt obedientiam *indiscretam*, vel *insipientem*. Debet tamen considerare an sit licitum vel illicitum ; et in hoc sensu S. Thom. 2. 2. qu. civ. art. 5. ad 3. reprobat obedientiam indiscretam : esset ergo vitiose indiscreta et temeraria obedientia, quæ poneret opus præceptum cum dubio perseveranti, an id esset contra divinum præceptum, vel ipsius Ecclesiæ.

Objiciunt quinto, quia sola doctorum auctoritas potest facere sententiam probabilem, cui subditus possit acquiescere : ergo multo magis id poterit auctoritas prælati, cui se loco Dei regendum tradidit. 23

Respondetur, si in prælato supponatur doctrina et prudentia requisita, concedo ; si sola prælatura sine illis dotibus, nego : potest enim prælatus errore et passione moveri, ut imperet id quod cum Dei lege repugnat, et dum subdito constat non habere prælatum motivum aliquod probabile ad honestandam rem præceptam, vel ad vincendum dubium de ejusdem rei turpitudine, non potest sola et nuda prælati auctoritate moveri. 24

Dices ergo non damus plus in hoc negotio prælato præcipienti, quam amico, aut Theologo consulenti, si in utroque doctrina et prudentia, non vero auctoritas vel potestas considerandæ sunt. 25

Respondeo negando sequelam ; nam amico docto possum credere, prælato nisi aperte constet defectus motivi, et possum et teneor credere. Doctor privatus etiamsi probabiliter consulat, non potest me cogere ad amplectendam ejus sententiam : prælatus, si probabile habeat motivum, potest me præcepto et censuris cogere, ut ejus sententiam in operando amplectar ; non sunt ergo pares prælatus et doctor amicus. 26

Objiciunt sexto periculum ex hac doctrina esse eludendi obedientiam eo prætextu, quod materia sit dubia. 27

28 Respondetur, si subditus prætextus malitiose quærit, non dicet rem esse dubiam, sed esse manifestum peccatum, quo casu omnes ab obedientia excusant. Sicut ergo tunc prælatus debet ostendere subditi errorem et eum ad obediendum cogere, sic in casu nostro debet prælatus motiva proferre, si ea habet, quibus probabile fiat rem præceptum esse licitam, quibus adductis subditum reddit inexcusabilem, nisi acquiescat et obediat.

## DUBIUM XX.

*An liceat negotiatio religiosis ad recuperandum debitum, vel ad subsistuendam illam pro censu extincto?*

1 De utroque hoc casu interrogatus sum ex parte cujusdam domus religiosæ, et ideo utrumque simul propono. Primus ergo est talis: Conventus ille reliogiosus habebat reditus annuos sibi a communitate illius civitatis solvendos, quos cum ob pecuniæ caritatem exigere, et recipere non posset, communitas obtulit loco pecuniæ facultatem extrahendi triticum ex provincia, quæ facultas tanti æstimabatur, quanti reditus decursi. Acceptarunt religiosi, ut sibi eo saltem modo solveretur. Ut tamen facultas illa utilis eis esset, oportebat triticum emere, quod virtute facultatis concessæ extraherent, et alibi carius venderent: alioquin facultas otiosa et inutilis omnino remaneret. Dubitatum itaque fuit, an ad se indemnes conservandos possent emere triticum extrahendum, quod cariori pretio alibi distraherent.

2 Dixi primo, id non licere si facultas concessa posset, prout fieri solet, mercatoribus vendi, quo pacto pretium ipsum cederet in solutionem pecuniæ sibi debitæ: nam revera emere triticum ad illud alibi carius vendendum, est propria et vera negotiatio religiosis prohibita. Nec obstat, quod facultatem illam acceperint ad pecuniam sibi debitam recuperandam: hoc enim probat quidem, quod possunt illam facultatem accipere loco pecuniæ debitæ: non tamen quod ideo possunt per se ipsos negotiationem sibi aliunde prohibitam exercere ad fruendum facultate concessa. Sicut si concederetur a communitate conventui facultas habendi macellum publicum, et cum prohibitione aliorum: possent quidem religiosi vendere illam facultatem, non tamen possent illam per se ipsos exercere. Sicut etiam, si daretur eis similis facultas faciendi chartas lusorias, possent illam vendere, non tamen per seipsos artem illam exercere; quia utrumque exercitium et macellarii,et faciendi ejusmodi chartas propter maximam indecentiam prohibita sunt religiosis. Cum ergo propter indecentiam prohibita similiter inveniatur religiosis negotiatio, dici non potest quod concessa illis facultate extrahendi triticum, licita sit illis negotiatio, quæ secundum se et propter suam indecentiam prohibita illis erat; alioquin omnis ars, vel occupatio religiosis jure ecclesiastico prohibita posset illis reddi licita, concessa eis a principe sæculari facultate illam exercendi, quoties aliunde requiritur etiam principis, vel magistratuum sæcularium facultas ad illam exercendam, ut contingit in extractione tritici, et in macello publico et aliis multis.

Nec obstat id, quod dixi tom. II. *de justitia, et jure,* disp. XXVI. sect. 3. nu. 33. ubi concessi, non esse negotiationem religiosis prohibitam, si quando pecunias ex propriis reditibus, vel fructibus habent in alio loco, cujus moneta minus valeat in loco ubi ipsi degunt, atque adeo non possunt pecunias ad suum locum transferre sine magno detrimento et jactura; tunc, inquam, in loco, ubi sunt pecuniæ, emunt merces aliquas quæ ad suum locum translatæ vendi ibi possunt eodem pretio, hoc, inquam, non obstat, quia in illo casu non emunt merces, ut postea 3

carius, sed eodem pretio vendant, atque ita pecuniam suam indemnam transferant. Quod si aliquando majori pretio eas postea vendant; id tamen non intendunt, sed emissent etiamsi eodem pretio vendendæ essent, quia non intendunt lucrum, sed translationem faciliorem ejusdem pretii; supposui enim ibi monetam esse ejusdem valoris in utroque loco. At vero in casu nostro emptio tritici fit omnino ad vendendum majori pretio, alioquin esset omnino inutilis facultas extrahendi illud, nec potest utilis esse, nisi interveniente negotiatione religiosis prohibita, ut dictum est.

4 Si vero non inveniatur, qui velit a religiosis emere facultatem illam extrahendi triticum, possent religiosi, ne facultas remaneat inutilis ad finem intentum, non emere sibi et suo nomine triticum, sed mutuare ipsi communitati sæculari pecunias, quibus nomine ejusdem communitatis ematur triticum et extrahatur, ac vendatur in alio loco, ut ex pretio recuperetur mutuum, et ex lucro recuperentur pecuniæ quas communitas solvere debebat religiosis; hoc enim modo finis intentus habetur, et religiosi non negotiantur, sed ipsa communitas sæcularis. Quod si communitas laica nolit suscipere in se periculum negotiationis, ne forte pereunte tritico, maneat cum debito priori et rursus cum novo debito ex mutuo contracto ad emendum triticum: poterit conventus regularis suscipere in se periculum illud, ita ut non remaneat tunc obligatio ex mutuo, nisi quoad partem tritici non pereuntis, in qua assecuratione non sentiunt regulares novum gravamen. Si enim ipsi suo nomine triticum emerent ad extrahendum eidem prorsus periculo subjacerent, imo majori, cum pereunte tritico, non solum perderent pretium pro tritico, sed etiam creditum, quod adversus communitatem antea habebant, et pro quo facultatem triticum extrahendi acceperant, quæ facultas extincta jam fuerat per primum usum et actualem tritici extractionem; hoc autem alio modo, licet perdant pretium tritici, quod communitati sæculari mutuarunt; retinent tamen adhuc jus antiquum ad suum creditum, pro quo in hoc casu non acceperunt facultatem extractionis, sed maluerunt mutuum novum dare ipsi communitati, ut illa posset triticum suo nomine emere et extrahere atque ita lucrari ad solvendum etiam primum debitum. Monui tamen negotiationem hanc ita nomine communitatis sæcularis peragendam esse, ut id non sit nomine tenus, re autem ipsa fiat per religiosos ementes, extrahentes et vendentes triticum nomine communitatis sæcularis; tunc enim religiosi vere negotiarentur, quamvis sub nomine laicorum, et incurreretur indecentia quam sacri canones vitare voluerunt, quando negotiationem interdixerunt ecclesiasticis personis.

## DUBIUM XXI.

*An qui professionem fecit non præmissis informationibus, quas exigit Sixtus V. possit post quinquennium reclamare?*

Sciendum est, Sixtum V. in quadam 1
sua bulla edita anno 1587. quæ incipit, *Cum de omnibus*, et est 71. ejusdem in bullario Cherubini, prohibuisse, ne majores 16. annis reciperentur ad habitum regularem, nisi præmissa informatione, quod non essent criminosi, vel ingenti ære alieno gravati, vel obnoxii reddendis ratiociniis; alioquin professio eorum esset irrita, et sub aliis pœnis contra recipientes, quas pœnas, quamvis in suo robore reliquerit Clemens VIII. in quodam proprio motu edito anno 1602. quoad invaliditatem tamen professionis reduxit bullam Sixti ad terminos juris communis: de quibus bullis et earum moderationibus et interpretationibus videri possunt ultra alios Suarez tom. III. *de Relig.*

lib. v. cap. 10. n. 11. et sequentibus, Sanchez lib. iv. *in Decalog.* cap. xix. nu. 21. Thesaurus *in praxi Ecclesiastica*, verb. *criminosi*, cap. i. Lezana tom. i. c. xxiv. num. 12. et sequentibus.

2 Hoc ergo supposito, accidit, ut quidam major sedecim annis in quadam religione profiteretur, non præmissis informationibus illis, quas bulla Sixti V. exigebat, et hoc ante annum 1602. quo Clemens VIII. abstulit professionis invaliditatem, quam Sixtus V. induxerat; postea vero, cum rumorem audisset de prædicta bulla Sixta V. dixit Deo in corde suo: *Domine, ego vellem esse religiosus.* Denique elapso quinquennio reclamare volebat contra valorem suæ professionis: quæsitum est, an id tuta conscientia facere posset?

3 Pro parte negante occurrebant argumenta non levia. Primum, quia multi et graves doctores dicunt, invaliditatem professionis quam Sixtus V. induxit, non habuisse locum, nisi quando professio fiebat omissis informationibus quæ præmitti debuissent, et ille qui profitebatur, revera habebat aliquem ex defectibus ibi enumeratis, ad quorum manifestationem ordinabatur informatio; quia nimirum erat criminosus in illo genere ibi explicato, vel gravatus ingenti ære alieno, vel ratiociniis obnoxius, etc. Si enim nihil horum habebat, dicunt omissionem informationis, licet culpabilis fuerit, non nocuisse professionis valori; ita sentit Emman. Roderic. *in quæstio Regul.* tom. iii. qu. lxv. art. 5. et 6. et satis indicant Portellus, et Vecchius, quos affert et sequitur Diana iii. p. tr. u. de *dubiis Regularium*, resolutione 83. et Lezana tom. i. cap. xxiv. num. 15. et tom. iii. verb. *Novitii*, numer. 21. quamvis oppositum doceat Suarez ubi supra, n. 20. Supponimus autem in casu nostro, illum de quo agitur nullum ex impedimentis ibi assignalis habuisse.

4 Sed quidquid sit de hoc, secundo pro eadem parte argui potest, quia elapso quinquennio, reclamari non potest contra valorem professionis, ut cum aliis late explicat Thomas Sanchez lib. VII. *de matrimonio*, disp. xxxvii. num. 30. et sequentibus; quia nimirum præsumitur ratificatio sufficiens ad revalidandam professionem: in casu autem nostro intercessit plusquam quinquennium, imo et videtur intervenisse ratificatio expressa verbis illis ad Deum prolatis, quando de periculo nullitatis audivit: *Domine ego vellem esse religiosus.*

Tertio denique argui potest, quia in 5 dubio, an ratificata fuerit professio ante invalida, præsumptio debet fieri pro ratificatione. Ideo enim stabilitum est quinquennium solum ad reclamandum, quia Ecclesia præsumit non potuisse toto illo tempore non intervenire aliquam ratificationem tacitam, vel expressam, ut probat idem Sanch. dicta disp. xxxvii. num. 12. Quoties autem præsumptio aliqua a jure approbatur, illi standum est in dubio; quare etiamsi in casu nostro dubium esset de valore professionis, et de ratificatione subsecuta, in dubio prævalere debet præsumptio ab ipso concilio Tridentino approbata.

His tamen non obstantibus, dixi, verius esse quod professio non fuerit valida, et quod possit etiam nunc reclamare contra ejus valorem; verior enim sententia, imo doctores communiter fatentur, Sixtum V. irritasse professionem eorum qui majores sedecim annis reciperentur, et non præmissa informatione ibi præscripta professionem emitterent; et hoc quamvis defectus ibi enumeratos reipsa non haberent, ut late probat Suarez loco supra citato, et colligitur manifeste hæc Pontificis mens ex alia bulla ab eodem edita anno sequenti, *Ad Romanum spectat*, quam integram refert Quaranta in sua *summa Bullarii*, verb. *Monasteria, et Conventus*, in qua bulla idem Pontifex declarat dubia aliqua, quæ emerserant circa præcedentem constitutionem, et in §. *Quod autem*, sic loquitur: « Quod autem pertinet ad professionem tam illegitimorum, quam eo-

rum, qui post 16. ætatis annum expletum regularem habitum susceperunt, quia tunc demum vere et proprie religiosi effici dicuntur, cum professionem emittunt; declaramus, eos qui ante prædictam nostram editam constitutionem habitum susceperunt, et post ipsius promulgationem cupiunt profiteri, non alias ad professionem admittendos esse, quam facta inquisitione, et servata forma in ipsa constitutione præscripta, et eorum qui post dictam promulgationem, etiam ignoranter, non habita dicta inquisitione, et cum servata forma, ad professionem admissi fuerint, professionem nullius esse roboris et momenti. « Quæ verba licet Emman. Roderic. loco supra adducto explicare conetur; satis tamen clara sunt, et universaliter comprehendunt omnes qui sine inquisitione profitentur, nec distinguunt inter habentes vel non habentes reipsa illa impedimenta, sed omnes professiones declarat irritas fuisse et fore; quem eorumdem verborum sensum agnovit plane Clemens III. quando invaliditatem earum professionum a Sixto inductam abstulit in futurum in sua constitutione edita anno 1602. quæ incipit, *In suprema*, et est 83. ejusdem in to. VIII. *Bullarii* apud Cherubinum, ubi habet hæc verba. « Constitutiones prædictas Sixti prædecessoris quoad eam partem, per quam eorum qui formam in eisdem constitutionibus præscriptam de cætero non servaverint, et quoad alios etiam casus ibidem expressos, in quibus receptorum in quibuscunque etiam mendicantium ordinibus professio nulla declaratur, ad terminos juris et sacrorum canonum perinde, ac si prædictæ constitutiones in illa parte editæ non fuissent, auctoritate Apostolica tenore præsentium reducimus. » Et certe hic fuit omnium sensus post editam secundam constitutionem Sixti supra adductam. Cum ergo ille, de quo nunc quæritur, supponatur absque inquisitione prævia professionem emisisse post Sixti constitutiones, et antequam quoad irritationem a Clemente VIII. revocarentur, constat ejus professionem invalidam fuisse.

Quod autem lapsus quinquennii non addiderit valorem, probari potest. Primo, quia in foro conscientiæ non debet se existimare professum, si nunquam habuit animum positivum ratificandi, ut cum aliis probat Thomas Sanchez dicto disp. xxxvii. n. 9. Deinde secundo, et magis efficaciter hoc ipsum probari potest, quia in hoc casu non sufficeret ad revalidationem professionis novus consensus ipsius religiosi, nisi accedat novus consensus ex parte religionis, cujus prior acceptatio invalida fuit. Quamvis enim ad ratificationem et revalidationem professionis sufficiat aliquando consensus solius profitentis, ut quando ficte, vel per metum consensit; quando vero professio fuerat invalida propter defectum se tenentem ex parte utriusque, nempe ex parte profitentis et ex parte religionis; ex utraque parte requiritur novus consensus, cum nunquam positus fuerit consensus validus ex parte religionis, ut late probat Suarez tom. III. *de Relig.* lib. vii. cap. 1. nu. 20. et fatetur etiam Sanch. dicta disp. xxxvii. nu. 63. qui in exemplum affert defectum informationis præmissæ requisitæ a Sixto V. ille enim defectus invalidat consensum tam ex parte religionis acceptantis, quam ex parte facientis professionem. Cum ergo consensus ille ex parte religionis non fuerit validus, necesse erat quod revalidaretur ab eadem religione per novam acceptationem, quæ in hoc casu non fuit: atque ideo dato etiam quod religiosus ipse ex parte sua ratificasset, id non sufficiebat ad validitatem professionis. 6

Unde ad argumenta in contrarium adducta facile respondetur. Ad primum enim jam diximus, sententiam illam communiter rejici, nec posse bene sustineri stante declaratione ejusdem Sixti in secunda bulla, et Clementis VIII. in bulla supra adducta, qui supponunt quod informatio requirebatur necessario ad

valorem professionis, sive professus haberet, sive non haberet impedimenta ibi nominata.

7 Ad secundum respondetur, lapsum quinquennii solum impedire reclamationem, quando impedimentum cessavit, non quando perseverat, ut in terminis nostris non factæ informationis præscriptæ a Sixto V. tenet cum aliis, et probat Sanch. dicta disp. xxxvii. num. 34. durante enim eodem impedimento, nunquam potuit valide ratificari professio, sicut nec durante illo impedimento poterat fieri.

8 Ad tertium denique respondetur, nos non versari nunc in dubio, sed constare de invaliditate professionis ; cum clare probetur defectus conditionis necessario requisitæ ad validam professionem emittendam.

---

# LIBER QUARTUS.

CONTINENS DUBIA ALIQUA PERTINENTIA AD INSTITUTUM SOCIETATIS JESU.

Quia constitutiones Societatis Jesu in multis differunt a jure communi aliorum ordinum, et quia ego frequentius de his consultus fui, volui seorsim hæc responsa separare ; quorum tamen aliqua, proportione servata, deservire possunt pro aliis religiosis ordinibus.

## DUBIUM I.

*An qui post vota biennii e societate dimittitur, et postea iterum recipitur, indigeat novitiatu novo ?*

Quidam peracta solita probatione, et novitiatu integro per biennium, juxta societatis constitutiones, admissus est ad vota substantialia simplicia, et ita per aliquot annos in Societate vixit. Postea tamen, antequam ad professionem solemnem admissus esset, justis de causis, juxta ejusdem societatis leges ab ea dimissus fuit ; quam dimissionem et litteras patentes quibus continebatur, ipse acceptavit, et assumpto habitu sæculari discessit. Sed paulo post, nempe vix elapsis novem horis, pœnitentia ductus rediit, et constantissime petiit ne dimitteretur, vel ut iterum reciperetur. Cogitarunt Patres, et compassione ducti post biduum illum receperunt, eique religiosas vestes restituerunt ; quia vero ob moram illam brevissimam dimissio fuerat occulta, nec in provincia quidquam de exitu et reditu sciebatur, et consulendum videbatur existimationi sacerdotis, qui per plures annos in Societate fuerat, visum fuit aliquibus, posse illum statim admitti ad vota simplicia denuo emittenda, quæ per dimissionem soluta jam fuerant, nullo novitiatu novo præcedente, ut hoc pacto res tota magis occulta remaneret.

Fundamentum eorum, qui ita sentiebant, desumebatur ex doctrina aliquorum, qui docent si novitius peracto toto anno novitiatus, non admittatur ad professionem, sed dimittatur, vel ipse sponte recedat, et post brevem morulam redeat admittatur, posse statim profiteri absque novo alio anno novitiatus, quia jam hic per annum integrum probatus est, quod solum a Tridentino requiritur.

Ita sentiunt Thomas Sanchez lib. V. *in Decalog.* cap. IV. num. 34. Thesaurus *in praxi Ecclesiastica*, p. II. verb. *professio*, c. 1. et alii, quos affert et sequitur Lezana to. IV. verb. *professio*, num. 10. In casu autem nostro jam præmissus fuerat novitiatus per biennium integrum ; prout in Societate requiritur : non ergo necesse erat præmittere alium novum novitiatum, ut iterum ad eorumdem votorum emissionem admitteretur.

3 Respondi tamen, non posse ante aliud biennium probationis exactum admitti ad vota substantialia emittenda, quibus substantialiter religiosus constituatur, quod etiam dixit Suarez, qui unus de hoc puncto tractavit tom. IV. *de Relig,* tr. X. lib. II. c. 4. nu. 8. qui dicit, ad minus ad valorem votorum subsequentium requiri unum annum novum probationis, quod ideo dixit, quia ipse postea addidit biennium non esse ita essentialiter requisitum ad validitatem votorum, ut quamvis non licite, valide tamen non possit Generalis illud contrahere ad unum annum. Illi autem auctores, qui pro contraria sententia adducti sunt, non loquuntur in casu nostro, sed de mero novitio qui nondum per professionem vel vota substantialia factus est religiosus, et quidem adhuc in eo casu doctrinam illam reprobant Suarez tom. III. *de Religione*, lib. V. cap. 15. num. 8. et Castro Palao tom. III. tract. XVI. disp. 1. puncto 12. §. 2. num. 10. Sed quidquid de hoc sit, non sumus in eo casu, sed in diverso : nam primus novitiatus habuit jam suum effectum, et in virtute illius admissus fuit novitius ad statum religiosum per vota substantialia, qua acceptatione revocata, et solutis votis per dimissionem, extinguitur prior probatio, et requiritur alia ad aliam novam acceptationem.

4 Quæ ratio explicari potest hoc exemplo. Ponamus quod professus Societatis aliquis cum licentia transeat ex Societate ad alium ordinem, in quo post annum probationis emittat professionem, post aliquot deinde annos impetret novam licentiam redeundi ad Societatem. Certe is, quoniam prior professio Societatis extincta fuerat, vel commutata in secundam professionem alterius ordinis, indiget nova professione, ut sit Societatis professus, et ad eam professionem probandus est, atque adeo præmitti debet ad minus annus integer novitiatus, juxta regulam generalem, quod translatus ab uno ordine ad alium, non potest profiteri in secundo, nisi præmisso anno integro novitiatus, ut fatentur doctores communiter, quos affert, et sequitur Lezana I. tom. cap. XXII. nu. 16. et tom, IV. verb. *transeuntes Regulares*, nu. 13. hic autem, de quo loquimur, transiret et transferretur ab illo alio ordine ad societatem, in qua computandus esset, ac si nunquam in ea fuisset ; atque adeo professionis antiquitas computanda esset, non a prima, sed ab hac secunda professione, quam post reditum emitteret. Sicut ergo nunc non prodesset biennium probationis olim in societate peractum, nec excusaret a nova probatione, quando ab alio ordine, ad quem translatus fuerat, et in quo professionem emiserat, transfertur iterum ad societatem : ita in casu nostro dimissus a Societate post vota biennii, et postea iterum receptus, debebit præmittere novitiatum, antequam per vota substantialia incorporetur ; ratio enim est eadem in utroque casu ; quia sicut professio facta in secundo ordine extinxit professionem factam in Societate, et consequenter probationem præcedentem ; ita dimissio e Societate extinguit vota et consequenter probationem præcedentem : nec apparet cur magis extinguatur probatio præcedens, quando extinguitur professio Societatis per professionem alterius ordinis, quam quando extinguuntur vota substantialia, quibus homo constituebatur religiosus Societatis per dimissionem legitimam, per quam ex religioso fit non religiosus.

Confirmatur primo, quia illi, qui di- 5

cunt, novitium, qui peracto anno integro novitiatus non vult profiteri et exit, vel a prælatis dimittitur, posse profiteri non repetito novitiatu, si post brevem morulam redeat, vel recipiatur; addunt tamen id intelligi, dummodo non sit mutata conditio personæ vel religionis. Ita Sanchez, et Lezana supra citati pro illa sententia. Thesaurus vero ibidem adductus addit, dummodo non tantum tempus intercesserit, ut mutatio morum argui possit, quod ego juxta mentem horum doctorum intelligo, ut inter tempus probationis et professionis non fuerit ea mora, vel mutatio : cum enim ex probatione debet desumi judicium ad professionem, si post probationem mutatio fit, parum, vel nihil deserviet probatio præcedens ad judicium illud ferendum. Cum ergo in casu nostro inter probationis biennium, et secundam receptionem plures effluxerint anni, in quibus magna morum mutatio facta est in religioso, et talis ut necesse fuerit illum dimittere et vota dissolvere : fatendum est, etiam ex mente eorum doctorum probationem longe ante præcedentem non sufficere ad hoc ut iterum receptus admittatur ad vota substantialia religionis, cum fieri non possit judicium de moribus et idoneitate novitii ex iis, quæ olim in noviatiatu gesserat, cum ab illo statu notabiliter mutatus inveniatur.

6 Confirmatur secundo ex praxi, quæ optima est legis interpres : quoties enim aliqui post vota biennii e Societate dimissi ad eamdem Societatem redire desiderant, quorum ego non paucos novi, eodem prorsus modo recipiuntur, ac si nunquam in Societate fuissent, atque adeo per aliud biennium novitii manent, ut iterum ad vota emittenda probentur; quia tamen Societas non obligatur lege Clementis VIII. quoad designata habenda certa loca, in quibus novitiatus peragatur, quamvis et ipsa etiam habeat semper domum probationis ad exercendos et educandos novitios totius provinciæ; ideo solet illos qui post dimissionem ad Societatem iterum redeunt, breviori tempore in domo probationis retinere, v. gr. per unum annum, et postea ad studia prosequenda, vel si sacerdotes sint, ad ministeria exercenda mittere : ita tamen ut novitii maneant, donec finito biennio ad vota substantialia emittenda admittantur, ad quæ ante illud tempus nunquam admissi sunt, quia Societas nunquam putavit, novitiatum in priori ingressu factum sufficere ad hunc secundum ingressum.

In casu tamen nostro, quia dimissio 7
secreta adhuc erat, et brevissimum tempus intercesserat inter dimissionem et secundam admissionem, ego consului, quod quamvis ille Pater deberet manere substantialiter novitius per biennium, ut ejus tamen existimationi consuleretur, haberetur exterius quasi antiquus, et ut antea, donec expleto biennio coram prælato et testibus emitteret iterum vota; ex hac enim simulatione publica nihil incommodi sequebatur, eo quod Societas non habet aliqua vel signa vel exercitia, quæ sint necessario propria novitiorum, vel antiquorum, et aliunde nemini præjudicabatur quoad jura antiquitatis, quia hæc solum possunt prodesse in antiquitate professionis, quam professionem ille Pater nondum fecerat : ex reputata autem majori antiquitate votorum simplicium, nullum prorsus præjudicium alteri antiquiori provenire poterat.

## DUBIUM II.

*De novitio, qui per errorem dimissus fuit, et post sex dies iterum receptus, an possit continuare biennium suæ probationis?*

Præcedenti dubio affine est hoc, quod 1
errore cujusdam medici ortum est. Cum enim novitius quidam in Societate

fuisset etiam in probatione per 21. menses, ita ut tres soli ad complementum biennii illi deessent, judicatus fuit a medico laborare morbo quodam, qui eum ad Societatem reddebat inhabilem, atque adeo superiores eum dimiserunt. Adhibito tamen examine magis accurato; apparuit prioris medici error, et juvenis expers suspicionis talis morbi, et ideo post sex dies iterum fuit ad novitiatum admissus: volebant autem ut post tres menses ad vota admitteretur, nec illi medici error noceret, ad quod afferebantur Sanchez lib. v. *in Decalog.* cap. IV. num. 34. et Suarez tom. III. *de Religione* lib. v. cap. 15. num. 10. ipsi tamen id non dicunt: nam Sanchez loquitur de eo qui finito novitiatu exit, et post brevem morulam redit, quem dicit, si aliquæ adsint conditiones, non indigere novo novitiatu. Suarez vero neque id admittit, quamvis suam sententiam contrariam appellet solum probabiliorem, et non omnino certam. Quando vero tempus novitiatus non erat finitum, et novitius exit etiam per unum diem, vel horam, dicunt novitiatum interrumpi, et debere de novo inchoari, idem Suarez ibi num. 6. et 8. et tom. IV. tr. x. lib. II. cap. 4. n. 10. et Sanchez ubi supra num. 20. et 32. et quidem quamvis aliqui voluerint modicam interpolationem non obstare continuationi sufficienti, loquuntur tamen de interpolatione multo breviori, quam in casu nostro. Nam Francus in cap. II. verb. *per annum, de tempor. ordinat.* in VI. dicit, interpolationem duorum, aut trium dierum non obstare; quam tamen obstare dicit Navarrus apud Sanchez dicto num. 32. in nostro autem casu interruptio fuit per sex dies, de qua non videtur dubium quod in omni sententia interrumpit continuationem requisitam.

2 Quamvis autem præcesserit jam annus integer continuus, quem solum petit Tridentinum, et secundus annus in Societate non sit ita substantialis, ut non possit a Generali contrahi, sciendum tamen est, hanc facultatem ita esse apud Generalem, ut licet ejus usus sit validus, non tamen sit licitus, quia prohibitus ei fuit in ordine ad vota simplicia biennii a generali Congregatione V. can. 10. et decreto 12. Posset ergo valide et licite congregatio generalis dispensare in casu nostro, ut continuaretur biennium requisitum: posset etiam Generalis valide dispensare, non tamen licite, quia usus illius facultatis illi prohibitus est a congregatione generali, cui obedire tenetur. Necesse est ergo ut biennium probationis denuo inchoetur. Nec hoc difficile erat ipsi novitio, quia, ut dixi dubio præcedenti, ad hoc ut currat biennium probationis, non est necesse quod novitius maneat toto illo biennio in domo probationis, sed transactis tribus illis mensibus, qui ad biennium deerant, quamvis non admittatur ad vota substantialia emittenda, sed revera maneat novitius, poterit tamen mitti ad studia in collegiis prosequenda, sicut si vota emisisset, et ibi finito novo biennio admittetur ad substantialia vota emittenda, si sufficienter religioni satisfecerit; id enim ob justas causas fieri solet aliquando cum aliis novitiis, et ego ipse, qui jam vicesimum primum ætatis annum compleveram, missus fui post. 18. novitiatus menses ad collegium studiorum causa, ut eorum curriculum citius absolverem.

## DUBIUM III.

*De eo, qui petiit dimitti e Societate, ut hæreditatem patrui ab intestato obtineret, an potuerit valide dimitti, et hæreditatem acquirere?*

Titius nobilis quidam juvenis in ingressu Societatis renuntiaverat cum ju- 1
ramento solito patri suo, et ejus successoribus omnia sua bona et jura præsentia et futura; ita tamen, ut si forte ante

professionem factam e Societate exiret, renuntiatio illa ex nunc haberetur pro non facta. Elapso itaque biennio vota simplicia emisit, et dum studiis more solito attenderet, post aliquot annos mortuo jam ejus patre, obiit quidam patruus, nempe ejus patris frater ab intestato, opulenta quadam hæreditate relicta, quæ videbatur competere monasterio, in quo monialis erat soror quædam defuncti, ex cujus monialis persona moniales hæreditatem apprehendere volebant. Id ægre tulit Titius, qui putabat utilius, posse bona illa applicari ad constituendum dotandumque seminarium scholasticorum nobilium pauperum, quo sua illa civitas indigebat. Videbat, hæreditatem sibi prius deferendam fuisse propter statutum municipale illius urbis, quo nepos ex fratre præponitur sorori in successione ab intestato ; obstabat tamen renuntiatio in ingressu religionis facta, quod impedimentum ut tolleret, petiit a patre Generali, ut dimitteretur ; credebat enim fore majus Dei obsequium, si posset in opera pia et publicam utilitatem omnia illa bona expendere et administrare : sub spe autem obtinendæ dimissionis, quam litteris petierat, opposuit se monialibus, et voluit etiam bonorum possessionem apprehendere. Judex ne alteri parti præjudicaret, utramque a possessione prohibuit, et bona interim sequestravit. Obtinuit Titius dimissionem, et jam cum sui juris esset, hæreditatem directe petiit tamquam defuncto proximior. Causa denique ad sacram Romanam rotam delata, ego pro Titio consului, et pro ipso tandem judicatum fuit. Dicam nunc breviter quæ potissimum contra Titium opponebantur, et quomodo ad hæc responsum fuerit.

2 Primo ergo opponebant, quod Titius vota substantialia in Societate emiserat, quibus se ex parte sua in perpetuum obligaverat, nec ab hac obligatione poterat per alium quam per summum Pontificem, liberari, hoc tamen argumentum procedit ex ignorantia instituti Societatis, in qua vota illa simplicia non omnino absolute fiunt, sed cum perpetuitate quidem ex parte voventis ; sub conditione tamen illa, *quandiu Societas me retinere voluerit*, quæ conditio implicite continetur in verbis illis, quæ in formula votorum adduntur, scilicet, *omnia intelligendo juxta constitutiones Societatis*, quia in eisdem constitutionibus explicatur, Societatem semper manere liberam ad dimittendum eum, si in Domino judicaverit eum non esse promptum huic instituto, et tunc dimissum liberum omnino manere ab obligatione votorum, quia sub hac conditione facta fuerant : quod totum auctoritate et bullis Pontificum confirmatum est. Quare, in rigore loquendo, quando Generalis aliquem e Societate dimittit, non dispensat cum eo in votis, nec ea irritat, sed tollit conditionem sub qua ea vota facta fuerant, et eo ipso quod Generalis non vult illum amplius in Societate retinere, cessat obligatio voti, quod nunquam pro eo casu obligaverat : ad quod sufficit subtractio materiæ seu conditionis, qua sola durante, votum obligabat. Falluntur ergo adversarii supponentes eodem modo hos ligatos esse his votis, ac professi ligantur sua professione ; hoc enim falsissimum est : nam, licet utrique ex parte sua se perpetuo obligent ; professi tamen obligant se absolute : illi autem alii solum sub illa conditione, *quandiu Societas me retinere voluerit*.

Sed contra hoc instabant secundo ex 3
verbis, quibus Generalis in ipsa dimissione utitur, dicens, *se eum liberare ab obligatione erga Societatem*, ubi ponderabant, Generalem non eum liberare vel absolvere a votis, quia his adhuc manet ligatus, sed solum ab obligatione quam habebat erga Societatem. Hæc autem instantia manifestam involvit contradictionem, quia si Titius absolvitur ab omni obligatione erga religionem, eo ipso non manet religiosus, cum sit impossibile aliquem esse religiosum certi ordinis, et nullam habere obligationem erga

eum ordinem, neque erga ejus prælatos. Si enim manet religiosus hujus ordinis, manet cum voto obedientiæ; ergo debet obedientiam prælatis. Fatendum ergo est, si absolvitur ab obligatione erga Societatem, ipsum non manere religiosum Societatis, atque adeo vota non perseverare quæ ex intentione voventis obligarunt solum in ordine ad statum religiosum : imo quamvis daremus, vota perseverare (quod falsum est) non manerent tamen ut vota religiosa, sed ut alia vota simplicia facta ex devotione et non constituentia statum religiosum, cum supponatur Titius liber jam ab omni obligatione erga religionem. Quare quod ad rem nostram attinet, etiamsi votis astrictus maneret, non minus prætendere posset hæreditatem, cum renuntiatio præterita solum id impediat, quandiu non exierit a Societate, sive habeat, sive non habeat aliquam obligationem ex votis.

4 Tertio opponebant, quod dimissio ipsa fuisset invalida et nulla; quia quamvis Generalis possit cum causa sufficiente dimittere eum qui nondum est professus : sine causa tamen sufficiente non potest, nec licite, ut docet Suarez to. IV. *de Relig.* tr. x. lib. III. cap. 9. nu. 10. Nulla autem causa, aut culpa apparet in casu nostro, nisi quod Titius contra juramentum, quo suam renuntiationem confirmaverat, tentavit apprehendere possessionem hæreditatis, quam cum omnibus suis juribus jam renuntiaverat : quod quidem gravissimum perjurii crimen magnam causam dedit et sufficientem ex parte Societatis, ut Titium dimitteret. Sed hæc dimissio non potuit Titio prodesse, nec eum liberum reddere, quia dimissio proprio delicto obtenta non reddit liberum in conscientia ipsum dimissum, ut tradit Sanchez lib. VI. *in Decalog.* cap. IX. nu. 66.

5 Hoc erat potissimum argumentum, sed procedit, ut dixi, ex ignorantia instituti Societatis; et in primis non desunt qui dicant Generalem, licet non licite, valide tamen dimittere sine causa, quos tacito nomine refert Suarez to. IV. *de Relig.* tract. x. lib. III. cap. 9. num. 7. ipse tamen et Sanchez loco citato dicunt, et nos etiam admittimus, ad valorem dimissionis requiri causam rationabilem, cum limitatione tamen quam adhibet idem Suarez ibi nu. 19. quod scilicet sufficiat causa quæ non temere sed prudenter judicata fuit sufficiens, licet postea constet deceptionem intervenisse, et non fuisse talem qualis proponebatur. Hoc tamen admisso, negamus causam in casu nostro fuisse perjurium illud prætensum, quod Titius dicitur commisisse. Nec enim causa dimissionis fundari semper debet in peccatis, aut delictis illius qui dimittitur; possunt enim occurrere aliæ causæ sufficientes, præsertim si accedat consensus ejus qui dimittitur, ut constat ex constitutionibus Societatis part. II. et in examine cap. 7. §. 2. et quidem in casu nostro causa dimittendi Titium non fuit peccatum perjurii, quod nec Generalis sciebat, nec si illud sciret judicaret dignum tali pœna, cum fieri potuisset quod Titius sine ullo peccato tentare voluisset, et prætendere possessionem hæreditatis propter jus quod intra paucos dies habiturus erat, et jam quasi in proximo habebat, et ne alius inciperet possidere, a quo difficile posset bona illa recuperare : quare voluit præcavere periculum proximum : sicut creditor in diem vel sub conditione potest petere securitatem sui crediti, cujus dies vel conditio brevi ponenda est, ut ex cap. *per vestras, de donat. inter virum et uxorem*, colligit cum aliis Molina in casu simili tom. II. *de Justitia* disp. 245. n. 3. Ad quod facit doctrina Baldi, Covarruviæ, et aliorum multorum, quos affert et sequitur Thom. Sanch. lib. IV. *Consil.* cap. 3. dub. 29. qui dicunt, spurium hæredem institutum a patre sub conditione, si a principe legitimetur, posse interim pendente conditione et antequam legitimetur, petere bona paterna, ut ea interim non ut dominus sed ut cu-

rator administret, quia impleta conditione, ad ipsum pertinere debent; et colligitur ex l. *Si quis instituatur hæres in diem*, XXIII. ff. *de hæredibus instituendis*, ubi institutus hæres in diem incertum, vel sub conditione potest bonorum possessionem agnoscere. Cum ergo in casu nostro Titius esset hæres sub conditione, si egrederetur e Societate, et sub ea conditione haberet jus ad ea bona, potuit absque perjurio, pendente conditione, quam sciebat brevi ponendam, petere bonorum possessionem, ne interim in ejus præjudicium distraherentur, vel diminuerentur; non ergo fuit dimissus propter delictum perjurii, quod quidem Generalem latuit, nec eum movere potuit, imo nec tale delictum probari poterit, ut vidimus; et quidem ad majorem abundantiam poterit id ex testimonio ejusdem Generalis constare, qui plane testabitur, se ab hoc delicto motum non fuisse ad Titium dimittendum.

6 Sed dato, et non concesso, dimissum fuisse ob illud perjurium, non ideo dimissio minus valida erit: nam etsi perjurium intervenisset; non tamen fuit commissum ad eum finem ut propter illud peccatum dimitteretur e Societate, neque ea intentio probari unquam poterit, nec est ullo modo verisimilis. Est autem certissimum juxta Societatis institutum, eos, qui ob culpas et delicta dimittuntur, valide dimitti, ipsosque manere liberos a votis, quando culpas non commiserunt ad hunc finem ut e Societate ob eas culpas dimitterentur. Imo ad hoc potissimum data fuit Societati facultas dimittendi non professos, ut a se rejiceret eos qui ob suas culpas redditi erant minus apti ad Societatis ministeria, ut constat ex constitutionibus Societatis p. II. c. 2. et in examine c. VII. §. 1. ubi expresse habetur, eos etiam qui ob culpas commissas dimittuntur, liberos manere et solutos a votis, his verbis: « libera tamen manebit Societas, nec tenebitur ad eos admittendos ad professionem, nec in coadjutores formatos, si studiorum tempore male se gererent, adeo ut superior societatis existimaret Deo gratum non fore, si in eam admitterentur; et tunc ipsi etiam suis votis soluti erunt: « Quod tamen in congregatione septima generali, decreto XXII. num. 4. explicatum est, ut non debeat intelligi de iis qui ad hunc ipsum finem delicta commiserunt ut dimitterentur; hi enim non manent tuti in conscientia, nec liberi a votis, nisi suam malitiam et fraudem detegant, et adhuc Societas nolit eos retinere. Cum ergo perjurium illud, si quod fuisset, non esset ad hunc finem dimissionis obtinendæ commissum, ut constat, non posset dimissionis valor ex hoc capite in dubium revocari.

Quod si petatur, quænam fuerit rationabilis causa Titium dimittendi? Respondebimus, inprimis Generalem non teneri ad eam declarandam, sed ipse eam debet in Domino considerare, et dum dicit, se *justis de causis* eum dimittere, præsumendum est habuisse causam sufficientem. Loquendo tamen de possibili, possumus nos per discursum invenire, postquam Titius Generali proposuit desiderium, quod habebat, et (ut sibi videbatur, a Deo expendendi utiliter bona hæreditatis opulentæ in operibus piis, et in reipublicæ ac propriæ patriæ utilitatem spiritualem, potuisse Generalem prudenter judicare Titium accensum semel desiderio illo, et spe fructus spiritualis, non facile habiturum quietem internam in statu religioso, impedito sibi illo majori bono quod semel apprehenderat: atque ideo, quamvis humiliter et sine obstinatione peteret dimissionem, et promptum se exhiberet ad remanendum si negaretur, non tamen facile pacem internam habiturum, sine qua non ita idoneus futurus esset Societati, nec par fructus ab eo jam in religione sperari posset, ac esset, quem in bonum commune reipublicæ ferre posset, si suo desiderio duci sineretur, quam prudenter judicare potuit esse causam sufficientem ad eum dimittendum, vel alias fortasse 7

causas quas ipse habuit et nobis manifestare non tenetur.

8 Unde facile dissolvitur quod quarto loco opponebant contra dimissionis valorem, supponentes dimissum non remanere tutum, nec liberum a votis, quoties ipse petiit aut procuravit dimissionem, pro quo afferebant testimonia aliquorum doctorum e Societate. Sed graviter sunt decepti in intelligentia illorum doctorum : nam ii loquuntur solum de eo qui fraudibus aut injuste extorquet dimissionem, non vero de eo qui simpliciter proponit causas veras, et humiliter petit dimissionem, promptum se ostendens ad remanendum si non dimittatur. De hoc enim nemo dixit, non manere liberum a votis, imo nec peccare ita petendo, fatetur Sanchez lib. VI. *in Decalog.* cap. IX. nu. 70. qui contrarium dixerat de eo qui fraudibus dimitti procurat. Unde in congregatione generali VII. decreto XXII. num. 1. definitum fuit, eum, qui petit dimissionem, debere veras causas superiori proponere, et ejus judicio ac decreto stare : quo casu si superior eas causas approbaverit, suo jam debito satisfecit, et postea n. 4. additur : « eos qui ex causis non veris, fraude, aut dolo dimissionem a Societate obtinuerunt, aut ex causis quidem veris, et justis, gravibusque delictis, sed ea intentione perpetratis quo facilius dimissionem extorquerent, nullo modo tutos in conscientia esse, et ejusmodi facultatem in conscientiæ foro irritam, ac nullam prorsus esse » Ubi duo soli casus ponuntur, in quibus dimissio non sit valida. Primus est, quando causæ falsæ dolose allegantur ; secundus vero quando delicta vera fiunt ad hoc ut e Societate dimittantur. Quod ergo in casu nostro Titius petierit et procuraverit dimissionem, non reddit illam invalidam, cum neque falsas causas adduxerit, nec delicta commiserit ad hunc finem ut dimitteretur, sed potius promptum se exhibuerit ab obediendum et remanendum, si superior non judicaret dimittendum.

9 Quinto opponebant magis apparenter, quod quamvis Titius nunc, postquam egressus est ex Societate, sit capax successionis, non tamen debet attendi status præsens sed tempus delatæ hæreditatis et mortis patrui, quo tempore Titius nondum erat capax propter renuntiationem factam, et quæ adhuc tunc in suo robore erat, cum adhuc Titius esset religiosus. Cum ergo eo tempore non potuerit deferri Titio hæreditas, quia tunc erat incapax, debuit deferri sorori defuncti, quæ non potest perdere jus semel acquisitum, propter capacitatem postea Titio supervenientem. Hoc argumentum difficilius esset, nisi in renuntiatione apposita fuisset in ipso corporo renuntiationis clausula illa : *ut si Titius aliquando ante professionem e Societate exiret, renuntiatio illa intelligatur non facta*, quæ clausula quoties ita apponitur in contractu, habet vim non quidem rescindendi contractum adveniente conditione, sed ostendendi ab initio contractum non fuisse validum, quia posita conditione retrotrahitur contractus invaliditas ad initium ipsius, de quo aliquid dixi tom. II. *de Justitia* disput. XXI. sect. 13. nu. 203. et latius Molina tom. II. *de Justitia* disp. 377. per totam. Quare, in rigore loquendo, valor renuntiationis ex vi illius clausulæ erat semper suspensus, et valida erat, si Titius nunquam e Societate ante professionem exiturus esset : ipso autem exeunte apparet numquam fuisse validam. Unde, quando mortuus est patruus, monialis ejus soror non habebat absolute jus ad illa bona, sed solum sub conditione, si Titius perseveraturus erat in Societate : quæ conditio cum ponenda non esset, apparet postea illam tunc nullum habuisse jus ad hæreditatem, quia exeunte Titio e Societate retrotrahitur conditio, et omnia reducenda sunt ad eum statum, ac si nunquam renuntiatio facta esset : hoc enim est, illam intelligi debere nunquam factam. De hoc tamen, quia res spectabat ad advocatos juristas, qui optime id

probarunt, breviter sufficiat indicasse.

10 Ultimo opponebant, ob peccatum perjurii commissi debere Titium repelli a petitione hæreditatis ; hoc tamen nullius est ponderis. Primo, quia negatur Titium aliquid egisse contra juramentum, ut supra vidimus : et confirmari rursus potest ex proxime dictis. Si enim valor renuntiationis et juramenti erat in suspenso sub conditione perseverantiæ Titii in Societate, et ipse sciebat conditionem illam non esse ponendam, sed in brevi defecturam, sciebat consequenter juramentum nec habuisse nec habiturum vim obligandi. Secundo, quia, etiamsi commisisset peccatum perjurii : in sacra tamen Rota non agitur causa criminalis de puniendo perjurio, sed solum civilis de jure succedendi. Tertio denique, quia illud peccatum impertinenter omnino se haberet ad statum sæcularem, quem Titius nunc habet, quia nec propter illud dimissus fuit e Societate ut vidimus, nec illa possessio intentata est causa juris succedendi quod nunc habet, sed defectu validæ renuntiationis ob defectum conditionis perseverantiæ in societate, qua conditione deficiente, non censetur unquam facta renuntiatio, ut constat ex ejus verbis. Atque ita tamdem a sacra Rota in ejus favorem decisum fuit.

## DUBIUM IV.

*An Societas prætendere possit hæreditatem ab intestato nomine professi, qui ante professionem omnia sua jua cesserat collegio cuidam Societatis ?*

1 Præcedenti dubio possumus hoc aliud connectere, quod partim similem, partim dissimilem casum habet ; quidam enim e Societate, antequam professionem faceret, renuntiavit in favorem cujusdam collegii Societatis omnia sua bona et jura præsentia et futura, et postea professionem emisit. Moritur postea ejus quidam consanguineus ab intestato, cui quidem ipse erat omnibus proximior, sed opponentibus aliis, ipsum esse jam professum Societatis, in qua professi licet sint capaces legatorum, non tamen sunt capaces succedendi in hæreditate ; aliqui dicebant id non obstare: quia quamvis ipse professus non sit jam capax successionis hæreditariæ, collegium tamen cui ipse cesserat omnia sua jura præsentia et futura, capax est legati, atque etiam hæreditatis, ideo collegium potest et debet succedere ob renuntiationem præcedentem, cui sententiæ favere videtur Castro Palao III. tom. tractat. XVI, disp. I. puncto 18. in fine ; ubi dicit, si quis in Societate post vota biennii hæreditati paternæ renuntiavit in favorem Societatis, et vivo patre professionem seu vota coadjutoris formati in Societate fecit, et postea decessit pater vivente filio, Societatem succedere debere in hæreditatem paternam.

Respondi tamen, collegium in casu 2
nostro non posse succedere ab intestato prætextu renuntiationis factæ ab illo religioso ante professionem, quod idem antea dixeram to. II. *de justitia*, disput. III. sect. 9. num. 192. et expresse docet Thomas Sanchez lib. VII. *in Decalog.* cap. IX. num. 25. qui hoc ipsum in casu magis stricto, et difficili dixit cap. XV. num. 9 et 10. ubi negat, eum qui majoratum possidet, posse antequam professionem faciat in religione incapaci eum majoratum possidendi, testamento relinquere usumfructum illius majoratus alicui alteri durante vita ipsius religiosi, sed debere statim facta professione majoratum transire ad sequentem successorem. Quanto minus poterit testamento vel donatione transferre hæreditates, quæ sibi post professionem obvenire possunt, quando jam ob incapacitatem non potest ipsi hæreditas ulla deferri?

Ratio autem in casu nostro videtur 3
clara, quia nemo dare vel donare potest id quod suum non est, nec erit : ad eum

autem qui collegio donavit omnia sua præsentia et futura, non pertinebat tunc hæreditas consanguinei adhuc viventis ; sed nec pertinet postea quando moritur consanguineus, propter incapacitatem quam habet professus Societatis, ut sit alicujus hæres ; non ergo comprehensa fuit hæc hæreditas in renuntiatione illa generali, in qua solum translata fuerant bona et jura omnia præsentia et futura : jus autem ad illam hæreditatem non erat præsens tempore renuntiationis, ut constat, cum viveret adhuc consanguineus illorum bonorum dominus, sed nec erat futurum, cum postea moriente consanguineo, non posset ad professum pertinere jus ad illam hæreditatem ob incapacitatem professi : non potuit ergo comprehendi in illa renuntiatione jus illud ad hæreditatem, quod neque erat præsens, neque futurum. Sicut, si Petrus ante professionem renuntiasset in favorem Joannis omnia quæ post professionem amici dabunt ipsi Petro sine consensu sui prælati : nihil certe renuntiasset in favorem Joannis, quia post professionem nihil prorsus possunt amici ei dare absque consensu prælati. Eodem modo est inutilis renuntiatio, qua ante professionem renuntiet in favorem alterius hæreditatem quæ ad eum ab intestato spectabit post professionem in Societate, quando propter incapacitatem nulla talis hæreditatis ad eum spectare potest. Sicut, si ante mortem naturalem renuntiaret hæreditatem, quæ ei post mortem advenire potest, cum certum sit nullam post mortem hæreditatem deferri posse. Et quidem non magis potest deferri hæreditas professo Societatis, quam mortuo : nihil ergo donat, qui hæreditatem sibi post professionem in Societate deferendam donat.

4 Hinc autem facile solvi possunt ea, quæ Castro Palao in favorem contrariæ sententiæ videtur afferre : nam, licet ipse loquatur de hæreditate Patrum, de qua posset esse major difficultas, quia filius etiam vivente patre videtur habere jus aliquod ad bona patris, præsertim in Castella, ubi pater non potest disponere extra filios, nisi de quinta bonorum parte : quia tamen argumenta illius auctoris videntur universaliter probare, oportebit ad singula respondere. Primo itaque probat, quia professio quæ est mors civilis tunc æquiparatur morti naturali, quando non potest habere diversum effectum : pro quo affert Thomas Sanchez lib. VII. *in Decalog.* cap. III. num. 68 et 78. in casu autem nostro professio in Societate potest habere diversum effectum a morte naturali, quatenus non extinguit jura in tertium translata, sed quæ ipse professus eo tempore haberet. 5

Respondetur, inprimis Thomam Sanchez utroque illo loco reprobare potius illam doctrinam, et ideo tenet testamentum ante professionem factum debere, (nisi aliud a testatore cautum fuerit) statim facta professione, et ante mortem naturalem executioni mandari, et rursus, si is qui jussus fuerat restituere hæreditatem post mortem, professionem faciat in monasterio incapaci succedendi suis religiosis, debere secuta professione, non expectata morte naturali, restitui hæreditatem fideicommissario, et utrumque probat, quia professio æquiparatur morti. Deinde, quamvis daremus in iis casibus expectandam esse mortem naturalem, non posset argui ad casum nostrum : aliud enim est quærere an professus debeat reputari mortuus, quoad omnes effectus, et professio veniat nomine *mortis* in odiosis, de quo potest esse magna difficultas. Aliud vero est dicere, eum qui cedit omnia sua bona et jura præsentia et futura alicui collegio, transferre etiam jura quæ neque habet neque habebit, neque habere poterit : quod diximus fieri non posse.

Secundo arguit, quia hæreditas illa 6
non defertur professo Societatis, qui est incapax, sed defertur collegio in cujus favorem facta fuit renuntiatio ob jus per renuntiationem acquisitum, ut ipsemet Sanchez probavit dicto lib. VII. c. VI. n. 2. et quidem ob jus concessum a pro-

fesso tempore quo valide concedere poterat.

7 Respondetur, collegium non potuisse, ut jam diximus, ex renuntiatione acquirere aliquod jus ad hæreditatem, ad quam professus ante professionem nullum jus habebat, cum non esset ei delata, nec post professionem poterat ullum jus habere, cum non posset ei deferri. Nec doctrina illa Sanctii, quæ affertur, est ad rem : nam eo loco agit de eo qui ante professionem renuntiavit hæreditati parentum viventium, cujus hæreditatis ipse post professionem, vel monasterium in ejus persona capax erat : quo casu dicit, ad valorem renuntiationis non requiri consensum vel renuntiationem monasterii, quia monasterium non potest habere jus, nisi quatenus professus, cujus personam repræsentat, habet jus. In eo autem casu professus nullum habebat jus, cum per renuntiationem omne jus a se abdicarat, ergo monasterium etiamsi renuntiationi non consenserit, nullum habebit jus ad illam hæreditatem, quod totum nos libenter admittimus, sed differt multum a casu nostro : aliud enim est dare jus alteri ad hæreditatem, aliud vero abdicare a se jus ad hæreditatem. Illud prius non potest, cui hæreditas non defertur, nec deferretur, quia nemo dat quod non habet, nec donatarius potest habere plus juris ad hæreditatem, quam haberet is qui dedit jus : quando vero aliquis non dat alteri jus ad hæreditatem ; sed abdicat a se jus quod habet vel poterit unquam habere, non intendit facere quod nomine suo alius sit hæres, sed solum aufert ex parte sua impedimentum quod aliquando posset esse ut alius sit hæres, et permittit alium esse hæredem, si ei aliunde hæreditas competat, quod quidem novitius facere potest ante professionem, etiamsi ei tunc hæreditas delata non sit ; quia hoc fere non est aliud quam obligare se, quasi sub conditione ad non acceptandam talem hæreditatem, si aliquando delata fuerit : quæ obligatio conditionalis transit ad conventum, qui per professionem succedit in omnia bona et jura illius religiosi. Sicut enim conventus capax succedit per professionem in omnia jura et actiones professi, ita succedit in omnia debita et obligationes quas professus ante professionem habebat ; inter quas erat hæc obligatio conditionalis non acceptandi talem hæreditatem, si aliquando ei deferretur. Cum ergo conventus capax repræsentet personam professi, debet sustinere ejus obligationem, qua obligatus erat ad non acceptandam illam hæreditatem : hinc est quod adveniente casu, quo hæreditas illa deberet ab intestato, vel alio jure illi professo deferri, debeat conventus ab ea abstinere ob renuntiationem præcedentem, vel debeat illam dare iis, in quorum favorem renuntiata fuit. In Societate autem, quia ipsa non succedit professo, nec professus est capax successionis hæreditariæ ; ejusmodi renuntiatio solum potest deservire ad hæreditates quæ deferuntur religioso ante professionem, vel gradum coadjutoris formati : ante quos gradus etiam post vota biennii religiosus est capax hæreditariæ successionis, et ideo potest jus suum renuntiare in favorem alterius. Unde, si novitius, vel scholaris etiam Societatis post vota biennii renuntiat hæreditatem parentis viventis, in favorem alicujus consanguinei : tunc si parens moriatur antequam renuntians sit professus, vel coadjutor formatus, et hæreditas ad ipsum, vel ab intestato vel jure filiationis pertinere deberet, pertinebit ad illum, in cujus favorem renuntiata fuit. Si vero renuntians factus sit jam professus vel coadjutor formatus, non pertinebit hæreditas ad illum, in cujus favorem renuntiata fuit, nisi aliunde ad ipsum ab intestato vel ex testamento defuncti spectaret, sed deferetur ad illos, qui vel ex testamento defuncti, vel ab intestato ei succedere debent : quia ex renuntiatione nullum jus ad hæreditatem eo tempore delatam acquirere potuerunt, ut dictum est.

Tertio opponitur doctrina, quam de-

fendit cum aliis ipsemet Sanchez eodem lib. VII. cap. III. num. 81. ubi docet, si aliquis gravatus restituere post mortem hæreditatem Titio, professionem faciat in ordine incapaci succedendi, v. g. in ordine minorum, quamvis facta professione debeat hæreditas tradi fideicommissario, quia professio est mors civilis; si tamen ante professionem ipse venditione, donatione, aut quovis alio contractu, jus in ea bona tempore vitæ suæ ad se pertinens in alium transtulit, hunc debere frui bonis illis, durante vita naturali professi: quia fictio qua professio reputatur mors, non debet operari in præjudicium tertii, cui per translationem vel venditionem est jus acquisitum. Imo numer. 82. addit, idem esse dicendum etiam si bona non essent alienata in illum tertium antea, sed tempore professionis professus renuntiasset expresse, ut ab hora suæ professionis tertius ille jus hoc obtineret. Idemque docet postea cap. XIII. numer. 57. de eo qui habet majoratum, et profitetur in religione incapaci succedendi, de quo dicit posse ante professionem testamento, venditione, vel alienatione disponere pro tempore vitæ suæ in favorem tertii, ad quem spectabunt fructus durante vita naturali professi, et non ad successorem majoratus. Quare idem dicendum videtur in casu nostro, in quo religiosus ante professionem renuntiavit in favorem collegii.

9 Respondetur tamen, inprimis eumdem Sanchez non videri satis firmiter, vel consequenter in illa doctrina permansisse, ut observavi tom. I. *de Justitia*, disp. III. s. 9. n. 209. et seqq. nam postea c. XV. n. 10 dixit, hæredem illius religiosi non debere frui fructibus majoratus, sed a die professionis pertinere ad sequentem vocatum : non ergo potuit testamento transferre jus pro tempore vitæ suæ in hæredem. Deinde casus ille valde diversus est a nostro; quia in illo casu professus ante professionem disponit de re sua quam jam habet; siquidem tunc habet vere jus retinendi hæreditatem, vel majoratum pro toto tempore vitæ suæ, quod jus transfert in alium. Quamvis autem lex voluerit professionem æquiparari morti, et ideo facta professione transeant bona ad fideicommissarium, vel successorem vocatum : multi tamen dicunt fictionem juris non operari in præjudicium tertii, cui jam jus sit acquisitum, quos affert et sequitur Sanchez dicto cap. III. numer. 81. Quidquid ergo sit de veritate illius doctrinæ, ea nihil deservit ad casum nostrum, in quo nulla est juris fictio, sed mera incapacitas et defectus conditionis requisitæ. Nam religiosus renuntiavit in favorem collegii hæreditates quæ ipsi deferantur : hæc autem hæreditas ab intestato ei non defertur, propter incapacitatem, quam ex vi professionis habet ad successionem hæreditariam. Deficit ergo conditio necessaria ut comprehensa fuerit in renuntiatione præterita. Unde constat discrimen, quod in primo casu renuntiatur jus absolute, quod renuntians habebat in bona retinenda per totam vitam; quod jus statim absolute acquisitum est emptori, vel donatario, et ideo volunt ii doctores non posse hoc jus acquisitum lædi per juris fictionem eventu per accidens subsequenti. In nostro autem casu jus ad hæreditatem non acquiritur collegio absolute, sed sub conditione, si hæreditas deferatur renuntianti, quæ cum nunquam ei deferatur post professionem, non purificatur conditio, et renuntiatio quoad illam partem manet inutilis.

Quia tamen res hæc adhuc dubia videbatur, volebant aliqui, quod Generalis Societatis uteretur facultate sibi concessa declarandi dubia spectantia ad Societatis institutum, de qua fit mentio in compendio privilegiorum Societatis verb. *Generalis* §. 5. et declararet capacitatem collegii ad habendam illam hereditatem ob renuntiationem præcedentem, et hoc modo maneret res hæc extra controversiam. Ego tamen dixi, nec hanc declarationem ad Generalem pertinere, neque, etiamsi pertineret, expedire quod id ita declara- 10

ret. Prima pars colligitur ex verbis dicti privilegii, quod quidem habetur solum per communicationem concessionis cujusdam factæ Generali ordinis prædicatorum a Julio II. ea autem concessio non videtur deservire pro foro externo, præsertim sæculari, sed solum ad quietem subditorum in foro conscientiæ, ut constat ex verbis concessionis, quibus dicitur, Generalem posse declarare ejusmodi dubia, *quoad serenitatem illarum conscientiarum, quæ sibi subjectæ sunt duntaxat.*

11 Nihil ergo deserviret ea declaratio ad persuadendum judicibus ecclesiasticis, vel laicis, apud quos de hac causa tractaretur. Deinde, quia hoc dubium in rigore non est circa institutum Societatis, sed circa jus commune, quia non controvertitur nunc an collegium Societatis sit capax juxta constitutiones acquirendi ex bonis ex juribus professorum, per donationem aut renuntiationem ab ipsis ante Professionem factam, de hoc enim nemo dubitavit. Sed nunc agitur de alio puncto juris communis, an renuntians, quando est capax hæreditatis, possit transferre jus quod tunc non habet ad hæreditatem, sed quod haberet post professionem, si tunc non esset redditus incapax omnino successionis hæreditariæ : quod, ut dixi, non est dubium circa institutum Societatis, sed commune omnibus renuntiantibus ante professionem in ordine incapaci successionis, atque adeo circa omnes tractatur a doctoribus, ut vidimus. Non ergo pertinet ejus declaratio ad Generalem Societatis, quia non dubitatur de sensu constitutionum Societatis, sed de sensu legis et juris communis.

12 Secunda denique pars, quod nec, etiamsi ad ipsum spectasset, expediret Generalem id declarare in favorem collegii, probavi, quia posita et approbata ejusmodi declaratione, posset satis apparenter dici, quod tota incapacitas professorum Societatis ad successionem hæreditariam ab intestato, et tota incapacitas ipsius Societatis ad acquirendum hæreditates, in persona professorum erat incapacitas de solo titulo : nam de facto posset Societas frui hæreditatibus, quæ obvenirent professis, sive ab intestato sive ex testamento (cum eadem sit ratio de utrisque) facta prius renuntiatione a professo in favorem Societatis omnium hæreditatum quæ ipsi professo post professionem obvenirent, qua renuntiatione posita, non minus erunt capaces successionis hæreditariæ professi Societatis, quam professi aliarum religionum capacium ; siquidem tam ex testamento, quam ab intestato acquirent omnes hæreditates Societati, sicut eidem et non sibi acquirerent, si ipsi et Societas essent capaces et sicut professi aliorum ordinum capacium acquirunt hæreditates, non quidem sibi, sed suis ordinibus : quare daretur occasio dicendi totam hanc incapacitatem esse solum quoad modum ; non quoad substantiam, cum sola renuntiatio præcedens redderet eos, et Societatem capaces ad quaslibet hæreditates lucrandas ; quod nihil aliud esset, quam habere eumdem effectum, mutato nomine, et per aliam viam. Scio alios viros doctos aliter sensisse, quibus favet, ut vidimus, Castro Palao ; ego tamen dico solum meum sensum, judicio advocatorum et prælatorum remittens, an occurrente casulis juste et prudenter intentanda, vel sustinenda sit.

## DUBIUM V.

*Cui acquiratur legatum relictum professo societatis, qui ante professionem renuntiaverat omnia sua bona ?*

N. Professus Societatis, antequam professionem faceret, renuntiavit in favorem cujusdam collegii Societatis omnia sua bona et jura præsentia et futura ; postea vero cum jam esset professus, quidam ejus frater reliquit ei legatum, qua occa-

sione dubitatum fuit, an non obstante professione, validum esset legatum, atque adeo acquirendum esset collegio, in cujus favorem ante professionem renuntiaverat?

2 Dixi, de validate legati nullum esse dubium, quia professi Societatis, quamvis non possint esse hæredes ex testamento, nec ab intestato, possunt tamen esse legatarii, ut cum aliis tradit Sanchez lib. VII. *in Decalog.* cap. XXVII. num. 25. et nos etiam diximus tom. I. *de justitia*, disp. III. sect. 5. nu. 100. Quare, sive professus ille ante professionem renuntiationem fecerit, sive non fecerit, mane capax legati, licet non potuisset hæres institui. Difficilius mihi est, quod in casu proposito pro comperto supponebatur, nimirum si legatum validum sit, pertinere ad collegium illud, in cujus favorem ante professionem ipse professus renuntiaverat.

3 Hoc, inquam, mihi difficile est; nam si professus ille ante professionem non renuntiasset, certissimum est quod legatum illud post professionem adveniens pertineret ad domum, vel collegium in quo tunc habitaret, juxta communem regulam, quod *quidquid acquirit monachus monasterio acquirit.* Et quamvis Societas non sit capax succedendi suis professis; hoc tamen non debet intelligi, ut post professionem non acquirat Societas per suos professos, sed solum quod per professionem non transeant bona professi ipso jure in Societatem, sed potius debeant spectare vel ad hæredes a professo destinatos, vel ad hæredes ab intestato, nisi ipse ante professionem in favorem alicujus renuntiasset, quomodo posset etiam renuntiare in favorem ejusdem Societatis, et tunc succederet non vigore professionis, sed vigore renuntiationis; postquam vero professus est, non est incapax societas, sicut nec ulla alia religio, acquirendi per professum : nam si amicus det eleemosynam vel quidquam aliud professo; non est dubium quod id totum acquiratur Societati, seu domui aut collegio in quo habitat. Et quamvis professus Societatis non possit esse hæres ab intestato, neque ex testamento, atque ideo si ei hæreditas aliqua deferretur, non posset Societas illam acquirere, quia professus non potest esse hæres, ut vidimus dubio præcedenti : est tamen capax professus ille legati, atque ideo illud etiam acquireret Societati et collegio, vel domui in qua esset. Hinc autem videtur colligi, quod renuntiatio præcedens facta in favorem unius collegii non facit quod legatum post professionem relictum illi professo, non acquiratur collegio in quo tunc temporis commoretur, quando legatum illud legatario debet acquiri.

Potest autem hoc dupliciter probari. 4
Primo a posteriori, quia si renuntiatio præcedens extenderetur ad omnia illa bona quæ professo quocumque modo post professionem advenirent, ita ut ea omnia deberent ad collegium illud pertinere, in cujus favorem renuntiatio facta fuit; sequeretur quod etiamsi professus ille in alia domo vel collegio permanenter habitaret; omnia tamen dona etiam minima, quæ ab amicis ei darentur, eleemosynæ quæ ei tribuerentur, libri et utensilia, et alia ejusmodi deberent acquiri ipso facto collegio illi in cujus favorem renuntiavit, quæ omnia certissimum est esse contra praxim Societatis, in qua hæc omnia pertinere intelliguntur ad domum vel collegium cujus subditus est professus, perinde ac si in illius favorem antea renuntiasset : fatendum ergo est renuntiationem non extendi ad ejusmodi bona, quæ postea adveniunt professo, atque adeo nec ad illud legatum. Neque enim apparet probabilis differentia inter legatum illud et alia bona enumerata : nam in hoc solum differrere videtur legatum a donatione inter vivos, quod hæc fiat a vivente et irrevocabiliter, legatum vero relinquatur a moriente et revocabiliter quandiu vivit. Si ergo centum auri donati professo ab amico, vel fratre, pertinent ad collegium illud in quo tunc est, cur iidem centum aurei relicti eidem professo

ab amico, vel fratre moriente non pertinebunt ad idem collegium, sed ad aliud in cujus favorem renuntiavit ante professionem?

5 Unde colligi potest secunda ratio a priori, quæ partim fundari potest in intentione renuntiantis, qui solum videtur intendere renuntiare id quod habet, quam intentionem ostendit clare effectus ipse, cum post renuntiationem adhuc professus acquirat alia omnia quotidie alteri collegio, sine ulla hæsitatione orta ex renuntiatione præcedente : partim etiam fundari videtur ratio et hæc ipsa intentio in repugnantia ad renuntiandum alio modo : in rigora enim non potest quis in aliud transferre id quod nec habet nec ad id ullum jus habebit. Ea autem quæ professo post professionem dabuntur, non habet, quando renuntiat, nec jus quidem ad rem : sed nec post professionem illa habebit, nec ullum jus ad ea, cum sit incapax dominii vel juris habendi, sed totum jus est ipsius conventus, ut constat. Quomodo ergo potest per renuntiationem transferre in alium tertium illa jura, quæ nec tunc habet nec habere poterit?

6 Potest autem hoc declarari exemplo servi, cui quoad hoc videtur æquiparari professus : nam sicut servus acquirit domino, ita professus acquirit suo monasterio : imo difficilius et minus possibile est, quod professus non acquirat monasterio, quam quod servus non omnia acquirat domino, ut multis exemplis probavi tom. I. *de Justitia* disp. III. sect. 3. numer. 56. et sequentibus. Ponamus ergo quod Titius, dum liber erat, renuntiaverit omnia sua bona præsentia et futura renuntiatione valida in Seium : postea vero bello captus contrahat justam et legitimam servitutem. Nemo dicet quod ea quæ Titius servus postea acquirit, non acquirat domino, sed quod pertineant ad Seium ob renuntiationem præcedentem, hoc certe esset in fraudem veri domini : omnes enim quando ad bella procedunt, possent antea disponere de bonis omnibus præsentibus et futuris, ut dominos, si forte in servitutem inciderent, fraudarent bonis omnibus quæ in statu servitutis postea acquirerent. Similiter ergo professus non potest ante professionem disponere in favorem alterius de bonis, quæ post professionem acquiret, in præjudicium religionis vel monasterii cui postea necessario debet acquirere, nec potest dicere : Ego quidem me trado religioni ita tamen ut postea non acquiram religioni, sed meis amicis. Ratio autem est quam indicavimus, quia de iis quæ nec sua sunt nec erunt, nec in ea jus habet aut habebit, non potest disponere ut in alium pro libito ea transferat. Bona ergo quæ post professionem, sive ex donatione sive sua opera et industria acquisierit cum jure ipso, non ad professum sed ad monasterium pertineant, non possunt pro solo libito professi in alium transferri.

Nec obstat, quod in renuntiatione posita sit clausula universalis, *de omnibus bonis, et juribus, præsentibus, et futuris :* tum quia illa verba ponuntur ex usu notariorum, qui in aliis renuntiationibus universalibus uti solent verbis illis, et ideo etiam in renuntiatione religiosi eadem verba apponunt ad significandam et exaggerandam universalitatem renuntiationis : tum, quia in hac etiam possunt aliquem effectum habere, si v. gr. medio illo tempore inter renuntiationem et professionem aliqua bona, vel jura religioso advenirent, quæ virtute illorum verborum comprehensa intelligerentur in renuntiatione præcedenti : denique verba illa nihil nocere possunt, cum eorum sensus sit conditionalis, nempe, *sit aliqua bona, vel jura in futurum habebo ;* quæ tamen conditio post professionem non potest verificari, cum professus nullius boni, vel juris habendi sit capax, ut dictum est.

Una potest superesse difficultas ex dictis dubio præcedenti, ubi diximus, posse professum ante professionem renuntiare valide hæreditati futuræ, ad quam tunc

nullum adhuc jus habet, ita ut si post professionem hæreditas vel successio adveniat, monasterium non possit nomine professi hæreditatem illam prætendere, quæ jam renuntiata supponitur : ergo jam videtur posse religiosus ante professionem disponere valide de jure quod nondum habet, sed post professionem adveniet, atque adeo poterit valide transferre in alium jus illud, quod post professionem ei relictum fuerit.

9 Respondetur tamen ex dictis eodem loco, renuntiationem illam ante professionem factam posse dupliciter considerari. Primo, quatenus est abdicatio juris post professionem adventi. Secundo, quatenus est translatio illius juris in alium. Primo modo diximus posse renuntiare jus ad hæreditatem, vel legata futura : nam, in rigore loquendo, tunc non renuntiatur aliquid futurum sed præsens, nempe capacitas ad illa, qua capacitate renuntians se spoliat, et quidem in gratiam alterius, cui non dat jus ad illam hæreditatem vel legata, sed in ejus gratiam aufert impedimentum reddendo se incapacem, ut eo impedimento ablato possint postea bona illa ad ipsum pertinere, vel ab intestato vel alio modo, et ad hoc potissimum deservire videtur illa renuntiatio. Secundo autem modo non videtur posse renuntiari jus quod nondum habetur, nec unquam habebitur transferendo illud in alium in præjudicium alterius, nempe conventus ad quem postea jus illud spectabit, quia tunc renuntians positive daret alteri id quod ipse nec habet nec unquam habebit. Aliter dicendum esset de renuntiatione legitimæ, quam quidem licet filius actu non possideat vivente patre, habet jus ad illam, et hæc est filio debita : quare de hac non nego posse ante professionem renuntiari a filio in favorem alterius, cui ex nunc eam donet : sed loquimur nunc de hæreditate vel legatis quæ renuntiari non debentur. Hæc autem dicta sunt ad majorem abundantiam, ut ostenderemus non posse in favorem alterius loci pii renuntiari legata ventura, ita ut post professionem non acquirantur conventui, ad quem professus pertinet, sed illi alteri; quidquid enim de hoc sit, certum videtur intentionem renuntiantis ante professionem non extendi ad ea bona, ut praxis ipsa ostendit, cum multi ante professionem renuntient omnia sua bona præsentia et futura, in favorem alicujus consanguinei, vel loci pii ; et tamen post professionem quidquid iis ab amicis datur, sive sit pecunia sive res aliæ magni pretii, absque controversia vel scrupulo ab iis accipiuntur et acquiruntur conventui ad quem professus pertinet, qua praxi supposita ; non video cur non sit idem dicendum de legatis, quæ nihil aliud sunt quam donationes quædam a moriente relictæ. Post hæc autem scripta vidi Lezanam to. v. parte posteriori, ubi super *mare magnum Servitarum* num. 106. eadem sententiam in simili casu defendit, ob easdem fere rationes, et affert pro ea Pasqualigum *in centuria quæstionum moral.* quæst. 14.

## DUBIUM VI.

*Quando aliquis e Societate ante professionem relinquit legatum cuidam collegia, an Generalis possit post mortem testatoris illud acceptare?*

Quidam e societate post vota biennii, 1
sed adhuc non professus, cum nondum renuntiationem fecisset, incidit in morbum, et morti proximus legatum reliquit cuidam collegio Societatis existentis intra eamdem provinciam, sub ratihabitione Patris Generalis, hoc ei suadente Provinciali. Quæsitum fuit, an mortuo jam testatore ; possit Generalis ratum habere et acceptare illud legatum ?

Ratio dubitandi erat, quia idem Gene- 2
ralis anno 1618. et anno 1620. et alias suis privatis litteris respondit : « validam

quidem esse donationem ab ejusmodi personis Societatis factam Societati in genere, etiam absque consensu superiorum : non vero si fieret alicui collegio particulari absque approbatione Generalis : quare, si ante hanc approbationem contingat donatorem mori, devolvi bona ad hæredes ab intestato. » Videbatur ergo in casu nostro legatum illud devolutum ad hæredes, cum mortuus sit testator ante acceptationem vel approbationem Generalis.

3 Dixi tamen, posse Generalem ratum habere et acceptare legatum illud etiam mortuo testatore. Pro quo suppono primo, ejusmodi religiosos Societatis ligatos solum votis biennii, et antequam fiant professi, vel coadjutores formati, posse valide testari de suis bonis : nam, quamvis non possint licite de iis disponere, atque adeo nec etiam testari sine licentia superioris, dispositio tamen valida erit, ut cum P. Suarez et Sanchez dixi contra alios tom. I. *de justitia*, disp. III. sect. 6. n. 116. et sect. 4. n. 79. ubi n. 81. addidi testamentum illud esse irritabile a Prælato, quandiu testator vivit, non tamen eo mortuo, quia jam tunc non subordinatur voluntas defuncti voluntati prælati, cum jam non sit amplius ejus subditus.

4 Suppono secundo, hanc prohibitionem renuntiandi in favorem alicujus loci determinati Societatis sine facultate Generalis fundari in ipsis Societatis constitutionibus, ut constat ex earum p. III. cap. I. §. 9. et in margine littera H. ubi S. Ignatius dicit, melius et perfectius esse, si is qui ingressu Societatis aliquam bonorum suorum partem eidem Societati vult applicare, nullum designet locum ; sed id totum arbitrio Generalis relinquat. Si tamen velit omnino locum aliquem designare, monendum esse Generalem, ut videat an renuntiantis imperfectioni in hac parte indulgendum sit. Unde postea in congregatione generali II. decreto 22. statutum fuit, ut si renuntiatio fieret in favorem collegii extra suam provinciam, (sic enim legi debet, non vero intra provinciam, ut per errorem legitur,) renuntiatio non acceptetur : si vero in favorem collegii certi intra provinciam sit in manu Generalis probare vel improbare eam applicationem. Denique in congregatione generali III. decreto 16. additum fuit, ne etiam intra eamdem provinciam acceptaretur : quando loca ejusdem provinciæ erant sub dominio diversorum principum, et bona essent transferenda ab uno in aliud dominium, si principum offensio ea de causa timeretur.

His suppositis, probatur jam posse P. Generalem in casu nostro acceptare legatum illud. Primo, quia nec ex constitutionibus, nec ex decretis congregationem prohibetur acceptare, quando donatio fit intra eamdem provinciam, et bona non sunt sub dominio diversorum principum, prout erat in hoc casu, in quo collegium est intra eamdem provinciam, et sub dominio ejusdem principis. Epistolæ autem illæ privatæ, quibus dicit donationem quæ fit sine consensu Generalis collegio determinato, non esse validam, imo si donator ante Generalis approbationem decedat, bona devolvi ad hæredes ab intestato, illæ, inquam, epistolæ vel fuerunt ad terrorem, ne fierent tales donationes, vel certe Generalis non ideo abdicavit a se facultatem acceptandi donationes. Quomodo enim potuit valide, et irrevocabiliter abdicare a se jus acceptandi, si abdicatio illa nec fuit intimata iis, qui habere poterant interesse, nec ab iis acceptata ? Semper ergo retinent facultatem acceptandi eas donationes, quod multo magis procedit in casu nostro, in quo legatum relictum fuit cum clausula expressa ratihabitionis futuræ ipsius Generalis.

Secundo probatur hoc ipsum clare, quia epistolæ illæ, seu declarationes Generalis loquuntur de solis donationibus, non de legatis quæ multum a donationibus differunt, nec de illis Generalis cogitavit. Et quidem de legatis nemo unquam

dubitavit, quod possint post mortem testatoris acceptari : imo non possunt ante ejus mortem acceptari, cum adhuc valida non sint. De donationibus vero est duplex sententia. Prima dicit, mortuo donatore ante acceptationem donatarii, donationem non valere. Secunda dicit, posse adhuc donatarium valide acceptare post mortem donatoris ; quam ut probabiliorem amplexus sum tom. II. *de justitia*, disp. XXIII. sect. 5. n. 73. ubi auctores utriusque sententiæ retuli. Potuit ergo P. Generalis in illis litteris priorem sententiam amplecti, et ideo supponere quod mortuo donatore ante acceptationem bona devolvebantur ad hæredes ab intestato. De legatis tamen id non dixit nec dicere poterat, quæ in omnium sententia acceptari possunt post mortem testatoris.

7 Solum posset obstare, quod in nostro casu testator non potuit eo modo de suis bonis disponere juxta Societatis constitutiones, in quibus habetur quod novitius, vel ligatus votis biennii, debent abdicare se bonis suis, et quidem irrevocabiliter, ut ex iisdem constitutionibus supponit Thomas Sanchez lib. VII. *in Decalog.* cap. VIII. num. 22. dispositio autem testamentaria non est irrevocabilis, sed revocabilis ad nutum, ut constat : non ergo potuit per modum legati id fieri.

8 Respondetur facile, inprimis id ad summum probare, quod non potuit licite, non tamen quod non potuerit valide fieri ; nam, ut supra vidimus, peccant quidem contra votum paupertatis ejusmodi non professi disponentes de suis bonis sine debita licentia ; valide tamen disponunt. Deinde in casu nostro intervenit licentia Provincialis, et facta est dispositio dependenter ab approbatione Generalis, et sub ejus ratihabitione, et quamvis Sanchez ubi supra n. 23. dicat solum Generalem posse ejusmodi personis concedere licentiam testandi ; tamen ipsemet fatetur, quod in mortis periculo, quando Generalis consuli non potest, et adest justa causa, potest Provincialis eam licentiam concedere, imo eo absente, superior localis. Unde ego etiam tom. I. *de justitia*, disp. III. s. 6. n. 116. dixi, sufficere licentiam Provincialis, quando testamentum fieret proxime ante professionem, per quam statim redditur omnino irrevocabile, quam solam irrevocabilitatem intendunt constitutiones, ut religiosus maneat sine spe recuperandi bona sua. Hæc autem omnia intervenerunt in casu nostro, erat enim testator morti proximus, nec poterat consuli Generalis ; nec fieri ita commode donatio inter vivos, quæ cum non posset acceptari a Generali vivente donatore, maneret sub opinione ejus valor. Unde valide, et licite potuit Provincialis licentiam concedere, et expectare postea consensum Generalis ad acceptandum legatum.

## DUBIUM VII.

*Quid faciendum de eleemosyna annua relicta Domui professæ societatis JESU.*

N. Testator jussit, ut ejus hæres sin- 1
gulis annis daret domui professæ Societatis certam summam in eleemosynam et singulis vicibus declararet, se illam summam dare solo titulo eleemosynæ, et non propter jus aliquod quod domus professa haberet ad illam petendam. Patres tamen nolebant illam accipere, quia videbantur sub eo titulo palliari reditus annui, quorum domus professa incapax est. Dubitabatur, quid expediret, quia si fabrica S. Petri sciret illud legatum pium non posse impleri, fortasse jure suo illud sibi usurparet.

Dixi, in illa testatoris dispositione nihil 2
reperiri quod repugnet constitutionibus Societatis, vel paupertati domus professæ ; quæ quidem nullum jus civile vel naturale acquirit ad illam eleemosynam accipiendam, vel petendam. Hæres tamen ex obligatione non erga Societatem,

sed erga testatorem, debet illam errogare, in quo conveniunt omnes scriptores Societatis, Suarez to. IV. *de Religione*, tract. x. lib. iv. *de votis simplicibus*, c. 9. nu. 9. et clarius t. III. lib. viii. cap. xvii. num. 19. Sanchez lib. VII. *in Decalog.* cap. xxvii. nu. 9. Castro Palao to. III. tract. xvi. disp. iii. punct. 10. nu. 5. et ego idem asserui t. I. *de Justitia*, disp. iii. sect. 5. n. 106. dummodo hæres gravatus non sit aliquod collegium Societatis ; nam in hoc casu non posset acceptari cum illo gravamine, ut declaravit congregatio generalis VII. decreto 50. Unde nu. 107. addidi posse etiam testatorem imponere suo hæredi sæculari, ut suo filio professo Societatis offerat singulis annis centum aureos, non intendens dare jus ullum filio, sed solum imponere onus hæredi.

3 Ratio est, quia, licet quoad fratres minores de observantia dubitetur an possint pecuniam illam annuam sic relictam accipere, quibusdam id affirmantibus, quos affert Sanchez d. lib. VII. *in Decalog.* c. xxvi. nu. 48. aliis id negantibus, quos sequitur idem Sanchez ibi nu. 49. id provenit ex prohibitione speciali illis facta acceptandi, nisi hæres agnoscat se nullam habere obligationem dandi, sed gratis et libenter id dare. Societati autem hæc prohibitio non est facta, sed potius contrarium ex ejus constitutionibus clare colligitur. Nimirum VI. p. c. ii. nu. 2. in margine littera B. sic dicitur: « Si aliquis ex fundatoribus domorum vel ecclesiarum, vellet reditus aliquos ad fabricæ usum relinquere, dummodo nec dispositio eorum ad Societatem pertineat, nec sit unde ei competat actio ad illos (quamvis id illi curæ esset, ut is, cui tale munus commissum est, suum officium faceret) et sic in rebus similibus, non esset id a Societatis paupertate alienum. » In quibus verbis solum aufertur a domo professa jus vel actio ad illas pecunias petendas, non tamen potestas eas acceptandi si testator jubeat hæredi eas dare. Quamvis autem exemplum ponatur de reditibus relictis a fundatore domus professæ, vel ecclesiæ : idem tamen intelligitur de relictis ab aliis, ut constat ex illis ultimis verbis, *et sic in rebus similibus*, etc. quæ verba, ut ponderat Suarez loco citato, debent extendi ad alias personas testatorum : nam quod attinet ad res annuas quæ relinqui possunt, jam omnes comprehensæ fuerant sub nomine *redituum ;* extensio ergo est ad alia, quæ a quibuscumque aliis eo modo relinqui possent, nullo dato jure ipsi Societati ad exigendum.

Quod rursus clarius constat ex eodem 4
ca. iii. §. 6. ubi supponitur omnino libertas in testatoribus ad id faciendum : Societati autem aufertur jus civile ad petendum, et deinde ob ædificationem prohibentur personæ Societatis, ne invitent testatores ad eas eleemosynas perpetuas relinquendas, sed propriæ devotioni eis permittant. Verba constitutionis sunt hæc : « Quamvis ad bona et sancta opera, et maxime perpetuo duratura invitare laudabile sit ; ob majorem tamen ædificationem nullus de Societate debet, nec potest quemquam ad eleemosynas perpetuas domibus vel ecclesiis ejusdem Societatis relinquendas incitare : et si aliqui sponte sua illas relinquerent, nullum jus civile ad eas petendas in judicio acquiratur ; sed cum ad id charitas propter Deum eos moverit, tunc eas elargiantur. » Quæ postrema verba possent aliquem movere, ut putaret non posse Societatem eos reditus ab hærede accipere, quando ipse hæres ex obligatione dat, sed solum quando sponte ex charitate et libere dat. Atque ideo P. Suarez respondet, verba illa non excludere obligationem in hærede, sed solum obligationem justitiæ erga Societatem : potest tamen charitas Dei hæredem movere ut satisfaciat debito suo erga testatorem. Hæc tamen explicatio duriuscula est, et sensus planus illorum verborum est, ut non intelligantur de hærede, sed de testatoribus relinquentibus illas eleemosynas, qui proprie illas elargiuntur. Constat autem hic sensus ex

quod superior domus professæ singulis annis accipiat eleemosynam illam de manu hæredis, qui est mons pietatis, et postea illam reddat eidem monti ad usus pios ; quod videtur facere posse saltem de licentia Generalis, qui propter ædificationem et justas causas videtur posse dare summam illam, quæ non excedit 170. ducata regni Neapolitani annua, et applicare illam ad eleemosynas. Solum possent obstare verba testatoris, qui jubet hæredi dare illam pecuniam *ad necessitatem Patrum*. Sed hæc verba non videntur inducere necessitatem expendendi pecuniam illam in victu domestico, juxta ea quæ in simili dixi disp. XXIII. *de Justitia*, n. 111. et docet Molina t. I. *de Justitia*. disp. 208. Et certe ea quæ quotidie fideles dant domui professæ in eleemosynam, dantur ad domus ejusdem necessitates, et tamen eorum pars convertitur in eleemosynas aliis pauperibus faciendas : posset ergo illa etiam pars converti. Alioquin, si nec hoc modo pecunia illa accipiatur a Patribus, timeri potest ne fabrica se ingerat et prætendat jus ad omnia, quæ de facto non expenduntur in usus destinatos a testatore. Optimum autem et tutissimum esset accipere illam eleemosynam, et expendere in usus ejusdem domus professæ, prout tutissima conscientia fieri potest.

## DUBIUM VIII.

*An potuerit testator obligare collegium Societatis ad dandos domui professæ reditus annuos per viginti annos ?*

1 Supponendum est collegia Societatis posse habere bona stabilia, et reditus annuos, domos vero professas non posse, sed debere vivere ex eleemosynis ; cum quo stat quod, ut diximus *dubio præcedenti*, possit testator obligare suum hæredem ad dandam singulis annis certam eleemosynam domui professæ, ad quam tamen exigendam in judicio vel extra, nullum jus domus ipsa professa habet ; quia tamen aliqui testatores instituebant hæredem aliquod collegium Societatis, et illud gravabant et obligabant ad dandam eleemosynam annuam domui professæ, nullum jus dando eidem domui, sed solum imponendo obligationem collegio, quod quidem videbatur fieri in fraudem mendicitatis, ad quam domus professa tenetur : idcirco in congregatione Generali VII. decreto 50. prohibitum fuit, ne hæreditas vel legata relicta collegiis cum ejusmodi onere dandi aliquid annuum domui professæ, ullo modo admitterentur ; quod quidem jure optimo sancitum fuit ; quia quando Societatis constitutiones permittunt quod domus professa possit acquirere eleemosynas quas hæres a testatore obligatus elargitur, addunt id tunc solum fieri posse quando ad Societatem nulla actio nec dispositio aut dispensatio redituum pertineat ; ita enim habetur VI. p. c. II. §. 2. his verbis : « Reditus nulli, ne sacristiæ quidem, aut fabricæ applicari, haberive possint : sed neque ulla alia ratione, ita ut penes Societatem eorum sit ulla dispensatio, etc. » et in declaratione littera B. « Si aliquis ex fundatoribus domorum vel ecclesiarum vellet reditus aliquos ad fabricæ usum relinquere ; dummodo nec dispositio eorum ad societatem pertineat, nec sit, unde ei competat actio in illos, etc. non esset id a paupertate Societatis alienum. » In quibus locis adverto non solum excludi ab ipsa domo professa jus, actionem, et dispositionem circa reditus, sed etiam ab ipsa Societate. Non enim dicitur, dummodo actio vel dispositio non pertineat ad domum, sed dummodo non pertineat *ad Societatem* : in eo autem casu quamvis non pertineret ad domum ipsam professam ; pertineret tamen ad Societatem cujus collegium haberet dominium illorum redituum, et obligationem disponendi de illis in illos casus :

quare modus ille non posset esse juxta Societatis constitutiones.

2 His ergo suppositis ; et ut salvis constitutionibus posset fieri, testator quamdam viam invenire volebat, nimirum relinquere certam summam, seu aliqua bona stabilia collegio cuidam Societatis, cum hoc onere ut ex fructibus daret domui professæ per viginti annos certam eleemosynam annuam, quibus elapsis eidem domui professæ daret totum capitale, quod jam deinde non fructificaret amplius, sed consumeretur in necessitatibus, vel usibus ejusdem domus : quod quidem aliquibus videbatur non esse contra constitutiones, nec contra decretum illud 50. Congregationis septimæ generalis, quo prohibetur ne collegia admittant legata vel relicta cum illo onere : nam in eo casu videntur solo nomine bona illa collegio dari : in re tamen non dari ei nisi meram administrationem, cum totis illis vigenti annis deberet omnes fructus domui dare in eleemosynam, et illis elapsis deberet ei dare ipsum capitale, vel ejus pretium : nihil ergo collegio legatur vel relinquitur, atque ideo non intrat decretum congregationis, quo prohibentur collegia ejusmodi legata vel relicta acceptare.

3 Dixi tamen primo, id eo modo fieri non posse, quia vel collegium intervenit accipiendo aliquod jus super illa bona, vel nullum prorsus jus accipit. Si accipit aliquod jus, id erit clare contra decretum illud 50. congregationis, quo prohibetur collegium acceptare aliquod legatum vel relictum cum onere dandi annuum aliquid domui professæ, quæ jam tunc acciperet reditus ex obligatione collegii, quod tenetur ex suis vel acceptatis a se dare illos reditus ; si vero collegium nullum jus acquirit, erit clarius contra constitutiones loco cit. nam ex illo legato debuit jus acquiri : si ergo non acquiritur collegio, acquiretur domui professæ, quæ quidem capax est legati etiam bonorum immobilium, sed non est capax redituum et fructuum per longum tempus, quale procul dubio est tempus viginti annorum, ut docet Sanchez lib. VII. *in Decalog.* cap. XXVI. num. 39. et cap. XXVII. num. 6. et 22. et nos diximus disp. III, *de Justitia*, sect. V. nu. 99. non ergo potest illo modo vitari violatio constitutionum et decretorum Societatis circa paupertatem domus professæ.

Dixi tamen secundo, posse, in rigore 4
loquendo, id alio modo saltem speculative justificari, quidquid sit an in praxi expediat ; posset enim testator vel donator in vita sua dare, seu consignare collegio bona illa, seu summam pecuniæ, non ut donatario, sed ut mere mandatario cum mandato expresso ea bona administrandi, et ei in vita sua reddendi fructus : post suam vero mortem dandi fructus in eleemosynam domui professæ per viginti annos, ipsa domo nullum jus acquirente ad fructus, et iis annis elapsis vendendi bona et dandi pretium eidem domui ; hoc enim modo collegium non acceptat legatum vel donationem ullam cum onere dandi reditus domui professæ, sed habet merum mandatum dandi eleemosynam nomine alterius : quod mandatum ad opera pia non expirat morte mandantis, ut cum Sanchez dixi t. II. *de Justitia*, disp. XXIII. sect. 5. n. 8. Aliunde vero domus ipsa professa nullum jus acquirit ad reditus illis viginti annis, sed eos accipit in eleemosynam de manu donatoris per merum mandatarium : denique elapsis viginti annis non est necessaria facultas sedis Apostolicæ ad alienanda et vendenda ea bona, cum collegium nihil suum vendat, sed bona defuncti ex ejus mandato.

Ad lites tamen et dubia vitanda, oportet primo quod hujusmodi mandatum expresse et per publicam scripturam daretur. Secundo, quod donator in suo testamento alium hæredem instituat, ad quem directe pertineat repræsentare personam defuncti et ejus mandatum sustineat. Tertio, ut explicetur mandatum duraturum etiam post mortem mandan- 5

tis, atque ideo ejus morte non expirare. Quarto, ut prohibeatur hæredes impedire executionem mandati, et rationem petere a collegio de observatione mandati. Quinto, ut bona consignentur in vita donatoris collegio ad vitandas lites cum hærede. Sexto, ut explicetur, nullum prorsus jus dari domui professæ ad fructus in illis viginti annis, sed solum ad capitale iis elapsis. Septimo, ut explicetur etiam collegium esse merum mandatarium sine ullo jure ad bona, nec ad eorum fructus. Cum his cautelis probabile videtur, speculative loquendo, id non esse contra constitutiones vel decreta Societatis; videtur enim esse solum legatum vel donatio in diem capitalis, nempe post viginti annos reservante sibi interim donatore fructus, et dante mandatum ad eos expendendos, quod non videtur esse aliud quam obligare hæredem ad dandos illos fructus in eleemosynam toto illo tempore, et ad deputandum collegium tanquam procuratorem cum mandato irrevocabili ad exequendum.

6 Dixi tamen, hoc videri probabile *speculative loquendo;* nam in praxi non facile crederetur hoc non esse contra constitutiones, et decreta Societatis : si enim hæc via aperiretur, posset ipsemet procurator pro tempore domus professæ deputari a testatore vel donatore administrator illorum bonorum, et executor ad dandam eleemosynam annuam ex fructibus ipsi domui per 30. vel 40. annos, et postea ad vendendum capitale, et applicandum pretium eidem domui : quod haberet speciem possidendi bona fructifera per longum tempus, et reipsa haberet eosdem effectus. Quare, si hoc introduceretur, merito in congregatione generali ab ipsa Societate prohiberetur in futurum. Considerandum ergo est, an expediat etiam pro una vice illud permittere.

## DUBIUM IX.

*An collegium Societatis gravari possit a testatore ad dandos reditus annuos perpetuos domui professæ ad fabricam ecclesiæ a se fundatæ ?*

Hoc dubium connexionem magnam habet cum dubio præcedenti, et de eo disputatum multum fuit pro utraque parte. N. testatrix hæredem reliquit quoddam collegium Societatis, illudque gravavit ut daret singulis annis certam summam notabilem pro construenda ecclesia domus professæ, quam ecclesiam eadem testatrix fundaverat. Dubitatum fuit an finita ecclesiæ fabrica, quæ quidem nonnisi post multos annos absolvetur, continuari debeat solutio illa pro reparatione necessaria ejusdem fabricæ. 1

Difficultas oritur ex decreto illo 50. congregationis generalis septimæ, citato præcedenti dubio, in quo prohibentur collegia Societatis accipere reditus annuos donatos, vel legatos cum onere dandi vel erogandi eorum partem annuam domui professæ, quia id instituto et puritati paupertatis repugnare videbatur. Non tamen defuerunt qui acriter defenderent debere collegium in perpetuum domui professæ partem illam a testatrice assignatam erogare etiam constructa jam ecclesia, pro ejus reparatione. 2

Quod primo probabant ex P. Suarez tom. IV. *de Religione*, tract. x. lib. iv. cap. 9. nu. 7. et sequentibus, ubi, postquam dixit domum professam non esse capacem ullius juris civilis, vel naturalis ad annuos reditus, addidit neque etiam accipi posse, licet hæres sit gravatus a testatore ad aliquid per modum annuæ eleemosynæ dandum, nisi in solo casu in constitutionibus Societatis expresso VI. p. c. II. §. 2. in declaratione littera B. 3

ubi ponitur exceptio his verbis : « Si aliquis ex fundatoribus domorum, vel ecclesiarum vellet reditus aliquos ad fabricæ usum relinquere, dummodo nec dispositio eorum ad Societatem pertineat, nec sit unde ei competat actio in illos (quamvis id illi curæ esset, ut is cui tale munus commissum est, suum officium faceret) et sic in rebus similibus, non esset id a Societatis paupertate alienum. » In quibus verbis putat Suarez duas conditiones requiri, ut hæc exceptio habeat locum, nempe quod testator vel donator sit ipsemet fundator ecclesiæ vel domus, et quod eleemosyna annua sit solum ad fabricam, quia exceptio firmat regulam in contrarium : et quia id debeatur specialiter fundatoribus propter gratitudinem, et quia sunt veluti domini et patroni ad quos maxime spectat, et in quorum commodum redundat, quod ejusmodi ædificia perpetuo conserventur. Quamvis autem idem Suarez postea nu. 9. probabile putet, etiam ad alios usus præter fabricam, et ab aliis quam a fundatoribus posse ejusmodi eleemosynas annuas domui professæ relinqui, nullo remanente jure, vel cura penes Societatem : ex illa tamen priori ejus doctrina colligere volebant ipsum sensisse, casum nostrum non esse contra decretum illud septimæ congregationis. Primo, quia nu. 7. postquam illius decreti meminit, quo prohibentur collegia annuos reditus cum illo onere accipere, statim addit, quamvis Silvester et alii dicant conventus mendicantes posse illos reditus accipere, quando non habent jus exigendi, et dantur illis in eleemosynam ; id tamen domos professas Societatis non posse, nisi quando reditus ad fabricam a fundatore relinquuntur. Sentit ergo in eo casu non esse contra decretum congregationis, cujus proxime meminerat. Secundo quia ipse sentit quod propter rationes speciales fundatorum et fabricæ non fuit a Societate comprehensus ille casus in constitutione prohibente annuos reditus ab hærede ex obligatione erogandos domui professæ nullum jus ad illos habenti : ergo sentit, quod juxta Societatis mentem non comprehenditur ille casus specialis fundatoris et fabricæ in decretis generalibus prohibentibus ejusmodi annuos reditus eleemosynaliter accipiendos. Non ergo comprehenditur in decreto septimæ congregationis, quod generaliter loquitur et prohibet collegia acceptare legata cum onere dandi domui professæ eleemosynam annuam.

Hoc totum argumentum ex doctrina Suarii inductum dixi infirmum esse ad intentum, quia idem Suarez nu. 6. et 7. omne jus civile et naturale negaverat Societati ad ullos reditus. Exceptio autem quam addit de reditibus a fundatore ad fabricam relictis nihil juvat ; illa enim exceptio intelligi debet cum limitationibus additis in eadem constitutione, et quas refert et addit idem Suarez : nimirum, *dummodo nec dispositio eorum ad Societatem pertineat, nec sit, unde ei competat actio in illos* : quæ conditiones in nostro casu deficiunt : nam, licet domui professæ non competeret, nec ad ipsam pertineret dispositio : pertineret tamen ad Societatem, cujus pars est collegium quod habet jus ad totum legatum, cum obligatione erogandi illam partem redituum ad fabricam ecclesiæ domus professæ ; quare ad ipsam Societatem pertineret vere et in rigore actio, et dispositio circa reditus illos. 4

Similiter falsum est quod dicebatur casum specialem redituum a fundatore relictorum ad fabricam non intelligi contentum in prohibitione generali redituum, nisi expresse nominetur : idque ex mente constitutionis esse, et ejusdem Suarii : hoc, inquam, falso supponitur. Pro quo advertendum est, in dicto cap. II. partis VI. constitutionum prohiberi in universum domui professæ omnes reditus etiam ad sacristiam vel fabricam, de quibus ibi expresse mentio fit, neque ab hac regula fieri ullam exceptionem circa reditus a fundatore relictos ad fabricam. Dubitari tamen poterat de reditibus ad 5

quos societas nullum haberet jus, sed hæres haberet obligationem dandi illos per modum eleemosynæ, nullo jure remanente penes Societatem. De his autem addita est ibidem, non quidem exceptio sed declaratio, quod non comprehenduntur in illa prohibitione, apposito exemplo redituum quos fundator jubet a suo hærede dari in eleemosynam annuam ad fabricam, non remanente jure vel dispositione penes Societatem : et statim additur idem debere intelligi in aliis similibus ; quod totum non fuit dispensare in supraposita prohibitione, sed declarare quod hi casus non comprehenduntur in illa : solum enim prohibiti fuerant reditus ad quos societas haberet jus civile, vel naturale. Nullum ergo ibi privilegium speciale conceditur fundatoribus, aut fabricæ contra constitutionem præcedentem, sed ad tollendum omne dubium, explicatur id non esse contra paupertatem, ut observavit etiam Castro Palao tom. III. tractat xv. disputat. III. puncto 10. num. 5. ubi etiam notavit factam fuisse nominatim mentionem fundatoris et fabricæ ad indicandum quod in iis, et similibus circumstantiis erat major convenientia ad acceptandas similes eleemosynas annuas ab hærede ex obligatione sine jure ex parte Societatis, quas fortasse in aliquibus aliis casibus non expediet accipere propter ædificationem et majorem paupertatis puritatem, quamvis in rigore non sint contra votum nec contra constitutiones Societatis. Nihil ergo ex toto illo loco, neque ex Suarii doctrina colligi potest ad casum nostrum, in quo jus et dispensatio manet penes Societatem.

6 Unde obiter responderi potest ad secundum argumentum, quod pro debito illorum redituum fiebat ab illis doctoribus : quia nimirum in illo decreto septimæ congregationis, quo prohibentur ejusmodi eleemosynæ annuæ solvendæ ex obligatione a collegiis domibus professis, non fit mentio de reditibus annuis relictis a fundatore ad recuperandam fabricam, qui cum sint specialiter privilegiati ob gratitudinem debitam conservandi fabricam, debuissent specialiter nominari si prohibendi fuissent. Respondetur enim illos etiam reditus comprehendi sub prohibitione universali omnium redituum, nam decretum illud factum fuit ad explicandam mentem constitutionis, ut constat ex ejus verbis : propositum enim fuit congregationi ut declararet : « an contra constitutiones et instituti rationem esset admittere annuos perpetuos reditus collegio alicui donatos aut legatos, cum onere partem illorum annue domui professæ dandi et erogandi. Censuit congregatio, videri cum instituto et peculiari paupertatis professorum voto, nostræque paupertatis puritate pugnare. Quare nullo modo ejusmodi relictos collegiis reditus admittendos, etc. » Hæc sunt decreti verba, ex quibus constat factum fuisse ad declarandam constitutionem : constitutio autem prohibuerat omnes in universum reditus etiam ad fabricam nominatim, si Societas jus aliquod retineret ad eos vel eorum dispositionem : ergo congregatio de iis omnibus, de quibus loquitur constitutio, respondet pugnare cum instituto, si non extraneus sed collegium aliquod Societatis obligationem habeat eos dandi, vel erogandi domui professæ, quæ repugnantia, ut diximus, fundatur in eo, quod eo casu jus et dispensatio remaneret penes ipsam Societatem, quod etiam in ordine ad fabricam prohibuerat verbis expressis constitutio.

Simile erat tertium argumentum, 7
quod ducebant ex verbis dicti decreti congregationis septimæ, in quibus solum prohibentur collegia acceptare reditus *legatos* vel *donatos*, cum onere dandi partem eorum domui professæ, in casu enim nostro reditus illi non venerunt ad collegium per donationem aut legatum, sed per hæreditatem, sub cujus appellatione nunquam legata vel donationes veniunt, etiam in larga significatione, juxta doctrinam Bartoli in leg. *Centurio*,

num. 59. et aliorum, ibi, ff. *de vulgari.* In lege autem correctoria et odiosa, non fit extensio ad casum verbis non comprehensum, nec ex majoritate rationis, juxta glossam receptam communiter in Authent. *Quas actiones*, et Jasonis ibi nu. 21. Cod. *de sacros. Eccles.* Cum ergo in casu præsenti annui reditus non veniant ad collegium per legatum vel donationem, sed titulo hæreditatis, non intelligitur comprehensus in prohibitione illius decreti congregationis generalis septimæ.

Respondetur facile, inprimis, quamvis congregatio interrogata fuerit de annuis reditibus legatis vel donatis collegio; *legatum* tamen, *et donatio* apposita fuisse per modum exempli. Unde, quando ipsa congregatio respondit ad dubium propositum, non fuit usa nominibus *legali,* vel *donationis,* sed vocabulo universali comprehendit etiam hæreditatem, et dixit nullo modo ejusmodi *relictos* collegiis reditus admittendos; qui sensus universalis constat clarissime ex contextu : quærebatur enim an ejusmodi obligatio collegii dandi partem redituum domui professæ pugnaret cum constitutione : et responsum est pugnare. Certum est autem constitutionem non prohibere solum reditus ex legato vel donatione provenientes, sed omnes undecumque proveniant, ad quos Societas actionem habeat, vel quorum habeat administrationem. Non potuit ergo congregatio judicare ejusmodi reditus pugnare cum constitutione, quando ex legato vel donatione facta collegio proveniunt, quin judicaret æque pugnare cum eadem constitutione, quando proveniunt ex hæreditate collegio relicta cum eadem sit utrobique ratio, quia nimirum in utroque casu æque reditus illi ad Societatis bona, et ad ejus dispositionem pertinerent, quæ sunt conditiones quas constitutio in omnibus reditibus domui professæ erogandis omnino prohibuit.

Quartum denique fundamentum quod afferebant; erat quod decretum illud congregationis non poterat extendi ad reditus tempore antecedenti relictos collegiis, et acceptatos cum iis oneribus eleemosynæ annuæ dandæ domui professæ pro reparatione fabricæ, sed ad summum prohibere acceptationem in futurum. In casu autem nostro agebatur de hæreditate collegio relicta cum eo onere multo ante decretum septimæ congregationis, et acceptata ex consensu P. Claudii Aquavivæ generalis Societatis, atque adeo non videtur subjacere decreto posteriori.

Respondetur tamen, id quidem bene probare, si decretum illud factum fuisset per modum legis novæ : re tamen vera non fuit nova lex, sed declaratio constitutionis et legis antiquæ, cum qua repugnare ejusmodi reditus perpetuos collegio relictos cum obligatione erogandi eorum partem annuam domui professæ declaravit congregatio generalis septima. Si ergo declaratio vera est, fatendum erit repugnasse etiam tempore præcedenti. Quare ex eo quod P. Claudius acceptavit onus illud, colligitur potius mentem testatricis, et P. Claudii acceptantis non fuisse quod illa pars redituum danda esset in perpetuum domui professæ pro reparatione continua fabricæ ecclesiæ, sed quod darentur ad fabricam, hoc est, ad fabricandam ecclesiam quam testatrix destinavit, et jussit in domo professa ædificari, ad quam construendam et fabricandam cum magna summa requireretur, noluit fundatrix gravare suum hæredem, ut totam illam summam statim et semel solveret, sed quod daret illam per partes, nempe singulis annis 1500. ducatos, qui sufficiebant ad fabricam continuandam, quæ obligatio duraret quandiu ecclesiæ fabrica non esset absoluta. Sicut enim qui a testatore jubetur ei constituere sepulcrum, satisfacit sepulcro semel constructo, nec obligatur si forte post aliquod tempus corruit, iterum illud reædificare. Sic hæres gravatus ad fabricandam ecclesiam, satisfacit ea semel fabricata, nec tenetur illam postea

restituere si diruta fuerit, vel semper reparare ne corruat.

11 Porro hunc solum fuisse sensum illius gravaminis, confirmari adhuc potest ex summa annua relicta pro fabrica, nempe 1500. ducatorum, quæ quidem ad ædificium prosequendum idonea erat : ad reparationem autem perpetuam erat exorbitans et superflua, nec sine fraude et violatione paupertatis relinqui poterat, cum multo minor summa ad reparationem ordinariam sufficeret. Unde non est credibile P. Generalem Claudium in alio sensu intellexisse illam collegii obligationem, cum sciret optime reditus annuos, perpetuos etiam ad fabricam reparandam vel ad sacristiæ expensas, quorum jus vel dispensatio ad Societatem spectaret, non posse juxta constitutiones acceptari. Addidi ultimo, inutilem nunc omnino videri totam hanc controversiam et disputationem de hoc puncto, remanent enim adhuc quamplures anni, ut tota fabrica ad perfectionem perducatur : qua absoluta Generalis qui tunc erit, non facile stabit decisioni quæ nunc fieret, sed rem totam juxta constitutiones examinabit ; nec etiam spes ulla erat quod Generalis præsens, qui tunc erat P. Mutius Vitellescus, in eam sententiam veniret, ut declararet gravamen illud collegio impositum erogandi perpetuo partem redituum pro reparatione fabricæ domus professæ, non repugnare cum instituto Societatis, et cum paupertate ipsius domus professæ.

## DUBIUM X.

*In quo respondetur ad quæsita nonnulla circa fructus horti suburbani, quem habent domus professa Societatis.*

1 Supponendum est domos professas societatis JESU non posse habere bona stabilia, aut reditus illos, ut diximus dub. præcedenti ; posse tamen habere dominium in communi propriæ habitationis, atque etiam villæ alicujus, vel horti suburbani, ad quem recreandi animi gratia religiosi, atque etiam valetudinarii sese aliquando recipere possint, ut ex bulla Julii III. qua confirmavit Societatis institutum, colligit Thomas Sanchez lib. VII. *in Decalog.* cap. XXVII. num. 3. et habetur expresse in VI. parte constitutionum Societatis, cap. II. §. 5. ubi dicitur, non esse contra paupertatem domus professæ, « si in usum convalescentium, vel eorum, qui ut rebus spiritualibus vacent, se ab hominum frequentia recipiunt, locus aliquis a communi habitatione separatus, qui aere salubriori, et aliis commodis polleret, admitteretur, et tunc hujusmodi ille sit ut nec aliis locetur, nec fructus qui redituum loco esse possint, habeat. » In declaratione vero ejus loci, quæ est in margine littera F. explicatur, quid intelligi debeat per fructus ibi prohibitos, his verbis : « Hujusmodi essent, si vini vel olei vel tritici proventum dictæ possessiones ferrent, vel si fructus et olera ex hortis venderentur, quorum nihil licebit, quamvis fructibus aut parte ipsorum ad commodum domus suæ uti possint ; si tamen Societas colonum aliquem ; vel sæcularem hominem haberet, qui hortis vel agris, quos dictæ domus habent, præesset ; non esset etiam ei prohibendum, ne ad privatam suam utilitatem quod videretur convenire ex illis faceret, dummodo tunc nec ad domos, nec ad particulares personas Societatis utilitas interim ulla perveniret. »

His itaque suppositis, aliqua dubia emergebant circa fructus ejusmodi horti seu villæ, quousque ex iis posset commoda aliqua licite domus professa percipere. Certum autem videtur, in primis posse religiosos domus professæ vesci ex oleribus et fructibus illis, et hoc absque ulla limitatione, comprehendendo etiam uvas, olivas, et fructus etiam hiemales, seu quæ per totam hiemem conservan-

tur. Non tamen liceret ex uvis superfluis, aut olivis vinum vel oleum exprimere, quia hæc expresse prohibentur, et *redituum* nomine ibi comprehenduntur. Quare idem dicerem, si ex pomis sicera fieret, vel ex hordeo cerevisia, quæ loco vini in multis locis sumi solent, et videntur esse reditus contra mentem constitutionis. Non tamen credere esse contra eam, si ex aliquibus uvis fieret *sapa*, ut cum sinape misceretur, et fieret condimentum, quod vulgo *mostarda*, appellatur, sicut licitum etiam ex floribus, herbis, vel rosis aquam odoriferam, vel medicinalem conficere, et alia hujusmodi.

3 Dubitatur primo, an etiam liceant in eodem horto legumina ad usum domus professæ, v. gr. ciceres, lentes, et similia? Credo, hæc non esse contra constitutionem : non enim deserviunt nisi ad juscula quæ ex iis fiunt, sicut ex caulibus, cucurbitis, et aliis oleribus : quare non magis videntur ad reditus pertinere, quam olera, dum tamen non vendantur, sed domi consumantur. Non tamen crederem posse ex cicere, vel alio legumine panem fieri in locis ubi is panis in usu sit, sicut diximus non posse ex pomis aut fructibus fieri siceram vel cerevisiam, quia constitutionis mens hæc videtur fuisse, ut nomine tritici et vini, panis et potus usualis prohiberetur, qui enim hæc ex propriis habet, videtur reditus habere ad ea quæ potissime ad victum exiguntur.

4 Dubitatur secundo, an possit ibi aliquid hordei, vel tritici, seminari, non ut tempore messis hordeum vel triticum colligatur, sed ut in herba adhuc deservire possit veris tempore ad pastum jumentorum et animalium domesticorum. Credo etiam id licere, quia sicut licet plantare vineam et vesci uvis, dummodo ex iis vinum non fiat : non video cur non liceat ibi seminare triticum, hordeum et similia, non ut fiat panis, sed herba pro jumentis, quæ sicut possunt aliis herbis vel graminibus quæ in horto nascuntur vesci ; sic poterunt herbis ex tritico, vel hordeo seminato.

5 Dubitatur tertio, an liceat habere in eo horto gallinas, quarum ova deserviant ad usum earumdem Patrum : De hoc puncto scrupulose videtur loqui P. Suarez tom. III. *de Religione*, lib. VIII. cap. XVII. num. 14. ubi dicit : « Parum pro nihilo reputari, et ideo non esse contra paupertatis votum in toto rigore habere domesticas aves nonnullas, dummodo sint in parvo numero, ita ut ex eis non redundent fructus, qui simpliciter possint reditus appellari, nec absolute pro sustentatione computari, sed magis ad recreationem, vel ad summum ad occurendum alicui necessitati repentinæ ; hoc enim, nisi in aliqua speciali regula sit expressum, non videtur absolute repugnare paupertati in communi, nec intentioni sic voventium. Sicut etiam non repugnat religioni profitenti paupertatem hanc, ex domestico horto fructus aliquos colligere, vel olera ad proprium usum, quamvis ea vendere non liceat ergo similiter dicendum videtur in prædicto casu. » Hæc Suarez. Ego quidem inprimis certum puto quod liceat totidem in eo horto suburbano gallinas habere, et eodem modo earum ova edere, quot liceret domi habere, et sicut liceret edere earum ova : neque enim est pejoris conditionis villa rustica ; imo reputatur pars quædam propriæ habitationis, et hoc ipso titulo possidetur, ut valetudinarii et alii aliquoties possint ibi commodius degere. Rursus certum videtur, utrobique posse ali gallinas in eo numero, quod moraliter requiritur ut successive pro infirmis et aliis necessitatibus occurrentibus occidi possint, et ad eumdem finem adhiberi poterit cura, ut pulli nascantur, qui ad eosdem usus deserviant, et ut gallinæ in numero sufficienti conserventur.

6 Et quidem, quod attinet ad gallinas pro necessitatibus alendas, videtur a fortiori colligi ex eo quod licite habetur triticum et vinum pro toto anno, ne illa in

dies carius emere necesse sit : cur ergo non licebit habere gallinas necessarias pro toto anno, ne carius et deterius in dies emantur? Nec magis sunt bona immobilia gallinæ quam triticum et vinum : nec domus professa, si ex donatione vel legato accipiat centum gallinas, obliganda erit ad eas distribuendas, si statim consumi honeste non possint, sed poterit eas retinere, sicut triticum aut vinum legatum.

7 Quod vero attinet ad pullos ex iis procreatos et earum ova, videtur non esse magis contra paupertatem quam fructus horti percipere : imo minus, cum hortus sit aliquid stabile et immobile ; gallinæ vero, quarum fructus sunt pulli et ova, computentur inter bona se moventia et mobilia, quæ non sunt prohibita domui professæ. Unde nec videtur esse contra eamdem paupertatem, si ex iisdem pullis suppleatur pro gallinis quæ successive deficiunt et comeduntur : sicut idem etiam fit in arboribus ipsius horti, quæ senescunt et deficiunt, et earum loco aliæ vites de novo, vel arbores plantantur.

8 Ratio a priori videtur esse, quod domui professæ solum prohibentur bona stabilia et reditus ; gallinæ autem, præsertim in parvo numero, non possunt nomine bonorum stabilium comprehendi, nec earum ova aut pulli dici possunt reditus proprie loquendo. Quamvis enim greges armentorum, aut pecorum soleant inter bona pretiosa mobilia computari, et ideo non possint sine facultate alienari a religiosis domibus, ut tradunt Molina t. II. *de Justitia,* disp. 465. in fine, et alii communiter ; imo immobilibus æquiparantur vel annumerantur, ut notavit Suarez t. IV. *de Religione,* tr. VIII. lib. II. cap. 27. n. 19. id tamen est quia greges illi ita sunt fructiferi, ut reditus proprios habeant, atque ideo non minus censentur et dicuntur divites, qui multa millia armentorum, quam qui alias possessiones aut prædia fructifera habent. Non tamen fit idem judicium de eo qui gallinas aliquas domi habet, licet ova et pullos ea occasione lucretur.

Ad quod etiam deservit exemplum olerum et fructuum qui ex proprio horto colliguntur : et tamen quandiu non venduntur, non censentur reditus paupertati contrarii : gallinæ autem et earum pulli et ova numerari aliquo modo possunt inter fructus ipsius horti : nam sicut canes et alia domestica animalia pascuntur micis quæ cadunt de mensa dominorum, ita gallinæ pascuntur oleribus et herbis ipsius horti, addito ad summum stercore stabuli proprii, et furfure remanenti ex farina et panibus, qui ad propriæ familiæ usum quotidie coquuntur : quare ad consumenda potius superflua et inutilia deserviunt, quæ hoc pacto in proprium etiam usum convertuntur. Unde, ut hoc obiter dicam, non probarem quod ova vel pulli superflui venderentur, aut eorum pars, ut ex pretio compararetur triticum vel quidquam aliud, quod ad pastum earumdem gallinarum deserviret : hoc enim videretur esse sicut si pars olerum vel fructuum horti vendatur ad sumptus pro ejusdem horti cultura supplendos, quod facere non licet ut postea videbimus.

Hinc infero, idem cum proportione dici posse de aliquibus columbis, et quidem eo magis quo in has minus juris videtur habere dominus quam in gallinas, cum liberius possint evolare et ad alia columbaria transire. Sicut ergo, si ipsæ sponte venirent, dum silvestres sunt, ut in domo vel horto Societatis professæ nidificarent, possent illis pabula apponi, nec esset obligatio eas expellendi : cur non possunt ad hunc finem aliunde asportari, dum non sint in numero ita exorbitanti, ut ex pullis viderentur reditus simpliciter resultare ?

Dubitari potest quarto de apibus, an haberi possint in eadem villa, an vero earum fructus censeantur reditus prohibiti ? Credo de iis, sicut de oleribus et aliis villæ fructibus respondendum, quod vendi non possint, sed tamen ad usus proprios mel et cera etiam possint de-

servire. Apes enim pascuntur floribus horti, et circumvicinis, earumque fructus multo plus videtur habere de industriali quam de naturali, cum neque sint bona stabilia neque horto affixa, sed se moventia et quæ in omnia loca possunt transportari, neque aliud fere ab homine fiat, nisi præparare vas in quod ipsæ sponte se recipiant, et ibi favos suos operentur, ut tempore opportuno extrahi possint, sicut extraherentur quando in arbore campestri invenirentur.

12 Magis dubitari posset quinto, an liceat in eodem horto porcos aliquos nutrire, qui dum parvuli sunt facili pretio comparantur, et postea paulatim crescunt et pinguescunt, ut grandiores ac pinguiores facti occidantur, et pro toto anno deserviant ad usus necessarios domesticos. In hoc etiam non puto esse scrupulum : tum quia hæc etiam animalia ex caulibus et fructibus superfluis horti nutriuntur : tum etiam quia sicut licite emi potest pretio viliori statim post vindemiam vinum, seu mustum novum, et in doliis ac cella vinaria commoda conservari, ut postea tempore opportuno, quando jam factum est vinum salubre, deserviat ad usus domesticos totius anni : cur non poterunt similiter emi porci juniores sex, vel octo, ut paulatim crescentes et facti pinguiores apti fiant ad eosdem domesticos usus? et quidem per accidens est quod id fiat in horto rustico : posset enim fieri idem in horto domestico vel in stabulo, ut constat, sicut et gallinæ in propria domo plerumque nutriuntur.

13 Dubitari potest secundo, an in eodem horto liceat piscinam habere, in qua pisces etiam nutriantur, et ad hunc finem mitti pisciculi minuti possint, ut grandiores facti possint in cibos domesticos capi? Respondeo, si cum debita moderatione fiat, licitum videri, non solum in villa vel horto rustico, sed etiam in domestico, si forte piscina etiam esset in horto, qui intra ambitum domus professæ continetur : nam piscina hæc pertinet ad honestam quamdam recreationem, ad quam hortus ille ordinatur. Nec videtur esse major difficultas de piscibus quam de gallinis, imo minor, quia pisces non sunt fructuosi : sicut gallinæ quæ ova interim ministrant : tum etiam quia pisces aliquando sine ulla industria in ipsa aqua generantur, et videntur esse fructus aquæ, sicut olera sunt fructus terræ : quare sicut licite olera seminantur in horto, non apparet, cur non possint pisces in piscina seminari, ut ita dicam projiciendo illuc parvulos pisciculos, qui grandiores fiant. Cum ergo S. P. Ignatius ex fructibus horti solum prohibuerit frumentum, vinum, et oleum, quoad alios vero solam venditionem, non videntur prohibiti quoad proprium usum fructus piscinæ; quæ est pars quædam horti, qui habetur ad commodam recreationem.

Dixi tamen, id licere, *si cum debita moderatione fiat :* non enim putarem sine paupertatis præjudicio posse pisces sine eo numero haberi et nutriri, qui sufficerent ad usus totius Quadragesimæ, et aliorum dierum, quibus carnibus vesci non licet : tum quia hoc jam esset magnam victus anni partem ex propriis fructibus habere : tum etiam, quia piscina tot piscium capax longe excederet piscinas communes, quæ ad recreationem habentur, in quibus vix inveniuntur pisces qui ad sex, vel octo prandia familiæ numerosæ sufficiant : habere autem piscinam tantam videretur esse in fraudem paupertatis, sicut si prætextu recreationis haberetur villa, quæ duo vel tria milliaria contineret. 14

Unde non concederem posse prætextu recreationis haberi a domo professa villam, intra quam contineretur lacus magnæ piscationis ; hoc enim magis ad fructus quam ad religiosam recreationem pertineret. Aliter dicerem si villa esset ad ripam fluminis, vel lacus, ut vicinitas daret commoditatem piscandi : dum tamen jus piscandi commune esset aliis, et non proprium eorum qui essent domini illius villæ. Si enim proprium eo- 15

rum esset, videretur jam possessio alia stabilis fructifera annexa villæ, et quæ, seu facultas illa piscandi, potuisset magno pretio locari. Hoc itaque totum moraliter æstimandum et considerandum est, ut judicetur an sit vel non sit contra mentem constitutionis circa paupertatem domus professæ, et in dubio in paupertatis favorem inclinandum est.

16 Duplex restat major difficultas. Prima est, an si aliquo anno fructuum abundantia tanta sit, ut consumi non possint in usus domesticos, possit pars superflua pro illa vice vendi, ut emantur fructus alii necessarii, qui vel in horto illo non sunt, vel illo anno defuerunt. Aut certe si vendi non possunt, an saltem possint cum domino villæ vicinæ permutari pro fructibus illis, quibus ille abundat, et in horto domus professæ deficiunt. Non defuerunt qui utrumque licitum putarent. Primum quidem, quia illi non videntur reditus, cum non sint annui, sed emolumentum casuale unius vel alterius anni. Secundum vero, quia illa non est venditio sed permutatio prudens, ut si habito multo tritico ex eleemosyna, commutaretur id quod superest pro vino necessario.

17 Dixi tamen, neutrum licere domui professæ Societatis. Non primum, quia si hoc concederetur, posset etiam si anno aliquo uvæ multæ sunt, nec omnes a domesticis consumi possunt, fieri unum vel plura vini dolia ex iis quæ supersunt, quod tamen omnino est contra mentem Societatis : imo cum aliquando dolium unum vini ex uvis superfluis procurator ex ignorantia fieri curasset, P. Mutius Vitelleschus Generalis jussit dolium totum pauperibus distribui. Ratio autem est, quia in constitutione prædicta non prohibetur venditio annua fructuum, sed permittitur possessio seu villa fructifera ad recreationem ; et usus eorum fructuum, dum tamen non vendantur ; cum ergo venditio fructuum in universum prohibeatur, nullo casu eos vendere licebit.

Quod vero nec permutare liceat fructus superfluos pro fructibus aliis, aut oleribus necessariis, quæ forte in eadem villa vel horto non habentur, probatur facile primo ex regula generali quam statuit Molina tom. II. *de Justitia*, disp. 396. num. 7. nempe, *quoties res aliqua vendi prohibetur, censeri etiam permutari prohibitam,* quare prohibita venditione fructuum, censetur etiam prohibita eorum permutatio pro aliis fructibus. Secundo, quia si permutatio liceret, lex hæc omnino eluderetur ; possent enim procuratores domus professæ per duos contractus facere quod per unum non possent : nimirum permutando fructus illius horti pro fructibus alterius horti, et hos rursus vendere, cum non prohibeantur vendere nisi fructus sui horti, hoc autem manifeste esset eludere legem. Tertio denique id colligitur ex verbis constitutionis, in cujus margine littera F. ab eodem sancto Fundatore notatur : « Quod si Societas colonum aliquem, vel sæcularem hominem haberet, qui hortis vel agris quos dictæ domus habent præesset, non esset ei etiam prohibendum, ne ad privatam suam utilitatem quod videretur convenire, ex dictis fructibus faceret, dummodo tunc nec ad particulares personas Societatis utilitas interim ulla perveniret. » Vult ergo constitutio, ne ex fructibus horti directe vel indirecte quidquam utilitatis ad domum professam redundet, præter merum usum quo eos fructus in suorum victu consumere potest. Si autem liceret fructus superfluos permutare pro aliis, jam ex ipsis fructibus alia utilitas perveniret ad domum professam, præter usum eorum in ordine ad proprium victum ut constat, cum deserviret loco pretii ad obtinenda alia necessaria pro eodem victu.

Ex verbis tamen proxime relatis prædictæ constitutionis oritur altera et major difficultas, an scilicet liceat colono vineæ, qui illius culturæ præest, assignare partem ejusdem vineæ in stipendium sui laboris et obsequii, vel partem fructuum

quos fructus ipse vendere possit? hoc dubium attigit Thomas Sanchez lib. VII. *in Decalog.* c. XXVII. num. 5. et respondet, id non licere : tum quia in constitutione absolute interdicitur fructuum venditio aut terræ illius locatio : tum etiam quia solum conceditur permittere cultori horti aliquam in suum commodum partem colere, aut aliquos fructus percipere, dummodo nulla inde utilitas domui professæ redundet : redundaret autem si hoc esset stipendium culturæ horti, et sic expensis in eo colendo non indigeret. Addit denique ita explicuisse et respondisse P. Claudium Aquavivam Generalem de hoc interrogatum die 4. Septembris anno 1589.

19 Distinguendum videtur de colono : nam si Societas, ut se ab onere culturæ eximat, constituat colonum qui suis sumptibus, et ut villam propriam jam colat et fructus sibi accipiat, retento jure habitationis et recreationis, ut illuc possint religiosi ad recreationem ire, vel ad manendum per aliquos dies : tunc credo, posse colonum fructus illos vendere, et tunc locum habere verba constitutionis, quæ non frustra *colonum* nominavit, quo nomine intelligi solet ille qui suis sumptibus et sibi ipsi prædium colit, ut in materia de decimis loquuntur doctores, et videri potest Suarez tom. I. *de Relig.* tract. II. lib. I. cap. 19. nu. 13. et cap. 36. nu. 13. Neque enim in hoc casu Societas locat hortum colono, a quo nihil prorsus accipit, sed permittit ei culturam et facultatem faciendi fructus suos, et retinet sibi jus quod antea habebat, adeundi suam villam : neque in rigore obligat colonum ad eam colendam, sed dat meram facultatem colendi, quam facultatem utilem sibi reputat Societas, ne villa vel hortus incultus silvescat. Sicut si permitteret animalia aliena ingredi et pasci, ut herbas inutiles tollant. Nec in hoc casu procedit responsio illa Patris Claudii, cum fructus non dentur colono loco stipendii debiti, sed detur ei gratis totum jus ad fructus, si ipse velit fructus sibi capere : quamvis hoc ipsum utile sit villæ ne maneat inculta. Sicut si permitteret alicui usum equi, vel jumenti proprii, ne hæc animalia nimio otio in stabulo torpeant et vitientur ; quæ tamen animalia domus professa locare non posset. Sic nec hortum locare potest ; et tamen poterit illius usum et fructum colono permittere, ne incultus deterioretur.

Si vero domus professa ita det colono 20
horti fructus, ut retineat sibi non solum usum ad recreationem et habitationem ruralem, sed etiam partem fructuum qui coloni cultura indigent, hoc credo non licere : et in hoc casu puto procedere responsum illud Patris Claudii. Ratio autem est, quia hoc esset in rigore hortum locare colono pro parte fructuum ; neque enim ille solum dicitur locare qui pro pecunia locat : nam pater ille familias, qui in Evangelio legitur vineam suam agricolis locasse, misit postea servos ut exigerent non quidem pecuniam sed fructus : quos cum non accepisset, locavit vineam suam aliis agricolis, qui *redderent ei fructum temporibus suis*, Matth. 21. Cum ergo domus professa hortum suum locare non possit, ut habetur expresse in dicta constitutione, consequens est ut contractus ille licitus non sit.

Petes, quid si domus professa concur- 21
reret ad expensas cum ipso colono, v. g. solvendo partem mercedis operariorum : an tunc posset pacisci de parte fructuum ? Credo, neque id licere. Primo, quia quamvis hæc non sit in rigore locatio, sed contractus societatis, in qua domus professa afferret prædium et partem expensarum ; colonus vero afferret industriam et aliam expensarum partem : re tamen vera est æquivalenter locatio perinde ac si locaretur colono hortus pro parte fructuum, offerendo tamen ei aliquam pecuniam, ut sublevetur a parte sumptuum, et ut possit facilius reddere tantam partem fructuum : quare sicut prohibetur locatio, prohiberi videtur societas, quæ eadem habet inconvenientia.

Secundo, quia in dicta constitutione solum tunc conceditur, quod permittitur colono disponere de fructibus et eos vendere, quando inde nulla utilitas in domum professam redundat : in hoc autem casu magna utilitas in domum professam redundaret ex fructibus colono concessis, nempe excusaret magnam partem sumptuum, quos facere deberet ad fructus illos habendos ; quare perinde esset, ac si locaret illi dimidiam partem horti pro dimidio pecuniæ necessariæ ad solvendum operariis hortum colentibus.

22 Alius casus excogitari posset, in quo videtur esse major difficultas, nempe si conducatur agricola, qui curam habeat et præsit horti culturæ colendi omnino expensis Societatis : huic tamen agricolæ in partem mercedis assignetur pars ipsius horti, ex qua possit sibimet seminare et fructus suos facere, in quo casu videtur loqui Thomas Sanchez loco supra citato, et respondet id non licere, quia jam ex fructibus a colono venditis redundaret commodum in domum professam, nempe diminutio mercedis quæ colono solvenda esset.

23 Aliunde tamen videri posset id licere, quia domus professa, licet non possit aliis vendere vel locare fructus horti ; potest tamen in suorum domesticorum usum et victum eos consumere : nomine autem *domesticorum*, intelliguntur non solum religiosi, sed etiam famuli et domestici : nam verba generalia sunt, quibus dicitur ut fructibus et oleribus *ad commodum domus suæ uti possint*, et ita praxis habet, ut ex iisdem fructibus et oleribus edant famuli, quibus victus tanquam pars mercedis debetur. Cum ergo agricola ille seu præfectus horti, famulus sit rusticus domus professæ, potest vivere ex fructibus et oleribus ejusdem horti, sicut cæteri famuli domestici, atque ideo poterit ei assignari una pars fructuum horti pro ejus victu : quam partem ipse poterit vendere, sicut etiam alii famuli domestici, quibus datur victus quotidianus, possunt illum vel ejus partem postea vendere, quo casu jam videtur domus professa expendere jure suo partem illam fructuum in victu suorum domesticorum, quidquid ipsi postea de illis fructibus faciant ; neque enim ex hoc redundat aliud domus professæ commodum, nisi illud quod ei permittitur, nempe victus domesticorum.

Hoc tamen fundamentum, ut verum fateor, non videtur mihi solidum. Et in primis hoc ad summum procederet de fructibus solum, qui compensarent fructus ab ipso agricola consumendos, si ipse ex iis comederet. Quare, si agricolæ præter victum dandum esset, et, ut communiter fit, stipendium etiam pecuniæ, non potest diminui hoc stipendium pecuniæ propter illam partem horti quæ illi in suam utilitatem colenda conceditur. Hoc enim esset non solum in famuli victu fructus consumere, sed etiam loco mercedis pecuniæ eos dare, imo nec potest assignari illa pars fructuum pro solo victu qui ei dari debuisset ; victus enim non constat ex solis fructibus, vel oleribus, sed ex pane, carnibus, piscibus, vino et aliis. Si ergo loco horum omnium daretur pars fructuum, jam fructus horti non consumerentur in solo usu domestico, sed darentur in pretium panis, vini, carnium, etc. quæ emi debuissent ad victum agricolæ debitum ; quod esset contra constitutionem, quæ solum permittit quod fructus et olea horti comedi possint a religiosis domesticis et famulis, nimirum quantum ipsi comedere possunt, non quod famulis distribuantur in ea quantitate exorbitanti, ut inde emere possint totum victum, hoc enim esset manifeste in fraudem legis.

Adde, si constitutio attente consideretur, quamvis non repugnet illi, si cultori vineæ detur de fructibus et oleribus ejus in partem victus debiti, quia fructus hi expendi possunt in usus domesticos ; hoc tamen debet intelligi de fructibus et oleribus ipsis, non de spe seu jure ad fructus et olera. In casu autem proposito Patres non uterentur suis fructibus in

victum familiæ, sed darent agricolæ jus, ut posset colere sibi partem villæ et facere fructus suos. Est autem longe diversum comedere fructus jam decerptos ; eosque aliis domesticis distribuere, quod quidem constitutio permittit, etiamsi deserviant ad partem victus famulis debiti. Aliud vero est loco victus debiti dare jus agricolæ seminandi, et procreandi sibi aliquos fructus ; quo casu domus professa non consumit fructus suos in suo victu, sed vendit jus seminandi et spem fructuum pro victu quem famulo debet : quod quidem constitutio non permittit, sed solum consumere fructus in usus domesticos. Nec dici potest quod Societas tunc utitur jure suo dando fructus illos in victum sui famuli ; in victum enim dare quidem potest fructus suos, quos ipsa Societas prius fecit suos : hi autem fructus non sunt sui, nec unquam fuerunt sub ejus dominio, sed seminati, et nati fuerunt agricolæ ipsi, et sub ejus dominio : non sunt ergo ex illis fructibus quos constitutio permittit expendi in victum domesticorum, quamvis nascantur in proprio horto. Optime ergo respondit P. Claudius, non esse deducendum in pactum cum colono vel præfecto villæ, ut partem fundi sibi colat in stipendium pro cultura reliquæ partis.

26 Hinc a fortiori infertur, non licere vendere partem fructuum horti ad solvendam mercedem operariis, qui eumdem hortum colunt, vel alias ejusdem horti expensas ; omnis enim fructus venditio prohibetur in quemcumque finem fiat, alioquin liceret partem domus professæ locare, ut ex mercede locationis solvantur expensæ annuæ, quæ fiunt in reparanda tota domo : quod tamen nemo concedet, quia hoc esset habere reditus pro fabrica. Similiter ergo non licebit locare partem horti aut vendere partem fructuum, ut pretium convertatur in expensas necessarias ejusdem horti. Unde etiam constat id quod supra indicavi, non posse vendi ova gallinarum ad expensas pro earum victu faciendas. Nam, sicut non licet domui professæ locare equum quem habet ad communem usum, etiamsi locationis merces converteretur in victum emendum pro ipso equo, ut colligitur ex doctrina P. Suarez to. III. *de Relig.* lib. VII. cap. XVIII. nu. 12. qui locationem equi universaliter dicit esse prohibitam : sic dicendum erit de fructibus seu ovis gallinarum, nam ut probat idem auctor, hæc bona se moventia non possunt aliter domui professæ fructificare, nisi ad solos usus ejusdem domus.

## DUBIUM XI.

*Utrum domus professa Societatis domum sibi legatam possit vendere in solam vitam emptoris; ubi, quid de venditione cum pacto retrovendendi ?*

Suppono domum professam posse hæ- 1
redem institui, aut etiam legata ex testamento habere, quamvis legentur ei bona stabilia, ut constat ex constitutionibus, et concedunt doctores communiter, quos retuli et secutus sum to. I. *de Justitia*, disp. III. sect. 5. num. 99. et 100. Debet tamen domus professa rem illam stabilem alienare quamprimum possit, quod intelligitur, moraliter loquendo, ita ut ad modicum tempus retineri possit, et fructus percipi, dum emptor commodus inveniatur, quod *modicum tempus* intelligitur communiter infra decennium, ut dixi eodem loco, et colligitur ex constitutionibus VI. p. cap. II. §. 5. et in margine ibi littera E. et videri possunt Thom. Sanch. lib. VII. *in Decal.* c. XXVII. nu. 17. et Suarez to. IV. *de Relig.* tract. x. lib. IV. nu. 16.

Hoc supposito, accidit quod domui 2
professæ relicta fuerit domus quædam, quæ nec erat necessaria ad habitationem, nec ad recreationem rusticam ipsorum professorum, atque adeo debebat aliena-

ri et vendi quamprimum commode posset. Volebant autem Patres eam vendere in vitam emptoris minori pretio, ita ut ipso moriente, rediret in eorum potestatem, et iterum vendi posset in vitam alterius, et sic deinceps : quæsitum itaque fuit an hoc alienationis genere satisfieret constitutioni.

3 Dixi, procul dubio id non licere, quia revera illa non est venditio, sed locatio in vitam conductoris accepta pensione tota simul : vel certe, si aliqua venditio intervenit, est venditio solum dominii utilis, seu usufructus per totum tempus quo emptor vixerit, remanente dominio directo et proprietatis penes venditorem. Hoc autem totum aperte est contra constitutionem, quæ vult ne domus professa habeat jus civile ad rem ullam stabilem, et ideo quamprimum commode possit, debet eam vendere, ac se omni jure civili exuere. In casu autem nostro domus professa retinet jus civile ad domum sibi ad propriam habitationem non necessariam ; dominium enim proprietatis et directum, jus civile est, et illins species nobilissima : si autem contractus ille reducatur ad locationem, multo magis est contra constitutionem prohibentem domui professæ locationem ejusmodi bonorum stabilium.

4 Dicere posset aliquis, hanc esse propriam venditionem illius domus, non enim est contra leges venditionis, quod vendatur ad tempus, prout fit quando additur pactum retrovendendi, v. g. reddendi domum venditam ipsi venditori, si post decennium pretium emptori reddat, ut cum aliis probavi to. II. *de Justit.* disp. XXVI. sect. 13. §. 1. ergo poterit etiam esse venditio licet mortuo emptore domus ad venditorem reditura sit.

5 Respondetur tamen negando consequentiam, est enim magnum discrimen. Primo, quia in venditione cum pacto retrovendendi, res transit in dominium emptoris, licet non omnino absolutum et plenum : unde, si intra tempus medium pereat perit damno emptoris non venditoris. At in casu nostro perit damno venditoris, cui non est amplius restituenda domus mortuo emptore, sed perdit dominium directum quod in domum sibi venditor retinuerat. Secundo, quia in primo casu venditor non potest recuperare rem venditam, nisi per novam emptionem, et soluto pretio eam redimat a primo emptore, quod probat transiisse in dominium primi emptoris, qui tamen pacto se obligavit ad eam vendendam, si venditor eam vellet emere. At in nostro casu mortuo emptore, ipso facto et sine ullo pretio aut emptione, statim res vendita manet plene in potestate domus professæ, sicut antea : unde probatur non fuisse alienatam omnino, alioquin non posset sine voluntate domini transire in dominium domus professæ ; si tamen volueris illam vocare venditionem, non repugnabo ; dummodo solum sit venditum dominium utile seu usufructus in vitam, quæ non est perfecta alienatio qualem constitutio Societatis exigit, ut vidimus.

6 Hac tamen occasione dubitari ulterius posset, an stante dicta constitutione, posset domus professa vendere domum illam sibi relictam, sed cum pacto retrovendendi, ita ut emptor obligaretur ad eam iterum vendendam domui professæ, quoties ipsa vellet eodem pretio, quod accepit, illam redimere. Ratio dubitandi esse potest, quia illa videtur esse perfecta venditio, et alienatio, qua res vendita transit in dominium emptoris, non solum quoad usumfructum et dominium utile, sed etiam quoad proprietatem et dominium directum ; ergo satisfit constitutioni præcipienti venditionem et alienationem.

7 Confirmarique potest primo, quia ex illo pacto retrovendendi solum videtur remanere in domo professa jus quodam ad rem illam iterum habendam titulo oneroso : non videtur autem repugnare hujusmodi jus domui professæ ; si enim aliquis promittat domui professæ se illi donaturum prædium post decennium, eo ipso domus professa acquirit jus ali-

quod ad illud prædium, quod jus retinere potest per totum illud decennium, nec debet jus illud vendere vel alienare ; ergo similiter potest retinere jus ad recuperandam domum venditam titulo novæ emptionis.

Confirmari potest secundo, quia, quando domus ipsa professa vendit prædium sibi relictum, adhuc retinet postea jus ad petendam restitutionem in integrum, et rescindendam venditionem si appareat læsam fuisse in ejusmodi contractu, quod jus per quadriennium durat, ut dixi tom. II. *de Justitia*, disp. XXII. sect. 12. num. 332. Neque enim pejoris conditionis debet quoad hoc esse domus professa, quam cætera loca pia, quæ hoc beneficio restitutionis gaudent. Hoc autem videtur esse jus aliquod ad rem, quod tamen sine violatione suæ constitutionis potest domus professa retinere toto illo tempore : cur ergo similiter non poterit retinere jus ad redemptionem fundi venditi restituto pretio ex pacto in venditione apposito ?

8 Ego tamen non auderem hanc licentiam, nisi pro uno fortasse casu speciali infra assignando, domui professæ concedere, quia revera venditio cum pacto retrovendendi non transfert jus et dominium plenum in emptorem, nec tunc venditor eruit se, et abdicat a se totaliter jus ad rem venditam, sed cum limitatione et retentione alicujus juris circa rem quam vendit, ut observavi dicto to. II. *de Justitia*, disp. XXVI. num. 188. et 189. Et quamvis dubitari possit an jus illud quod venditor tunc retinet sit jus in re, et actio realis, an solum jus ad rem, et actio personalis ; ibid. tamen num. 190. dixi magis esse actionem realem, et jus in re, quod venditor sibi retinet. Sed quidquid de hoc sit, constitutio utitur verbis generalibus, et statuit, quod, ut in litteris Apostolicis dicitur : « non est habitura Societas jus civile ad rem ullam stabilem, nisi ad ipsius habitationem, et usum esset opportuna. » Hæs enim sunt ejus verba dicta VI. part. cap. II. num. 5. littera E. Unde continuo infert : « quidquid stabile illi datum fuerit, teneatur eo quamprimum potuerit, se exuere, ac vendere ; ut pauperibus Societatis, vel externis in sua pecunia subveniatur, » nimirum debet ita se exuere, ut nullum jus civile, non solum in re, sed etiam *ad rem stabilem*, retineat.

Adde, non posse excogitari ad quem finem Societas pactum illum retrovendendi posset licite apponere, nam vel intenderet redimere postea fundum illum, ad sibi retinendum : et hæc intentio esset illicita, cum nunquam domus professa posset fundum illum sibi retinere. Vel intenderet emere postea fundum illum reddito pretio, ut posset denuo illum utilius, et majori pretio vendere. Et hoc etiam non esset licitum, quia esset intentio negotiationis omnibus religiosis prohibitæ : esset enim intentio emendi postea illum fundum ad illum carius vendendum, quod est in omni rigore negotiari. Unum ergo ex duobus inferri videtur : nam vel apponitur pactum illud retrovendi, retinendendo jus in re et actionem realem in fundo qui venditur, vel solum jus ad rem, et actionem personalem adversus emptorem qui manet obligatus ad vendendum domui professæ eumdem fundum, quando idem pretium obtulerit. Primum fieri non potest, quia hoc esset retinere jus reale, et dominium radicale fundi, atque adeo non intercederet vera fundi alienatio. Sed neque secundum fieri potest, quia esset obligare emptorem ad vendendum fundum domui professæ eodem pretio, quoties ipsa vellet illum emere ad vendendum majori pretio, hoc est, quoties vellet illum emere ad negotiationem sibi illicitam : quod certe pactum ex ipsis terminis turpe et illicitum apparet.

Unde facile jam responderi potest ad 9
rationem dubitandi supra positam ; dicimus enim non satisfieri hoc venditionis genere constitutioni : nam vel retineret jus aliquod in re ad dominium radicale,

atque adeo non perfecte et plene alienatur res stabilis, vel certe Societas obligat personam emptoris, ut vendat ipsi iterum, quando Societas velit emere ad meliori pretio vendendum, quæ est intentio negotiationis religiosis omnino prohibitæ.

10 Ad primam confirmationem concedimus ; non repugnare domui professæ quod habeat aliquando jus ad rem aliquam stabilem, ut constat ex exemplo ibi adducto, imo, cum possit aliquandiu habere jus in re, quod est plus, non negatur illi habere jus ad rem, quod est minus, et quod sæpe debet præcedere ad jus in re. Constitutio ergo, ut ex ejus verbis constat, solum prohibet habere jus ad rem, vel in re stabili, nisi sit necessaria ad usum patrum, vel cum obligatione quamprimum commode possint alienandi et convertendi pretium in proprias, vel alienas necessitates sublevandas. Sicut ergo possunt ad tempus possidere rem stabilem, cum obligatione eam quamprimum alienandi, ita possunt habere ex promissione, vel alio titulo jus ad rem stabilem cum eadem obligatione eam alienandi, nimirum quando eam adepti fuerint : antea enim alienare non possunt, quod nondum habent. In nostro itaque casu peccant contra constitutiones, quia quando eam rem habuerunt ; non eam perfecte alienarunt, vel quia obligant emptorem ut eam Patribus iterum vendat, volentibus eam emere ad vendendam cariori pretio, quæ est negotiatio illis prohibita, ut dictum est.

11 Ad secundam denique confirmationem desumptam ex jure ad restitutionem in integrum intra quadriennium petendam, quod jus domus professa post venditionem rei stabilis retinet, respondetur facile, ex illo privilegio restitutionis non sequi inconvenientia supra adducta. Nam in primis tunc religiosi non emunt ad vendendum in rigore, sed rescinditur prior venditio, quæ beneficio legis debilis erat et cognita læsione rescindi potest. Nec religiosi retinuerunt sibi aliquod jus, imo quantum est ex parte sua perfecte alienarunt et vendiderunt : lex tamen ob favorem locii pii non tribuit tantas vires illi contractui, sed vult quod, si de errore et læsione constet intra quadriennium, venditio rescindi possit, ut res et bona Ecclesiæ melius alienentur. Satisfecerunt ergo Patres suæ obligationi abdicandi a se rem immobilem : lex tamen postea concedit illis facultatem rescindendi alienationem male faciam agnito errore, quam potestatem non potuerunt religiosi legibus auferre.

Dixi tamen, posse fortasse pro aliquo 12
speciali casu concedi alienationem cum pacto retrovendendi ; posset enim contingere quod res illa stabilis domui professæ relicta, non sit ei nunc necessaria ad suum usum ; sit tamen ei futura necessaria ad hunc finem post aliquot annos ; ut si sit aliqua domus vicina, quam postea deberent emere ad propriam habitationem dilatandam, vel ad construendam ecclesiam, vel si sit villa necessaria ad recreationem, quam modo non possunt colere propter nimiam paupertatem ; sperant tamen quod postea ex liberalitate et pietate alicujus benefactoris amici poterunt eam comparare ; videri posset quod eo casu possent ita rem illam vendere, ut emptor maneret obligatus ad eam sibi postea vendendam eodem pretio, quando ad eorumdem habitationem vel usum posset deservire. Nam constitutio præcipit solum alienare ea bona stabilia quæ ad Patrum habitationem et commoditatem non sunt necessaria, et hoc eo fine ut non habeant bona fructifiera, sed ex eleemosynis vivant. Videtur ergo ad finem constitutionis sufficere si res alienetur et vendatur, ita ut nullum jus reale maneat in Societate, quamvis maneat jus et actio personalis in emptorem, qui debeat eam eodem pretio patribus vendre, quando ipsi eam emere velint, non quidem ad iterum majori pretio vendendam, sed ad suos usus. Hoc enim pacto obtinetur finis, quod domus professa non habeat

rem stabilem, nisi ad proprios usus necessariam. Unde posset aliquis dicere, idem procedere quando domus professa ob raritatem et exiguum numerum eleemosynarum crederetur post aliquot annos convertenda in collegium, quod jam capax erit bonorum stabilium : itaque posset nunc alienare prædium sibi relictum, quod nunc possidere non potest, obligando tamen emptorem obligatione solum personali, ut si quando domus professa fiat collegium, et capax sit bonorum stabilium, debeat ei prædium eodem pretio restitui ; tunc enim domus professa abdicat a se omnino rem stabilem, quandiu domus professa manet : obligat tamen emptorem ut collegio futuro idem prædium vendat. Cæterum de utroque casu nihil definio, sed judicium et sensum ejusdem Societatis, quando casus accideret, consulendum puto.

13 Hac occasione quæri potest, an quando habetur pecunia aliqua, quæ ex obligatione sit investienda in bonis immobilibus, satisfiat huic obligationi, si ex ipsa ematur domus vel fundus cum pacto retrovenditionis in favorem venditoris, quoties ipse intra tot annos æquale pretium reddiderit; videtur enim non esse emptum aliquid stabile, cum non sit acquisitum ejus dominium stabiliter et firmiter, sed ad beneplacitum venditoris. Cæterum respondendum est affirmative, ut constat exemplo census redimibilis, cujus quidem emptione satisfaciet procul dubio prælatus regularis, qui debet investire pecunias in bonis stabilibus, in quorum numero reputantur communiter census redimibiles ; qui tamen emuntur cum eadem conditione, ut quoties venditor reddiderit pretium, extinguatur census : quod etiam de domo et fundo cum pacto retrovenditionis video concedi a Pellizzario *in manuali Regular.* tr. VI. c. VIII. q. 6. n. 13. Ratio autem esse potest, quia bonum stabile humano modo non debet excludere omne prorsus periculum amittendi dominium : nam fendum ex multis causis potest recadere in dominium directum, et fundi possunt alluvione deperdi, et domus possunt ruina aut vetustate corruere ; quæ pericula majora sunt, quam id de quo nunc agimus; quando enim venditor velit redimere domum, quam vendiderat, reddit quidem totum pretium quod accepit, in quo eadem domus virtualiter continetur, cum ex ipso possit domus alia, vel fundus comparari : ob quam rationem census etiam redimibiles censentur merito bona stabilia, quod idem in casu nostro dicendum videtur.

## DUBIUM XII.

*De supellectilibus congregationis Parthenicæ, an dissoluta congregatione pertineant ad collegium Societatis?*

In domibus et collegiis Societatis erigi 1
solent aliquæ congregationes, seu sodalitates scholasticorum, et aliorum fidelium, sub invocatione Beatissimæ Virginis Mariæ ex litteris Apostolicis Greg. XIII. et Sixti V in quibus sodales conveniunt frequenter ad sacramenta suscipienda, ad orationem, et plura alia opera pietatis, quæ exercent in capella, vel aula aliqua ad hoc designata; ad quem finem et ad cultum altaris et missæ, ultra ornamenta sacra ejusdem collegii et domus, solent aliquando aliqui ex ipsis sodalibus pie donare vestes aliquas sacras, candelabra, pallia, et alia ejusmodi, quæ pro eadem capella deserviunt. Quæsitum ergo fuit, an si aliqua ex his congregationibus, vel sodalitatibus casu aliquo dissolvatur, vestes illæ sacræ, et alia ornamenta remanere debeant in sacrario communi ejusdem domus, vel collegii, an aliter de iis disponendum?

Dixi, totum hoc pendere ex voluntate 2
et intentione donantium res illas ; potuerunt enim, si vellent, nolle eas donare Societati, vel collegio, sed solum sodali-

tio seu congregationi, quæ facit unum corpus politicum : et tunc dissoluta congregatione, res illæ non transirent in dominium domus vel collegii, in quo erecta fuerat ea congregatio ; sed summus pontifex, vel ille ad quem pertinet disponere de rebus sacris vacantibus, deberet eas alicui vel aliquibus locis piis applicare. Quando tamen de ejusmodi voluntate, et intentione donantium non constat, manent in dominio, et ad usum collegii, vel domus Societatis in qua erecta fuerat congregatio, et hæc præsumitur intentio eorum qui res illas ad usum congregationis donarunt.

3 Pro quo suppono, has congregationes erigi auctoritate sedis Apostolicæ, et summorum Pontificum, quorum primus fuit Greg. XIII. in bulla data nonis Decemb. an. 1584. quæ incipit, *Omnipotentis Dei*, in qua erigitur primaria congregatio in ecclesia Annuntiatæ collegii Romani, et datur facultas præposito generali erigendi alias congregationes in domibus, et collegiis Societatis, et eas aggregandi prædictæ primariæ congregationi cum iisdem privilegiis et indulgentiis primariæ congregationi concessis : quæ tamen omnes congregationes subsint gubernio, visitationi et directioni Societatis, et regulis quas præpositus generalis Societatis illis præscripserit, quam facultatem confirmavit Sixtus V. in bulla data nonis Januar. ann. Incarnationis Dominicæ 1586, quæ incip. *Superna dispositione*, et extendit ad hoc, ut plures etiam congregationes in eodem collegio, vel domo Societatis erigerentur, et primariæ congregationi aggregarentur. Addit autem ibi Pontifex hæc verba notabilia. « Volumus autem quod si dictæ congregationes, aut sodalitia, vel eorum quæcumque aliquo modo eidem societati, vel domibus, seu collegiis aliquod impedimentum, seu præjudicium pro tempore attulerint, idem præpositus, seu vicarius illas, vel illa, aut eorum singulas, vel singula dissolvere possit. » Denique Clemens VIII. litteris expeditis die 30. Augusti ann. 1602. quæ incipiunt, *Dilecte fili*, extendit has concessiones ad sodalitia etiam et congregationes quæ in residentiis Societatis erigerentur, quamvis non essent collegia, vel domus professæ.

Hoc ergo supposito, P. Claudius Aquaviva Societatis generalis instructionem 4
specialem toti Societati communem edidit de iis, quæ in erigendis et aggregandis hujusmodi congregationibus observanda erant, quæ instructio, seu ordinatio habetur in ordinationibus communibus impressis c. XXI. in qua n. 3. habentur hæc verba : « Nostri intelligant, atque omnino sibi persuadeant, congregationes, quarum directio a Societate suscipitur, nullo modo bona immobilia, aut certos reditus admittere posse, cum nec Societas, penes quam est erigendi, aggregandique facultas, capax sit eorum redituum ; nec ipsa soladitia, quæ per se stabile, ac perpetuum quoddam corpus constituere nequaquam possunt, cum ejusmodi ea esse oporteat, ut quandocumque nostri subducere se voluerint, eo ipso dissolvantur, quod ægre fieret, si corpus unum efficerent, certoque reditu potirentur. Accederet inter alia multa illud etiam incommodi, quod si sodalitates nostræ reditus certos haberent, essent omnino, sicut et aliæ externorum confraternitates, visitationibus externorum obnoxiæ, quo uno maxime a constitutione Clementis VIII. ne comprehenderemur, immunes fuimus. » Hæc ibi P. Claudius Generalis.

Ex quibus verbis colligitur, intentionem Societatis in erectione et aggregatione, et gubernio harum congregationum eam esse, ut non faciant corpus capax acquirendi bona aliqua, quæ possint retardare earum dissolubilitatem, quoties Societati necessaria, vel utilis visa fuerit earum dissolutio ; sed sit semper coadunatio quædam multorum ad exercitia pia simul obeunda sub directione ejusdem Societatis ; qua directione et gubernatione cessante, statim dissolva-

tur, nec possint sodales sese cum eadem congregatione alio transferre, sed in fieri, et in conservari dependeant semper a directione et gubernio Societatis, ad cujus ecclesiam, vel domum sodales conveniunt, sicut et alii fideles : cum hoc tamen discrimine, quod his sodalibus, ut melius, et cum majori quiete possint suis exercitiis vacare, præstatur et commodatur communiter locus aliquis separatus seorsim, v. g. aula aliqua, vel capella interior, in qua tamen ipsi nullum prorsus jus habent vel acquirunt. Unde aliqui ex ipsis solent aliquando, ut capella illa vel altare decentius ornetur, dare pallium vel planetam, aut quid simile ; quo casu intentio donantis, nisi aliud exprimatur, ea videtur esse, ut sicut in eo altari deservire solent ornamenta sacristiæ communis, vel alia peculiaria facta sumptibus collegii, sed minus fortasse pretiosa ; deserviant illa ad majorem sodalium consolationem, et ut sodales, dum conveniunt, donatoris recordentur. Quare dare videntur collegio, vel domui, cum eo tamen onere, ut ad usum illius capellæ deserviant, quando sodales conveniunt. Sicut, si aliquis ex devotione erga Beatissimam Virginem, cujus aliqua capella sit in ecclesia Societatis, offerret illi planetam, vel pallium ad usum illius altaris ; dominium quidem non acquireretur illi capellæ, quæ non est capax dominii, sed ipsi collegio, vel domui Societatis, cum obligatione ad summum utendi in illo altari ; atque adeo diruta fortasse illa capella, adhuc donaria et ornamenta remanerent sub dominio ejusdem domus, vel collegii : ita, si quis aliquid donat capellæ in qua conveniunt sodales, dominium non acquiritur illi capellæ, sed domui vel collegio, ut utatur rebus illis eo loco in quo sodales solent convenire. Sicut etiam ad eumdem finem fieri possunt, contribuentibus eleemosynam iisdem sodalibus, sedilia pulchriora, in quibus sedeant quando conveniunt, mensa in qua suffragia numerentur, quando alios sodales recipiunt, et alia ejusmodi, quæ omnia utensilia sunt sicut cætera bona mobilia ejusdem domus ; applicata tamen ad illum usum ex intentione donantium. Sic enim videmus feminas nobiles Romanas construere sibi in aliqua ecclesia scamna pretiosa, in quibus cum sua familia sedere possint commode, quando illuc ad concionem concurrunt, et ad hunc finem proprium nomen in illis imprimi faciunt : et tamen mortua donatrice et posteris, non minus remanent scamna illa in pleno dominio ejusdem ecclesiæ, in cujus etiam dominio ab initio fuerant, cum obligatione tamen ad illum usum. Et quidem, si capella vel altare ad quod sodales conveniunt, esset in ipsa ecclesia, nemo fortasse dubitaret ; idem enim de donariis et ornamentis illius altaris judicaretur, quod de rebus oblatis cæteris altaribus vel capellis. Per accidens autem est, quod altare vel capella, in qua conveniunt, sint extra ipsam ecclesiam, hoc enim fit ut commodius vacare possint suis exercitiis, et audire exhortationes privatas quæ illis fieri solent ; atque etiam ne detur locus feminis sese ingerendi, quæ in ejusmodi sodalitia recipi non possunt. Nullum tamen majus jus sodales acquirere possunt in capellam, vel altare illud, quam si in ara maxima ipsius ecclesiæ ad communionem convenirent.

Ratio denique a priori desumitur ex 6
supradictis : nam intentio donatoris accommodari debet circumstantiis, et qualitatibus personæ, loci, rerum, etc. Cum ergo congregatio ipsa non sit ex sua institutione corpus stabile, sed temporaneum et dissolubile ad arbitrium Societatis, qua dimittente gubernationem, eo ipso congregatio dissolvitur, nec potest in alio loco subsistere ut secum deferat sua bona : non præsumitur quod res oblata donetur ita congregationi, ut dissoluta congregatione, donatio evanescat, quia res permanens juxta suam naturam debet donari subjecto permanenti, vel saltem habenti hæredes ad quos res donata transeat, quales hæredes congregatio ha-

bere non potest. Intentio ergo prudens donantium est illa quam diximus, nempe donare domui vel collegio, ut deserviant res illæ ad usum congregationis, quandiu congregatio subsistit, ut hoc modo minus gravetur domus providendo capellæ de ornamentis necessariis, et ipsa etiam capella pulcherius, et decentius ornetur. Hanc denique esse praxim Societatis, ut dissoluta aliquando congregatione, supellex maneat penes domum, vel collegium in quo erat, testatus est etiam mihi P. Carolus Sangrius, Assistens tunc pro Italia, et qui paulo post Vicarius generalis fuit totius Societatis, et qui multas ejus provincias rexerat, et praxim Societatis bene noverat.

7 Hinc autem inferri rursus potest, quod occurrente eo casu non debet supellex congregationis extinctæ transferri ad aliam congregationem, quæ in alia fortasse domo, vel collegio Societatis sit. Cum enim dominium earum rerum acquisitum semel fuerit domui, vel collegio, in quo fuerat congregatio ; non potest iis rebus privari, ut alteri domui acquirantur præsertim, si sint mobilia pretiosa ex iis quæ servando servari possunt, nec alienari possunt sine facultate sedis Apostolicæ. Esset enim vera alienatio translatio illa ab una in aliam domum ; sicut nec potest ullum collegium dare alteri collegio fundum, vel alia bona stabilia quæ possidet. Si tamen in eadem domo vel collegio erectæ essent plures ejusmodi congregationes, congrueret quod extincta una, applicaretur ejus supellex ad usum alterius congregationis in eodem collegio, vel domo existentis, imo hoc videretur necessarium quando ex duabus congregationibus fieret una, vel quando sodales unius extinctæ aggregarentur alteri congregationi ; hæc enim præsumitur intentio donantium, ut deservirent ejusmodi ornamenta ad usum eorum sodalium, quandiu moraliter non desinunt esse sodales in eodem loco.

## DUBIUM XIII.

*Utrum fuerit valida professio emissa ante tempus, quod Generalis præscripserat ?*

Suppono primo, professionem ad sui 1
valorem requirere consensum liberum profitentis, et consensum etiam prælati potentis religionis nomine acceptare professionem, ut tradunt communiter doctores, quos affert et sequitur Thomas Sanchez lib. V. *in Decalog.* cap. IV. n. 62. et seqq. Cum enim intercedat contractus mutuus ex parte profitentis et religionis ; necessarius est utriusque consensus, quorum altero deficiente, professio non subsistit : videatur Suarez tom. IV. *de Religione* tract. x. lib. VI. cap. v. num. 4. et 6. ubi notat, prælatum inferiorem a Generali non posse in Societate acceptare professionem, nisi juxta formam illi a Generali commissam et præscriptam, quia non habet ad hunc actum nisi facultatem delegatam, et non potest terminos transgredi mandati sibi dati.

Suppono secundo, Generalem, quia 2
non potest per seipsum immediate recipere professiones omnium, solere, visis informationibus de qualitatibus, profectu, et doctrina subditorum, committere provincialibus, ut subditos nominatos in catalago quem ad ipsos transmittit, admittant ad professionem, vel per se ipsos, vel per alios quos sibi substituant ; in hoc tamen juxta decreta ejusdem Societatis servari debet ordo, ut illi prius professionem emittant, qui antiquiores sunt, vel in ordine ipso, vel in studiis, ita ut etiamsi simul octo, aut decem professionem faciant ; illi priores sint in professione facienda, qui cæteros postea præcedere debent, quæ præcedentia deservit, non solum ut in comitiis priores

sedeant et loquantur, sed etiam ut veniant ad comitia provincialia, ad quæ non conveniunt nisi antiquiores professi usque ad certum numerum : quare contingit ex illis qui simul professionem fecerunt, unum venire, altero non veniente ad comitia, eo quod hic post illum professionem pronuntiavit.

3 His suppositis, accidit, quod Generalis catalogum Provinciali apud Indiam miserit eorum quos in sua Provincia ad professionem admittere debebat : quorum unus, quia in Societate junior erat, dixit, ut post alios antiquiores profiteretur. Unde Provincialis, quia ii in variis locis tunc degebant, singulis præscripsit professionis faciendæ diem, atque ita dies distribuit, ut singuli pro sua antiquitate in professione facienda præcederent. Superior tamen illius loci, ubi junior ille reperiebatur, habita opportunitate nescio cujus solemnitatis, vel concursus, parum id referre putans, si diem sibi a Provinciali præscriptam præveniret, profiteri illum jussit ante diem præfixam, atque inter missarum solemnia publice ab eo professionem acceptavit. Dubitatum ergo fuit imprimis de valore professionis : deinde, an deberet loco, et jure præcedere eos qui ante ipsum profiteri in aliis collegiis debuerant, et reipsa diebus sequentibus professi sunt.

4 Respondi, valorem hujus professionis videri mihi dubium ; pendet enim ex intentione Generalis et Provincialis, quorum quilibet habere potuit intentionem non acceptandi professionem, nec committendi facultatem ad eam acceptandam, nisi tali tempore : et hoc propter magna inconvenientia quæ sequerentur, si professio ante illud tempus fieret, et propter querelas perpetuas futuras seniorum, qui exclusi essent a juniore illos excludente et præcedente : Quamvis autem ordo servandus inter professuros non videatur circumstantia substantialis : sed accidentalis, ex alio tamen capite, cum in Societate non sit tempus determinatum ad professionem faciendam, sed pertineat ad Generalem singulis tempus determinare, ante quod tempus professio non est valida, quia fieret ante debitum tempus, sicut si in aliis ordinibus religiosis fieret ante finitum annum integrum novitiatus, et Generalis in casu nostro designaverit tempus illud, nempe post professiones aliorum seniorum ; videtur facta professio ante debitum tempus, quod debet esse tempus a Generali designatum, qui videtur esse defectus substantialis. Scio equidem, quando anno 1617. Provincialis Castellæ petiit per litteras a P. Generali facultatem admittendi me ad professionem solemnem : datam quidem illi fuisse hanc facultatem, sed cum ea limitatione, ut quia junior eram in Societate multis aliis, qui ob serius absoluta studia non profitebantur, differretur mea professio usque ad annum a data illarum litterarum : quod temporis spatium Provincialis religiose et exacte observavit, nec nisi die sequenti post annum expletum professus sum, ut nullum omnino dubium de actus valore relinqueretur.

Aliunde tamen certum etiam est, potuisse ordinem illum inter seniores et juniores non præscribi a Generali tanquam substantialem, et necessarium ad valorem professionis, sed solum commisisse Provinciali, ut contentos illos ad professionem admitteret, quæ erat substantia commissionis : deinde injunxisse ut in professione admittenda servaretur debitus ordo secundum majorem vel minorem antiquitatem eorum qui professuri erant ; in quo ordine, si deficeretur, violaretur præceptum, seu ordinatio ipsius Generalis, non tamen læderetur valor professionis. Porro hanc fuisse Generalis mentem, suaderi posset, quia non satis prudenter videretur agere Generalis, si valorem professionis voluisset dependere a circumstantia adeo extrinseca, qualis est ordo inter eos qui profitentur, et in qua sine ulla culpa multi defectus et errores contingere possunt ; potest enim contingere ut quando in eodem loco 5

plures simul professionem emittunt, unus per errorem post alium genuflectat, quem tamen juxta ordinem debuisset præcedere. Deinde, quando in locis diversis emittunt professionem, et ideo monentur ut seniores tali die, juniores vero die sequenti profiteantur, contingere potest, ut litteræ ad locum seniorum casu aliquo non veniant tempestive, atque ea de causa juniores ante seniores profiteantur. In quibus, et aliis similibus casibus, non est credibile quod Generalis velit professionem juniorum eo ordine non servato factam, irratam esse. Præsumendum ergo est ordinem illum injungi solum ex præcepto, non ut necessarium ad substantiam professionum.

6 Hæc autem, ut verum fatear, magis conducere possent ad præsumendam intentionem Generalis, quod non posuerit pro substantia ad valorem professionis ordinem servandum inter professuros; quam ad hoc ipsum præsumendum de Provinciali, qui sane non præcepit rectori illius loci ordinem servandum inter professos, sed potius ad servandum hunc ordinem sibi a Generali præscriptum, commisit illi rectori, ut loco sui admitteret professionem talis Patris eo loco commorantis talis die, et non antea. Quare videtur circumstantia temporis inclusa in corpore ipsius mandati, cujus mandati terminos ipse mandatarius excedere non poterat. Nam, sicut procurator constitutus ad contrahendum matrimonium nomine alterius cum tali femina tali die, et non antea, non contraheret valide, si ante diem assignatum vellet contrahere, ut colligitur ex doctrina communi quam tradit Thom. Sanch. lib. II. *de matrim.* disp. XI. num. 17. sic mandatum acceptandi professionem talis Patris tali die, et non antea, videtur coarctare mandatarium, ne possit ante diem illam valide professionem acceptare.

7 Itaque propter hæc, et alia, quæ considerari possent, censui explorandam esse mentem Generalis, et Provincialis, et videndum, an ita præscripserint ordinem et tempus, ut eo etiam non servato, voluerint professionem valere; quod si de ipsorum mente non constiterit, judicari poterit professionem, licet ab initio non valuerit, valuisse tamen adveniente tempore a Generali et provinciali præfixo, ab eoque puncto antiquitatem illius professi computandam esse. Ratio est, quia facta professione invalida ob defectum potestatis in acceptante, potest postea illam acceptare is, qui auctoritatem legitimam acceptandi habet, si tamen voluntas professi moraliter perseverat, nec fuit jam per contrariam voluntatem mutata; atque ex eo acceptationis legitimæ tempore incipit professio præterita valorem completum habere: dum tamen professio antea acceptata fuerit nomine legitimi prælati potentis eam acceptare, ut cum communi doctorum quos affert, docet Thomas Sanchez lib. V. *in Decal.* c. IV. num. 80. Ratio autem est, quia nemo quidem ratum habère potest quod ejus nomine non est gestum: id tamen quod ejus nomine gestum est, ratum habere postea potest, et tunc locum habet regula juris, *ratihabitationem retrotrahi et mandato comparari* et reg. *ratihabitionem, de regulis juris* lib. VI. Hæc autem omnia in nostro casu concurrunt, in quo prælatus inferior acceptavit professionem nomine Generalis, a quo putabat se mandatum et commissionem habere: quare Generalis postea conscius factus, poterit eam acceptationem ratam habere. Cum enim ad professionem validam duo requirantur, nempe promissio ex parte professi, et acceptatio ex parte prælati nomine religionis acceptantis et obligantis ipsam religionem, et jam præcesserit promissio ex parte professi; solum desideratur acceptatio legitima ex parte prælati, qua adveniente, completur valor professionis, si medio illo tempore voluntas professi mutata non fuit. Valor tamen professionis non potest incipere, nisi ab eo tempore quo acceptatur, quia antea vere ille nondum erat professus,

atque adeo, si medio illo tempore matrimonium contraxisset, validum esset, ut notavit idem Sanchez loco citat. quod intelligi debet, nisi adesset aliud impedimentum irritans valorem matrimonii, quale in Societate præstant vota simplicia post biennii novitiatum emissa. Debet ergo antiquitas professionis in casu nostro computari a tempore ratihabitionis et acceptationis subsequentis, quia ante illam nunquam fuit professus, nisi inchoative, nec potest Generalis concedere illi antiquitatem temporis antecedentis in præjudicium eorum quibus fuerat jus acquisitum, eo quod tempore intermedio professionem fecissent.

8 Dixi tamen, hanc Generalis acceptationem in casu nostro præsumi posse ex eo tempore, quod ipse præscripserat ad professionem illam acceptandam, quia hoc modo, et hanc intentionem habendo potuerunt Generalis, et Provincialis omnia inconvenientia vitare, ne ex uno capite professio exponeretur periculo invalidatis; et ne ex alio capite junior ob professionem anticipatam præcederet postea seniores, et iis præjudicium ullum afferretur. Ad hæc, inquam, vitanda potuerunt velle quod professio fieret debito tempore : si autem ex errore anticiparetur, nolle eam acceptare nisi post professiones illorum antiquorum, seu nonnisi post tempus a se præscriptum. Suppono enim non esse contra valorem professionis, si nunc fiat et acceptetur; ita tamen, ut non incipiat valere nisi crastina die, ut late probavi in to. *de pœnitentia* disp. XIII. sect. v. præsertim nu. 128. Cum ergo hoc modo intentionis potuerint omnia inconvenientia vitari, præsumi potest quod Generalis, et Provincialis, si voluerunt professionem non esse validam ante tempus ab ipsis præscriptum; voluerunt tamen, quod inciperet valere tempore illo, atque adeo ab illo tempore eam acceptare. Requiritur tamen, ut dixi, quod professus post professionem a se factam usque illud tempus, in quo prælatus legitimus eam acceptat, non mutaverit voluntatem, sed perseveret moraliter in eadem voluntate profitendi, quia tempore intermedio adhuc non erat professus, sed poterat resilire, sicut et prælatus poterat eam non acceptare. Alioquin, si professus jam esset ligatus, et prælatus esset adhuc liber ad acceptandum, et non acceptandum, contractus claudicaret cum maxima inæqualitate. Ratio autem, cur consensus in matrimonium vel professionem præstitus in diem sub conditione de futuro possit valide revocari semper ante adventum diei, vel conditionis, quamvis in aliis contractibus revocari non valeat, assignata et declarata a nobis est late in loco supra citato *de Pœnitentia*, ubi videri potest.

## DUBIUM XIV.

*An fuerit valida professio facta in manibus episcopi sæcularis ex commissione Provincialis?*

Generalis Societatis more solito scripserat Provinciali, ut Patrem N. ad professionem admitteret. Cum autem ob majorem actus solemnitatem, et honoris gratia, magna nobilium pars in templo interesset, ac inter alios episcopus loci, Provincialis honorem hunc episcopo detulit, ut ipse professionem acceptaret nomine Generalis, prout factum est : re autem rescita Romæ, dubitatum fuit de valore talis professionis. 1

Suppono, posse Generalem valide committere alteri etiam sæculari, ut ejus nomine acceptet professionem alicujus e Societate, quod quidem commune est aliis prælatis, ad quos spectat professiones in suo ordine acceptare, ut supponit Thomas Sanchez lib. v. *in Dec.* c. IV. n. 77. Suarez to. III. *de Religione* lib. VI. c. XI. n. 5. et alii communiter, et videtur etiam supponi in ipsis constitutionibus

Societatis parte v. c. 1. §. 2. littera B. in margine; hoc enim commune est omnibus, qui ordinariam potestatem habent ad aliquem actum, ut eam possint alteri delegare : quod multo magis locum habet in acceptatione professionis ; in qua ille alius videtur se habere tanquam merus procurator ad professionem acceptandam, et ad obligandam religionem ipsi professo ; quare stante commissione sufficienti, non poterit de valore professionis ex hac parte dubitari.

2 In Societate tamen est peculiaris difficultas propter verba constitutionis loco citato, ibi enim postquam dictum fuerat, facultatem admittendi in corpus Societatis eos, qui admittendi erunt, penes ejus caput esse, additur : « Sed quia præpositus generalis tam variis locis interesse non potest, aliis de Societate eam partem hujus facultatis, quæ ad totius corporis hujus bonum facere videbitur, poterit communicare. » Et in margine littera B. declaratur magis hæc communicatio his verbis : « Alii, quibus ordinarie magis, et absolute communicabitur præpositi provinciales erunt; quibusdam tamen præpositis localibus, vel rectoribus, et aliis visitatoribus, aut personis insignibus, poterit præpositus generalis hanc auctoritatem communicare; imo et alicui, qui de Societate non esset, aliquo in casu, ut episcopo alicui, vel personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ ; cum nullus ex professis ejusdem societatis eo in loco, ubi aliquis ita est admittendus, inveniretur. » Ubi ergo aliqui professi societatis inveniuntur, prout in casu nostro inveniebantur et professi et prælati Societatis, non potuit ea facultas episcopo sæculari committi.

3 Respondere aliquis posset, in prædicto loco constitutionum sermonem non esse de acceptatione professionis jussu Generalis faciendæ, sed de facultate admittendi aliquem ad professionem inconsulto Generali, quæ facultas raro et cum magna cautela communicanda est. Potest autem hæc interpretatio suaderi, primo, quia ejusmodi facultas est, quæ communicari solebat aliquibus superioribus insignibus a S. Ignatio. Secundo, quia in 9. part. earumdem constitutionum §. 1. magis explicatur eadem facultas, et ejus communicatio ; dicitur enim, Generalem posse per se et per alios admittere ad probationem, ad professionem, etc. et statim littera $A_4$ in declaratione explicatur, qualiter aliis communicare possit hanc facultatem, his verbis : « Cum unum, vel plures ad professionem per alios admiserit, prius nominatim de eis certiorem fieri, et de eorum dotibus ipsi satisfactum esse oportebit : vel hoc munus admittendi pro suo arbitratu, (juxta id quod in v. part. dicitur) alicui perinde, ac sibi ipsi confidat, peculiariter committat. » Et in margine citatur ex v. part. locus ille, de cujus verborum sensu nunc agimus, et rursus citatur caput secundum ejusdem quintæ partis §. 1. littera A. ubi expresse agitur de communicatione facultatis ad dandam professionem inconsulto Generali : Unde videtur, quod etiam in dicto c. 1. de hac eadem facultate sermo sit, quam quidem S. Ignatius noluit communicari externis etiam episcopis in locis, ubi sint aliqui Societatis professi ; non vero de facultate acceptandi professionem illius, cui nominatim Generalis injungit in professionem emittat.

Tertio denique hoc ipsum confirmari 4
potest a simili, quia quando agitur de communicatione facultatis ad dimittendum ex Societate, non intelligitur de facultate exequendi dimissionem, quam Generalis mandat pro aliquo particulari nominatim, sed de facultate dimittendi inconsulto Generali, ut constat ex part. II. constit. cap. 1. §. 2. per totum, in textu, et in declarationibus, ubi traditur, quando et quibus possit ejusmodi facultas communicari : ergo quando agitur de communicatione facultatis admittendi ad professionem, eodem modo debet intelligi de facultate admittendi inconsulto Generali, non de acceptanda professione ali-

cujus, cui nominatim Generalis professionem emittendam mandavit, cum contrariorum eadem sit ratio : atque adeo ex illo loco v. partis non habetur prohibitio communicandi episcopo facultatem acceptandi professionem, sed ad summum quod non detur ei facultas admittendi ad professionem inconsulto Generali et hoc in locis, in quibus alii Societatis professi inveniuntur.

5 Hæc tamen interpretatio, ut verum fatear, difficultate non caret. Primo, quia ille etiam, qui consulto et jubente Generali, professionem admittit alicujus, dicitur simpliciter et absolute *admittere professionem, et admittere ad professionem*, ut constat ex iisdem constitutionibus p. v. c. 3. §. 2. in textu, et in declaratione littera A. Cum ergo in dicto cap. 1. dicitur non esse episcopo loci communicandam facultatem admittendi professionem, ubi aliquis ex Societatis professis adest, intelligi debet de admissione etiam ad professionem consulto Generali : et quidem juxta subjectam materiam videtur ita intelligendum ; quia agitur ibi de facultate quam aliquando expedit episcopo, vel aliis sæcularibus communicare. Nunquam autem accidit casus, nec futurum credo, in quo alicui sæculari detur facultas, ut pro suo arbitrio admittat ad professionem in Societate, quos ipse voluerit, ignorante et inconsulto Generali, et aliis prælatis Societatis de persona admittenda, et ejus qualitatibus. Non est ergo ibi sermo de hac sola facultate, sed de facultate in genere, prout præscindit ab admissione ad professionem consulto vel inconsulto Generali : quam facultatem S. Ignatius dicit committit posse episcopo, vel personæ gravi, etc. non quidem universalem, sed limitatam, nempe *aliquo in casu*, et cum nullus ex Societatis professis eo loco reperitur. Unde constat facultatem hanc tunc non communicari ad acceptandam professionem eorum quos voluerit, sed pro casu aliquo particulari, atque adeo ad professionem personæ particularis ab ipso Generali approbatæ.

Potest autem secundo hic sensus confirmari ex verbis, quibus ibi hic casus circumscribitur, ex quibus colligitur agi de casu particulari, in quo constat jam Generali de idoneitate personæ quæ ad professionem admittitur, et quia non reperitur eo loco professus ullus Societatis, qui professionem acceptet, committi potest acceptatio episcopo loci, vel personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ. Verba S. Ignatii sunt : « Imo et alicui, qui de Societate non esset, aliquo in casu, et episcopo alicui, vel personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ ; cum nullus ex professis ejusdem Societatis eo in loco, ubi aliquis ita est admittendus, inveniretur. » Supponitur ergo jam decretam esse admissionem illius, ut significant verba illa, *ubi aliquis ita est admittendus*, atque adeo jam Generalem examinasse merita personæ, ut eam ad professionem solemnem admittat. 6

Propter hæc posset aliquis secundo, et magis verisimiliter respondere, in illo c. I. partis v. præscribi quidem Generali ordinem quem servare debet in communicatione facultatis, et in deleganda acceptatione professionis, non tamen reddi invalidam facultatem aliter concessam, vel professionem sic factam : nullum enim est verbum irritans ; quare cum de jure communi Generales possint aliis delegare, vel committere id quod jure ordinario ipsis competit, quæ facultas non invenitur cum irritatione ablata Generali societatis, non est cur neganda sit ei potestas committendi episcopo, ut suo nomine professionem alicujus acceptet ; præsertim cum professio, sicut potest per procuratorem fieri, ut cum communi fatetur Suarez tom. III. *de Religione*, lib. VI. c. 2. num. 22. ita etiam possit per procuratorem acceptari, cum sit contractus mutuus, et æque possit ex parte utriusque contrahentis substitui procurator : cur ergo non poterit a Generali constitui episcopus quasi procurator ad 7

acceptandam ejus nomine professionem?

8 Confirmarique potest, quia quamvis in eodem loco constitutionis mentio fiat de solis Provincialibus, visitatoribus et quibusdam præpositis localibus, et rectoribus, aut personis insignibus, quibus hæc facultas communicetur : usus tamen obtinuit ut in absentia Provincialis, cuilibet superiori locali, atque eo impedito, aliis subditis committatur acceptatio professionis, licet non sint personæ insignes : nec ullus unquam de harum professionum valore dubitavit. Denique multa in iisdem constitutionibus passim reperiuntur ad instructionem, et directionem Generalis, et aliorum superiorum scripta, quæ tamen, quia non habent clausulam irritantem, non reddunt invalidos actus aliter factos, quod multis exemplis comprobari facile posset.

9 Hæc quidem responsio ostendit, potuisse Generalem valide acceptationem professionis episcopo committere, etiamsi in eo loco Societatis professus inveniretur : non tamen ostendit Provincialem, cui Generalis commiserat professionem illam intimare et acceptare, potuisse loco sui episcopum ad id muneris valide substituere ; est enim regula universalis, quod procurator ad professionem constitutus non potest alium sibi substituere, nisi id ei specialiter in mandato concedatur, ut cum communi docet Thomas Sanchez lib. v. *in Decalog.* cap. III. num. 8. qui hoc idem de procuratore ad matrimonium dixerat lib. II. *de matrimon.* disp. XI. num. 5. et de procuratore ad professionem Suarez dicto lib. VI. cap. XI. num. 5. Quamvis autem de facto Provincialis, cui Generalis mittit catalogum eorum qui professionem in sua provincia facturi sunt, soleat quando absens, vel impeditus est, nec per se ipsum potest professionem acceptare, id muneris aliis superioribus localibus subdelegare, in quorum domibus, vel collegiis professuri reperiuntur : id tamen non fit sine consensu Generalis, qui sane novit optime Provincialem non acceptare immediate per se ipsum professiones omnium subditorum, atque adeo censetur illi imponere, ut vel per se, vel ipso impedito per alios faciat, ut professiones ab illis personis fiant : in hoc tamen mandato non videtur includi facultas id exequendi per extraneos et sæculares, et eos sibi substituendi. Primo, quia, cum ejusmodi usus in Societate non sit, non possumus talem intentionem Generalis interpretari, ut velit concedere Provinciali facultatem substituendi sibi sæculares, etiamsi Provincialis non sit impeditus, nec desint alii professi Societatis, quibus id committi possit. Secundo, quia, cum ipsa constitutio contrarium Generali præscribat, ne scilicet episcopum substituat, nisi in casu necessitatis ; difficile credi potest quod Generalis substituat sibi Provinciales cum facultate substituendi sæculares, etiam sine ulla necessitate. Illa ergo commissio Provinciali facta interpretanda videtur juxta usum Societatis ; atque ideo, cum mandatarius qui non habet potestatem a se, sed solum a mandante, non possit mandati terminos excedere, non videtur potuisse Provincialis episcopum sæcularem sibi substituere sine ulla prorsus necessitate.

Hæc itaque reddunt mihi dubium valorem illius professionis et acceptationis, 10
nisi de Generalis mente constare possit, quod noluerit arctare Provincialem, sed potius dederit ei liberam potestatem substituendi sibi quos vellet. Ex dictis ergo dubio præcedenti remedium facile erit, quod Generalis acceptet professionem illam invalide factam ex defectu potestatis in recipiente : per quam acceptationem professio incipit esse valida, si professi voluntas tempore intermedio non fuit mutata, sed eadem moraliter perseverat, ut ibi diximus ; quod remedium probat et consulit Thomas Sanchez lib. v. *in Decalog.* cap. IV. num. 80. quoties professio a non habente potestatem admissa fuit nomine habentis potestatem, prout in casu nostro factum fuit.

Hoc tamen remedium in hoc casu non 11

approbat P. Suarez dicto lib. VI. cap. XI. n. 6. et 7. quia non videtur sufficere quod Generalis approbet professionem et illam acceptet, nisi hæc ipsa acceptatio constet ipsi professo. Cum enim Generalis per suam acceptationem consentiat, et obliget se professo nomine religionis, nec sufficiat consensus internus ad pariendam obligationem, sed debeat hic consensus esse externus, et manifestari alteri contrahenti ; oportebit hanc Generalis acceptationem, et consensum manifestari professo : et tunc, si professus dissentiat, professio adhuc non valebit ; si vero consentiat, jam hæc erit nova ratificatio non solum ex parte Generalis, sed etiam ex parte professi, qua posita, non est dubium quod incipiat valere professio.

12 Hoc argumentum negari non potest, quin probabile sit, quia, ut late probavimus t. II. *de Justitia*, disp. XXII. sect. 3. num. 29. et sequentibus, in contractibus onerosis, qualis est professio, necesse est ut voluntas et acceptatio cujusque ex contrahentibus nota sit alteri contrahenti : quod tamen ibidem diximus, regulariter verum esse ; habere autem aliquas exceptiones, et ideo responderi potest hanc esse unam ex iis exceptionibus. Acceptatio enim subsequens patris Generalis, non est mera acceptatio, sed approbatio et ratihabitio illius quod ejus nomine gestum fuerat. Constat autem, eam esse vim ratihabitionis, ut mandato æquiparetur : quare facta semel professione, et acceptata ab episcopo nomine Generalis, et secuta postea ratihabitione, qua Generalis ratum habet quod ejus nomine gestum fuerat ; perinde erit ac si ex ejus mandato factum fuisset, quamvis valor non antea, sed nunc subsistere incipiat. Sicut ergo præcedente legitimo mandato Generalis, non esset necesse quod professus haberet postea notitiam de nova acceptatione Generalis ; sic subsecuta ratihabitione, qua Generalis ratum habet quod suo nomine gestum fuerat, et quæ ratihabitio mundato æquiparatur, juxta regulam juris vulgarem, non erit necessaria notitia nova in professo de hac subsequenti acceptatione Generalis ; quod potuit esse fundamentum eorum doctorum quos refert et sequitur Sanchez loco cit. et quos refert etiam, et impugnat Suarez ubi supra, dicentium, professionem invalidam ob defectum potestatis in acceptante, fieri validam subsecuta acceptatione legitimi prælati, si professus adhuc in priori voluntate moraliter perseveret.

Post hæc autem scripta vidi in novis- 13
sima congregatione octava generali decreto XXXIV. hoc dubium propositum fuisse, et re discussa, responsum fuisse his verbis : « Judicavit congregatio, nullius esse valoris ob defectum potestatis in admittente : quia facultas Provincialis delegata ex Generalium intentione, non semel eorumquem responsis expressa non extenditur ad hunc casum. » Quod quidem est juxta doctrinam superius traditam.

## DUBIUM XV.

*An habitus religiosus assumptus sit semper impedimentum essentiale ad ingressum in Societatem ?*

Suppono, inter impedimenta, quæ in- 1
gressum, vota, et professionem in societate Jesu impediunt et irritant, unum esse, *si habitum suscepit alicujus religionis fratrum, vel clericorum, vitam aliquandiu in obedientia cum eis agendo, sive emissa, sive non emissa professione, vel eremitam cum vestibus monachalibus fuisse*, quod autem hoc sit impedimentum irritans ingressum, et omnia subsequentia, probat late P. Suarez t. IV. *de Religione*, tr. X. lib. II. c. 1. n. 28. et sequentibus, Sanchez lib. V. *in Decalog.* c. IV. n. 60. Castro Palao t. III. tr. XVI. disp. I. puncto 8. §. 1. n. 2.

et ita declaratum fuit ab eadem Societate in Congregatione Generali septima, decreto LXII.

2 Hoc supposito, contigit, ut postquam aliquis in Societate per aliquot annos vixerat, notum et comprobatum fuerit, ipsum ante Societatis ingressum habitum alterius religionis ab ejus prælatis accepisse, et per quatuor, vel quinque horas ibidem mansisse; postea tamen dimisso habitu, et mutato consilio ad propriam domum rediisse. Unde ingressus subsequens in Societatem, et vota ibi emissa existimabantur nullum habuisse valorem ob incapacitatem subjecti ex impedimento essentiali præcedenti.

3 Respondi tamen, eo casu non præcessisse impedimentum irritans, quod reddat invalidum ingressum subsequentem, et vota in Societate emissa. Pro quo adverte, in duobus potissimum locis mentionem fieri a S. Ignatio hujusmodi impedimenti. Primus est in examine c. II. §. 3. ubi inter casus, quibus nemo potest in Societatem admitti, ponitur tertio loco, si fuerit religiosus, vel eremita cum habitu monachali, his verbis: « Tertius est habitum sumpsisse alicujus religionis fratrum, vel clericorum vitam aliquandiu in obedientia cum eis agendo, sive emissa, sive non emissa professione, vel eremitam cum vestibus monachalibus fuisse. » Secundus locus est in constit. I. p. c. III. §. 5. ubi inter primaria impedimenta ponitur, *assumpsisse religionis habitum, vel eremitam cum vestitu monachali fuisse*, in quo secundo loco additur ab eodem S. Ignatio declaratio in margine littera E. his verbis: « Non solum si professionem emisisset, sed si vel unum diem habitum religionis gestasset, admitti, propter rationes in examine dictas, non potest. »

4 Ex his ergo verbis constare videtur, momentaneam habitus sumptionem, et dimissionem non sufficere ad inducendum ejusmodi impedimentum. Nam in primo loco exigitur, *vitam aliquandiu in obedientia cum eis egisse;* et quidem de eo qui per unicum momentum habitum induit, non verificatur, quod habitu sumpto vitam *aliquandiu* in obedientia cum aliis egerit. Si enim verba illa non significarent moram aliquam ibi factam post habitum assumptum, frustra fuissent addita, cum sufficeret dixisse, *habitum assumpsisse;* quod tamen solum non sufficit, sed requiritur et habitum assumpsisse, et vitam aliquandiu cum aliis in obedientia egisse. Quare in secundo loco, quamvis verba illa non repetantur, sed solum dicatur, *assumpsisse habitum*, refert tamen se S. Ignatius ad illum primum locum examinis, in quo id explicatum fuerat. Nam idcirco illo c. III. §. 7. post enumerata omnia quinque impedimenta, addit, *ut in examine fusius tractatur*, quæ verba non debent, nec possunt referri ad quintum impedimentum solum, de quo non fuerat fusius in examine dictum, sed debent referri ad omnia impedimenta, de quorum aliquibus dixerat fusius in examine.

Quia tamen dictio illa *aliquandiu*, 5
exposita manebat interpretationibus, et non deesset fortasse, qui ad illius verificationem plurium dierum moram exigeret, ideo non ad ampliandum, sed ad restringendum illius sensum, addidit in declaratione supra adducta, sufficere, *si vel unum diem habitum religionis gestasset*, cum enim dictio *aliquandiu*, excludat omnino momentaneam habitus assumptionem, et exigat moram temporis, quo subobedientia vitam egerit religiosam; restabat omnino declarandum, quale, vel quantum tempus illud esse debeat, ut impediat et irritet ingressum subsequentem in Societatem: ad hoc ergo declaratio ab eodem S. Ignatio addita est, et quidem satis stricta, sufficere nimirum moram unius diei: ex qua declaratione manifestum videtur, non sufficere ad hunc effectum moram quatuor, vel quinque horarum, quæ partem unius diei quartam non attingunt, præsertim, cum versemur in odiosis, atque adeo legem non debeamus strictius declarare, quam sit

ab ipso legislatore declarata, quando ejus rigorem et obligationem magis voluit exaggerare ; quam meam in hoc puncto sententiam confirmavit mihi postea magis auctoritas Patris Natalis, qui fuit S. Ignatio in evulgandis constitutionibus minister et comes fidelissimus, et mentem sancti fundatoris omnium optime callebat : hic ergo tantus vir in scholiis, quæ adhuc manuscripta conservantur in domo professa societatis Romana, aperte negat moram illam adeo brevem impedimentum esse ad Societatis ingressum.

6 Scio, aliquem post professionem in Societate egisse in judicio de ejus nullitate, eo prætextu quod antea ad horam alterius ordinis habitum assumpserat. Sed certe Societas non probavit, nec confessa fuit professionis nullitatem, sed ut se ab invito et litigante expediret, P. Mutius Vitelleschus, tunc novus Generalis, litteris publicis eum a Societate expulit ; quibus quidem expulsionis litteris ipse contendebat se non indigere, quippe qui nunquam valide professus fuisset. Sed Societas sibi satis consuluisse putavit, eum, quamvis professus esset, justis de causis expellendo : ipse de reliquo suæ conscientiæ consuleret et videret an merus sæcularis, an verus religiosus expulsus esset. Petiit quidem postea ille a nuntio Apostolico declarari merus sæcularis, atque adeo capax beneficiorum sæcularium : id tamen sine judicio contradictorio factum fuit, nolente Societate se rursus in eam litem ingerere, quippe quæ jam hominis curam abjecerat. Quod totum revocare volui in memoriam, ne forte posteri eo exemplo decipiantur, et credant societatem agnovisse, moram illam adeo brevem sufficere ad hoc impedimentem irritans, de quo locuti sumus.

## DUBIUM XVI.

*De homicidio non probato, an sufficiat ad dimittendum nondum professum in Societate ?*

Inter impedimenta essentialia, et irri- 1
tantia ingressum Societatis, vota et professionem, ponitur homicidium, ut constat ex locis adductis dubio præcedenti. Nam in examine cap. II. § 2. assignatur hoc impedimentum sub illis verbis, *homicidium aliquo tempore perpetrasse* : sub quibus etiam verbis apponitur in constit. p. I. c. III. §. 4. ubi in margine littera C. additur declaratio ab eodem S. Ignatio, his verbis : « Quod ad homicidii impedimentum attinet, nulla (ut nec in aliis) declaratio adhibetur. Num autem sit homicidium, necne, si dubitaretur, discernant præpositi generales ; nec se faciles in hujusmodi dubiis exhibeant. Qui cum deliberatione homicidium perpetrari jussisset, si effectus est consecutus, quamvis manu sua non occiderit, inter homicidas erit existimandus. » Hæc ibi.

Contigit ergo non ita pridem, ut scho- 2
laris quidam in Societate post novitiatum, et vota biennii emissa, superioribus manifestaret quod cum quatuordecim vel quindecim annorum esset, et in flumine cum sodalibus nataret, puerum ex iis ob acceptam injuriam inter natandum submerserat et suffocaverat. Quæsitum itaque fuit, an credendum ei esset, et dimittendus tanquam invalide receptus, et quid faciendum in ejusmodi casibus cum sine probatione fingi possint ad relinquendum statum religiosum prætextu impedimenti essentialis ? Denique, an possit Societas ante dimissionem punire eos, qui in ingressu et novitiatu malitiose impedimenta tacuerunt, ut peractis studiis exirent ?

3 Respondi ad primum, examinandum, et interrogandum esse diligenter de circumstantiis actionis, an puerum submerserit volendo directe, vel indirecte ejus mortem, an sine ejusmodi voluntate etiam indirecta, ut constare possit, an fuerit verum homicidium, impedimentum enim soli vero homicidio alligatur. Quod si ex confessione ipsius constiterit, fuisse verum homicidium, consului, omnino dimittendum e Societate, non quidem declarando illum non fuisse valide admissum, sed quomodo solent alii non professi justis de causis dimitti. Ratio est, quia, quamvis non defuerint, qui velint homicidium occultum non esse impedimentum essentiale in Societate, sed solum publicum et notorium, quam sententiam probabilem dicit Castro Palao to. III. tra. XVI. disp. 1. pu. 8. § 7. num. 16. et 17. omnino tamen puto, non minus impedimentum oriri ex homicidio occulto, ut late et optime probavit P. Suarez to. IV. *de Religione*, tr. x. lib. II. c. 1. nu. 2. nam constitutio generaliter loquitur de homicidio, non distinguens inter publicum et occultum. Sicut ergo irregularitas ex utroque contrahitur, eo quod lex ecclesiastica generaliter loquatur, eodem modo Societatis constitutio de utroque debet intelligi.

4 Quamvis tamen homicidium occultum irritet ingressum Societatis, et idcirco qui illud de se fatetur, non debeat admitti, postquam tamen ingressus est, et votis biennii ligatus fuit, non videtur ei credendum, si tunc se dicat fuisse homicidium, atque ideo non emisisse valide vota religiosa : ut in simili probat Thomas Sanchez lib. VII. *de matrim.* disp. XXXVII. num. 14. de religioso dicente, et jurante se ficte professum esse, vel se intra quinquennium nunquam ratificasse professionem invalidam, cui prælatus credere non potest, nisi attentis circumstantiis prudentissimus quisque judicare posset, id moraliter certum esse. Et quidem, si sufficeret testimonium religiosi ipsius fatentis, se olim homicidium perpetrasse, plures sibi id crimen imputarent, ut a prælatis dimitterentur : quare sicut conjugi post celebratum matrimonium non est credendum dicenti, se contraxisse cum impedimento irritanti, nisi illud sufficienter probet; sic nec religioso post contractum spirituale vinculum per vota religiosa credi potest testanti de suo præcedenti impedimento, nisi id probet. Ideo ergo dixi in casu nostro non posse hunc e Societate dimitti, declarando ipsum nunquam fuisse religiosum, quia ad hanc declarationem exhibendam non sufficit ipsius confessio de impedimento præcedenti.

Addidi tamen, Generalem societatis 5
prudenter facturum, ex meo consilio, si eum ex Societate dimitteret, non declarando nullitatem votorum emissorum, sed eo modo quo justis de causis solet alios non professos dimittere juxta facultates et constitutiones Societatis. Ratio videtur clara, quia vel ille revera homicidium assertum perpetravit, vel non. Si perpetravit, nunquam fuit vere Societatis religiosus, atque adeo merito ejicitur, qui Societatis religiosus nunquam fuit. Nec inique fit cum eo, aut conqueri jure potest, eo quod non declaretur simul invaliditas votorum ; hoc enim sibi debet imputare, qui non probat sufficienter impedimentum essentiale homicidii perpetrati : quo non probato, expedit ei saltem pro foro externo habere litteras Generalis dimittentis eum e Societate, sine quibus posset facile in foro externo tanquam apostata judicari et puniri. Aliunde vero parum ei refert, quod valida vel invalida vota emiserit ; siquidem qui e Societate ante professionem solemnem dimittuntur, non contrahunt sicut professi expulsi ab aliis ordinibus suspensionem aliquam, nec incapaces sunt cujuslibet beneficii sæcularis, imo nec primarum et supremarum dignitatum. Bene itaque cum eo agitur, si more solito dimittatur, sicut alii non professi dimittuntur, etiamsi ob homicidium vere perpetratum religiosus non fuerit.

6 Si vero falso sibi homicidium imputavit, adhuc prudenter Generalis illum dimittit, et abdicat a Societate ; constat enim, quam sit a religiosa vocatione alienus, et quam parum Societati idoneus, qui non veretur fingere et imputare sibi falsum homicidium, ut fraudibus saltem et dolose religiosæ vitæ jugum excutiat. Prudenter ergo, et sine ullo prorsus levitatis periculo Generalis dimittit illum, qui si verax est, nunquam fuit religiosus ; si mendax, non est ullo modo Societati aptus. Oportet tamen illum diligenter admonere, ut sciat, si falso sibi homicidium imponit, non manere se tutum in conscientia, nec dimissionem esse validam, quam per dolum et fraudem impetravit, ut expresse fuit decisum in congregatione generali septima, decreto XXII. num. 4. ubi definitum est : « eos, qui e causis non veris, fraude, ac dolo dimissionem a Societate obtinuerunt ; aut ex causis quidem veris, et justis, gravibusque delictis ; sed ea intentione perpetratis, quo facilius dimissionem extorquerent, nullo modo tutos in conscientia esse : et ejusmodi facultatem in conscientiæ foro irritam, ac nullam prorsus esse : eosque in eodem foro omnibus subjacere apostatarum censuris, ac pœnis. » Debet ergo ipse, postquam dimissus fuit, si forte menitus fuerat, fateri Societati suum mendacium, et tunc quidem Generalis prudenter faciet ratificando priorem dimissionem, quia gravissima illa, et calumniosa deceptio probat clare, eum non esse aptum Societati ; nisi forte talia forent pœnitentiæ argumenta, et adeo præclaræ dotes, ac indoles alioquin bona, ut sperari posset Societati utilis, quia fortasse ex vehementi aliqua et accidentali tentatione magis, quam ex depravatis moribus, aut habituali irreligiositate mendacium illud meditatus fuisset.

7 Hinc ergo apparet, idem in aliis similibus casibus cum debita proportione faciendum esse. Si enim, qui ejusmodi impedimenta substantialia post vota biennii emissa manifestat, professus non sit, regulariter videtur dimittendus a Generali, vel a superiore habente dimittendi potestatem, datis ei litteris dimissionis, sicut dari solent aliis non professis, et absolvendo eum a votis emissis ; præmissa tamen, ut dixi, monitione oretenus, ut sciat se non manere tutum in conscientia, si forte mentitus fuit. Dixi tamen, *regulariter* id expedire : quia possent adeo præclara talenta in ejusmodi persona reperiri ; v. g. si appareret eum ardenter desiderare in Societate remanere, soloque scrupulo conscientiæ coactum impedimentum manifestasse, ut non sit imprudentia rem occultam retinere, et petere secreto dispensationem et facultatem a summo Pontifice, ut non obstante impedimento, possit in Societate retineri. Imo id futurum ex mente S. Ignatii colligi potest ex duobus locis supra citatis. Nam in examine capit. II. §. 7. postquam posita sunt quinque impedimenta irritantia, additur ab eodem S. Ignatio declaratio in margine littera D. his verbis : « Ceterum, si in eo dona aliqua Dei illustriora cernerentur, ille, qui examinandi munere fungitur, antequam eum dimittat, rem cum superiore conferat. » Ad quem autem finem dimissio differatur, explicat postea in constitutionibus I. p. cap. III. ubi postquam enumerata sunt eadem impedimenta, additur declaratio in margine littera G. his verbis : « In omnibus his impedimentis expedit, ut nec Generalis præpositus, nec Societas universa dispensare possit : quando quidem in universum ita Societati convenit, ut in hujusmodi non dispensetur. Sed si cerneretur aliquod ex his impedimentis in homine, qui talibus Dei donis ornatus esset, ut pro certo haberetur, Societatem ad Dei, et Domini nostri obsequium ejus opera admodum juvari posse, si elle summo Pontifici, vel ejus nuntio, vel summo pœnitentiario supplicaret sibi concedi, ut in Societatem non obstantibus constitutionibus admitti posset, præposito generali

non repugnante ; possit idem præpositus consensum ad eum admittendum præstare ; dum tamen ostium non multis, imo nulli, qui raris (ut dictum) dotibus non sit præditus, aperiatur. » Cum ergo ex mente S. Ignatii ante ipsum ingressum possit aliquando dispensatio peti pro aliquo ob eximia talenta, facilius id fieri poterit, postquam jam aliquis Societati per vota religiosa incorporatus appareret, et pro religioso existimatus est, si præclara talenta habuerit, ne cum scandalo et nota dimittatur,

*Turpius* enim *ejicitur, quam non admittitur hospes.*

Præsertim si bona fide ; et sine culpa impedimentum in ingressu celavit : atque adeo maturius considerandum est, an expediat tunc ejicere, et dimittere volentem et desiderantem in Societate manere. Quod si judicetur dispensatio petenda, oportebit eam etiam petere ad repetenda vota post aliquot paucos dies novitiatus : qua obtenta, secreto coram aliquibus testibus denuo in Societatem admittetur, et coram eisdem postea vota emittet, et utrumque scriptura confirmetur, cui et superior et testes et ipsemet receptus subscribant, et dispensationem obtentam agnoscant, quæ etiam conservari debet, ut quamvis res secreta maneat, si quando tamen impedimentum manifestum fiat, vel ipsemet forte levitate ductus illud in publico manifestet, et reclamet contra valorem suorum votorum, vel professionis, Societas habeat probationem legitimam ad eum convincendum.

8 Si vero ille, qui impedimentum præcedens prælato manifestat, sit jam professus, non facile ei credi debet, aut potest, cum de professione constet, et de impedimento non constet nisi ex ejus testimonio. Cum ergo Societas non possit professum expellere, nisi in raro aliquo casu, præsertim post decretum Urbani VIII. facilius posset Generalis consentire, ut dispensatio obtineretur ad eum retinendum, si talenta haberet bona, et ex corde desideraret in Societate manere. Alioquin suadendum ei esset, ut ad alium ordinem religiosum transiret, data ei ad hoc facultate quatenus opus esset ab ipso Generali, qui juxta Societatis privilegia eam concedere potest. Si vero nolit manere religiosus ad sæculum redire, causa peragenda etexaminanda erit, prout de jure similes causæ nullitatis professionis examinari solent, et quandiu impedimentum non probatur, præsumptio pro valore professionis prævalebit.

Restat ultimum punctum, an possit 9
Societas punire illum, qui impedimentum irritans celavit, et mala fide in Societate permansit ? Ad quod dixi, me non invenire fundamentum sufficiens ad asserendum, quod Societas habeat hanc potestatem, cum jurisdictio coactiva exercer non possit in non subditos, hi autem ejusmodi impedimentis ligati nec sunt, nec unquam fuerunt reipsa subditi Societatis, nec religiosi, ne quidem novitii, sed meri sæculares, quorum delicta non subduntur prælatis regularibus. Quare ipsamet Societas videtur agnovisse hunc jurisdictionis defectum in congregatione septima generali decreto XLIII. id hæc verba : « Ad illud vero quod petebatur, consultumne censeret congregatio a summo Pontifice petere, ut omnis cognitio indagandæ veritatis in celatis in Societatis ingressu impedimentis, malitia nimirum, an ignorantia id contigisset, penes solam Societatem resideret, atque punitio etiam illorum, qui studio illa celassent, pro delicti hujus, atque aliorum in Societate commissorum qualitate, ad eamdem solam pertineret : censuit congregatio ad tollendas difficultates omnes, quæ a variis moveri possint, utrumque a sua Sanctitate petendum. » Cum his tamen stat, quod licet non per modum punitionis, per modum tamen debitæ restitutionis possit obligari, qui malitiose tacuit impedimentum irritans, ad resar-

ciendas expensas quas Societas interim fecit cum illo in novitiatu, et in studiis litterarum, dum eum quasi proprium alumnum aluit, ad quas expensas resarciendas ipsemet in conscientia tenetur, qui culpabilem causam damni dedit, atque adeo in foro etiam externo ad eam restitutionem poterit obligari, si mala fides probari possit. Sin minus, oneranda saltem erit ejus conscientia, ut suo debito satisfacere curet.

10 Solum posset obstare, quod inter casus reservatos, a quibus in Societate confessarius ordinarius sine speciali superioris licentia absolvere non potest, unum est, *impedimentum excludens a Societate reticuisse in examine, vel in eo mentitum esse, unde grave aliquod incommodum oriri possit*, ut habetur in congregatione quinta generali decreto LI. Supponitur ergo aliqua jurisdictio in illum, cum reservatio ad jurisdictionem pertineat, nec possit prælatus reservare peccata non subditorum.

11 Ad hoc tamen responderi posset, in ea reservatione duas esse partes. Altera spectat ad mendacium, unde grave incommodum oriri possit : et in hoc nulla est difficultas, quia mendacium hoc, celando aliquid Societati quidem perniciosum, sed non irritans ingressum, vel vota religiosa, non facit quod ille non sit vere religiosus et subditus, et cujus peccata reservari possint, sicut alia subditorum peccata. Altera pars est de reticente impedimentum, et quidem si impedimentum non erat irritans, sed unum ex impedimentis secundariis, quæ non irritant ; eadem est ratio, cum illud etiam peccatum sit religiosi et subditi, cujus aliqua peccata reservari possunt a congregatione generali, prout de facto reservata sunt. Si vero impedimentum erat ex quinque primariis, et irritantibus ingressum, non video quomodo possit cum toto rigore reservari, sed solum improprie et secundum quid, quatenus potest Societas non dare jurisdictionem confessariis Societatis ad absolvendum ab illo peccato. Cum enim confessarii Societatis habeant in sacramento pœnitentiæ jurisdictionem a summo Pontifice communicatam mediis prælatis Societatis ; poterunt prælati communicare hanc jurisdictionem limitatam, ita ut non communicetur in ordine ad tale peccatum, ut supponit Castro-Palao tom. III. tr. XVI. disp. I. punct. 10. nu. 9. ubi tamen non bene adducitur P. Suarez pro ea sententia, nam in illo loco, nempe tom. IV. *de Relig.* tract. VIII. lib. II. cap. 17. num. 13. fatetur quidem, quando omnes religiosi accipiunt per influxum Generalis jurisdictionem ad audiendas confessiones, prout in Societate fit, posse Generalem nolle communicare suis subditis facultatem ad audiendas confessiones novitiorum, et tunc non posse valide eas audire. Non tamen dicit id quod Castro-Palao dixit, nempe posse Generalem data licentia ad audiendam confessionem novitii, limitare illam jurisdictionem quoad peccata, communicando jurisdictionem ad aliqua peccata novitii, et non communicando quoad alia. Imo contrarium expresse docuit idem Suarez postea tract. X. lib. IX. cap. II. nu. 6. ubi fatetur, Generalem posse communicare suis subditis jurisdictionem, quæ ex bullis Pontificum promanat, cum limitatione quoad personas pœnitentium, v. g. ad confessiones virorum, et non ad confessiones feminarum ; non tamen posse licite apponere limitationem quoad peccata pœnitentium, quorum peccata non potest proprie sibi reservare, nisi forte illa peccata sint jam aliunde reservata Pontifici, prout ibi explicat latius idem Suarez, qui nunquam dixit posse generalem Societatis reservare peccata novitiorum, nisi improprie, quatenus potest non communicare suis subditis jurisdictionem ad audiendas eorum confessiones. Quidquid tamen de hoc sit, sufficit ad nostrum propositum quod alii auctores non apponentes illam distinctionem videantur significare, posse generalem Societatis confessariis suis subditis limitare juris-

dictionem in ordine ad confessiones audiendas non subditorum utroque modo, nimirum et quoad personas et quoad peccata ; quorum sententiam ortasse amplexa fuit Societas, quando reservavit peccatum retinentis impedimentum essentiale in examine ; si illud etiam peccatum comprehendit in illa reservatione, et non peccata sola reticendi vel mentiendi circa impedimenta non essentialia, quæ quidem peccata omnino et præcipue reservare potuit, ut dixi : illud autem aliud nonnisi minus præcipue et reservatione diminuta auferendo ad summum confessariis Societatis jurisdictionem ad illam absolutionem : certum enim videtur quod habens ejusmodi impedimentum essentiale, manet merus sæcularis, atque ideo nullo modo sit a prælatis Societatis punibilis, etiam propter illud peccatum, cum non sit eorum subditus : quare Societas non potest propria auctoritate illum punire, sed quando legitime constat de impedimento, illum dimittere debet tanquam qui non fuit unquam religiosus, et petere si velit, debitam punitionem illius delicti a judice competenti. Posset etiam petere apud eumdem judicem restitutionem pro expensis factis in alimentis talis religiosi putativi, si probari possit ipsum mala fide in Societatem ingressum, et in illa perseverasse, et nisi suis laboribus et ministeriis præstitis ipsi Societati sufficienter compensasset valorem sumptuum et expensarum. Si autem mala fides probari non possit, relinquendum id erit conscientiæ propriæ, onerando illam et proposita ei obligatione quam habet. Raro tamen ad hoc deveniendum erit ; quia vel non fuit mala fides, vel obsequia præstita compensabunt expensas, vel expediet id totum condonare. Id denique præ oculis omnino habendum, ut quandiu de impedimento substantiali præcedenti dubitatur, nullo modo admittatur ad ordines recipiendos, cum nec prælati Societatis possint dimissorias ad ordines concedere, nisi sit verus religiosus, ut constat.

## DUBIUM XVII.

*De homicidio quodam casuali facto in defensionem, an fuerit impedimentum ad ingressum Societatis ?*

Dixi dubio præcedenti in principio, homicidium etiam occultum esse unum ex quinque impedimentis substantialibus irritantibus ingressum, vota, et professiónes in Societate. Contigit ergo, ut aliquis post ingressum in Societatem manifestaverit, se cum in sæculo miles esset, rixatum fuisse cum nonnullis commilitonibus, et cum ipse alium ex illis verbis contumeliosis affecisset, impatiens ille injuriæ scoplettum, quod in manu tenebat, in eum direxit, ut eum occideret : sed prævenit, qui contumeliam intulerat, et suo scopletto invasorem occidit : dubitatur, an censendus esset impedimento essentiali laborare, ne Societatem ingrederetur ? nec deerant viri docti, qui affirmarent admittendum, et in Societate retinendum esse.

Ego tamen consului, nec ad vota, nec ad professionem admittendum. Et quidem fateor, occisionem factam in meram defensionem, et cum moderamine inculpatæ tutelæ, non esse impedimentum essentiale in Societate, quia hoc impedimentum semper designatur nomine *homicidii*, ut ex verbis relatis dubio præcedenti constat. Quo quidem nomine non comprehenditur occisio justa, sed illa solum, quæ contrahit malitiam gravem contra justitiam : quare judex legitime damnans reum ad mortem, non dicitur homicida, nec contrahit irregularitatem homicidii, sed aliam leviorem, et facilius dispensabilem, quæ appellatur *ex defectu lenitatis*, quæ non affert impedimentum irritans in Societate, ut docent Suarez tom. IV. *de Religione*, tr. x. lib. II. cap. 1. nu. 7. et Castro Palao tom. III.

tract. XVI. disp. I. punct. 6. §. 1. num. 10. Difficultas ergo est primo, an omne homicidium, etiam casuale, sit tamen impedimentum irritans. Secundo, an in casu nostro occisio fuerit peccaminosa contra justitiam, an vero licita ob propriam defensionem.

3 Et quidem, quoad primum Castro-Palao loco proxime citato, tractat eam quæstionem, et docet num. 13. homicidium casuale etiam culpabile non esse impedimentum in Societate. Sed hæc sententia inprimis non favet casui nostro; quia ille auctor, prout ipsemet explicat, nomine *homicidii casualis* intelligit illud solum, quod non fuit intentum ab occidente, sed præter ejus intentionem, quamvis non sine ejus gravi culpa secutum est : quare fatetur incurri impedimentum ad Societatem, quando aliquis in rixa repentina occidit, si revera tunc habuit voluntatem et intentionem occidendi, quod sufficit ad casum nostrum; in quo occisor habuit procul dubio voluntatem et intentionem occidendi. Deinde sententia illa etiam de homicidio casuali culpabili non est vera, ut docet Suarez dicto cap. I. nu. 9. qui bene respondet ad argumenta contraria. Ratio autem est, quod voluntas directa, et indirecta regulariter non refundunt malitiam specie diversam : quare non minus dicitur reus omissionis missæ in die festo, qui vult dormire, prævidens quod se exponit periculo morali non audiendi missam; sicut etiam, qui bibit cum morali periculo ebrietatis, dicitur proprie peccare peccato ebrietatis, illa subsecuta, quamvis non velit directe vel expresse se inebriare, imo vellet potius bibere et non inebriari, et sic de aliis. Similiter ergo peccabit peccato homicidii qui vult percutere cum periculo morali occidendi, quamvis non velit directe et expresse occidere, atque ideo tenebitur secuta occisione ad restitutionem, sicut tenetur homicida : cum ergo omnis homicida excludatur omnino ab ingressu Societatis, excludetur etiam qui absque voluntate directa, sed solum cum indirecta peccaminosa occidit.

Restat ergo secunda dubii pars, an in 4
casu nostro excusari potuerit ille, de quo agitur, a peccato homicidii ex titulo justæ defensionis et inculpatæ tutelæ; quæ est quæstio magis facti quam juris. Posset autem in ejus favorem afferri doctrina eorum qui dicunt, eum qui contumeliis vel injuriis alium provocavit, si tamen ab ipso ad necem invadatur, posse licite se defendere et invasorem occidere, ut tradunt Bannes, Molina, Salonius, Navarra, et alii quos affert et sequitur Diana part. V. tract. IV. *de homicidio*, resol. 3. unde adulter, qui a marito deprehensus fugere non potest, si aliter non potest mortem vitare, potest maritum interficere, ut tradit idem Diana ibi, et alii quos ego attuli tom. I. *de Just.* disp. X. sect. 3. nu. 101. In casu ergo nostro, quamvis miles occasionem dederit verbis contumeliosis, postea tamen invasus jus habuit se tuendi et occidendi eum qui jamjam ad ipsum occidendum paratus erat.

In casu tamen nostro difficile doctrina 5
illa locum habere potest, quia juxta narrationem facti, prius adversarius contumeliis lacessitus scopletti clavem strinxit, ut ignem conciperet, et tunc hic alius strinxit clavem sui scopletti ad eumdem effectum : quo quidem tempore inutilis erat illa defensio, per quam ictum adversarii non poterat effugere, sed solum repercutere; melius ergo erat tunc vel fugere, vel ictum declinare si poterat, præsertim cum licet in aliis casibus miles invasus non teneatur fugere, sed possit se defendere occidendo, quando aliter non potest ab invasore eripi : quando tamen ipse injustam causam invasionis dedit, debeat fugere, nec possit licite occidere invasorem, si detur fugæ locus, quia ipse injuste invasorem in eas angustias conjecit; quare debet eum indemnem reddere, ut docet Suarez disputat. XLVI. *de censuris*, sect. 1. n. 10. et 12. et alii quos attuli et approbavi dicta dis-

putatione x. nu. 168. deinde, et a priori ostendi potest difficultas, quia negari non potest quod occisio in casu nostro fuerit culpabilis in causa, prolatis temere verbis contumeliosis in militem iracundum et armatum, in quibus circumstantiis prævideri potuit et debuit periculum occidendi illum, si vellet se vindicare, prout fere certo timeri poterat, quod sufficit, ut qui causam culpabilem injuste dedit, reus sit homicidii postea consecuti ; quod bene probat Suarez ubi supra, n. 10. et alii, quos affert Diana IV. part. tract. II. *de irregularitate*, resolut. 2. qui dicunt, tunc etiam contrahere irregularitatem. Pro quo notandum est, posse contingere quod aliquis, quando actu occidit, licite occidat, quia, v. g. potest licite se defendere, vel ob aliam causam ; et tamen illa actio in causa sua habuerit malitiam et quidem malitiam homicidii. Si enim qui se inebriat, prævidens periculum occidendi in ebrietate, peccat quidem, et contrahit malitiam homicidii quando se inebriat, quamvis postea in ebrietate non peccet quando actu occidit, quia jam tunc occisio necessario consequitur ex causa antea posita. Sic ergo qui verbis contumeliosis irritat adversarium iracundum et armatum, prævidens quod ille irruet ad vindictam, et idcirco necessarium fore illum occidere, potest non peccare tunc quando postea actu occidit se defendendo : tunc tamen peccavit, quando causam injuste apposuit, ex qua ad illam necessitatem occidendi redigeretur ; et quidem tunc contraxit malitiam non solum contumeliæ, sed etiam homicidii, quia injuste posuit causam, et necessitatem ad occasionem sequentem. Sicut, qui projicit breviarium in mare, non peccat postea quando non recitat, si jam recitare non potest : peccavit tamen contra præceptum recitandi, quando breviarium projiciens reduxit se ad ejusmodi necessitatem non recitandi. Peccavit ergo in casu nostro contra præceptum non occidendi, qui injustis contumeliis posito causam ex qua prævidebatur postea necessitas occidendi, ut se defenderet a volente vindictam accipere ob illatas contumelias : atque adeo secuto postea effectu et occisione, etiamsi jam tunc esset actu licita et necessaria, censebitur homicida malitia extrinseca proveniente ex causa culpabili, in qua præcessit malitia homicidii prævisi.

6 Nec mirum videri debet, quod eadem actio in se ipsa sit licita et honesta ; et tamen in sua causa sit vitiosa, atque adeo ratione suæ causæ afferat aliquam obligationem, vel impedimentum novum. Ad quod deservire potest exemplum, quod adduxi tom. I. *de Justitia*, disput. XVI. sect. 7. n. 178. et sequentibus, de fure qui si non potest aliter succurrere proximo indigenti, nisi ex re vel pecunia furtiva quam apud se habet ; potest, et aliquando tenetur ex ea subvenire proximo, et contrahit obligationem eam postea domino restituendi, quia sua injuria causa fuit ut res in eo loco et circumstantiis reperiretur, in quo proximo indigenti dari deberet, quod damnum dominus non sensisset, si furtum non præcederet, ex quo furto obligatio nascitur satisfaciendi domino pro damnis omnibus, quæ domino ex ea causa proveniunt. Ecce fur licite, et aliquando ex obligatione dat rem illam indigenti ; et tamen contrahit obligationem solvendi pretium domino, eo quod malitia præcedentis causæ inficit extrinsece totum effectum consequentem.

7 Hæc ad minus reddunt casum nostrum dubium, in quo dubio consului, non esse admittendum occisorem in Societatem : quia Sanctus Ignatius in *constit.* I. p. c. 3. § 4. in margine littera C. declarat suam mentem his verbis : « Quod ad homicidii impedimentum attinet, nulla (ut nec in aliis) declaratio adhibetur ; num autem sit homicidium, necne ; si dubitaretur, discernant præpositi generales, nec se faciles in hujusmodi dubiis exhibeant : » in re ergo adeo dubia non utpoter Generalem illum ab homicidii

impedimento liberum declarare, præsertim cum circumstantiæ tales fuerint, ut vix potuerit moraliter ab homicidii culpa excusari.

## DUBIUM XVIII.

*An professio non lecta ex scripto, sed memoriter recitata, valida sit?*

1 Difficultas oritur ex verbis constitutionis Societatis : nam parte v. c. 3. §. 2. ubi ponitur ritus emittendi professionem solemnem, nempe quod celebrante missam eo, qui professionem acceptat, post suam communionem, et antequam communionem professuro tribuat, « voce alta votum suum scriptum (quot aliquot ante dies consideraverit oportet) leget, cujus formula hæc est : Ego N. etc. » Postea vero in margine littera A. S. Ignatius id declarat his verbis : « Particularia, quæ hic et inferius attinguntur, decent quidem et cum fieri potest, observanda sunt, non tamen ut necessaria. Fieri enim posset, ut sacerdos non esset, vel missam celebrare non posset, qui ex ordinatione præpositi generalis professionem admittit : illud autem essentiale est, ut publice votum legatur coram iis de Societate, et externis qui adfuerint, atque ut tamquam solemne et emittatur et admittatur. » In quibus verbis videtur inter essentialia numerari quod professio legatur. Unde P. Suarez to. III. *de Religione*, lib. VI. *de professione*, c. 12. nu. 3. dubitavit de valore talis professionis, quam dicit non carere scrupulo nullitatis, si aliter fiat quam in eo loco præscribitur, quod etiam videtur supponere Castro Palao t. III. tr. XVI. disp. II. punct. 1. n. 4 et 10.

2 Dixi tamen, professionem illam fuisse validam, quod etiam re magis considerata videtur tandem concessisse idem Suarez t. IV. *de Religion.* tr. X. lib. VI. *de Professione Societatis*, c. V. n. 10. Postquam enim de substantialibus requisitis ad valorem professionis egerat n. 1. et sequentibus, incipit tractare a n. 7. de accidentalibus, seu pertinentibus ad quamdam illius actionis solemnitatem, inter quæ n. 10. constituit tertio loco quod professio ex scripto legatur : et ibi in margine notatur, et dicitur *tertia solemnitas etiam non de essentia*, quem secundum locum Suarii, Castro Palao ubi supra, qui eum pro contraria sententia attulit, videtur vel non vidisse, vel certe non meminisse.

3 Probari autem potest ; quia incredibile est, quod si aliquis sacerdos post vota biennii emissa per 15. vel 20. annos in Societate laudabiliter vixit, et omnino probatus et approbatus ad professionem solemnem fuit, et paulo ante cæcus factus fuerit, ea solum de causa inhabilis ad professionem reddatur, ac debeat per totam vitam sine professione perseverare, ideo, quia eam non potest ex scripto legere, quamvis possit æque bene memoriter, vel alio suggerente recitare. Hoc certe impedimentum, si essentiale esset ad professionem in Societate, debuisset inter alia impedimenta essentialia numerari, cum certum sit, de jure communi vel in aliis religionibus id essentialiter non requiri, ut fatentur Suarez, et Castro Palao locis citatis supra.

4 Adde, non levem occasionem dari scrupulis, si id de substantia esset, ut formidare multi possent de valore suæ professionis. Quid enim, si dum professionem legebat, et ad verba substantialia vota exprimentia pervenit, casu oculos alio convertit, et tamen verba prosecutus est, quæ jam antea mente tenebat? Numquid ideo professio irrita erit, quia oculi linguam individua ac perpetua assistentia non sunt comitati? id quidem de sanctissimo et prudentissimo legislatore præsumi non potest. Debet ergo verbum *legat*, in latiori significatione usurpari, ut idem sit, ac *recitet :* sicut communiter dicitur sacerdos legere missam

de feria, vel de tali sancto, hoc est, recitare : continget enim sacerdotem majori ex parte, vel fere totam illam missam mente tenere. Sic etiam magister dicitur in schola legere, et ideo appellatur lector, licet doctrinam suam non ex scripto, sed memoriter, vel ex mente auditoribus tradat. Unde in dictionario Calepini observatur in verbo *lego*, deductum esse a Græco nomine λέξις, quod est *dictio*, et quidem, λέγω, apud Græcos idem est, quod *dico* apud Latinos : quare non improprie legere dicitur, qui formulam recitat, sive ex scripto sive ex mente. Hunc autem fuisse S. Ignatii sensum, nec voluisse alligare valorem professionis ad solam recitationem ex scripto oculis tunc perlustrato, constare videtur ex cap. IV. examinis §. 41. in fine, ubi quod in illo alio loco dicitur, *votum legatur :* ibi dicitur, *vota solemnia emittant*, utrumque nimirum pro eodem usurpando. Quamvis autem legislator desideravit et nominaverit lectionem ex scripto, ne in re tanti momenti ob memoriæ lapsus erretur, aliquod omittendo : non est tamen putandum hanc etiam circumstantiam esse essentialem, quando in æquivalenti id totum habetur fideli et integra recitatione posita : nam mutatio etiam in forma sacramentorum non præjudicat valori, si apponuntur verba æquivalentia, ut constat in consecratione calicis, quæ valide fit, sive dicatur, *hic est sanguis meus*, sive dicatur, *hic est calix sanguinis mei*, sive dicatur, *hic Calix novum testamentum est in meo sanguine*, etc. Quamvis certum sit Christum uno modo solum verba protulisse, et idem fatendum est de verbis formulæ professionis a S. Ignatio propositæ : nam, si non eadem, sed æquipollentia proferantur ; utique professio erit valida, ut si non dicat, *Promitto perpetuam paupertatem* etc. sed dicat *Votum facio paupertatis*, etc. hæc enim est regula generalis, ut quæcumque etiam pro forma præscripta sunt, sufficiat in æquipollenti poni. Cum ergo legere professionem ex scripto, vel eam fideliter recitare, habendo præsertim scripturam in manibus, omnino æquipolleant, non est cur ea de causa professio in dubium revocetur, quod professus non eam legerit scripto, sed memoriter recitaverit, habendo eamdem in manibus scriptam.

## DUBIUM XIX.

*An concedi debeat secundum examen ei, qui in primo non fuit approbatus ad professionem.*

Qui in Societate admittendus est ad professionem solemnem quatuor votorum, supponendus est antea examini, in quo quatuor examinatores designati debent cum juramento testificari, an habeat doctrinam ad eum gradum requisitam, hoc est, quæ sufficiat ad publice docendam philosophiam et theologiam in iis locis, in quibus est idoneorum auditorum ac disputantium concursus. Solent autem aliquando ii, qui in examine minus apti reperiuntur, petere, ut iterum examinentur, et nonnisi raro et ob peculiares circumstantias id exigentes, solet a Generali concedi, quod procul dubio facere ipse potest, ut colligitur ex verbis S. Ignatii in *const.* parte V. cap. II. §. 2. ubi post præscriptam formam examinis faciendi, addit hæc verba : « Quod si doctrina ea præditi esse, quæ satis sit, non inveniuntur, conducibilius erit, ut donec eam consequantur, expectent ; ut illos etiam expectare oportebit, qui in abnegatione sui ipsorum, et virtutibus religioso dignis, testimonium, quod par esset, nondum omnino haberent. » Ubi constat, sicut ad spiritualis profectus defectum supplendum tempus prorogari conceditur a Generali, ita concedi ad supplendum defectum doctrinæ. Unde in ordinationibus Generalium cap. XVIII. quod est de promovendis ad gradus nu. 3. in fine monentur provinciales, ut in fine

quarti anni theologiæ singuli examinentur, et statim examinatorum judicia ad Generalem mittantur. « Hæc enim notitia, inquit, plurimum postea juvabit, cum de cujusque gradu statuendum erit, et, si is, qui examinatur, non plene satisfecerit, commodius videbit præpositus generalis, an ulterius progediendum sit in litteris, juxta eamdem constitutionem. » Alludit nimirum ad locum constitutionis supra relatum.

2 Hinc tamen orta est dubitatio, et quæsitum, cum constitutio æque concedat et statuat, prorogandum tempus ad profectum in spiritu vel in doctrina comparandum, qui deesse invenitur, cur in praxi non ita fiat, sed ad defectum spiritus supplendum, tempus quidem ulterius et ulterius prorogari soleat ; ad doctrinam vero supplendam nonnisi rarissime prorogetur, aut secundum examen concedatur. Unde in septima Congregatione generali, decreto xxxii. commendatur præposito generali, ut ad secundum examen non admittat, nisi rarius, et cum dubium aliquod de aptitudine intercesserit.

3 Respondi, Generalem quidem æqualem ad utrumque potestatem habere : de facto tamen non æque ad utrumque eam usurpare ; sed defectu reperto circa spiritualem profectum, differri solere professionem, et interim admonetur subditus circa defectus in eo animadversos, ut emendetur, et tempore sequenti morum emendatione satisfaciat : quando vero defectus circa doctrinam examinatorum judicio reperitur, jubetur assumere alium gradum inferiorem, nimirum vel professi trium votorum, vel coadjutoris formati spiritualis, ad quos gradus sufficit doctrina minor, nec solet, nisi rarissime, prorogari tempus, vel secundum examen concedi. Rationes autem hujus diversitatis in praxi multæ sunt, quæ illam justificant. Prima esse potest, quia facilius sperari potest mutatio et melioratio quoad mores, quam quoad doctrinam : potest enim subditus de suis moralibus defectibus, quos antea fortasse non cognoscebat, vel non tanti faciebat, admonitus, mores suos corrigere, et brevi tempore in melius mutari, cum id totum ab ejus sola voluntate cum Dei gratia, quæ nemini deest, dependeat ; et ita experientia comprobatur, intra annum vel biennium, reddi ejusmodi homines aptos ad professionem ; quoad doctrinam vero, non, nisi raro sperari potest ejusmodi mutatio in melius, sed communiter timeri potest in pejus ; solent enim examinari in fine quarti anni cursus theologici, postquam septennium philosophiæ et theologiæ studiis, ac frequentibus disputationibus attenderunt, atque adeo magis promptas habent scholasticas species, quæ tempore subsequenti, succedentibus aliis occupationibus et ministeriis, ac cessantibus scholasticis exercitiis, mirum est quantum emoriantur, vel consopiantur. Prudenter ergo judicatur, eum qui in ipso adhuc scholastico pulvere invenitur minus aptus ad scholasticam palæstram, non eo pollere ingenio, ut aptus postea sit futurus ad eas facultates publice in solemni gymnasio cum satisfactione tradendas : ideo judicium de eo statim absque alia prorogatione ferri solet : quia tamen a fine studiorum, et facto examine solet communiter quadriennium ad minus transire, antequam sit tempus emittendi professionem, vel suscipiendi alium gradum inferiorem ; si tempore illo apparet doctrina talis, qualis antea non apparebat (quæ certe tanto tempore occultari non potest, si revera sit) Generalis concedat, ut repetito examine iterum judicium fiat ; quæ tamen mutatio, quia rarissime accidit, ideo rarissime secundum examen conceditur.

4 Secunda ratio ejusdem diversitatis in praxi esse potest, quia quando defectus quoad mores apparet, prorogatio temporis videtur esse, quasi ex ipsa rei natura necessaria, quæ necessitas non est, quando defectus est ex parte doctrinæ : tunc enim potest assignari ei alius gradus inferior, ad quem tanta doctrina ne-

cessaria non sit ; et fieri potest vel professus trium votorum, vel coadjutor spiritualis, ut jam non sit amplius in probatione, sicut sunt alii omnes qui professi vel coadjutores formati non sunt. Si vero defectus sit in moribus, debet necessario (si manet in Societate, et defectus tales non sint, ut judicetur ob eos e Societate dimittendus) debet, inquam, manere adhuc in probatione. Neque enim cum iis defectibus moralibus debet fieri professus trium votorum, vel coadjutor formatus, donec debita emendatione satisfaciat. Necesse ergo omnino est, quod tempus prorogetur ad correctionem experiendam, cum non possit, durante eo defectu, in ullo alio gradu inferiori incorporari, sicut potest cum solo defectu doctrinæ. Non est ergo mirum, si Generalis (ad quem solum prorogationis concessio spectat, ut constat ex dicto ca. XVIII. *ordinationum*) frequenter proroget tempus, ut postea de moribus judicium novum fiat, non vero, nisi rarissime, id proroget ad novum judicium circa doctrinam faciendum.

## DUBIUM XX.

*Quid dicendum de suffragio examinatoris dicentis illum vix, aut ægre posse docere.*

1 Suppono ex dubio præcedenti, ante professionem quatuor votorum in Societate debere præcedere examen circa doctrinam professuri, et quatuor examinatores debere sub juramento secreti et veritatis dicendæ, testificari, an sit aptus ad docendam philosophiam et theologiam cum satisfactione. Poterat autem Generalis ante octavam congregationem Generalem, stante approbatione duorum examinatorum, admittere ad professionem : quid vero mutatum sit per octavam congregationem, postea dicemus. Hoc supposito, quæsitum fuit, quid sentiendum, aut quomodo interpretanda essent suffragia aliquorum examinatorum, quæ ad Generalem mittebantur, sub his verbis, *Juro et testor Patrem N. ægre posse docere philosophiam et theologiam*, vel *vix posse*, vel *utcumque posse ;* an hæc suffragia sint pro examinato, vel contra ipsum, vel dubia ?

Dixi, primo reprehendendum examinatorem, quia in suo suffragio non observat verba formulæ transmissæ ad provincias mense Julio anno 1623. ut sine ulla perplexitate responderet, et cogendum ut juxta eam formulam respondeat, an possit cum satisfactione docere. 2

Dixi secundo, si examinator dixisset, *posse ægre, vix, utcumque cum satisfactione docere ;* suffragium video esse pro examinato, et in ejus approbationem, quia hæ omnes dictiones non negant potentiam, sed determinant infimum gradum, et minimum potentiæ ; sic enim dicitur, *justus vix salvabitur*, et solemus dicere, *hæc opinio ést utcumque probabilis ;* per quæ verba admittimus illam intra terminos probabilitatis, nam, ut Grammatici observant, *vix* idem est, ac *cum difficultate, et labore :* qui ergo vix potest, potest quidem, sed cum labore et difficultate. Sic etiam *utcumque* idem est, ac *quocumque modo*. Si ergo aliquo modo potest cum satisfactione docere, jam simpliciter, et absolute potest. Denique idem est de adverbio *ægre*, quod nihil denotat, quam difficultatem magnam. Sic Cæsar I. *Bell. Gall. ægerrime confecerant, ut flumen transirent*. Transierant tamen, sed cum magna difficultate. Hæc ergo omnia non negant potentiam docendi cum satisfactione, sed significant difficultatem et dibilitatem potentiæ. 3

Dixi tertio, si examinatoris judicium non potest iterum exquiri, ut vel sensum sui suffragii explicet, vel absolute et clare sententiam proferat, posset quidem P. Generalis prudenter tanquam reprobatum judicare eum, de quo agitur. Si enim ex 4

quatuor examinatoribus duo clare illum reprobant, unus vero, vel alii duo non sine obscuritate et ambiguitate approbant ; plus habent intensive, ut ita dicam, de reprobatione quam de approbatione, cum, si non a pluribus, plus tamen a duobus reprobetur quam approbetur ab alis duobus : nulla ergo ei fit injuria, si magis judicetur reprobatus quam approbatus.

5 Dixi quarto, si non potest examinator consuli, ut sese explicet, vel clarius loquatur, probabile videtur quod loquendo de jure antiquo, posset P. Generalis ad professionem illum de quo agitur, promovere : maxime si habeat talenta ad gubernandum vel concionandum, quamvis non eximia in eo gradu quo a congregatione VII. decreto 33. exiguntur. Ratio est, quia, qui simpliciter et absolute docere potest, censetur posse cum satisfactione docere : qui enim non potest id cum satisfactione præstare, non dicitur simpliciter et absolute posse : nam sine satisfactione et cum vituperio omnes possunt docere. Quamvis ergo examinator non explicuerit, quod posset cum satisfactione docere, prout explicare debuisset juxta formulam : dicendo tamen posse *ægre*, *vix*, vel *utcumque* docere, sensus videtur esse, quod posset ægre, vix, vel utcumque cum satisfactione docere : de hac enim potentia agebatur et interrogabatur, et in eodem sensu respondere præsumitur. Confirmarique potest, quia certum est examinatorem vidisse et considerasse decretum illud septimæ congregationis, in quo judicium examinatorum inquiri præcipitur circa hoc solum punctum, an possit cum satisfactione docere : quare, dum in executionem illius decreti respondet et dicit, posse *ægre*, vel *utcumque* docere, præsumitur respondere in sensu illius decreti, de potentia scilicet docendi cum satisfactione. Alioquin omnino extra propositum, nec ad petita respondisset.

6 Dixi tamen, id de jure antiquo fieri potuisse : postea enim novissime aliqua mutata video in hac ultima et octava congregatione generali decreto XXXVII. ubi inter alia aufertur arbitrium, in paritate votorum, et ut approbatus censeatur, exigitur quod ex quatuor examinatoribus tres saltem per suffragia clara et minime dubia eum approbaverint. Quare, si hoc tempore casus noster contigerit, procul dubio ille omnino reprobatus conseretur, nec posset ad professionem quatuor votorum promoveri, nisi eximia et præclara talenta haberet ad gubernandum, vel concionandum arbitrio Generalis, cum supponatur habuisse duo suffragia contraria, et ex approbantibus unum non fuisse omnino clarum, sed cum aliqua obscuritate et formidine.

## DUBIUM XXI.

*An sit valida professio in Societate facta ante solitam ætatem, et an jura antiquitatis debeantur a die professionis computari, an vero a die ætatis completæ ?*

Suppono non solere aliquem, nisi rare 1
ex dispensatione Generalis ob specialissimas causas, admitti ad professionem quatuor votorum, nisi potest tricesimum tertium ætatis annum completum : quamvis enim S. Ignatius solum exigat vicesimum quintum annum completum, et ex causa velit Generalem posse dispensare in hujus ætatis defectu, ut constat ex I. parte *constit.* ca. II. §. 12. et c. 3. §. 15. in margine littera k. Praxis tamen a multis annis est, ut nonnisi post tricesimum tertium annum expletum, ad eam professionem admittantur, quam praxim P. Claudius Generalis, et ejus successor P. Mutius observarunt, nisi cum speciales circumstantiæ id tempus anteverti in aliquo raro casu suaderent.

Contigit ergo aliquem ex errore ante 2
eam ætatem ad professionem quatuor vo-

torum promoveri, existimante P. Mutio Generali, illum jam ætatis annum excessisse, sive quia professurus de hoc non interrogatus tacuit, sive quia interrogatus tergiversatione defectum dissimulavit. Re itaque postea cognita, dubitatum fuit primo, an professio fuisset valida. Secundo, an deberentur ei jura antiquitatis professorum a die factæ professionis, an solum a die debitæ ætatis completæ?

3 Ad primum dixi, professionem procul dubio fuisse validam. Primo, quia non defuit consensus requisitus tam ex parte profitentis, quam ex parte acceptantis professionem : error autem quem Generalis habuit circa ætatem, non irritat professionem, quia nec fuit error circa personam nec circa substantiam, sed circa quoddam accidens extrinsecum, quod sicut nec in matrimonio, ita nec in professione religiosa irritat valorem actus : æquiparantur enim quoad hoc matrimonium et professio, ut late probat Thomas Sanchez lib. X. *de matrimonio*, disp. IX. num. 20. et multis relatis idem de omnibus impedimentis non irritantibus etiam per dolum negatis, idem probat lib. V. *in Decalog.* ca. IV. num. 57.

4 Secundo hoc ipsum probatur, quia multo magis requiritur ætas 25. annorum ad sacerdotium, quam ætas 33. annorum ad professionem in Societate, cum illa requiratur a concilio Tridentino, hæc vero solum sit ex voluntate Generalis, qui, quamvis id faciat sine aliquâ lege universali, non tamen solet ante illam ætatem ad professionem admittere : et tamen, quamvis ordinandus episcopum decipiat, et fingat se habere ætatem quam non habet, ordo valide suscipitur. Atque idem est quamvis aliquis fingat se jam esse diaconum, cum non sit, et episcopus deceptus conferat sacerdotium, quod quidem valide accipitur : ergo a fortiori valebit professio, etiamsi detur ex errore, quo professus mentitus est circa ætatem quam nondum habebat.

5 Tertio probatur, quia magis necessario requiritur in Societate puritas sanguinis non infecti, quam ætas 33. annorum ad professionem, ut constat ex quinta congregatione generali decreto LII. et tamen, si aliquis etiam dolo cum ea macula Societatem ingrediatur, quamvis quocumque tempore ante professionem solemnem defectus detegitur, dimittendus sit ; si tamen detegatur post professionem, dimitti non potest, ut constat ex verbis ejusdem decreti ; quia nimirum supponitur adhuc valide professus : a fortiori ergo idem dicendum est de decipiente circa ætatem ad professionem, quæ nulla Societatis lege præscribitur, nisi 25. annorum, et hæc sit dispensabilis a Generali, cum tamen defectus puritatis sanguinis sit omnino indispensabilis a Generali, ut habetur dicto decreto LII. et iterum decreto LIII.

6 Ultimo probari hoc ipsum potest, quia ille qui in examine tacet vel negat impedimentum aliquod excludens a Societate ; quod tamen non sit ex illis quinque, quæ sunt essentialia et irritant professionem, posset quidem postea a Societate expelli, dummodo professionem non emiserit ; secus post emissam professionem, ut docet idem Sanchez dicto cap. IV. ubi supra ; professionis ergo valor non dependet a carentia impedimenti cujuslibet, nisi sit ex illis quinque determinati. Hoc autem, quod circa valorem illius professionis anno 1641. responderam, approbavit postea congregatio octava generatis decreto XXXVI. anno 1646. declarans, ex eo defectu professionem non reddi irritam, quamvis usum non admittendi ante eam ætatem ad professionem laudaverit, et P. Generali in futurum commendaverit.

7 Ad secundum dubium de antiquitate illius professi, a quo tempore computanda esset, dixi, computandam a die factæ professionis : quod videtur tacite approbasse dicta congregatio generalis octava, quæ dum validam esse professionem decernit, et nihil addit de suspendendo initio antiquitatis ad diem ætatis impletæ, eo ipso tacite vult non aliter ac cæteros pro-

fessos, censendum esse, quam doctrinam in simili tradit Thomas Sanchez lib. V. *in Decalog.* cap. IV. nu. 16. ubi dicit, monialem, quæ ante finem novitiatus in articulo mortis professionem facit, juxta privilegium a Pio V. concessum, ita esse reputandam vere professam, ut si ante finem anni novitiatus moriatur, non succedant ei venientes ab intestato, sed monasterium, sicut omnibus aliis professis; quia, quamvis per accidens ante tempus debitum profiteatur, vere tamen professa manet, nec indiget si convaluerit, alia professione, sed fruitur omnibus professionis privilegiis. Gaudebit ergo jure antiquitatis a die factæ professionis, et non a fine anni novitiatus, atque adeo, (quidquid sit de veritate illius exempli, quod sacra congregatio Concilii non recipit) in casu tamen nostro, in quo vera solemnis professio emissa est, debet computari antiquitas a die factæ professionis, cum sit vere et valide professus, et per consequens frui debeat omnibus juribus quæ professionem consequuntur. Nec enim constitutiones vocantes professos Societatis ad congregationes, et habilitantes eos ad aliqua munera, ad quæ non professi habiles non sunt, quidquam aliud requirunt, nisi quod sint professi, vel quod a longiori tempore professi sint, quod totum in casu nostro verificatur.

8 Confirmarique potest, quia si forte per errorem substantialem in professione commissum, vel propter dolum, aut malitiam illius, qui professionem acceptaturus erat, professio fieret ab aliquo invalide eo tempore, quo de jure debebat fieri, vel dilata fuisset per fraudem ad alium diem, vel mensem; antiquitas professionis non curreret a die, quo invalide facta fuit, vel a die qua fieri debebat, sed a die qua postea de facto valide facta fuit; antea enim non erat vere professus : quare non potest esse professus senior aliis qui jam tunc erant vere professi; cum ergo contrariorum eadem sit ratio, dicendum erit antiquitatem currere a die professionis factæ, quamvis ante tempus debitum per errorem, vel malitiam anticipata fuerit : quia jam tunc est vere professus, quando alii professi adhuc non sunt, atque ideo præcedit professio ejus tempore professiones aliorum, quod est esse antiquiorem professione.

Objiciet aliquis, eo saltem casu, quo 9
professus dolose superiores decepit, fingens ætatem 33. annorum, quam non habebat, debere ex justitia privare se ipsum jure antiquitatis; qui enim per vim vel dolum aliis præjudicat, debet ex justitia reddere eos indemnes, et resarcire damna quæ iis injuste intulit : hic autem dolo suo præjudicium intulit aliis, qui ætatem habentes debuissent ante illum profiteri; debet ergo ex justitia renuntiare et cedere in eorum favorem jure suæ antiquitatis, ut eos reddat indemnes a damno quod ipsius culpa patientur.

Respondetur tamen, ipsum nec debere 10
nec posse renuntiare, aut cedere jure antiquitatis, et functionibus quæ ipsam juxta constitutionem consequi debent; ea enim non sunt concessa personæ, sed statui cui persona privata præjudicare non potest. Quando enim constitutio præcipit, v. gr. ut antiquiores professi ad congregationes provinciales veniant, et suffragium habeant; huic juri non potest professus particularis renuntiare, quia non est datum in favorem professi, sed in favorem societatis. Atque ita definitum fuit in sexta congregatione generali decreto XXXV. num. 2. his verbis : « Professos omnes quatuor votorum adesse congregationi oportere, qui juxta canones convenire debent propter Societatis bonum; quare non est hoc liberæ illorum voluntati relinquendum, cum Societatis intersit, atque expediat illos adesse. Potest enim quisque juri suo cedere, si venire nolit; at non juri Societatis, quæ illius opera indiget in congregatione, » quod idem est de aliis functionibus, quæ antiquioribus professis in societate destinantur, quibus professus societatis renuntiare non potest, quidquid sit in aliis religionibus.

## DUBIUM XXII.

*Quæ verba sufficiant ad peccatum reservatum contra votum obedientiæ : et quid, quando non dicuntur ipsi superiori immediate, sed per alium ?*

1 Suppono, inter peccata reservata in Societate unum esse *inobedientiam expressam, qua quis asserit, se nolle parere,* ut habetur in congregatione quinta generali decreto LI. Postea vero in congregatione generali septima decreto XLV. declaratum est, esse reservatum, si quis fratrum diceret ministro aliquid jubenti, licet non præcepto, *nolo facere ;* quod quidem jam antea declaraverat P. Claudius Generalis : quomodo autem illud sit peccatum mortale inobedientiæ, præsertim cum minister nec præcipiat, nec præcipere possit in virtute sanctæ obedientiæ, explicui latius in tomo *de Pœnitentia* disput. XX. sect. 4. a num. 48.

2 Hoc supposito dubitatum fuit. Primo, quid sentiendum de aliis verborum formulis, ut cum prælato aliquid jubenti subditus aliis verbis respondet, v. g. dicendo : *che m' ha da comandare* V. R. item : *che ho io da fare con* V. R. item, *che mi curo io di* V. R. item, *Non la riconosco in quæsto per mio Superiore,* item : *Ho altro da fare adesso :* item, *la vada a comandare ad altri.* item : *la mi lasci in pace.* Quid, inquam, sentiendum de subdito his, et similibus verbis respondente, quando cum contemptu dicuntur, et voluntatem non parendi significant. Secundo dubitatum est, quid dicendum quando superior per internuntium aliquid subdito jubet, et subditus internuntio respondet, *nolo facere.* An in his casibus censeatur admissum peccatum cum reservatione, an vero sine illa.

3 Ad primum dubium dixi, casum reservatum inobedientiæ in Societate esse quando subditus dicit, se nolle parere, et quidem, meo jucicio, idem erit, si dicat se nolle facere quod jubetur ; quia nolle id facere, est omnino nolle parere, cum parere nihil aliud sit quam exequi quod jubetur ; verba itaque et formulæ respondendi supra relatæ, tunc erunt peccata reservata, quando in his circumstantiis significant sufficienter voluntatem non parendi. Quod enim id dicatur his, vel illis verbis, parum refert, si revera idem significetur, ut videtur in quæsito supponi. Secus vero dicendum erit, quando in his circumstantiis eam voluntatem non omnino significant ; prout revera aliquando non significabunt, sed solam repugnantiam et tergiversationem. Nam qui dicit, *Ho altro da fare adesso,* magis videtur significare impotentiam ob quam se excusat : et quamvis hæc frivola excusatio impotentiæ aliquando coram Deo æstimetur voluntas non obediendi ; sed tamen coram hominibus non est idem dicere, *non possum,* ac dicere, *nolo :* nec æque graviter contemnitur prælatus ab excusante se ob impotentiam, ac a resistente et proterve nolente. Idem est de illis verbis : *vadat, et jubeat aliis,* vet de illis : *relinquat me in pace ;* possunt enim significare solam petitionem, qua videtur subditus conscius suæ debilitatis velle prævenire ut prælatus non pergat, et urgeat exponens eum periculo prorumpendi in verba inobedientiæ. Item verba illa, *Non la riconosco in quæsto per mio Superiore ;* possunt significare dubium de potestate superioris ad præcipiendum saltem in tali materia, quod dubium aliquando potest fundamentum habere : et quamvis fundamentum non sit solidum, sed prætextus fortasse ; ipsa tamen verba de se non videntur exprimere semper voluntatem non parendi in sensu composito, ut ita dicam, sed in sensu diviso, quatenus non intervenit jussio superioris legitimi, atque adeo non important semper eumdem

contemptum obedientiæ, quæ important illa verba, *nolo parere*, quæ ideo reservata fuerunt ob specialem gravitatem contemptus magis expressi. Totum ergo hoc pendet ex circumstantiis, ex quarum consideratione colligi potest, an hic, et nunc verba illa æquivaleant illis, *nolo parere*, quoad significandam voluntatem non parendi.

4 Ad secundum quæsitum de illo, qui internuntio a superiore misso respondet, *nolo facere*, an incurrat casum reservatum ? respondi, distinguendum esse. Nam potest id respondere subditus internuntio ut internuntio, hoc est, respondendo ejus intimationi : et tunc credo regulariter esse peccatum reservatum ; quia perinde est, ac si ipsi superiori id diceret : nam sicut superior non immediate ei loquitur, sed mediate per alium, et tamen proprie dicitur jubere : qui enim mediate et per alium tibi loquitur et mandat, proprie tibi loquitur et mandat : ita respondens subditus internuntio respondet, et loquitur mediate et per alium superiori, atque ideo proprie loquitur et respondet superiori, et ei dicit se nolle parere. Dixi tamen, *regulariter* esse reservatum, quia aliquando potest ea de causa non contrahi culpa mortalis, et consequenter nulla reservatio. Suppono enim, superiorem non præcipere in virtute sanctæ obedientiæ, sed per simplicem ordinationem : quo casu omittere ipsam rem præceptam non esset peccatum mortale ; dicere tamen, se nolle parere est peccatum mortale, propter contemptum et irreverentiam gravem, quam verba illa continent contra obedientiam, et contra personam superioris, ut superior est, ut latius ex Patribus et doctoribus probavi loco citato *de pœnitentia*. Potest ergo contingere, ut hæc irreverentia gravis et contemptus de sit magna ex parte, ex eo quod subditus non coram ipso superiore, sed in ejus absentia ea verba proferat, quæ ipso præsente proferre non auderet, quia tunc longe major audacia et imprudentia appareret, et graviorem indignationis causam superiori præberet. Væ enim superioribus et subditis, si illi audirent omnia quæ hi contra ipsos absentes dicere audent. Posset ergo aliquando ex hoc capite adeo minui irreverentia et contemptus, ut non attingeret culpam mortalem, ac per consequens non esset peccatum reservatum.

Quando vero verba illa a subdito dicerentur internuntio, non ut internuntio, 5
nec ut mandato respondeat, sed ut amico, cui subditus manifestat se nolle exequi quod superios sine præcepto obedientiæ injungit, non video unde sit peccatum reservatum. Potest enim subditus sine peccato gravi rem illam non facere, cum absque ullo præcepto obedientiæ imponatur. Potest etiam hunc suum animum amico manifestare, et id passim fit absque ullo scrupulo peccati mortalis. Sicut etiam aliquis potest amico dicere se nolle abstinere a carnibus in die jejunii, neque ea de causa incurrit novum peccatum mortale secluso scandalo, et occasione peccandi quam amico aliquando dabit. Facilius ergo poterit subditus amico dicere se non facturum quod superior absque præcepto gravi jubet. Quod si hoc potest alteri amico dicere, cur non et ipsi internuntio, non ut internuntio, et ut responsum deferat, sed ut amico privato cui suum animum notum faciat ? Fateor tamen frequentius et communiter verba illa censeri dicta internuntio ut tali, et quasi respondendo mandato ex parte superioris intimato, atque adeo communiter continebunt malitiam gravem inobedientiæ reservatæ, nisi cesset malitia gravis ex eo quod in absentia superioris proferantur, ut paulo ante explicatum est.

## DUBIUM XXIII.

*An possit Generalis societatis dimittere aliquem sub conditione reincidendi in obligationem votorum, si ad talem locum redierit ?*

1 Sermo est de non professo, sed ligato votis emissis in fine novitiatns, quem post aliquot annos Generalis et Societate dimittit ob delicta vel culpas aliquas ; quia tamen expediebat, ne unquam ad locum delicti rediret cum scandalo, sed potius in longinqua provincia degeret, dubitatum fuit, an possit sub ea conditione expresse dimitti, ut nunquam ad talem locum redeat, alioquin eo ipso censeretur votis suis non solutus, sed ligatus sicut antequam dimitteretur ? Non tamen quærebatur, an posset Generalis ante dimissionem judicialiter, et formato legitimo processu procedere ad sententiam, qua propter delicta eum condemnaret ad exilium perpetuum ab eo loco ; quæ sententia non solum illum obligaret ante dimissionem a Societate, (de quo dubitari non potest, cum maneat subditus ipsius Generalis) sed etiam videretur post dimissionem manere ligatus eadem sententia, cum fuisset prolata a legitimo judice ; sicut si fuisset ab eodem Generali excommunicatus ante dimissionem, et postea dimitteretur e Societate, adhuc maneret excommunicatus. Ad quod facere potest id, quod in casu difficiliori docet Bonacina, quem affert et sequitur Diana part. III. tract. I. resol. 34. nempe, postquam novitius egressus est e religione, et rediit ad sæculum, posse puniri judicialiter a prælato regulari ob delicta commissa, quando erat adhuc novitius, etiamsi ante egressum e religione non fuisset accusatus, aut denuntiatus de illis delictis, quod etiam docet Lezana tom. III. verb. *Clericus*, n. 22. et tom. IV. verb. *Prælatus Regularis*, n. 9. qui alios afferunt. A fortiori ergo poterit prælatus sua sententia ligare novitium, antequam e novitiatu egrediatur, cum tunc sit ejus legitimus judex : et idem a fortiori dicendum erit de religioso Societatis non professo, qui tamen jam est verus religiosus, et ligatus votis substantialibus religiosis : hunc enim Generalis Societatis ante dimissionem poterit tanquam ejus legitimus judex qualibet sententia ob delicta in societate commissa punire, et, sicut posset ad triremes, sic etiam ad exilium perpetuum condemnare illum poterit.

Dubium itaque non procedebat in hoc 2
sensu : sed an in ipsamet dimissione e Societate posset Generalis imponere, ne ad talem locum unquam redeat ; alioquin illo redeunte, dimissionis valor cesset, et votorum obligatio reviviscat. Ad quod respondi breviter, id nullo modo fieri posse : non possunt enim vota religiosa quoad suum valorem manere in suspenso dependenter a futura conditione. Nam, quamvis posset aliquis emittere professionem sub conditione de futuro, ita ut adveniente conditione, incipiat valere professio, quæ ante adventum conditionis nondum erat valida, imo poterat revocari consensus, ita ut, quamvis postea poneretur conditio, professio non subsisteret, ut latius probavi tom. II. *de Justitia, et jure*, disp. XXII. sect. 14. n. 388. et disp. XIII. *de Pœnitentia*, sect. 5. non tamen posset hoc dependere a sola voluntate alterius, prout dependeret in casu nostro a sola voluntate prælati. Rario autem est clara : quia illo tempore intermedio, antequam dimissus redeat ad locum prohibitum, vel ille est adhuc religiosus, vel est sæcularis. Si est sæcularis, non potest iterum fieri de novo religiosus, sineejus consensu, quem etiamsi antea præstitisset sub conditione ; potest tamen semper valide consensum revocare, quo ante impletam conditionem revocato, non potest fieri valide de novo religiosus. Adde, quod si rediens

ad locum prohibitum fieret de novo religiosus, fieret quidem novitius : neque enim potest sæcularis transire a statu sæculari ad statum religiosum, nisi per novitiatum, et quidem in Societate deberet manere novitius per integrum biennium, quo probaretur a religione, et ipse etiam religionem probaret ; nec potest Generalis in hoc biennio dispensare, nec ipse novitius potest cedere huic juri, et tempori probationis. Denique, si illo tempore intermedio, antequam redeat ad locum prohibitum, non est religiosus, poterit valide ducere uxorem, si non habeat ordinem sacrum, atque adeo, etiamsi redeat ad locum prohibitum, non fiet religiosus, cum hoc sit impedimentum irritans in Societate ; sicut, si eo tempore etiam intermedio homicidium perpetrasset. Si vero dicas, ipsum manere adhuc religiosum toto illo tempore intermedio ; falso ergo supponitur dimissus e Societate, manet enim proprie religiosus Societatis, et subditus ejus prælatis, sicut antea, et ita manebit usque ad mortem, cum non possit ante mortem verificari, quod nunquam ad locum prohibitum redierit. Repugnat ergo omnino, quod vere dimittatur e Societate, et tamen reincidat in vota, et in statum religiosum, si unquam postea rediret ad locum sibi prohibitum.

3 Dices, posse statum manere in suspenso aliquo modo toto illo tempore, ita ut, si dimissus nunquam rediturus sit ad eum locum, vere fuerit ab initio dimissus et sæcularis ; si vero rediturus sit aliquando, nunquam fuerit ab initio dimissus et liber a votis, sed semper manserit religiosus. Hoc tamen intelligi non potest, quia quamvis in ultimis voluntatibus introducta fuerit mutiana cautio, ut si legantur centum, v. g. Titio sub conditione negativa, quæ ante mortem impleri non potest, ut puta, si nunquam ascenderit capitolium ; tunc, inquam, dentur statim centum, præstita cautione, ut si unquam capitolium ascendat, restituantur hæredi : id tamen ad contractus intervivos non extenditur, sed expectanda est mors, ut tunc, si nunquam ascendit, solvantur centum sub ea conditione promissa, ut dixi tom. II. *de just.* disp. xxii. sect. 13. n. 375. Quare in casu nostro, si juxta regulas aliorum contractuum inter vivos conditio esset interpretanda, sensus esset, ut si usque ad mortem abstinuisset a reditu in locum prohibitum, tunc et non antea, a votis absolutus censeretur : quod ridiculum esset, cum jam votorum solutione non indigeret, quæ mors ipsa omnino solveret ; durante autem vita, votis semper ligatus mansisset, pendente adhuc conditione, sub qua a votis solvebatur. Si vero velis, quod in hoc casu observanda sit regula ultimarum voluntatem, tunc manere deberet ex nunc votis solutus, præstita cautione, ut si conditionem unquam violaret, in votorum obligationem reincideret : quod tamen probavimus fieri non posse, quia semel factus sæcularis, non potest iterum fieri religiosus sine nova admissione, et probatione per biennium novitiatus in Societate præscriptum, et quia posset medio illo tempore matrimonium contrahere, vel aliud impedimentum incurrere, quo inhabilis redderetur ad votorum obligationem valide contrahendam.

## DUBIUM XXIV.

*De formula congregationis provincialis non observata, an reddiderit invalidam electionem subsecutam ?*

Suppono, in singulis Societatis provinciis intra Europam cogendam esse singulis trienniis congregationem provincialem, ad quam vocandi sunt præpositi omnes, et rectores locales, et insuper professi quatuor votorum antiquiores usque ad numerum 40. ex omnibus congregatis complendum. Si qui autem ex iis, qui 1

vocandi sunt essent impediti, debet provincialis ante tempus congregationis decernere de impedimentis, an sint legitima, ad quod decretum vocari debent consultores, provincialis, et alii omnes qui suffragium in eadem congregatione habituri sunt, et præsentes fuerint tunc in eo loco ; quorum omnium suffragiis de impedimentis allegatis decernitur pro majori parte suffragiorum, an sint acceptanda vel rejicienda, ut habetur in formula congregationis provincialis approbata a congregatione quarta generali, ubi c. III. n. 7. hæc omnia expresse traduntur.

2 Contigit ergo ut provincialis ante diem et tempus congregationis provincialis decernere volens de impedimentis adductis ab aliquibus, qui se excusabant, vocaret solos suos consultores ordinarios, et non alios omnes præsentes, qui jus suffragii in futura congregatione habituri erant, sine quorum et cum solis consultorum suffragiis impedimenta aliquorum acceptata sunt ut legitima. Postea vero subsecuta fuit suo tempore congregatio provincialis, et celebrata more solito electio unius procuratoris, qui nomine provinciæ Romam mittitur ad informandum Generalem de rebus suæ provinciæ, et ad decernendum cum aliis procuratoribus aliarum provinciarum, an convocanda sit congregatio generalis. Non enim in congregatione provinciali eligitur prælatus ullus, nec leges ullæ statuuntur, sed solum eligitur procurator ad prædictum finem. Dubitatum ergo fuit de valore electionis et congregationis provincialis ob absentias eorum qui suffragium aliunde in ea habebant, et quorum excusationes acceptatæ fuerant prius a provinciali, et ejus consultoribus, non vocatis aliis qui interesse debuerant ad judicium ferendum de impedimentis, an esset legitima.

3 Respondi, electionem subsequentem et congregationem provincialem validam fuisse, non obstante defectu illo præcedenti. Primo, quia congregatio provincialis, ubi primum congregatur, in prima sessione supplere solet omnes defectus præcedentes, et habet auctoritatem eos supplendi, si congregati excedant duas tertias partes congregandorum, ut constat ex formula congregationis provincialis cap. IV. §. 17. Quod multo magis procedere videtur de defectu inculpabiliter commisso, qualis procul dubio fuit hic defectus, qui ortum fortasse habuit ex errore typographi in editione Romana anni 1616. ubi in formula congregationis provincialis d. cap. III. §. 10. habetur : « de quorum impedimentis ante congregationem, quo ei loco et tempore opportunius videbitur, judicabit ad plura suffragia provincialis cum suis consultoribus, qui in congregatione jus suffragii habent ; *cum legi debuisset* : cum suis consultoribus, qui aderunt, et cæteris omnibus præsentibus, qui in congregatione jus suffragii ; » sic enim habetur in congregatione quarta generali, ex qua formula illa desumpta est. Quare non mirum, si provincialis deceptus fuit, qui formulam Romæ typis editam legit et secutus fuit. Hoc autem multo clarius remanet, si provincialis (prout verisimile est fecisse) in prima sessione retulit congregationi non solum impedimenta absentium, sed etiam quomodo consultores de illis judicaverint ; jam enim tunc congregatio ignorare non posset, consultores solos vocatos fuisse ad judicium illud, atque adeo eadem congregatio approbat impedimenta, quod solum sufficeret, et supplet etiam defectum commissum in non vocandis aliis qui vocari debuissent ad judicium illud ferendum.

4 Secundo, idem probari potest, quia etiamsi impedimenta absentium non fuerint legitime approbata ante initium congregationis, ob defectum eorum ad quos approbatio spectabat, et qui ad id vocati debuerant : postquam tamen advenit dies congregationi inchoandæ præfixus, et adsunt duæ tertiæ parres congregandorum, congregatio legitime inchoatur : illi

autem duo vel tres, qui ordine professionis subsequuntur, et intrant loco absentium, legitime etiam intrant. Nam, quidquid sit, an impedimenta fuissent legitima ; tunc tamen legitima jam sunt, præsertim ipsa electionis die, in qua non possunt jam illi ex longinquo venire, ut adsint electioni. Quare locum habet jam tunc id, quod in eadem formula congregationis provincialis c. III. §. 11. et 12. dicitur, quod si quis, etiam inchoata congregatione, legitime impeditus sit, nec electioni adesse possit, subrogetur alius, nempe is qui ordine professionis proximior est, ex iis qui in eo loco sunt ut die præfixa electioni possit intervenire. In nostro ergo casu certum est, quod die ipsa electionis jam tunc venire non poterant ii qui se ante excusaverant, et longe aberant. Jam ergo tunc jus suffragii omnino spectabat ad eos qui proximiores erant ordine professionis. Sicut si pridie ante electionem aliquis in itinere ægrotasset, et pervenire non posset, pertineret procul dubio jus suffragii ad proximiorem ordine professionis : sic ergo in casu nostro vocati quidem fuerunt ii ad quos pertinebat : si ipsi se excusarunt excusatio non fuit approbata a legitimis judicibus, qui casu fortuito vocati non fuerunt, re tamen vera undecumque id provenerit, jam illi sunt omnino impediti die ipsa electionis, nec tempestive vocari possunt. Debet ergo de illis judicari sicut de alio quocumque naturaliter impedito, et subintrare debent loco illorum alii proximiores, ad quos jam tunc legitime omnino jus suffragii devolvitur.

5 Denique addidi, quod ad tollendum omne dubium, vel scrupulum, posset postea Romæ in congregatione omnium procuratorum, qui ex omnibus provinciis mittuntur, referri defectus hic illius congregationis provincialis, ut in illa congregatione procuratorum suppleatur. Nam, sicut congregatio provincialis supplere potest, ut diximus, defectus, si qui forte præcesserunt : ita congregatio subsequens omnium procuratorum ab omnibus congregationibus provincialibus electorum, quando primum Romæ conveniunt, potest in prima sessione decernere defectibus, si qui fuerunt in congregationibus provincialibus, ut habetur in formula congregationis procuratorum cap. I. §. 4. quod tamen ad majorem securitatem et ad tollendum omnino scrupulum, vel dubium, dictum sit.

## DUBIUM XXV.

*An incurrat pœnas ambitus, qui ambit pro persona incerta ?*

Antequam discedamus a congregatione provinciali, respondere possumus 1
breviter ad hoc dubium. Pro quo sciendum est, prohiberi gravissime in Societate, ne quis in congregatione provinciali procuret electionem sui, vel alterius, aut eam impediat, ut habetur in formula Congregationis Provincialis cap. IV. §. 22. et seqq. his verbis : « Illud præcipue cavendum est, ne ullus per se, vel per alium, ne indirecte quidem, se, vel alium eligi, vel non eligi suadeat ; etiam cum de deputatorum, ac secretarii electione agitur : sed fiant electiones sincere et candide ex iis, quæ Spiritus sanctus dignabitur suggerere, et ex informationibus cognita tuerint. Hoc vero, quod de iis dicitur, qui ambitiose agunt, et per se vel per alios directe vel indirecte suadent, ut se, vel certum aliquem eligant, vel excludant ; ita extenditur, ut a die indictæ congregationis, usque ad electionem intelligatur, etc. Si quis autem, quod avertat Deus ad sui vel alterius electionem, vel exclusionem ambitiose agere deprehensus fuerit, idque sufficienter probabitur, activa, vel passiva, vel utraque voce privetur in congregatione tantum, et aliis pœnis, si id merebitur, subjiciatur juxta delicti gravitatem, et

probationis certitudinem. » Quo supposito, dubitatum fuit an easdem pœnas incurreret, qui non procuravit electionem personæ certæ, vel eam impedivit, sed personarum incertarum, v. g. ambitiose suadendo electoribus, ne aliquis ex rectoribus eligeretur, sed potius ex iis qui rectores non erant.

2 Respondi, id ex circumstantiis pendere. Poterant enim circumstantiæ tales esse, ut per illum modum generalem loquendi, et suadendi significaretur sufficienter animus includendi, vel excludendi aliquam certam personam, de cujus electione ageretur, v. g. si eum timeres eligendum Titium, qui rector est, tu, ne deprehendaris reus, nolis eum nominatim excludere, sed petas in genere, ac suadeas ne eligatur aliquis rectorum, ex quorum numero Titius est, quod quidem eo animo a te fieri omnes interpretantur, ut Titium excludas : hoc quidem est saltem indirecte Titium ambitiose excludere. Similiter, si extra rectores unus Seius esset, qui eligi posset, et quem tu eligi desideras, atque ideo suadeas ambitiose ut eligatur aliquis extra numerum rectorum, quod facile intelligitur a te eo fine peti, ut Seius eligatur : hoc etiam est ambitiose procurare ut eligatur Seius Cum ergo sub illis pœnis prohibeatur non solum directa, sed etiam indirecta ambitio pro aliquo certo eligendo, vel excludendo, fatendum est in prædicto casu pœnas incurri ob indirectam saltem procurationem, vel exclusionem, siquidem in verbis relatis ambientes etiam indirecte eisdem pœnis subjiciuntur.

3 Pro quo recolenda sunt, quæ in simili de indirecta ambitione prælaturæ docet Th. Sanch. lib. VI. *in Decal.* cap. XVIII. n. 20. et 24. et nos late explicuimus, et probavimus to. II. *de Just. et jure*, disp. XXXVI. sect. 9. n. 135. et seqq. ubi dixi, quando prohibetur aliquid fieri etiam indirecte, operationem indirectam, prout distinguitur a directa, esse quando verba vel actio non tendit directe et immediate ad talem personam, v. g. sed ad alios : in iis tamen circumstantiis, quæ ostendunt et significant id fieri ex fine et intentione agendi circa talem personam, ut multis exemplis adductis explicui loco citato. Ex qua doctrina idem videtur in casu nostro dicendum, si circumstantiæ tales sint, ut qui procurat exclusionem omnium rectorum, intelligatur id facere ex fine excludendi Titium : tunc enim quamvis verba non exprimant nec significent Titium, sed genus commune rectorum, et ideo non censeantur directe excludere Titium ; circumstantiæ tamen ostendunt intentionem esse excludendi indirecte et per circuitum Titium, dum excluduntur omnes rectores ex fine excludendi solum Titium, quæ est exclusio indirecta prohibita certæ et determinatæ personæ.

Si autem circumstantiæ non sint tales, 4
ut significent animum excludendi Titium, vel quia revera non erat specialis ab illo aversio, sed in genere a rectoribus in communi, vel certe, quia etsi propter Titium fieret exclusio ; ea tamen intentio occulta erat, nec poterat signo illo deprehendi : tunc non credo incurri pœnas, nec hunc actum prohibitum esse verbis illis ; verba enim legis supra relata expresse loquuntur de iis, qui *per se, vel per alios directe, vel indirecte suadent, ut se, vel certum aliquem eligant, vel excludant,* quod non verificatur in casu nostro ; qui enim suadet, ne eligatur ullus rector, non suadet, ut certus aliquis eligatur, vel excludatur, sed ut excludatur generalis rectorum, quæ exclusio licet aliunde possit esse vitiosa, et perniciosa ; non tamen prohibetur illis verbi. Unde, quando legislator vult illam etiam comprehendere, exprimit eam aliis verbis, prout fecit Gregorius XV. in sua bulla *de electione summi Pontificis*, in §. *de pactionibus, promissionibus*, etc. ubi prohibentur ejusmodi obligationes, pactiones, conventiones: etc. « tam respectu inclusionis, quam exclusionis, tam unius personæ, quam plurium, aut certi generis, veluti creatu-

rarum, aut hujusmodi, etc. » quod etiam in eadem Societate factum est, quando agitur de electione Generalis facienda, ut habetur in formula congregationis generalis c. II. §. 21. ubi excommunicantur, qui « Egerint, aut tractaverint, vel litteras aut favorem prælatorum, principum, aut aliorum procuraverint, ad quamvis nationem, vel particularem personam promovendam ad generalatum, vel excludendam. » Quare cum in formula congregationis provincialis ejusmodi extensio omissa fuerit, et solum de inclusione vel exclusione certæ personæ sermo sit, constat non sine causa, id fieri, seu quia in electione leviori non putabatur necessarius tantus rigor, quatenus in electione graviori præpositi generalis.

Addidi tamen ultimo, si ex verbis illis suadentibus exclusionem rectorum non omnino constare possit evidenter animus excludendi, vel includendi personam certam et determinatam; probetur tamen semiplene, vel oriatur vehemens suspicio de tali animo: quamvis non possit tunc procedi ad pœnam ordinariam, quæ imponi non potest nisi delicto plene probato: pro delicto tamen semiplene probato posse reum puniri pœna extraordinario minori et arbitraria, pro qualitate delicti et probationum, ut expresse habetur in instructione de modo procedendi judicialiter confecto pro superioribus Societatis cap. V. ante finem, et nos cum aliis probavimus to. II. *de Justitia, et jure*, disp. XXXVII. sect. 12. n. 142. et seqq.

## DUBIUM XXVI.

*Utrum professus legitime carceratus, sit ad congregationem provincialem vocandus, vel possit in ea eligi?*

Ratio dubitandi est, quia provincialis 1
Societatis non posset impedire, nec occupare aliquem ex iis qui habent jus suffragii in congregatione provinciali, ita ut ad illam venire non possit, ut habetur expresse in *formula Congregationis provincialis* cap. III. num. 13. quod prudentissime statutum est, ne detur provinciali facultas excludendi indirecte eos qui fortasse in congregatione ejus sententiæ non assentirentur. Non poterit ergo sub prætextu carcerationis impediri, qui aliunde jus suffragii in congregatione haberet.

In contrarium vero esse videtur regula 2
generalis, quam aliqui tradunt, quod religiosi carcerati, eo ipso voce activa et passiva privantur, quam regulam supponere videtur Emman. Roder. tom. II. q. *Regul.* q. IX. art. 6. in principio; ergo eo ipso quod professus aliquis Societatis carceratus esset, careret suffragii jure in congregatione provinciali, atque adeo ad illam vocandus non erit. Hoc tamen argumentum, ut verum fatear, non videtur satis solidum; neque enim regulam illam ita generalem invenio, nec Emman. Roder. loco citato, illam generaliter tradit, imo indicat satis aperte non esse generaliter veram. Verba illius auctoris hæc sunt: « Respondeo dicendo, quod licet carcer in religionibus sit pœna delicti, cum incarcerati priventur voce activa et passiva, prout infra in quæstione de correctione fratrum quoad carcerem dicetur; possunt judices regularium, etc. » Locus autem, ad quem se remittit, est qu. XVII. ubi art. 4. probat religiosum non esse carcerandum sine

præcedenti informatione summaria delictorum, propter infamiam quam carceratio infert. Reddit autem rationem his verbis : « quod in captura monachorum magis patet, cum ultra clericatus gradum sint religiosi, qui incarcerati habitu monachali privantur, et ipso jure, secundum statuta aliquarum religionum, voce activa et passiva spoliantur ideoque summaria informatio præcedere debet. » Ubi clare fatetur id non procedere de jure communi, sed secundum statuta particularia aliquarum religionum. Sicut nec commune est omnibus religionibus, quod carcerati habitu spolientur ; nec in Societate, si quando ad carcerationem in casu rarissimo pervenitur, habitu communi religioso spoliantur, imo nec in loco carceri destinato, sed in cubiculo recluduntur. Quare de hoc carceris genere idem Auctor eod. art. 4. ante finem, fatetur aperte, non afferre secum privationem vocis activæ et passivæ ; sic enim ait : « Et si verisimiliter fuga rei timeatur, licet concedant doctores communiter clericum posse deprehendi, cum sæpe-numero perpensa qualitate criminis, et delinquentis, et attentis circumstantiis plurimum circa capturam presbyterorum deferendum sit judicis arbitrio : ego vero circa capturam monachorum non plurimum illis deferrem, sine magna prævia consultatione, cum judices regulares de more religionum possint monachos delinquentes recludere in aliqua secura cellula, domo pœnitentiæ vocata, in qua licet recludantur et detineantur, non tamen habitu regulari exuuntur, nec voce activa et passiva privantur. » Vides hunc auctorem aperte negare privationem vocis activæ et passivæ, quoties religiosus retento habitu recluditur solum ad custodiam in cellula aliqua secura, qui modus solus in Societate observatur, si quando in casu rarissimo necessitas urget ad religiosum aliquem recludendum.

3 Unde infero, si reclusus esset in eadem domo vel collegio, in quo fit congregatio provincialis, debere illum habere suffragium activum in electionibus, sicuti illud habent infirmi a quibus, etiamsi non sint præsentes in congregatione, si tamen ægrotent in eadem domo, exquiruntur suffragia, ut habetur *in formula congregationis provincialis* c. v. §. 30. prout etiam exquiruntur a cardinalibus ægrotantibus intra conclave ad electionem summi Pontificis : cum enim in Societate non privetur voce activa et passiva ratione præcisæ carcerationis ; non est cur ejus suffragium non sit exquirendum, quod multo magis procedit, si habet totam domum vel collegium pro carcere : tunc enim ad ipsum etiam locum congregationis venire potest et debet, cum nullum habet impedimentum physicum vel legale. Si autem reclusus est in aliquo cubiculo, debet ab eo suffragium ad electiones exquiri, sicut exquiritur ab infirmis.

Difficultas est, quando aliquis legitime 4
carceratus est in alia domo, vel collegio diverso, sive ie sit in eadem civitate, vel in alia : et sive reclusus sit intra aliquod cubiculum, sive habeat domum vel collegium pro carcere. Et quidem eo casu, si carceratio legitima sit, puto, quod non sit carceratus ad congregationem vocandus, sed habendus sit pro legitime impedito ; quia prælatus utitur jure suo, detinendo eum in carcere, nec debet eum ad hunc finem liberare : sicut, non obstante Ecclesiæ præcepto, non tenetur dare illi semper licentiam exeundi ad audiendam missam in die festivo.

Solum posset obstare id, quod habetur 5
in eadem formula congregationis provincialis c. III. §. 13. ubi dicitur, provincialem non posse impedire aliquem qui jus ad congregationem haberet, ita ut non possit ad congregationem venire. Hoc tamen non videtur obstare. Primo, qui ibi solus provincialis prohibetur, ne impediat eos qui jure suo debent ad congregationem venire : posset autem professus ille carceratus existere non a

provinciali, sed a generali, vel visitatore, cum quibus prohibitio illa non loquitur. Secundo, quia ibi solum agitur de iis qui antea impediti non essent, ut constat ex verbis illis formulæ : « Nullo tamen modo potest, aut debet quemquam impedire, quia antea impeditus non esset, et jus ad congregationem haberet. » Quare, si ante dictam congregationem jam ille carceratus fuisset a provinciali, nihil fieret contra illud decretum. Tertio, quia ibi solum videtur agi de impedimento per occupationem, aut missionem in alium locum, ex quo venire non posset ad congregationem, nam apponitur exemplum, ne professum illum manere jubeat in aliquo collegio loco rectoris ad congregationem venientis. Quare non videtur sermo ibi esse de impedimento canonico. Quid enim, si professus ille legitime denuntiatus, vel inquisitus et convictus damnandus esset ad privationem vocis activæ et passivæ? deberet ne provincialis abstinere interim a justa sententia proferenda, ne impediret reum a suffragio in futura congregatione? Quid, si damnandus esset ad exilium, vel etiam, ad triremes? Quid, si rector alicujus collegii non professus deberet e Societate dimitti, deberet ne provincialis alioquin potestatem dimittendi habens, eum retinere, donec congregatio facta esset, ne eum a suffragio ferendo impediret? Hæc certe absurdissima essent, nec de hoc impedimenti genere videtur decretum illud intelligendum, quod idem de carceratione dicendum videtur. Quid enim, si professus eo tempore homicidium patrasset, aut fugam et apostasiam meditaretur? Nonne posset et deberet carcerari? An vero facultas ei concedenda esset, non obstante carceratione, iter agendi ut iret ad locum congregationis? Nemo hoc dicet; quare ille omnino ut legitime impeditus judicandus est.

6 Dicet aliquis, hoc modo dari viam qua provincialis indirecte possit suffragia ad futuram congregationem pro suo arbitrio disponere, carcerando nimirum eos variis prætextibus, quorum suffragia sibi non placerent. Respondetur, graviora timeri posse damna, si possent professi eo tempore impune delinquere absque metu carcerationis, vel punitionis. Adde, periculo illi occurri sufficienter posse : nam ante congregationem, ut supra vidimus, provincialis cum consultoribus, et omnibus qui præsentes sunt, et suffragium habent in futura congregatione, judicant et decernunt ad plura suffragia de impedimentis eorum, qui alioquin ad congregationem vocandi essent : quare tunc examinari poterit, an carceratio justa sit, an solum quæsito colore facta ad impedimentnm apponendum, non ergo poterit solus provincialis hac via professum impedire, cum tot aliorum judicia ad causæ approbationem requirantur, apud quos reus poterit, si velit, de provincialis dolo vel malitia legitime conqueri.

Hinc autem infero. Primo, carcerationem in prædicto casu non solum impedire per accidens, ut diximus, a suffragio activo, sed etiam impedire posse per accidens a suffragio passivo, ne professus ille eligatur in procuratorem, vel electorem ad futuram congregationem Romæ habendam : non quidem directe, quia carceratio in Societate ut supra vidimus, non affert privationem vocis passivæ, sed indirecte, quatenus reddit eum legitime impeditum ne possit iter arripere ut Romam petat. 7

Infero secundo, non pertinere ad congregationem provincialem examinare de justitia carcerationis, et an professus sit legitime impeditus, ut non possit ad congregationem venire, si ante ipsam congregationem inchoatam provincialis cum suis consultoribus, et aliis qui tunc eo loco aderant ex iis qui jus suffragii habent in congregatione provinciali futura, ad majorem suffragiorum partem approbarunt impedimentum tanquam legitimum, formula enim congregationis provincialis non committit eidem congregationi examen, aut judicium de legitimi- 8

tate impedimentorum, nisi quando provincialis cum suis consultoribus, et aliis prædictis ante diem congregationis de impedimentis non judicarunt, ut constat ex eadem formula ca. v. n. 10. et 13. ubi prohibetur expresse congregationi judicium provincialis, et aliorum dictorum antea factum revocare, vel in novum examen reducere.

## DUBIUM XXVII.

*Utrum provinciales Societatis in India debeant, aut possint venire ad congregationem generalem ?*

1 Sciendum est, toto tempore præcedenti nunquam provinciales ex utraque India, tam Occidentali, quam Orientali, vocatos fuisse, nec venisse ad ullam congregationem generalem, nec de hoc fuisse unquam dubitatum ; cum enim in Societate non esset tempus certum, et determinatum celebrandi congregationes generales, sed fierent, vel mortuo Generali ad eligendum successorem, vel quando Generali cum assistentibus, et procuratoribus, qui singulis trienniis Romæ ex provinciis conveniunt, videbatur convocanda congregatio generalis, non poterant provinciales Indiarum vocari, cum non possent tempestive venire ; nec etiam ipsi poterant venire non vocati, cum non possent scire, an esset vel non esset cogenda congregatio generalis. Dubium tamen exortum est occasione brevis Sanctissimi D. N. Innocenti X. qui anno 1645. justis de causis præcepit, ut deinceps nono semper anno post ultimam cogeretur generalis congregatio in Societate : hoc enim decreto posito, cessare videtur ratio contraria, cum possint, et opportune, vocari provinciales Indiæ, et ipsi etiam non vocati possint venire, ut tempore illo anni noni Romæ adsint, quo tempore certum jam est congregationem generalem cogendam esse.

Possunt ergo, et debent nunc in singulis Indiarum provinciis eligi in congregatione provinciali duo patres professi, qui simul cum provinciali veniant, et suffragium habeant in congregatione generali, sicut fit in reliquis Societatis provinciis, quæ sunt per universam Europam. 2

Dixi tamen, etiam nunc post decretum illud Pontificium non debere, nec posse venire provinciales Indiarum cum duobus sociis professis ad congregationem generalem, sed quoad ipsos retinendum omnino esse morem antiquum. Quod tribus potissimum rationibus probari potest. Prima, et a priori sit, quia ad hoc ut venire possent, et jus suffragii in congregatione generali habere, oporteret quod habuissent aliquando ex aliquo jure communi, vel speciali jus illud suffragii in congregatione generali, quod jus antea impeditum fuisset, nunc vero ablato jam impedimento revivisceret : nemo enim jus suffragii in electione habere potest, nisi ex lege aliqua jus illud tribuente. Nulla autem lex generalis, vel specialis est quæ jus illud suffragii in congregatione generali provincialibus Indiæ, et eorum sociis in Societate tribuerit. Nec enim lex aliqua, aut constitutio Societatis tribuit hoc omnibus provinciis, vel omnibus provincialibus Societatis in universum, sed solis provinciis, et provincialibus Europæ nominatim, quod inprimis constat ex constitut. part. II. ca. 3. cujus capitis titulus est, *Qui debeant congregari*, ubi §. 1. loquendo de iis qui non sunt convocandi, additur exceptio eorum, qui in India sunt, his verbis : « Non itaque infirmi, ac valetudinarii, nec qui in regionibus remotissimis agunt, ut in Indiis, etc. » Non ergo habent jus aliquod ex vi constitutionis, in qua S. Ignatius non solum eos non includit, sed positive excludit. 3

Hoc idem manifeste constat ex formula congregationis provincialis ca. I. in fine, ubi enumeratis casibus in quibus congregationes provinciales fieri debent, 4

sive ut eligantur ii qui ad congregationem generalem ire debent, sive ut eligatur procurator singulis trienniis ex provinciis singulis Romam mittendus ; subditur exceptio Indiarum provinciarum his verbis : « Hæc vero omnia in solis Europæ provinciis locum habere intelligenda sunt. Nam cætera extra Europam, neque more aliarum ad electionem Generalis convenire possunt, neque tertio quoque anno procuratores mittere tenentur. » Constat ergo, quoties de convocandis ad congregationem generalem agitur, non solum verbis generalibus non includi provinciales Indiæ, sed semper specialiter et positive excludi : ex nulla ergo lege vel generali, vel speciali, habent in Societate jus ad congregationem generalem. Quare si posito novissimo decreto pontificio judicaretur expediens, quod illis etiam daretur jus suffragii in congregatione generali, oporteret prius lege aliqua, vel decreto congregationis jus hoc illis concedere, cum illud antea non habuerint, nec possit reviviscere jus quod nunquam habuerunt, etiamsi impedimentum cessasset.

5 Re tamen vera impedimentum non cessavit, et hæc potest esse secunda ratio principalis, et probari potest, quia etiam stante decreto novissimo Sanctissimi, non possunt scire provinciales Indiarum tempus futuræ congregationis generalis, ut possint ex illis remotissimis regionibus ad illam venire. Quamvis enim Pontifex jusserit ut congregatio generalis nunquam differatur ultra novem annos ab ultima congregatione computandos : non tamen prohibuit, ne ante illum terminum celebretur, prout contingere sæpe poterit, quod ante fiat. Primo, si tempore intermedio Generalis moriatur, quod quidem communiter ita eveniet ; neque enim nisi raro continget ejus mors ipso anno octavo, ut possit anno electio fieri. Secundo, si procuratores provinciarum, qui singulis trienniis Romæ conveniunt, simul cum Generali et assistentibus judicent congregationem cogendam anno sexto vel septimo vel ante annum nonum. Tertio si idem Generalis cum assistentibus ob causas emergentes congregationem indixerit ante nonum annum, in quibus et similibus casibus, si provinciales Indiarum hujus anticipationis ignari velint ex India anno septimo vel octavo proficisci, ut anno nono congregationi generali intersint, invenient jam factam congregationem, a qua computandi erunt alii novem anni ad subsequentem, atque adeo se operam et expensas sine ullo fructu perdidisse : non possunt ergo ex suis provinciis exire, nisi sciant certo congregationem generalem non fuisse anticipatam, quod quidem impossibile est illos scire tempestive, ut possint ad certam congregationem venire.

Confirmatur, quia, quamvis tempus 6
congregationis generalis non anticipetur, potest tamen contingere quod protrahatur : occurrunt enim sæpe impedimenta ex bellis inter principes christianos, ex peste et aliis similibus accidentibus, quæ commercium perturbant, et itinera omnino impediunt, et experti sumus annis præteritis, non raro capitulia generalia aliorum ordinum, etiam quæ ad electionem Generalis convocanda erant, fuisse per aliquot annos ob similes causas dilata. Et in Societate ipsa congregatio etiam triennalis procuratorum provinciarum dilata fuit in annum sequentem. Hæc autem impedimenta prævidere non possunt provinciales Indiarum, atque ideo ex hoc etiam capite ignorare debent tempus futuræ congregationis generalis. Imo, ut hoc obiter dicam, ob hanc eamdem rationem stante etiam dicto decreto Sanctissimi D. N. Innocentii X. non credo posse provinciales Europæ convocare ad congregationem provincialem pro eligendis iis qui mittendi sunt ad congregationem generalem anno nono, nisi moniti sint et convocati a patre Generali, quia cum ob varias causas differri possit generalis congregatio, approbante illas summo Pontifice, non possunt ipsi certo

scire, quo reipsa tempore a lege præfixo celebranda sit congregatio. Quanto minus provinciales Indiarum convocare possunt congregationem provincialem pro eisdem sociis eligendis, in tanta rerum incertitudine, et in tali ac tanta locorum distantia ?

7 Tertia et ultima ratio esse potest, quia quando S. Ignatius in loco citato *constitut.* exclusit provinciales Indiarum, ne vocarentur ad congregationem generalem ob locorum distantiam, non attendit solum quod non possent post convocationem exspectari ob loci distantiam, nec id expressit, sed credendum est quod attendit etiam ad hoc, quod si ex Indiarum provinciis venturi essent provinciales, et duo alii professi, qui communiter eligi solent ex rectoribus præcipuorum collegiorum, necesse esset, quod ab omnibus illis provinciis abessent provinciales, et duo alii præcipui patres ex singulis per tres, vel plures fortasse annos, quod sine maximo illarum provinciarum dispendio fieri non posset ; imo illi toto sui triennii tempore absentes, nec sua munera exercentes, fuissent provinciales, vel rectores solum titulares, cum suas provincias vel collegia regere nunquam potuissent, quæ ratio et quidem gravissima nunc etiam æque urget, atque adeo non est verum quod nunc cessaverit ratio ob quam exclusi fuerunt a congregationibus generalibus. Concludo itaque, etiam post decretum illud Innocentii, non debere, nec posse more provinciarum Europæ, ex provinciis Indiarum convocari, aut venire provinciales cum duobus sociis ad congregationem generalem nec expedire quod in posterum aliquid circa hoc innovetur, quia nunquam jus habuerunt in communi, vel in particulari ut ad congregationem venirent, nec, si illud unquam habuissent, cessavit causa ob quam fuit usque adhuc impeditum ; sed hodie etiam majori ex parte eædem rationes urgent. Sufficit ergo, quod ea modo quo possunt, concurrant provinciæ Indiarum ad congregationem generalem, nempe modo statuto in formula congregationis provincialis cap. v. §. 40. nimirum ut procurator, qui a provincia singulis triennis, vel sexenniis electus Romam mittitur, eo ipso possit intervenire cum suffragio non solum in congregatione procuratorum, si eo tempore fieri contigerit, sed etiam quando procurator professus fuerit quatuor votorum, et cum hac potestate a sua provincia electus fuerit, possit cum jure suffragii, etiam ad electionem Generalis concurrere in congregatione generali, si antequam ad suam provinciam revertatur, quacumque ex causa fieri contigerit, ut ibi magis explicatur, quo pacto non remanent omnino exclusæ provinciæ illæ a congregatione generali, imo in hac octava congregatione procuratores ex sex, vel septem Indiarum provinciis, si bene memini, reperti sunt.

## DUBIUM XXVIII.

*An præpositus, vel rector possit eligere sibi confessarium, a quo absolvatur a reservatis ?*

Hoc dubium propositum mihi fuit anno 1642. contendebant enim aliqui superiores locales Societatis habere hanc facultatem, quod inprimis probari poterat ex doctrina generali, quam attuli late in tom. *de Pœnit.* disput. xx. sect. 5. num. 57. et sequentibus, quod scilicet prælatus potest sibimet applicare facultates, quas potest suis subditis concedere. Si ergo prælatus localis Societatis potest per se, vel per alium confessarium absolvere suos subditos a peccatis reservatis ; poterit ipse etiam absolvi per confessarium a se ad hoc deputatum, ne ipse solus deterioris conditionis maneat, et excludatur a communi beneficio, quo omnes ejus subditi frui possunt. 1

In contrarium autem est usus in So- 2

cietate servatus, ut superiores locales, si forte quod absit, in aliquod peccatum reservatum inciderent, debeant vel per se, vel per alium recurrere ad provincialem : provincialis vero ad Generalem : quod fieri omnino debere declaravit P. Claudius Aquaviva Generalis, ut habetur in ordinationibus Generalium ca. v. §. 6. his verbis : « Idem autem quoad obligationem se sistendi, servandum est confessariis rectorum, et aliorum superiorum localium, quando ii, quod Deus avertat, in aliquem casum reservatum inciderent, et non esset præsens provincialis, cui talia reservantur. Idem quoque ipsorum provincialium confessariis, cum præsens non esset is, qui ad eum finem a Generali esset destinatus. » Unde P. Suarez tom. IV. *de Relig.* tr. VIII. lib. II. cap. 19. num. 17. et 18. supponit provinciales debere recurrere ad Generalem, vel ad illum quem Generalis ad hunc finem designaverit.

3 Hæc tamen doctrina nonnullis difficilis visa est, quia congregatio quinta generalis decreto LI. ubi catalogum instituit casuum reservatorum, eos omnes reservavit superiori locali domus, vel collegii, cujus solius licentia ibi exigitur, ut absolutio impendi possit : quare nunquam videtur necessaria licentia provincialis, vel Generalis. Quamvis autem P. Claudius in dicta instructione dixerit, ad absolutionem rectorum localium, vel provincialium requiri facultatem provincialis, vel Generalis respective : illa tamen instructio non reperitur confirmata ab ulla congregatione generali : imo in congregatione generali septima decreto LXXXI. declaratur, ordinationes Generalium anteriores nullam habere vim a congregatione generali, sed solum quantam a Generali potuerunt accipere. Certum autem est, ex decreto Clementis VIII. nullum superiorem regularem, nec ipsum Generalem posse reservare aliquod peccatum, nisi id fiat in capitulo provinciali pro tota provincia, vel in capitulo generali pro toto ordine. Si ergo congregatio generalis non magis peccata in Societate reservavit, quam ut superioris localis facultas ad absolutionem exigeretur : non potuit P. Claudius strictiorem reservationem facere pro rectorum et provincialium peccatis, ita ut ad horum absolutionem necessaria sit facultas Provincialis, vel Generalis : hoc enim esset reservationem novam, et majorem illorum peccatorum inducere, quam congregatio generalis non imposuerat.

Respondi tamen tunc, rem hanc difficilem esse, et quæ declarationem aliquam in congregatione generali futura exigeret ; interim vero expedire omnino, quod provinciales designarent singulis superioribus localibus confessarium aliquem in suis domibus, vel collegiis, et Generalis designaret provinciali ejus socium, ad quem occurrente casu, possent et ipsi provinciales, et superiores locales respective recurrere pro absolutione a reservatis, si, quod absit, indigerent, quod quidem Generalis respectu provincialium plerumque facere solebat, et supponere videtur P. Claudius Generalis loco citato ; declarat enim obligationem provincialis in eo casu, *cum præsens non esset is, qui ad eum finem a Generali esset destinatus.* Supponit ergo, aliquem destinari debuisse, quod est etiam maxime juxta mentem Clementis VIII, qui in decreto de casibus reservatis satis significat, quod singuli regulares debent habere aliquem, ad quem recurrant pro absolutione a reservatis præter superiorem, ad quem etiam recurrere possint, si velint. 4

Non tamen ausus sui approbare, quod superiores Societatis possent propria auctoritate facere se absolvere a suo confessario a reservatis, nisi ad hoc esset ab eorum superiore respective designatus ; id enim est contra praxim et sensum Societatis, quæ ita semper reservationem casuum intellexit, ut ipsos etiam superiores comprehenderet, quem sensum bene noverat P. Claudius Generalis, quando id pro comperto supposuit, non quidem faciendo novam reservationem, 5

quam ipse, ut vidimus, facere non poterat : sed declarando mentem quintæ congregationis generalis, cui ipse interfuerat et præfuerat, et in qua casuum reservatio facta et promulgata fuerat.

6 Porro eam fuisse congregationis mentem probari, et colligi potest, non solum ex communi sensu, sed etiam, quia reservatio illorum peccatorum facta fuit, ut in gravioribus morbis spiritualibus, melius et tutius possent subditi curari a suis superioribus, ad quos per se vel per alios debent pro absolutione obtinenda recurrere. Hoc autem remedium adhibendum erat omnibus, qui intra Societatem superiorem habent, prout illum de facto habent rectores et superiores locales, et ipsimet provinciales : qui omnes, non minus quam eorum subditi, debent juxta Societatis regulas singuli suis superioribus propriam conscientiam manifestare, ut ab iis in via spirituali dirigi possint. Quare multo magis debent in gravioribus necessitatibus spiritualibus, et in gravioribus tentationibus ad eosdem recurrere, ut ab iis opportuna remedia possint accipere. Sicut ergo nunquam Societas exemit superiores locales, vel provinciales a debito manifestandi suam conscientiam suis superioribus, imo rectores eam manifestare debent provinciali, quando collegium illud visitat, et provincialis visitatori provinciæ, si adsit, vel ipsi Generali, si ibi adesset : non videtur verisimile, quod eosdem voluerit eximere ab obligatione recurrendi ad suos superiores in gravioribus tentationibus, et necessitatibus spiritualibus, in quibus majora et graviora remedia requiruntur.

7 Confirmarique rursus hic idem Societatis sensus potest, quia non soli superiores locales, et provinciales carent in Societate superiore locali, sed alii etiam : nam inprimis socii ejusdem provincialis nulli superiori locali proprie subjacent, cum sint in perpetuo motu, ut provincialem in provinciæ visitatione comitentur. Rursus ille, quem provincialis vocavit a collegio in quo erat, illuc non reversurum, eo ipso quod discedit ab illo collegio, jam non est subditus illius rectoris, sed neque ullius alterius, quia provincialis nondum statuit de loco ad quem esset illum missurus. Certe si illo medio tempore, dum provincialis deliberat, incidat in casum reservatum, absolvi non potest de licentia solius rectoris illius loci, in quo per solam bebdomadam commoratur, sine onere comparendi postea coram suo superiore, ut habetur in dicto cap. VI *de casibus reservatis* §. 6. et aliunde fortasse per annum non applicabitur alicui collegio, quia ire debet interim ad suam patriam, vel ad missionem in loco in quo non sit collegium ; hos ergo omnes et alios similes, qui superiorem localem non habent, congregatio certe non voluit eximere a casuum reservatione. Debent ergo data occasione, per se, vel per alium ad provincialem recurrere, qui solus est communis superior immediatus. Idem ergo voluit congregatio quod facerent rectores, qui alium superiorem immediatum non habent, nisi provincialem.

8 Quando ergo congregatio quinta generalis reservavit casus illos, ita ut nemo sine speciali licentia superioris localis posset ab illis absolvi, noluit ipsum superiorem localem a reservatione eximere : sed fuit potius quædam benigna concessio pro subditis. Aliquando enim ita reservantur aliqua regularium peccata, ut debeant ad provincialem pro absolutione recurrere, nec possit superior localis ab illis absolvere, ut habetur in regula S. Francisci cap. 7. ubi sic dicitur : « Si quis fratrum, instigante inimico, mortaliter peccaverit, pro illis peccatis, de quibus ordinatum fuerit inter fratres, ut recurratur ad solos ministros provinciales, teneantur prædicti fratres ad eos recurrere, quanto citius potuerint sine mora, » et quidem in statutis illius ordinis multa peccata reservantur provinciali, ut testatur P. Suar. tom. IV. *de Relig.* tr. x. lib. VIII. c. 5. nu. 6. Noluit

ergo Societas tantum onus subditis imponere, sed concessit benigne recursum ad superiorem immediatum. Loquitur ergo de subditis solis illius superioris, non de illis, qui non habent superiorem localem, quales sunt rectores, socii provincialis, et alii supra enumerati, quos non intendit congregatio excipere a reservatione casuum communi pro omnibus Societatis personis.

9 Hæc, ut dixi, responderam anno 1642. Postea vero anno 1645. congregatio generalis octava convocata ad electionem novi præpositi Generalis, eodem dubio in consultatione adducto, in eamdem fere sententiam respondit decreto xxv. ubi supposita ut vera reservatione, et obligatione recurrendi pro reservatis in ipsis rectoribus, et provincialibus, cogitatum fuit de remedio adhibendo his verbis: « Quod in ordinationibus dicitur, idem esse servandum confessariis superiorum localium, si quando, quod Deus avertat, in aliquem easum reservatum inciderent; videri magnum onus, nec satis ejusmodi superioribus esse provisum, aut sigillo; si provinciali se sistere teneantur, sive per se, sive per alium, et fortasse magis expedire, ut hoc onus differatur in tempus, quo superior loco movebitur. His in consultationem adductis, diuque agitatis, magis placuit congregationi liberam potestatem absolvendi superiores locales a reservatis committi a provinciali uni ex confessariis collegii, aut domus, quem ipse designaverit. Id quoque, quod eodem loco dicitur, idem servandum esse confessariis provincialium, cum præsens non esset is, qui ad eumdem finem a Generali esset destinatus, vix videri in praxim reduci posse, sine periculo violandi sigillum, aut sine maximo onere provincialis, si Generali, per se, vel per alium, sistere se teneatur, ideoque tutius fore facultatem absolvendi provincialem a reservatis, socio ipsius absolute concedere. Quod quidem deputatorum judicium congregatio sua auctoritate sancivit. » Unde res hæc extra omnem controversiam jam remanet, cum congregatio generalis tacite comprehenderit provinciales, et superiores locales in casuum reservatione, iisque omnibus sufficienter de remedio providerit.

## DUBIUM XXIX.

*Circa sensum regulæ prohibentis omnibus Societatis personis officia executoris testamenti, et procuratoris.*

In parte vi. constitut. Societatis c. iii. 1
§. 7. sic habetur: « Ut plenius possit Societas rebus spiritualibus juxta suum institutum vacare, quoad ejus fieri poterit, a negotiis sæcularibus abstineat, (qualia sunt testamentariorum, vel executorum, vel procuratorum rerum civilium, aut id genus officia) nec ea ullis precibus adducti, obeunda suscipiant, vel in illis se occupari sinant. « In declaratione autem in margine littera D. additur: « Hoc observetur, quoad ejus fieri poterit: superiori tamen ad casum aliquem necessitatis, vel majoris momenti, ad finem divini servitii præfixum, facultas dispensandi ad tempus relinquatur. Hic autem superior, præpositus Generalis erit, vel qui ab eo facultatem ad hoc acceperit. » Circa sensum itaque hujus constitutionis dubia aliquot proposita mihi fuerunt, pro quorum solutione, suppono inprimis, in dicta constitutione tria potissimum Societatis personis prohiberi. Primum est suscipere ea officia ad comparendum in judicio, vel in ordine ad lites. Secundum est suscipere ea officia etiam ad actus extrajudiciales. Tertium est occupari in iis rebus, et negotiis sæcularibus. De primo non est dubium, cum id de jure etiam communi sit prohibitum religiosis, nisi de licentia prælati, et cum certis conditionibus, de quo late Thomas Sanchez lib. vi. *in Decalog.* cap. xi. et cap. xiii. Lezana tom.

IV. verb. *Procuratores regularium*, n. 2 et verb: *testamentum*, nu. 3. De secundo etiam constare videtur, quia munus procuratoris, etiam ad actus extrajudiciales, prohibitum est religiosis, ut cum aliis docet idem Sanch. ibi n. 38. et 41. Denique tertium constat ex verbis illis constitutionis, *vel in illis se occupari sinant;* ei in parte IX. cap. VI. §. 4. in illis verbis, *negotiis sæcularibus implicari non debere.*

2 Hoc supposito, primum dubium erat, an sine instrumento, vel scriptura procurationis et mandati, vel executoris testamenti, possint Societatis personæ facere ea, quæ jure talis procurationis juridicæ non possent, ut comparere in judicio, et similia? Respondi, si compareant in judicio ad tuendas partes alicujus, jam hoc videretur etiam officium advocati, quod aliunde religiosis omnibus prohibitum est jure communi, ut dixi tom. II. *de Justit.* disput XLI.] sect. 1. nu. 1. et 3. Si vero compareant ob alium finem, aut si exerceant alia sine titulo juridico procuratoris, executoris, etc. erit solum contra regulam prohibentem, ne iis negotiis se occupari sinant.

3 Secundum dubium erat, an liceat saltem habere curam faciendi per alios functiones procuratoris, executoris, etc. Respondi, si hoc fiat substituendo in virtute mandati legitimi sibi dati ad substituendum, fieri non posse; quia substitutio ipsa est actus juridicus, qui non fit, nisi ab eo qui procurationem suscepit: quare qui non potest esse procurator, non potest alterum in aliena causa substituere, cum ad hoc debeat ipse prius esse procurator, ut docet Sanch. dicto cap. XIII. n. 12. Si vero religiosus Societatis non substituat juridice, sed habeat solum curam dirigendi; id solum erit contra regulam prohibentem, ne Societatis personæ curam suscipiant hujusmodi negotiorum.

4 Tertium dubium erat, an regula prohibeat procurationem, et executionem etiam extrajudicialem. Respondi, officium executionis testamenti, si verum titulum juridicum habeat, esse prohibitum de jure communi omnibus religiosis sine licentia Prælati, ut ex cap. II. *de testam.* lib. VI. et Clement. unica, eodem tit. probat Thomas Sanchez lib. VI. *in Decalog.* cap. XI. et ego dixi tom. II. *de Just.* disput, XXIV. sect. 16. num. 325. et rursus in Societate idipsum prohiberi peculiariter ex regula supra adducta, quæ addit, ejusmodi licentiam a solo Generali posse concedi; de procuratoris vero munere jam dixi etiam extrajudicialiter esse prohibitum.

5 Quartum dubium erat, ad quas ex iis functionibus licentiam dari possit generalis Societatis? Respondi, ad eas non posse, quæ absolute prohibitæ sunt religiosis de jure communi, v. g. ut religiosus sit procurator in causis non concessis: ad alias vero, in quibus requiritur solum licentia prælati ut fiant, posse quidem a Generali lientiam concedi: v. g. ut sit executor testamenti; item ut si procurator etiam in judicio in utilitatem Societatis: item in aliis casibus, quos enumerat Thomas Sanch. dicto cap. XIII. num. 19. et sequentib.

6 Quintum dubium erat, in quibus casibus, et ad quæ ex prædictis non sufficiat licentia prælati localis in Societate? Respondi, imprimis videri necessariam licentiam Generalis, ut aliquis acceptet munus executoris testamentarii propter gravitatem materiæ, et magnam distractionem quam secum affert. Item ut aliquis sit procurator in judicio. Item, ut sit procurator extrajudicialis ad negotia, quæ longum tempus et magnam occupationem exigunt. Ad meram vero directionem, et curam extrinsecam brevem, et non magnæ occupationis, credo sufficere licentiam provincialis, vel rectoris, aut præpositi localis; imo idem credo esse de procuratione extrajudiciali ad actum transeuntem et brevem, ut ad recipiendum, vel solvendum debitum pro amico absenti, ad acceptandum beneficium, et similia: quod, ni fallor,

praxis ipsa testatur ; quia in his levioribus difficile recurri posset semper ad Generalem. Colligi autem videtur ex verbis ipsis regulæ, *a negotiis sæcularibus abstineant*, et p. IX. constitut. cap. VI. *negotiis sæcularibus implicari non debent*, nam, ut notavit Nigronius *in regulas communes, regula* XLI. n. 2. nomine *negotii* intelligitur id, *quod multum temporis, laboris, ac molestiarum requirit, ut expediatur*. Unde Navarrus, et alii apud Sanchez dicto cap. XIII. nu. 33. dicunt, non esse contra prohibitionem Ecclesiæ, si clericus advocaret, quando modica esset occupatio, hanc tamen actionem advocandi credo propter materiæ gravitatem non licere in Societate sine licentia Generalis, etiam in casibus jure permissis.

7 Sextum dubium erat, quale peccatum sit facere absque licentia prædicta negotia ? Respondi, si sermo sit de iis, quæ jure communi prohibentur absolute religiosis, esse peccatum grave ex genere suo, ut docet Sanchez ubi supra, cap. XI. nu. 18. Aliqui tamen, quos affert cap. XIII. nu. 33. putant, levitatem materiæ esse, si in unica causa id faciat ; si vero loquamur de iis, quæ solum prohibentur per regulam Societatis, et non de jure communi, in iis sola regulæ violatio interveniet. Difficultas est de iis, quæ jure communi prohibentur fieri a religioso sine licentia prælati, ut esse executorem testamenti, et similia, de quibus Sanchez dicto cap. XI. n. 18, et cap. XIII. n. 10. docet esse peccatum mortale, si in Societate fierent sine licentia Generalis, vel cum sola licentia rectoris, vel provincialis ; quia in Societate nemo præter Generalem, potest dare ejusmodi licentiam, nisi Generalis id specialiter alicui superiori concedat. Ego tamen in II. tom. *de Just. et jure*, dicta disp. XXIV. loco supracitato dixi, futurum quidem id contra regulam, non tamen contra legem Ecclesiæ, quæ solum prohibet ne fiat sine licentia prælati saltem immediati. Regula autem prohibet specialiter personis Societatis ea officia, et reservat Generali potestatem dispensandi in hac constitutione ; non quidem dispensatio in jure communi : in hoc enim non dispensat, sed observat illud, quando dat licentiam ; quia jus commune prohibet solum, ne id fiat sine licentia prælati : in Societate autem generalis dispensat in prohibitione, ut significatur verbis illis constitutionis supra adductis, *Superiori*, nempe Generali soli, *facultas dispensandi relinquitur*. Tota ergo dispensatio Generalis est circa solam regulam, non circa legem ecclesiasticam, quæ id non prohibet, sed exigit licentiam prælati : regula autem Societatis non obligat sub peccato. Videantur quæ dixi latius loco citato, ad hoc ipsum comprobandum.

Septimum dubium erat, an prohibitio 8
hujus regulæ procedat, quando causæ pertinent ad eos, quorum interesse redundat aliquo modo in ipsam Societatem ? Respondi, aliquos id asserere ; sed tamen Thomas Sanchez dicto cap. XIII. num. 17. cum aliis multis, merito id concedit licitum, si magna interveniat collegii indigentia, vel magnum damnum sentiret Societas non annuendo votis et precibus amici utilissimi. Semper tamen requiritur licentia superioris ; ad actus quidem judiciales licentia præpositi generalis, ad extrajudiciales vero aliquando ejusdem Generalis, aliquando superioris inferioris, juxta regulas supra positas.

Octavum dubium erat, an hæc prohi- 9
bitio procedat in negotiis etiam pertinentibus ad causas pias ? Respondi, probibitionem de jure communi, quoad ea, quæ prohibet, procedere etiam eo casu, ut fatetur Sanch. dicto cap. XIII. n. 21. nisi sit pro miserabilibus personis præsidio destitutis tuendis, ut docet idem Auctor n. 23. quo tamen casu requiritur etiam licentia prælati, juxta doctrinam traditam. Loquendo autem de prohibitione procedente ex regula Societatis, hæc clare comprehendit etiam negotia,

et causas pias, ut constat ex ejus verbis part. IX. *constit.* cap. VI. §. 4. *eos, qui de Societate sunt negotiis sæcularibus, licet pia alioqui essent, implicari non debere*, ubi tamen in margine littera B. facultas datur Generali in hoc dispensandi.

10 Nonum dubium erat, an prohibitio procedat in causis propriorum parentum, vel aliorum, quorum causæ videri possint propriæ ? Respondi, omnino procedere, nisi personæ illæ miserabiles sint, ut proxime diximus : et ita cum communi respondet Sanchez dicto cap. XIII. nu. XXIV. et quidem ad hoc potissimum vitandum facta est prohibitio ecclesiastica, et regula etiam Societatis ; est enim maxime indecorum, et religiosæ disciplinæ perniciosum, quod Societatis religiosi his consanguineorum negotiis, et curis sine clarissima et urgenti necessitate implicentur.

## DUBIUM XXX.

*An possit generalis Societatis applicare missas suorum subditorum, loco illarum, quas collegium aliquod ex testamento debebat ?*

1 Collegium quoddam Societatis fuit hæres cum onere designandi capellanos amovibiles, per quos fiant tota sacra singulis hebdomadis pro anima testatoris. Prætermissa fuit hæc cura per oblivionem, vel inconsiderantiam uno anno. Quæsitum fuit, an posset licite hic defectus suppleri, applicante Generali tot missas suorum subditorum ; quod facile et subito ipse præstare poterat, nam singuli Societatis sacerdotes singulis hebdomadis missam unam offerunt pro intentione præpositi Generalis, quas omnes missas ipse Generalis applicat secundum necessitates occurrentes, prout judicat expedire.

Difficultas tota oritur ex peculiari instituto Societatis, quæ juxta proprias constitutiones non potest stipendium ullum accipere pro missarum celebratione, ut expresse habetur in *examine* cap. I. et in *constitutionibus* par. IV. c. VII. §. 3. et c. XV. in fine, et par. VI. c. II. §. 7. cum declaratione litt. G. et par. X. §. 5. et explicat late Suarez tom. IV. *de Relig.* tr. X. lib. IV. *de votis Societatis*, c. VII. n. 8. et seqq. Thom. Sanch. lib. VII. *in Decalog.* c. XXVIII. per totum, et nos aliquid diximus disp. XXI. *de Euchar.* sect. 1. n. 15. et quidem nec ipse Generalis potest in hoc dispensare, ut habetur in congregatione generali quinta can. I. et observat Sanchez ubi supra nu. 1. et 7. 2

In casu tamen proposito aliqui dixerunt, posse id fieri, quibus favere videbatur id, quod dixit Sanchez dicto c. XXVIII. num. 18. nempe posse sacerdotes Societatis facere sacra gratis, quæ in testamento facienda relicta sunt, etiamsi testator juberet eleemosynam consuetam dari, et similiter sacra, ad quæ capellani ratione capellaniarum tenentur quotannis facienda ob annuos reditus illis cum onere eo relictos, quamvis hæredes et capellani illi, et loca pia pecunias illas in hoc expendendas sibi retineant. Rationem autem reddit, quia hæredes illi, capellani, et loca pia non acquirunt dominium illius pecuniæ ratione horum sacrorum, sed ratione tituli hæreditarii, legatarii, aut capellaniæ, et solum virtute eorum sacrorum eximuntur onere illis titulis annexo faciendo ea sacra, et sic mere gratis ea fiunt, quamvis per accidens alii eximantur ab obligatione pecunias expendendi, ut illa fiant. 3

Confirmat autem Sanchez hanc doctrinam, quia religiosi Societatis possunt concionari, quamvis concionibus illis sit destinata eleemosyna a testatoribus, vel ab aliis, qui festa aliqua cum concione habenda instituerunt ; dummodo religiosi stipendium illud non capiant, quod passim in societate fit. Idem ergo dicen- 4

dum est de sacris, cum non minus interdictum sit pro concionibus, quam pro sacris stipendium accipere. Nec obstat, testatorem jussisse dari stipendium, sive sollicitum, sive solito majus, pro illis concionibus, aut sacris ; quia revera, prima et per se testatoris intentio est, ut sacra illa vel conciones fiant ; et accessoria et per accidens est jussio retributionis stipendii, sive ordinarii, sive majoris. Quare invento gratis faciente sacra, vel conciones, eximuntur ab ea eleemosyna danda tanquam accessoria, et onere injuncto principali obligationi. Hucusque Sanchez ex sua et aliorum sententia : ex quibus idem videbatur dicendum in casu nostro, in quo collegium est hæres, vel legatarius cum onere dandi eleemosynam pro missis celebrandis, quæ si aliunde celebrentur, jam collegium per accidens manebit liberum ab onere dandi stipendium pro missis, nec illud stipendium retinebit pro missis, sed titulo hæreditatis, vel legati, cui onus illud adjunctum fuerat.

5 Pro eadem doctrina afferri etiam posset Castro Palao tom. III. tr. XVI. disp. III. pun. 11. nu. 7. et 8. ubi, cum supponat, religiosos Societatis peccare contra votum paupertatis, et non solum contra regulam, si stipendium pro missis accipiant ; fatetur tamen, non esse contra votum si se ad missas obligent eo pacto, ut stipendium suo consanguineo detur : vel si Titio sacerdoti, qui stipendio accepto ad missas offerendas obligatus est, religiosus Societatis missas totidem offerat, ut Titium ab ea obligatione liberet, et Titius possit sibi stipendium acceptum retinere ; contendit enim prædictus auctor, hoc solum in Societate prohiberi, si ejus sacerdotes stipendium sibi accipiant pro missis, quas celebrant. Cum ergo in nostro casu non accipiatur stipendium pro missis, sed legatum, vel hæreditas, cum obligatione faciendi missas celebrari, non fit contra votum paupertatis, vel contra prædictam Societatis regulam.

Cæterum his non obstantibus in casu proposito dixi, id esse contra Societatis constitutionem, atque adeo nullo modo introducendum, vel permittendum ; quod primo potest a posteriori probari, quia si id facere liceret pro præteritis, non appareret, cur non posset etiam fieri pro futuris ; quare possent singulis annis distribui missæ illæ inter sacerdotes Societatis ejusdem collegii, omissis sacerdotibus sæcularibus, qui illas stipendio accepto celebrarent ; semper enim haberet locum eadem ratio, et dici posset quod pecunia illa non retinetur pro stipendio, sed titulo hæreditatis, vel legati : oneri autem missarum adjuncto, et debito satisfit per missas a personis Societatis celebratis, et collegium indirecte liberatur ab onere dandi stipendium sacerdotibus sæcularibus. Unde consequenter posset Societas acceptare in suis ecclesiis capellanias, et legata cum ejusmodi oneribus missarum, quibus postea satisfaceret per suos sacerdotes, et retineret sibi fructus, vel legata integra, quod quidem aperte esset in fraudem constitutionum, et merito diceretur Societas decipere per simulationem et hypocrisim, dum dicit, se gratis exercere functiones spirituales, ac sine ullo stipendio ; cum tamen revera indirecte perciperet æquale stipendium pro singulis functionibus, et parum referret quod testator injungeret missas celebrandas a religiosis Societatis, vel ab externis, si tamen personæ Societatis possunt ejusmodi oneribus satisfacere ; hac enim via non minores reditus haberet Societas ex suis missis, quam alii regulares ex stipendio quotidiano, vel ex capellaniis in eorum ecclesiis fundatis, et anniversariis ab iisdem religiosis celebrandis, quæ omnia apertissime sunt contra mentem S. Ignatii, et redderent fere inutilem ejus constitutionem. 6

Secundo ergo, et a priori radio reddi potest, quia quidquid sit de veritate exemplorum, ex Sanchez, et Castro Palao supra adductorum, in casu tamen proposito, Societas non celebraret gratis 7

missas illas, sed ipsamet Societas lucraretur sibi illas missas celebrando. Supponitur enim collegium habere obligationem adhibendi capellanos amovisibils, qui singulis hebdomadis tot missas celebrent, eisque stipendia solvendi, hanc obligationem, quæ quidem pretio æstimabilis est, redimit collegium celebrando totidem missas per suos religiosos : lucratur ergo celebrando illas missas quanti æstimari potest redemptio illius obligationis : et hoc quidem non provenit aliis externis per accidens, ut dicebatur in illis exemplis ; sed Societas ipsa sibi hoc lucrum acquirit, quæ eamdem obligationem, et onus illud antea patiebatur. Nam antea Societas non dicebatur in rigore habere in suis bonis fructus integros illius legati, vel hæreditatis, sed in solum, quod supererat solutis stipendiis capellanorum : id enim solum dicimus in bonis nostris habere, juxta vulgarem juris regulam, quod deductis debitis habemus ; celebratis vero totidem missis per suos religiosos, collegium habet sibi integros fructus hæreditatis, vel legati : fit ergo locupletius illa missarum celebratione, quam esset ante illam. Hoc autem repugnat omnino Societatis constitutioni, quæ vult ut Missæ gratis omnino celebrentur : sic enim habetur in parte VI. cap. II. §. 7. sub his verbis : « Omnes, sub obedientia sunt Societatis, meminerint, se gratis dare debere, quæ gratis acceperunt, » et part. x. §. 3. excludit etiam reditus eo titulo habendos : « Nullos, inquit, reditus, vel possessiones, vel stipendia pro verbi Dei prædicatione aut lectione, aut missis, aut administratione sacramentorum, aut demum rebus quibuslibet spiritualibus admittendo. » Si autem in casu nostro liceret missis propriis oneri præcepto satisfacere, admitterentur procul dubio reditus pro missarum celebratione saltem sub disjunctione ; quia obligatio a testatore imposita, et a collegio cum legato annuo suscepta, deberet ita explicari, ut teneretur Societas vel per alienos sacerdotes, vel saltem per proprios tot missas singulis hebdomadis celebrare : quod quidem pactum disjunctivum æquivalet conditionato, hoc est, ad celebrandas missas illas per proprios sacerdotes, si non utantur opera externorum. Quare posita conditione non vocandi sacerdotes externos, remanet obligatio absoluta celebrandi per proprios ob reditus annuos perceptos. Quamvis autem sola intercederet obligatio conditionata, certum est, illum cui aliquis contractus prohibetur, non posse illum etiam sub conditione celebrare, ut constat in matrimonio, et in alienatione bonorum ecclesiasticorum, et aliis. Si ergo societas non potest accipere reditus cum obligatione celebrandi missas per suos sacerdotes, nec poterit eam obligationem suscipere etiam sub conditione, si externos non vocaverit.

Unde jam constat ad exempla in contrarium adducta, nam quidquid sit de eorum veritate, differentia est clara ; nam in illis Societas, vel ejus sacerdotes nihil accipiunt pro missarum celebratione, atque ideo gratis celebrant. In nostro autem casu Societas percipit emolumentum, et retinet fructus legati integros, ac se liberat onere solvendi stipendia ; quod totum lucratur ob missas a suis sacerdotibus celebratas. Unde retorqueri potest, quia ipsemet Sanchez dicto c. xxviii. 23. et 25. tunc solum concedit posse aliquem sacerdotum Societatis suis, vel aliorum sacerdotem ejusdem Societatis missis satisfacere obligationi, quam ex stipendiis antea acceptis contraxit, quando non potest aliter satisfacere solvendo stipendia externis sacerdotibus. Secus si possit aliis stipendia erogare, prout in casu nostro poterat collegium solutis stipendiis alios sacerdotes vocare. Imo ille num. 18. ubi pro contraria sententia afferebatur, quatenus dicit posse sacerdotes Societatis facere sacra gratis, quæ in testamento facienda relicta sunt, etiamsi hæredes, vel capellani lucrum inde reportent retinendo sibi pecunias, quas in ea stipendia deberent expende- 8

re ; addit tamen limitationem hanc, « dummodo religiosi hi nullum stipendium pro his sacris recipiant, nec paciscantur, ut aliis detur. » Si ergo ipsemet religiosi Societatis lucrum, et emolumentum ex missis celebratis sentiunt prout revera sentiunt in casu nostro, non intellexit unquam ille auctor, quod possint propriis missis se ab illo onere liberare.

## DUBIUM XXXI.

*Utrum possit Generalis Societatis acceptare legatum rei immobilis alicui collegio relictum cum animo alienandi ?*

1 Dixi, *alicui collegio relictum*, quia, si relictum fuisset domui professæ, quæ non est capax retinendi reditus et bona immobilia, non posset acceptare legatum illud, nisi cum animo alienandi, cum ex proprio instituto obligetur ad alienandum, quamprimum commode possit, ut vidimus in superioribus. Dubium ergo procedit, quando legatum relinquitur alicui collegio, quod quidem reditus annuos perpetuos, et bona immobilia possidere potest ; quia tamen bona illa immobilia utilius venderentur quam retinerentur, dubitatum fuit an posset Generalis acceptare legatum, sed ea limitatione addita, ut posset libere rem illam alienare sine facultate sedis Apostolicæ, ne cogeretur postea facultatem petere, de cujus impetratione poterat dubitari.

2 Videbatur aliquibus, posse id fieri, quia sine Generalis consensu non potest acceptari hoc ligatum : ipse autem potest suam acceptationem limitare et acceptare, vel sine, vel cum aliqua limitatione. Sicut testator posset legare collegio fundum, vel domum, addita libertate, vel etiam obligatione alienandi, quo casu collegium posset, vel etiam deberet, rem illam immobilem sine alia licentia alienare.

Dixi tamen primo, mihi non apparere, cur sit necessaria acceptatio solius Generalis, aut cur non posset Provincialis, vel superior localis acceptare legatum, quod sine ullo onere relinquitur, sicut possunt acceptare eleemosynas, cujuscumque summæ sint, et donationes a sæcularibus factas, cum legatum fere non differat a donatione, nisi quatenus non sortitur efficaciam et effectum nisi post mortem testatoris. 3

Dixi secundo, potuisse quidem testatorem obligare ad alienandam rem legatam, quo casu non esset necessaria facultas sedis Apostolicæ ad alienandum, cum ad id faciendum præcedat obligatio, ut cum aliis dixi supra lib. III. dub. 9. Secus tamen dicendum esset, si testator non obligavit, sed dedit facultatem vendendi et alienandi rem legatam : tunc enim necessaria esset nova licentia sedis Apostolicæ ad alienandum, ut cum aliis observavit in his terminis Filliucius *in Appendice* tract. XLIV. c. IV. n. 29. Ratio autem est, quia testatoris licentia non dispensat in lege ecclesiastica non alienandi, nec facit, quod domus legata, v. gr. non sit in pleno dominio collegii, sicut sunt alia bona habita titulo emptionis. Cum ergo prohibitio Ecclesiæ comprehendat bona omnia, quæ sunt in dominio ecclesiarum, non minus comprehendit domum illam legato acquisitam. Quæ ratio non procedit, quando testator ipse obligat ad alienandum : tunc enim res illa non ponitur sub pleno et libero dominio Ecclesiæ, sed cum limitatione, et gravamine alienationis futuræ : sicut si relicta fuisset gravata censu vitalitio, vel perpetuo. Potest ergo alienari postea, quia alienatur, non tam ab ipso collegio, quam a testatore qui jussit alienari. Quando vero testator non obligat, sed dat licentiam alienandi, nihil diminuit de pleno domus dominio collegio acquirendo, ille enim est plene dominus, qui potest rem pro libito retinere vel distrahere : 4

quam potestatem legatarius tunc habet, cum testator ex parte sua concesserit facultatem ad retinendum vel alienandum. Non ergo magis potest sine facultate sedis Apostolicæ alienari, quam res aliæ immobiles quæ sunt in pleno dominio collegii. Alioquin, si licentia testatoris ad alienandum sufficeret, possent etiam alienari sine alia licentia bona cætera immobilia, quæ collegium emptionis titulo possidet. Nam venditores etiam, quando ea bona vendiderunt, et tradiderunt collegio, dederunt ei quantum est ex parte sua, facultatem retinendi vel alienandi postea bona illa, nec majorem facultatem dat testator quam venditor, cum uterque et possit et velit æqualem facultatem legatario, aut emptori concedere.

5 Unde dixi tertio, in casu nostro non posse Generalem, vel Societatem alienare rem illam immobilem legato acquisitam sine nova licentia sedis Apostolicæ. Ratio autem est, quia non potest a Societate alienari, nisi prius sit sub dominio Societatis ; nemo enim vendere potest id quod suum non est. Debet ergo prius Societas acceptare legatum, atque adeo acquirere dominium rei legatæ, ut postea possit dominium illud in alium transferre. Eo autem ipso quoad bona illa sint semel in dominio Societatis, comprehenduntur et afficiuntur lege ecclesiastica, prohibente alienationem bonorum omnium immobilium Ecclesiæ. Requiritur ergo licentia sedis Apostolicæ, sicut ad alia bona immobilia alienanda, nam licentia sola testatoris non sufficit, ut vidimus, si testator voluit quod plene et absque ullo onere acquirerentur Ecclesiæ, prout de facto voluit, dum non obligavit ad alienandum, sed hoc totum reliquit in Societatis arbitrio ; nam licentia illa testatoris, sistendo intra limites meræ licentiæ, aufert solum impedimentum quod esse poterat ex parte ipsius ; potuisset enim testator, si voluisset, obligare Societatem ad non alienandum, quo casu sufficeret ad alienandum licentia ordinaria sedis Apostolicæ, sed oporteret specialiter derogare voluntati et prohibitioni testatoris, quod difficilius, et nonnisi ob urgentissimas causas fieri, et concedi solet a summo Pontifice, qui difficillime movetur ad derogandum voluntati expressæ testatoris. Huic ergo difficultati occurrere voluit testator, protestans se quantum erat ex parte sua, non prohibere, seu permittere religiosis alienare bona illa, si id utile ab ipsis judicaretur. Semper tamen subintelligitur consensus ejus, qui consentire de jure debet, qualis est consensus sedis Apostolicæ ad alienanda bona immobilia locorum regularium.

Confirmari denique, et explicari potest, 6 quia si testator expressisset, se legare collegio Societatis domum suam magni valoris cum facultate, ut possent religiosi, quandocumque vellent, illam domum gratis donare cui ipsis placeret : nemo dicet, quod post decem annos possent licite pro suo libito domum illam gratis donare cuidam consanguineo Provincialis, vel rectoris ; hoc enim esset contra votum paupertatis, cui opponuntur sumptus et donationes superfluæ et excessivæ, qualis illa esset. Peccarent etiam contra justitiam dilapidando bona collegii, quorum ipsi non sunt domini liberi, sed administratores et quasi usufructuarii. Quare licentia data a testatore interpretanda esset ita solum, ut talis donatio non inferret injuriam ipsi testatori, non tamen, ut fieri posset sine peccato contra religiosam paupertatem, vel contra justitiam, in quibus testator dispensare non poterat, licet posset subtrahere materiam peccati obligando religiosos ad donandum post decennium ; quo casu licite et necessario donarent domum, quia ex justitia ad donandum tenebantur. Similiter ergo in casu nostro licentia testatoris ad alienandum interpretanda est in eodem sensu, cum ipse tam non possit dispensare in lege ecclesiastica non alienandi, quam in paupertate religiosa, vel in obligatione justitiæ, licet posset,

ut diximus, subtrahere materiam peccati, obligando religiosos ad alienandam domum legatam.

## DUBIUM XXXII.

*Quid faciendum sit de pecunia donata, et legata ad fundationem collegii, quando episcopus non consentit fundationi ?*

1 Titius, qui voto se obligaverat ad expendendam certam summam in erectione alicujus operis pii, ut voto satisfaceret, donavit inter vivos viginti millia aureorum ad fundandum unum collegium Societatis in regione quadam suæ civitatis, cum jam Societas in alia ejusdem urbis regione collegium aliud haberet. Addidit autem, si novi collegii erectio executioni non mandaretur, velle se donationem et cessionem illam bonorum esse irritam, reservareque sibi dispositionem illorum bonorum ; interim donator moritur, et testamento suo gravavit hæredes aliis legatis piis, atque etiam ad tradenda bona illa ad fundationem novi collegii. Mortuo Titio, dum de fundatione novi collegii agitur, episcopus loci sese opponit, et negat consensum ad novam fundationem requisitum ex decretis Pontificiis, quæ habentur apud Lezanam tom. I. c. I. n. 34. et seqq. et to. IV. verb. *Monasteria Regularium*. Cum ergo diutius insisteretur in procurando episcopi consensu, et res in longum abiret, dubitatum fuit primo, an Generalis Societatis posset virtute suorum privilegiorum commutare voluntatem testatoris, ita ut legatum cederet in augmentum antiqui collegii. Secundo, an censeretur jam defecisse conditio posita a testatore erectionis novi collegii ; an vero amplius adhuc expectandum esset, ut iterum tentaretur de erectione procuranda. Tertio, an deficiente conditione novæ fundationis, maneret liber hæres ab eo legato solvendo. Quarto, quis et quomodo disponere in illo legato possit et debeat.

2 Ad primum quæsitum aliqui nolebant, posse Generalem commutationem illam facere ex privilegio concesso minoribus, quod habetur in *compendio privilegiorum Societatis* verb. *commutatio* §. 4. Sed revera privilegia quorum ibi fit mentio, fuerunt vivæ vocis oracula, ut constat ex *compendio Minorum*, verb. *commutatio*, §. 1. et ex Roderic. in *Bullario Regularium* in Oraculis Sixti IV. n. 1. et in Oraculis Leonis X. nu. 68. et quamvis utraque illa concessio dicatur haberi per bullam Bonifacii IX. facta Patribus Dominicanis, quam bullam dicunt referri in privilegiis eorumdem Patris authenticatis, quæ asservantur in conventu patrum prædicatorum Eborensi in Lusitania, Romæ tamen bulla illa, vel privilegium Bonifacii inveniri non potuit : unde merito de tali facultate dubitat Lezana tom. I. c. XVIII. nu. 94. et tom. II. c. XIX. n. 47. Et quidem, quamvis privilegia illa extarent, et permanerent, parum deservirent ad casum præsentem : in illis enim additur limitatio, dummodo id fiat sine scandalo eorum ad quos solutio talium legatorum pertinet, quod in præsenti casu vitari non posset, imo statim ab hærede impugnaretur commutatio illa, cum prætendat, deficiente fundatione collegii ; se liberum manere a solutione legati, ut videbimus. Quare Generalis alioquin alienus omnino a commutatione voluntatis testatoris nullo modo sese ingereret, nec usurparet sibi potestatem adeo dubiam, et quæ in foro externo nunquam approbaretur.

3 Ad secundum ergo quæsitum dixi, non videri adhuc verificatum sufficienter defectum conditionis, sed adhuc aliquid amplius ad hoc requiri, ut legatum censeatur caducum ; quare ex hoc capite hæres non potest prætendere retentionem legati. Quod probari potest.

4 Primo, quia tempus assignandum ad hunc effectum debet esse proportionatum

operi quod a testatore jubetur: multum autem temporis requiritur ad facilitandam et obtinendam licentiam episcopi, et aliorum ad fundationem novi loci religiosi.

5 Secundo, quia videtur necessario requiri, ut præcedat non solum monitio sed etiam sententia judicis declarans conditionis tempus præteriisse, ut in simili de hærede non exequente jussa testatoris, docent Greg. Lopez, Covarr. Matienzo, Novarra, et alii quos refert et sequitur Thomas Sanchez, lib. IV. *consil.* cap. I. dub. 56. n. 3. et 8.

6 Tertio, quia testator solum dixit, cessante erectione collegii, donationem irritandam: non videtur autem cessare erectio, quandiu de ea agitur et intentatur, et nondum apparuit an collegium erigendum sit, vel non.

7 Quarto denique, quia etiamsi elapsum esset tempus, non ideo legatum cederet hæredi, sed devolveretur ad episcopum, ad quem spectaret commutare in aliud opus pium, ut statim dicemus.

8 Ad tertium ergo dubium dixi, etiamsi constaret erectionem novi collegii fieri non posse, atque adeo defecisse omnino conditionem legati; adhuc illud non cedere hæredi, sed convertendum esse in alios usus pios.

9 Primo, quia hæc est regula generalis in legatis piis, ut quoties non possunt in eadem specie impleri, convertantur in alium usum pium, ut docent communiter doctores, quos afferunt et sequuntur Thomas Sanch. lib. IV. *Consil.* cap. II. dub. IV. et alii, cum quibus idem probavi tom. II. *de just.* disput. XXIV. sect. 13. num. 305. et colligitur ex Trid. sess. XXV. c. 8. *de reform.* et ratio est, quia jam testator in bonum animæ suæ voluit hæredem tota ea summa privari; quare adveniente illa impossibilitate, censetur testator adhuc magis amare bonum animæ suæ, quam hæredem. Quamvis autem ab hac communi regula excipi soleat, quando testator expressit, ut adveniente impossibilitate conditionis exequendæ, legatum redeat ad hæredem, ut cum aliis fatetur Sanchez dicto dub. IV. nu. 6. id tamen in nostro casu non expressit in testamento, sed in prima donatione et assignatione bonorum, voluit, si collegium non erigeretur, donationem illam irritam esse, sibique reservavit bonorum illorum liberam dispositionem: in testamento autem postea non apposuit in favorem hæredis similem clausulam, nec illi reservavit dispositionem illorum bonorum, sed absolute hæredem gravavit ad ea bona consignanda, sicut ad cætera legata pia. Reservatio itaque illa non deservit hæredi, sed soli donatori viventi; post ejus vero mortem potius retorquetur contra hæredem, quia, si donator dispositionem eorum bonorum reservavit sibi; ergo nunc expendenda sunt ea bona, non juxta hæredis voluntatem testatoris, qui in iis casibus, ut diximus, semper præsumitur magis amare animam suam, quam hæredem, nisi contrarium expresserit.

Secundo, et clarius hoc ipsum probatur, quia hoc non fuit utcumque legatum pium, sed ad solvendam summam illam debitam ex voto, quo se obligaverat testator ad eam summam expendendam in aliquo opere pio in genere: quare, si in hoc opere expendi non potest, debet expendi in alio opere pio, ut satisfiat voto; quoties enim de voto facto constat (prout in casu posito constabat ex confessione testatoris) hæres cogi potest, et debet ad illud solvendum, ut cum communi docet Sanchez libr. IV. *in Decalog.* cap. XV. n. 21. et seqq. qui cum aliis observat n. 28. id verum esse, etiamsi testator nihil injunxisset hæredi, imo, licet eum expresse absolveret a tali obligatione; quia, sicut non potest eum absolvere ab obligatione solvendi alia debita realia, sic nec a solutione debiti ex voto reali. Cum ergo in casu nostro testator deberet ex voto summam illam expendere in aliquo opere pio, ad id etiam tenebitur hæres, qui ejus personam re-

præsentat, etiamsi testator id non expressisset.

11 Restat solum quartum quæsitum, quis, et quomodo de illo legato disponere possit, et debeat? Ad quod dixi primo, non solum summum Pontificem, sed etiam episcopum posse de illo legato in aliud opus pium disponere, quando fieri non posset collegii erectio. Requiritur tamen juxta aliquorum sententiam consensus hæredis, et legatarii circa electionem operis pii, quos refert Sanchez lib. IV. *Consil.* c. II. dub. 5. Alii verius solum exigunt consensum episcopi, et executorum testamenti, ut Molina tom. I. *de Just.* disp. 149. Si autem partes non concordent, arbitrio judicis concordandæ sunt, ut notat Sanchez ibi. Vide quæ dixi disp. XXIV. *de Justitiæ*, sect. 13. num. 306. et 307. ubi cum veriori sententia dixi, non posse episcopum ad libitum eligere opus pium, sed debere illud eligere quod magis accedit ad voluntatem testatoris, ut colligitur ex l. *legatum* ff. *de usu, et usufruct. legato*, ubi gloss. idem observat, et ex Trid. ibi supra dicto cap. 8. ubi dicitur, debere converti in alium usum pium, qui primæ institutioni proximior sit. Ratio autem est clara, quia de jure naturæ est ut voluntas testatoris impleatur eo modo, quo potest: si ergo non potest in propria specie, debet impleri in causa magis simili, quæ magis accedat ad mentem testatoris. Cum ergo mens testatoris fuerit ut fieret collegium Societatis in tali loco illius civitatis, si in eo loco fieri non potest, fieri debet in alio ejusdem urbis loco, vel certe collegium aliud contiguum collegio antiquo, vel si nec hoc fieri possit, debet accrescere collegio antiquo indigenti, ut ibi alantur plures operarii, qui ad illam aliam civitatis regionem excurrere possint ad ministeria sua spiritualia ibi exercenda: ut cum aliis notat Sanch. dicto cap. II, dub. 7. nu. 4. dicens, si testator fieri jubeat monasterium novum in aliqua civitate in qua sunt alia quæ indigent reparatione, et non est unde iis subveniatur, posse auctoritate episcopi converti in eorum utilitatem, quod saltem in casu nostro locum habebit, quando id quod testator voluit, mandari non potest executioni.

## DUBIUM XXXIII.

*An convictores seminarii reputentur ut familiares Societatis in ordine ad recipienda sacramenta?*

Supponitur, Societatem, sicut et plures alios ordines religiosos, habere nonnulla privilegia pro suis familiaribus, 1
inter quæ unum est, quod possit familiaribus suis, saltem intra collegiorum, seu domorum septa commorantibus, ministrare Ecclesiastica sacramenta, quoties opportunum fuerit: ut constat ex *compend. privilegiorum Societatis*, verb. *familiares* §. 1. et habetur per communicationem concessionis factæ monachis S. Benedicti a Martino V. per bullam, ut refertur *in compendio Minorum*, verbor. *familiares*, et idem concessit per bullam Carmelitanis Alexander IV. ut refert Lezana tom. II. c. XV. num. 5. et idem concessit eisdem Sixtus IV. ut habet idem Lezana ibi num. 9. in quo aliæ aliorum Pontificum similes concessiones videri possunt. Unde aliquis fortasse dicet, convictores seminariorum posse virtute horum privilegiorum accipere extremam unctionem, et communionem tam paschalem quam in articulo mortis per modum viatici a patribus Societatis, qui seminarii curam habent, et cum quibus habitant. Aliquando enim omnes cohabitantes et commensales nomine *familiarium* intelligi solent, ut refert Emman. Roder. tom. II. qu. *regul.* qu. LXVII. art. 1. in fine, et Suarez tom. IV. *de Relig.* tract. X. lib. IX. cap. 4. num. 14. ipse tamen advertit, in prædictis et similibus indultis intelligi solum

famulos inservientes, et intra septa monasterii habitantes, ut declaravit Concil. Trid. sess. XXIV. cap. 11. de reform. Convictores autem illi non inserviunt Patribus, sed potius ipsis inservitur in spiritualibus et temporalibus. Magis posset dubitari de famulis seminarii, præsertim de illis, qui non inserviunt immediate solis convictoribus, sed communiter toti seminario, ut coquus, et qui curam habet triclinii, et similes, qui videntur famuli etiam ipsorum Patrum, quamvis non solum illis inserviant sed etiam convictoribus: verum nec de iis caret difficultas, quod dicto privilegio fruantur, ut mox videbimus.

2 Magis ergo apparenter fundari posset facultas illa in alio privilegio, quod alii auctores moderni referunt concessum ab Eugenio IV. fratribus Minoribus observantibus: « ut eorum prælati possint omnes, et singulos fratres professos, conversos, novitios, nec non donatos, seu oblatos, præsentes, et futuros, et quoscumque pro tempore familiares servitores, officiales, et continuo commensales conventuum, domorum, seu eremitoriorum ab omnibus peccatis etiam sedi apostolicæ reservatis, etc. absolvere, eisque eucharistiæ sacramentum; et extremæ unctionis, et alia ecclesiastica sacramenta ministrare toties, quoties necessarium fuerit: » quod refertur apud Mirandam to. I. q. XLIX. art. 1. et ab aliis recentioribus, qui tamen debuissent advertere, inprimis concessionem illam Eugenii IV. fuisse per vivæ vocis oraculum, quod refertur integrum in *Bullario regular.* Emman. Roder. et est novum inter Oracula Eugenii IV. atque adeo post revocationem factam a Gregorio XV. et Urbano VIII. non subsistere. Deinde nomine *commensalium*, ibi non intelligi eos, qui utcumque in eadem mensa comedunt de mensa, seu expensis regularium, qui ideo dicuntur eorum *commensales*, quia participant de eorum mensa, ut explicat Emman. Roder. II. tom. *qu. regul.* dicta quæst. LXVII. art. 1. et colligi potest ex c. ult *de verb. signif.* lib. VI. ubi nominantur commensales, qui continuo expensis domini sui vivunt.

Adhuc tamen extat privilegium aliud 3
concessum monachis Benedictinis Hispanis peculiari diplomate, cujus concessio quamvis referatur tanquam vivæ vocis oraculo facta in *compendio Minorum*, verb. *Unctio extrema:* sed revera facta fuit per litteras a Nicolao facto nuntio cum potestate legati a latere in regnis Castellæ, et Legionis, et refertur ad litteram apud Emman. Roder. in *Bullario regular.* sub titulo bullæ, quæ est XLII. ibi inter bullas Sixti IV. ubi num. 4. conceditur illis monachis ministrare extremam unctionem absque alia parochi, vel episcopi licentia, iis qui intra septa monasteriorum suorum infirmati fuerint. Cum ergo facultas hæc per communicationem competat Societati, et nominatim referatur in compendio privilegiorum Societatis, verb. *Extrema Unctio*, videtur, quod virtute illius possint convictoribus sacramenta ministrari etiam in mortis articulo de licentia superiorum Societatis.

Sed inprimis in hoc indulto non fit 4
mentio de eucharistia, sed de sola extrema unctione: neque in ejusmodi indultis fieri potest extensio ad alia præter contenta in concessione, licet in illis eadem ratio militet, quia intentio Pontificis determinatur ad ea quæ concedit. Quare non video quomodo virtute hujus indulti possit dari viaticum, et multo minus communio in paschate, quæ a parocho solo, vel de ejus licentia accipi debet.

Posset fortasse responderi, utrumque 5
sacramentum concedi in alio indulto concesso a Pio V. clericis regularibus, qui vulgo Theatini appellantur, quod habetur in bulla incipiente, *Ad immarcescibilem*, et est XXXI. inter Bullas Pii V. in II. to. *Bullarii*, communi Laertii Cherubini, in qua §. 17. conceditur illis Patribus, « ut eucharistiæ etiam pro

viatico, ac etiam constitutio in articulo mortis, ac extremæ unctionis cæteris clericis, et fratribus congregationis hujusmodi, ac etiam mercenariis famulis, operariis, et servis eorumdem congregationis, ac quibusvis hospitibus etiam sæcularibus, et extraneis, quos in locis vel habitationibus congregationis hujusmodi tunc reperiri contigerit, etiam diœcesanorum, et sacerdotum curatorum quorumcumque, etiam in quorum civitatibus, et diœcesibus, ac ecclesiarum parochis respective, ecclesiæ, et loca ipsorum congregationis nunc, et pro tempore fuerint, aut aliorum, quorumcunque licentia minime requisita, nec obtenta; et in casu, quo non daretur spatium petendi talem licentiam propter repentinam necessitatem; etiam quibuscumque aliis personis, quæ in hujusmodi necessitate intra ecclesias, collegia, domos, et habitationes congregationis reperiri contigerit, ac extra illa aliis quibuscumque infirmis, etiam in mortis articulo constitutis, ubique in causa necessitatis, supradictæ, etiam nulla ad hoc per eos petita, nec eis concessa licentia cujusvis sacerdotis curati, pœnitentiæ sacramenta ecclesiastica ministrare possint. » Verum neque hoc indultum videtur extendi ad convictores, cum solum loquatur de famulis et hospitibus : nec enim in rigore convictores dici possunt *hospites*, nam hospes commoratur transeunter in domo aliena : convictores autem sunt in seminario permanenter, ut in domo propria, cum seminarium non minus sit domus seminaristarum, quam Patrum eorum curam habentium. Et quidem in verbis relatis videtur distinctio fieri inter hospites et alios, siquidem post datam licentiam pro hospitibus absque limitatione, extenditur licentia pro *quibuscumque aliis personis*, quas in prædictis locis reperiri contigerit, cum limitatione tamen ad casum necessitatis, et quo peti non possit licentia a proprio parocho : non ergo intelliguntur *hospitum* nomine omnes, qui in prædictis locis reperiuntur.

Ego in hoc casu distinguerem circa seminaria, hæc enim aliquando ita fieri possunt, ut patres Societatis habeant domum, vel collegium proprium, in quo postea educationis gratia juvenes aliquos recipiant, quos litteris et bonis moribus instruant, concurrentibus eorum parentibus ad filiorum expensas, quod quidem non esset alienum ab instituto Societatis, sed proprium illius, ut notavit Suar. d. lib. IX. c. IV. n. 16. et constat. ex IV p. *constit. Societatis.* c. 3. §. 3. in constitutionibus littera B. et cap. IX. littera A. Porro domum illam ad Societatem pertinere, et non ad convictores, constabit ex eo quod si convictores discesserint, et alii non succedant, adhuc patres Societatis manebunt in eadem domo, ut in collegio proprio, in quo exteros quasi in hospitio ad tempus recipiebant. Aliter vero contingere potest, ut locus ille non pertineat directe et immediate ad Societatem, sed erectus sit primario in seminarium, vel ex testamento, vel opera episcoporum, juxta decretum Conc. Trid. ut juvenes aliqui ibi educentur, quorum cura demandetur patribus Societatis, qui ad hunc finem illuc transferuntur et ibi degunt; non tamen acquirit Societas dominium illius loci; imo potest aliquando episcopus justis de causis Societatem ab illa cura liberare, et aliis vel religiosis, vel sæcularibus eam committere, nisi in fundatione forte testator aliter disposuisset. Hoc sane modo Romæ seminarium cleri Romani commissum est curæ, et regimini patrum Societatis, sicut etiam collegia et seminaria Germanicum, Anglicum, Scoticum, Maronitarum et Græcorum : in quibus omnibus Societas non degit tanquam dominium habens illorum locorum, sed gubernationem, et curam ex commissione summi Pontificis ; quare, si ea cura Societati auferretur, loca illa manerent pro iisdem seminariis, ad quæ directe et immediate pertinent, non ad Societatem ; sicut et aliquando curam collegii Græci dimisit Societas, et disces- 6

sit ab eo loco, succedentibus aliis, qui illud gubernarent, quamvis postea jubente Greg. XV. redierit. Sic etiam curam collegii de propaganda fide habuerunt per aliquot annos patres Theatini, qui anno præterito a loco discesserunt, succedentibus rectoribus et magistris sæcularibus.

7 Hac ergo distinctione supposita, dicerem, si convictores, vel alumni sint prioris generis, posse illis ægrotantibus extremam unctionem ministrari de consensu superiorum Societatis; tunc enim locum videtur habere privilegium supra relatum Benedictinis concessum, ut fatetur Suar. dicto n. 16. quia illi revera ægrotant intra septa collegii, vel domus Societatis: de viatico autem dubitarem et consulerem, ut facultas ab ordinario vel parocho peteretur, quia facultas illa a Pio V. patribus Theatinis concessa de solis hospitibus loquitur, ut vidimus: convictores autem in rigore non appellantur hospites, sed inquilini; et ipse Suar. d. n. 16. condistinguit illos ab hospitibus, dicens, facultatem illam dandi unctionem extremam iis, qui intra septa monasterii infirmantur, deservire posse non solum pro famulis, sed etiam quando contingat aliquem sæcularem ibi ægrotare, « vel occasione hospitii, vel si contingat aliquos sæculares intra monasterium, vel collegium studii causa, vel per aliam similem occasionem diutius commorari » quos noluit Suarez sub *hospitum* nomine intelligere.

8 Si vero convictores sint posterioris generis, ita ut non tam ipsi in domo patrum Societatis, quam Patres in eorum domo sint; non credo posse tuto illis ministrare viaticum, et extremam unctionem sine generali, vel speciali licentia ordinarii, vel parochi: atque ita observari audio in seminario Romano, ubi pro communione paschali etiam petitur facultas, ut in ipso seminario fiat. Ratio autem ex dictis videtur esse, quia illi revera non sunt intra septa collegii Societatis, sed patres sunt intra domum ipsorum. Nec credo in eo seminario clausuram religiosam rigorose obligare, ita ut feminæ ingredientes censuram incurrant; quamvis enim communiter ob decentiam non admittantur, aliquoties tamen vidi, dum aliqua spiritualis tragœdia recitaretur, admissas fuisse plures nobiles matronas etiam in aulam superiorem; imo, quamvis in collegiis Germanorum, Anglorum, Græcorum, et Maronitarum in Urbe sint etiam ecclesiæ; religiosi tamen Societatis ibi degentes, quando moriuntur, non ibi sepeliuntur, quia non reputantur ecclesiæ Societatis, sed deferuntur ad ecclesiam collegii Romani: et quidem collegii Germanici alumni impetrarunt a Patre Generali, ut cadaver patris Bernardini Castorii, rectoris illius collegii, ob præclara illius erga ipsos merita, apud eorum ecclesiam remaneret, quæ est ecclesia celebris in Urbe, et parochialis, atque adeo habet semper parochum sæcularem, qui parochianis sacramenta ministrat (Antonius de Quintanadvenas tom. I. singul. Theolog. in Append. tr. 1. dub. 5.) Quare non est sine restrictione accipiendum, quod quidam recentior auctor nuper generaliter scripsit, ecclesias horum seminariorum esse ecclesias Societatis, et gaudere omnibus indulgentiis concessis visitantibus ecclesias Societatis, id enim ad summum locum habere potest in iis collegiis, quæ vel Societas erexit, vel fundatores ipsi pro Societate erexerunt, ut Societas dominium loci illius haberet, et ita ut deficientibus alumnis, adhuc locus ille penes Societatem maneat, ut supra dictum est. Secus vero dicendum erit de ecclesiis illis, in quibus Societas, tanquam in alienis ministrat, quales sunt quas Romæ dari diximus.

9 Addo denique, etiamsi ecclesiæ, et domus illæ sint proprie domus et ecclesiæ Societatis, et ideo convictoribus, vel alumnis ibi ægrotantibus possit a patribus Societatis extrema unctio ministrari, ex facultate supra relata, monachis Be-

nedictinis concessa : non video tamen, qua facultate possit illis viaticum, vel communio paschalis dari, sine licentia parochi, vel ordinarii, cum illi nec sint famuli, nec hospites, pro quibus solis ejusmodi privilegia concessa fuisse vidimus.

## DUBIUM XXXIV.

*Quousque possint magistri Societatis tradere in scholis materias juris canonici ?*

1 Suppono, religiosis prohibitum esse sub excommunicatione audire in scholis lectiones juris civilis, ex cap. *finali clerici, vel monachi*, et videri possunt Sanchez lib. VI. *in Decalog.* cap. VIII. num. 9. et Lezana tom. I. cap. IX. num. 3. quoad jus vero canonicum nulla est prohibitio ; sed possunt religiosi æque ac sæculares ejusmodi studio attendere, quippe quod est mere ecclesiasticum, et ecclesiasticas personas magnopere decet.

2 In Societate tamen restringitur facultas hæc quoad præceptores, quibus non permittitur in scholis omnia tradere, quæ in jure canonico continentur. Nam in constitut. part. IV. cap. XII. §. I. inter illa, quæ præceptores tractare debent in scholis, dicitur : « ac etiam expositiva, quæ ad hunc finem nobis præfixum conveniunt (non attingendo tamen eam partem canonum, quæ foro contentioso inservit) pertractabunt, » præmiserat enim, finem harum lectionem esse « proximos ad cognitionem, et amorem Dei, et saltem suarum animarum juvare, » quo etiam alludere videtur constitutio eodem par. IV. cap. XIV. littera C. ubi dicitur assumendam esse materiam *ex aliqua parte juris canonici*, quasi non omnes partes, sed aliquas solum explanare doceat. Hoc ergo supposito, dubitatum fuit, quæ et quales materiæ, aut partes juris canonici a magistris Societatis in scholis discipulis tradendæ et explanande sint.

Respondi, mentem constitutionis esse, 3
ut Societatis magistri, sicut ipsi advocati esse non possunt, ita nec in scholis formare debeant advocatos, vel judices in iis quæ eorum propria sunt, qualia sunt omnia quæ ad forum contentiosum spectant ; sed potius docere curent ea solum quæ ad forum internum pertinent, et quæ necessaria sunt parochis, confessariis, et illis quibus incumbit conscientias instruere et informare. Seligendæ ergo sunt in jure canonico materiæ illæ, quæ ad hunc finem deserviunt, et e contra rejiciendæ sunt quæ pertinent ad forum contentiosum. Ut tamen magis in particulari scire possint prædicti magistri materias quæ ad ipsos pertinent, vel non pertinent, distinxi illas omnes in tres classes. In prima classe constitui possunt materiæ spectantes ad forum conscientiæ, atque adeo ad scholas Societatis juxta ipsius constitutiones. Hæ autem sunt de sacramentis in genere, et in specie, de sacramentalibus, de consecratione ecclesiæ, de ordinandis, et ordinum collatione, de usu pallii, de apostatis, de censuris in communi, in particulari, de irregularitate, de ecclesiis et capellis, de celebratione missarum, de sponsalibus et matrimonio, et de ejus impedimentis, ut de consanguinitate, affinitate, etc. de residentia prælatorum, et de clerico non residente, de pœnis omnibus spiritualibus pro foro conscientiæ, de constitutionibus, legibus, et consuetudine, de decimis, de divortiis, de feriis, de homicidio, et immunitate ecclesiarum, de infidelibus, de hæreticis, et schismaticis, de delictis clericorum, de jejunio, de pœnitentiis, et remissionibus, de rebus Ecclesiæ non alienandis, de regularibus, de conversione conjugatorum, de reliquiis, et veneratione sanctorum, de simonia, de sacrilegiis, de translatione episcopi, de voto, de vita, et honestate clericorum, de usuris, de furtis, de juramento, de privilegiis. Hæc omnia

ex professo possunt in prædictis scholis explicari.

4 Secunda classis esse potest earum materiarum juris canonici, quæ quia forum contentiosum spectant, non debent a prædictis magistris tractari, sed a summum obiter, et quatenus ad forum conscientiæ possunt conducere, attingi. Ejusmodi aetem esse possunt de foro competenti, de accusationibus, de appellationibus, de arbitris, de calumniatoribus, de causa possessionis, de collusione, de crimine falsi, de dilationibus, de dolo, et contumacia, de exceptionibus, de missione in possessionem, de feudis, de fide instrumentorum, de electionibus, de institutionibus, de jure patronatus, de in integrum restitutione, de judiciis, de libelli oblatione, de litis contestatione, de mutuis petitionibus, de novi operis nuntiatione, de officio judicis ordinarii et delegati, et vicarii, et aliorum de quorum officiis in jure canonico tractatur, de ordine cognitionum, de piis petitionibus, de postulando, de præsumptionibus, de probationibus, de juramento calumniæ, de procuratoribus, de purgatione canonica, de regulis juris, de verborum significatione magna ex parte, de rescriptis, de restitutione spoliatorum, de sequestratione, de supplenda negligentia prælatorum, de syndico, et actore, de testibus, de ordine in lite servando, nempe ut licite non contesta, etc. et ut lite pendente, etc. de successione ab intestato, de transactione, de testamentis, de parochis.

5 Tertia denique classis potest esse mixta, in qua constituuntur materiæ aliquæ, quæ possunt ex professo tractari quoad aliquam earum partem, quæ forum conscientiæ concernit, non vero quoad magnam etiam earum partem, quæ spectat ad forum contentiosum. Ejusmodi esse possunt, de mutuo, de donationibus, de emptione et venditione, de beneficiis, de pactis, de injuriis, de fidejussione, de pignoribus, et aliis contractibus, de præscriptione, de renuntiatione, de dolo, et metu, et similia, quæ mixta sunt, et ad utrumque forum pertinere possunt.

Hæc autem divisio intelligenda est de 6
doctrina, ut dixi, in scholis tradenda, de quibus solis constitutio illa Societatis loquitur, nam extra scholas possunt quidem patres Societatis de iis omnibus agere ; sic enim Thomas Sanchez, Ludovicus Molina, et alii Societatis doctores in suis libris ex professo agunt de materiis etiam secundæ classis, quia librorum materia latius patet, quam scholarum, de quibus solum scholis loquitur prædicta constitutio. Sicut etiam non prohiberetur aliquis ex Societate libros edere de materiis juris civilis, vel medicinæ, si eas facultates bene calleret, quamvis in schola non posset eas docere, ut expresse prohibetur in d. part. IV. *constit.* cap. XII. §. 4. Sic etiam contingit, aliquot ex Societate libros edere de floribus, de agricultura, et similibus, quæ tamen in Societatis scholis tradi non consueverunt.

## DUBIUM XXXV.

*De suffragio dubio in congregatione provinciali.*

Singulis trienniis in Societate fit con- 1
gregatio provincialis in qualibet provincia, in qua eligitur professus aliquis, qui ut procurator ejus provinciæ Romam ire debet, tum ad informandum plene Generalem de statu totius provinciæ, tum ut cum ipse Generali et assistentibus, et cum procuratoribus aliarum provinciarum, qui simul die præscripta convenire debent, decernatur per suffragia secreta, an sit cogenda congregatio generalis. Antea tamen in ipsa congregatione provinciali de hoc ipso agitur, et per suffragia publica decernitur, an petenda sit congregatio generalis : quæ quidem petitio non habet vim decisivam, sed quasi

consultivam, ut singulæ provinciæ aperiant suam mentem circa hunc punctum : in quo postea, ut dixi, Generalis et assistentes et procuratores provinciarum habent votum decisivum per suffragia secreta, et statur majori parti circa cogendam, vel non cogendam congregationem generalem.

2 Hoc supposito, contigit, ut in quadam congregatione provinciali, dum de hoc articulo ageretur, unus ex congregatis suam sententiam explicaverit, his verbis : « Ego quidem per principia intrinseca judico, cogendam congregationem generalem : quia tamen in contrarium propositæ sunt plures rationes, remitto me judicio patris procuratoris electi, qui Romæ, visis et auditis omnibus, judicabit, quod magis expediat. » Hoc itaque suffragio tanquam pro neutra parte decernente, non computato, apparuit major vocalium pars censere non esse congregationem generalem cogendam, atque ita in actis notatum fuit. Sed antequam sessio dissolveretur, aliqui obmurmurare cœperunt, dicentes, non esse bene computata suffragia, nam circa illam dubiam sententiam debebat ejus auctor interrogari, ut mentem et sensum suum declararet. Si enim ipse diceret, se magis sentire cum petentibus congregationem generalem, jam non esset major pars nolentium, quam volentium congregationem, sed vel minor vel æqualis. Fine tamen sessioni per provicialem imposito, omnes discesserunt, sed postera die aliqui reclamarunt clare, et petierunt ut sensus suffragii dubii ab ejus auctore exquireretur : quorum petitioni congregatio consensit, et pater ille declaravit, se cum illis sentire qui Congregationem generalem petebant. Dubitatum ergo fuit, quæ, et qualis æstimanda sit legitima illius congregationis mens, an pro cogenda, an pro non cogenda congregatione generali ?

3 Pro utraque parte rationes erant non contemnendæ ; quod enim congregatio illa peteret congregationem generalem, probari potest primo, quia quando verba sunt dubia, sensus ab eorum potissimum auctore petendus est : ipse autem hoc casu explicuit, et cum illis sentire, qui congregationem generalem petebant ; debuit ergo interpretatio verborum dubiorum acceptari. Secundo, quia debuit saltem, antequam aliquid statueretur, peti ab ipso auctore sensus suorum verborum, præsertim cum aliqui ante finem sessionis obmurmurarent, et vellent id fieri ante finem sessionis. Tertio, quia die sequenti hoc ipsum aliquibus clare protestantibus, congregatio censuit, ita faciendum prout factum est : quare videtur auctoritate ejusdem congregationis firmatum fuisse defectum præcedentis decreti, ob quem retractari debebat, et implicite videtur retractatum, cum interrogatus de sensu suorum verborum Pater ille suam sententiam pro parte affimativa clare explicuerit. Congregatio enim provincialis videtur habere potestatem declarandi dubia, quæ concurrunt, ut colligitur ex formula congregationis provincialis cap. IV. §. 17. Quare, si aliquid dubii erat circa illa verba, vel circa eorum auctorem interrogandum, potuit congregatio de hoc dubio legitime judicare, et ejus judicio standum omnino erat.

Cæterum pro contraria etiam parte non 4
levia erant argumenta, ob quæ primum decretum sustineri debebat, nec poterat die sequenti mutari, vel alterari. Primo, quia falso videtur supponi, sensum illorum verborum fuisse dubium, et indiguisse interpretatione posteriori ; sensus enim clarus videtur, nempe si ego sola motiva intrinseca haberem, judicarem cogi debere congregationem generalem. Nunc tamen, quia alias rationes audivi, nihil volo ex me judicare, sed id totum remitto judicio procuratoris, qui Romæ melius judicare poterit, quorum verborum sensus clarissimus est, et ex illis constat, Patrem illum non judicasse absolute cogendam congregationem, sed dixisse solum se id fuisse judicaturum, si

motiva sola intrinseca haberet, qua conditione deficiente, prout de facto deficiebat, cum alia motiva audisset, noluit pro alterutra parte judicare, sed remisit de judicio a procuratore Romæ faciendo : quare suffragium illud pro neutra parte debebat computari, nec ejus interpretatio exquirenda erat, cum satis de sensu auctoris constaret.

5 Secundo, quia non obstat, quod auctor postera die aliter suam mentem explicuerit : tum, quia magis standum est verbis, quæ quando clara sunt, non possunt aliter ab auctore explicari in præjudicium prioris suffragii : alioquin nulla electio, aut decretum maneret firmum, sed semper suffragatores potuissent postea declarare mentem suam in alio sensu : tum etiam, quia declaratio illa facta fuit post tempus legitimum : nam decretum factum die præcedenti non poterat die subsequenti alterari, ut constat ex formula congregationis provincialis cap. VI. num. 49. ubi sic dicitur : « Rerum tractandarum determinationes ad plura suffragia simpliciter definiantur : quæ nullo modo secreta esse debebunt, sive de negotiis aliis agatur, sive quæratur, cogendane sit congregatio, necne ; ob multa eaque gravia incommoda, quæ præter novitiatum sequerentur. Ne quæ in eis intercessio permittatur, ut citius expediri possint, cum præsertim de eo tantum agendum sit, num proponendæ videantur congregationi, aut præposito generali, et quænam sit de iis plurium sententia : licet autem cuique aliis auditis mutare sententiam, antequam res omnino concludatur. Porro quæ transigentur in actione una, in sequenti a secretario legantur, ut congregatio intelligat, sint ne omnia recte excepta, et explicata, an non. » Ex quibus verbis constat, non licere variare sententiam, nisi eadem die et antequam res concludatur, cujus duplex ratio ibi insinuatur : nempe ut citius res expediatur, et quia tota illa tractatio non est decisiva, sed solum consultiva, et ut constet generali præposito vel congregationi generali, quis sit sensus ut in plurimum Societatis.

Unde probari potest tertio hæc pars, 6
quia, etiamsi suffragium illud fuisset dubium, adhuc ad finem congregationis illius non erat necesse quærere sollicite ab auctore ejus interpretationem. Cum enim tota illa discussio tenderet solum ad instruendum Generalem, et procuratores Romæ congregandos de sententiis in congregationibus provincialibus prolatis ; id totum præstari abunde poterat absque alia interpretatione eorum verborum ; poterat enim referri, quomodo et quibus verbis Pater ille suam sententiam dixerat, et quid etiam alii dixissent : quod satis erat ad simplicem relationem et instructionem offerendam, quibus habitis Generalis et procuratores interpretari et judicare poterant, quo loco sententia illa habenda esset, et an major vel minor pars sensisset cogendam esse congregationem generalem, et congregatio provincialis suo debito satisfecisset, narrando ad litteram et referendo verba singulorum. Neque enim, ut dixi, ad congregationem provincialem spectat de hoc puncto decernere, sed referre fideliter, quid singuli Patres interrogati de re illa responderint.

Nec obstat, quod postera die aliqui 7
Patres intercesserint, ut Pater ille interrogaretur de sensu qui suffragii. Vocatur autem ibi *intercessio*, quando aliqui sese opponunt decreto majoris partis, et petunt ut iterum de eadem re sententiæ exquirantur. Respondetur enim ejusmodi intercessiones, licet in congregatione generali admittantur, intra triduum una, vel in aliquo casu duæ, ut habetur in formula congregationis generalis cap. VII. §. 73. in congregatione tamen provinciali nulla prorsus intercessio admittenda esset, ut constat ex verbis formulæ supra relatis.

Nec etiam obstat, quod in eadem ses- 8
sione, antequam ab eo loco recederetur, aliqui reclamasse dicuntur, petentes ut sensus suffragii ab ejus auctore petere-

tur; illa enim non potuit dici reclamatio, quippe quam nec provincialis, nec secretarius congregationis, nec major ejus pars audivit : sed fuit potius obmurmuratio, qua aliqui cum suis vicinis tacita querela susurrabant. Nec reclamare dicitur, quem major pars non percipit; imo, etiamsi major pars audisset, eo tamen ipso quod tacuit, videtur tacite querelam illam rejecisse, et judicasse non oportere auctorem interrogare de sensu, qui in verbis ipsis clarus apparebat. Aliud esset, si auctor ipse reclamasset; tunc enim agere posset de nullitate, eo quod non fuisset exauditus, cum durante adhuc eadem sessione, potuisset licite et valide sententiam mutare, ut constat ex verbis formulæ supra relatis.

Nec denique obstat, quod die sequenti proposito dubio, Patres decreverunt interrogandum esse auctorem suffragii de sua mente, et juxta illam judicandum. Responderi enim potest, Patres fortasse non potuisse die sequenti id facere, quia decretum una die factum non potest die sequenti ob intercessionem rescindi, ut ex formula supra vidimus. Neque etiam potuerunt per modum declarationis procedere auctoritate congregationi concessa ad declaranda dubia quæ occurrunt, sciendum enim est ejusmodi facultatem non esse generalem, sed limitatam, ut constat ex eadem formula congregationis provincialis ca. IV. §. 17. ubi ea facultas congregationi provinciali conceditur, his verbis : « Possunt enim patres legitime congregati (si modo duas tertias partes excedant) ad præsentem praxim dubia omnia terminare, quorum explicatio congregationi perficiendæ opportuna videbitur; quoties ea ex constitutionibus, decretisve, aut Generalium responsis colligi non poterit, » quæ conditiones deficere videbantur in casu præsenti : nam ex decretis et formulis habebatur, non posse sententiam in una actione dictam die sequenti alterari. Deinde, si quid ibi dubii remanebat, explicatio certe illius dubii non erat necessaria ad congregationem perficiendam. Cum enim in ordine ad convocandam congregationem generalem non habeat congregatio provincialis votum definitivum, ut vidimus, sed solum consultivum, ut proponat præposito generali et procuratoribus Romæ congregandis sensum congregationis provincialis, et rationes utrinque productas, id totum poterat optime fieri non interrogato denuo auctore suffragii; poterat enim referri, tot Patres judicasse cogendam congregationem, tot vero judicasse non cogendam : ac denique unum talibus verbis sententiam dixisse, ac se demum remisisse sententiæ a procuratore provinciæ ex informationibus Romæ habitis ibi proferendæ, quo pacto integre, et fideliter referebatur quidquid a Patribus in eo puncto dictum, factumve fuerat, et congregatio provincialis suo muneri abunde satisfaciebat. Non ergo necessaria erat explicatio illius dubii ad congregationem provincialem conficiendam, atque adeo non erat ex iis dubiis, ad quorum explicationem potestatem habet congregatio provincialis.

Hæ itaque rationes pro utraque parte erant : cum vero de re jam præterita ageretur, et de qua parum referebat scire, an rite peracta esset, cum ad finem congregationis provincialis satis esset scire, quid, et quomodo factum sit, qualecumque illud fuerit : dixi videri mihi, magis juxta formulam futurum fuisse, si res prout facta fuerat in prima sessione, reducta fuisset in acta, et verba suffragii, de quibus postea dubitatum fuit. Nec dandam fuisse liberam facultatem auctori suffragii explicandi die sequenti suum suffragium, cum eo ipso esset periculum mutandi sententiam, (quod die sequenti non permittitur) quando vero jam interpretari permissus est suam mentem, non debuisse interpretationem illam pro suffragio legitimo et certo computari, nec juxta illam numeranda esse suffragia petentium congregationem generalem, quasi jam major 9

pars, addito illo suffragio id sentiret: sed narrandum solum fuisse in actis, quid postera die contigisset, et quomodo Pater ille suam sententiam explicaverit; hoc enim sufficiebat et requirebatur, ut postea Romæ congregatio procuratorum scire posset quid de sensu illius congregationis provincialis æstimandum esset, cum hæc sola notitia ad meram informationem præpositi generalis et procuratorum requiratur, absque eo quod congregatio provincialis se ingereret in decernendo, an Pater ille potuisset valide die sequenti suam sententiam interpretari in alio sensu, ab eo, in quo die præcedenti acceptata fuerat.

## DUBIUM XXXVI.

*An possit professus Societatis sine præcepto summi Pontificis assistere loco ordinarii in tribunali sancti officii.*

1 Suppono, omnes professos societatis post factam professionem solemnem, emittere in loco separato aliqua vota simplicia, quorum unum est, nunquam se curaturos, prætensurosve extra Societatem prælationem aliquam, vel dignitatem, nec consensuros in sui electionem, quantum in ipsis fuerit, nisi coactos obedientia ejus, qui eis præcipere potest sub pœna peccati. Suppono item, Inquisitorem non posse sine episcopo, vel ejus vicem gerente, procedere ad sententiam condemnativam, vel ad torturam, sed debere episcopum requirere et cum eo processum communicare, ut vel ipse episcopus interveniat, vel alium loco sui mittat, quem saltem per octo dies expectare debet, post quos dies potest Inquisitor solus procedere, ut tradunt communiter doctores, quos congerit et sequitur Carena tract. *de officio sanctæ Inquisitionis* part. I. tit. IV. §. 2. per totum. Ad quod munus solebant aliqui episcopi in locis, in quibus non resident, et ubi resident Inquisitores, delegare suas vices alicui patri Societatis, qui episcopi loco interveniat in ejusmodi causarum expeditione. Unde dubitatum fuit, an professus Societatis possit ejusmodi delegationem acceptare sine præcepto potentis ad id sub peccato obligare.

In hoc puncto duo possent dubitari. 2
Primum est, an votum non procurandi, nec acceptandi, extendatur etiam ad ejusmodi officia, seu delegationes. Secundum vero est, an ad hæc officia acceptanda requiratur præceptum summi Pontificis, an vero sufficiat præceptum præpositi generalis, vel alicujus alterius. Quoad primum dubium, ego in eam partem semper propendeo, quod prædictum votum comprehendat etiam ejusmodi officia. Ratio est, quia verba voti generalia sunt non procurandi, nec acceptandi dignitatem ullam, vel prælationem extra Societatem sine præcepto obligante sub peccato. Nomine autem *Prælationis* intelligi videntur munera omnia, quæ secum afferunt jurisdictionem spiritualem et ecclesiasticam in foro externo, ut explicant Suarez tom. IV. *de Relig.* tract. x. lib. VI. cap. VII. num. 13. et Castro Palao tom. III. tract. x. disp. v. punct. 6. num. 3. ubi inter prælationes in voto comprehensas numerat vicariatum episcopi. Imo Suarez ubi supra num. 15. putat sub nomine *Prælationis* intra Societatem, quam ejus professi ex voto peculiari procurare non possunt, comprehendi etiam munus electorum, qui ad hoc eliguntur ut in congregatione generali eligere possint præpositum generalem; quia ii jam videntur deputari ad aliquam jurisdictionem exercendam in ipsa congregatione generali, atque ideo faciet contra votum, qui procuraret fieri unum ex prædictis electoribus. A fortiori ergo idem diceret de eo qui procurat habere vices episcopi in tribunali sancti officii. Ratio autem esse videtur, quia munus illud affert

secum jurisdictionem non solum pro uno, vel alio actu transeunti, sed permanentem et habitualem pro universitate causarum ad illud tribunal spectantium, atque adeo videtur esse species aliqua prælaturæ, cum tamen nulla sine præcepto cogente possit ab ejusmodi professis procurari, vel acceptari.

3 Denique quoad hoc non videtur remanere dubium post declarationem factam a felic. record. Urbano VIII. qui speciali decreto facto die 25. Januarii anno 1632. declaravit, et decrevit in dicto voto professorum Societatis, nomine *dignitatis* seu *Prælationis extra Societatem ;* comprehendi dignitates, seu prælationes sæculares, *et quæcumque officia, quorum officiales jurisdictionem ecclesiasticam, vel laicalem, de jure, usu, vel consuetudine habent, seu quomodolibet extra ipsam Societatem exercent.* Porro dubitari non potest, quod vicarius episcopi ad causas sancti officii jurisdictionem habeat, et exerceat ecclesiasticam, pertinentem ad forum externum in illo tribunali, atque adeo quod nomine *dignitatis*, seu *Prælationis* juxta declarationem illam Urbani debeat intelligi.

4 Restat ergo secundum punctum, quis possit hoc præceptum professo Societatis imponere, ut illud munus acceptet. Posset enim inprimis aliquis contendere, posse Generalem præpositum id præcipere, quia, quamvis ipse non possit professo præcipere acceptationem episcopatus, cardinalatus, vel alterius similis prælaturæ, ut vidimus libro præcedenti dub. IV. id tamen ideo non potest, quia per ejusmodi acceptationem professus eo ipso extrahitur et eximitur ab obedientia præpositi generalis : quare non potest subdito præcipere ut id acceptet, hoc enim esset præcipere subdito ne sit subditus. In casu autem nostro officium illud non extrahit subditum ab obedientia Societatis, sed remanet adhuc subjectus regulæ et disciplinæ regulari, ac suorum prælatorum correctioni, cum nec ipsimet Inquisitores exempti maneant a suis prælatis, sed ab iis corrigi possint, saltem in iis quæ non pertinent ad sua officia, et quando pœna non impediret vel retardaret sui officii executionem, ut tradunt communiter doctores, quos affert et sequitur Diana part. IV. tract. VIII. resol. 53. quod magis habet locum in casu nostro, in quo professus deputatus ab episcopo, ut sui loco assistat in tribunali S. officii, manet sub eadem disciplina regulari, et non minus libere a prælatis regularibus regitur et corrigitur, quam alii omnes religiosi ejusdem domus vel collegii : non ergo apparet cur prælatus regularis non possit subdito præcipere, ut ejusmodi munus acceptet, sicut potest ei præcipere ut confessarius sit, vel concionator alicujus principis vel prælati.

Supposita tamen resolutione puncti 5
præcedentis, consequenter dicendum videtur, nullum prælatum Societatis, neque etiam ipsum Generalem posse id præcipere. Ratio autem est, quia votum obedientiæ regularis solum obligat ad obediendum in iis quæ sunt juxta regularem : unde Sanchez lib. VI. *in Decalog.* ca. II. num. 49. probat non posse prælatum regularem præcipere subdito ut acceptet episcopatum, quia episcopatus non est secundum regulam, nec pertinet ad statum, aut bonum religionis, sed ad bonum commune Ecclesiæ, et num. 30. addit ob eamdem causam, non posse illi præcipere, ut parochi munus exerceat, nisi sit beneficium regulare ejusdem religionis, quod etiam ob eamdem rationem docet Castro Palao tom. III. tract. XVI. disp. IV. punct. 5. num. 3. ubi alios refert. Prædictum autem officium nec est secundum regulam, nec pertinet ad statum Societatis, sed ad bonum commune Ecclesiæ, et in rigore est pars officii vicariatus generalis episcopi ; quare, sicut non pertinet ad prælatos regulares imponere suis subditis ut sint vicarii episcoporum, ita nec possunt illis præcipere, ut sint eorum vicarii in

ordine ad causas tribunalis sancti officii, ob easdem rationes.

6 Major posset esse difficultas, an Inquisitores ipsi possint præcipere religioso Societatis, ut ejusmodi delegationem et officium acceptet et exerceat, quando ab episcopo nominatur, id enim probari posset primo ex doctrina generali, quod Inquisitores possunt cogere ad acceptandum officium consultoris in sancto officio, ut constat ex ca. *ut commissi*, §. *advocandi, de hæreticis* in VI. et tenent doctores communiter, quos affert et sequitur Carena tract. *de officio Inquisitionis* part. I. tit. VI. §. 1. num. 1.

7 Secundo magis specialiter posset idem probari ex jure speciali ipsius Societatis, quæ, cum haberet a summis pontificibus privilegium exemptionis, ut non possent religiosi Societatis obligari ad acceptanda officia sanctæ inquisitionis, vel exercitium etiam in aliorum defectum, absque expresso sui superioris consensu, ac etiam mandato, ut habetur *in compendio privilegiorum Societatis*, verb. *exemptio*. §. 3. ipsa tamen Societas in quinta congregatione generali, decreto XXI. ad instantiam Philippi II. regis catholici huic exemptioni renuntiavit, et sese obedientiæ tribunalis sancti officii, quoad hæc in Hispaniæ regnis omnino submisit, ubi non fuit sermo de solis officiis consultorum, aut qualificatorum, sed *de quovis munere, officio, vel exercitio;* quare videtur Societas agnovisse potestatem Inquisitorum ad cogendum præcepto suos religiosos, ut hæc munera acceptarent.

8 Aliunde tamen videtur, non potuisse prædictum officium ex præcepto Inquisitorum acceptari. Primo, quia in dicto cap. *ut commissi*, sermo solum est de munere consultorum, de quibus etiam et de qualificatoribus agebatur, quando Societas in quinta congregatione exemptioni suæ renuntiavit. Querelæ namque omnes Inquisitorum, de quibus ibi mentio fit, erant solum circa officia consultorum et qualificatorum, quos Inquisitores eligere volebant libere ex Societate, sicut ex aliis religionibus : quam libertatem concessit eis Societas in prædicto decreto, nec videtur tunc cogitatum fuisse de officiis Inquisitorum, aut habentibus jurisdictionem ordinariam vel delegatam, quæ Societatis mens colligi potest primo ex decreto subsequenti XXVIII. in quo, ne ex cessione illa exemptionis jam facta daretur ambitionis occasio, prohibitum fuit sub excommunicatione, ne ullus ex Societate officia consultoris vel qualificatoris in Inquisitionibus Hispanis ambiret, vel procuraret ; de illis ergo solis officiis cogitaverat, quando subjecit se Inquisitoribus in acceptandis officiis illius tribunalis. Secundo quia privilegium, cui cessit Societas, erat, ne cogerentur acceptare ex officio, sine consensu ac mandato superiorum : superiores autem Societatis non poterant subditas cogere præcepto ad acceptanda officia habentia jurisdictionem ecclesiasticam, quia hæc comprehenduntur nomine *Prælationis extra Societatem,* ut vidimus ; ergo tam in ipsa exemptione, quam in illius cessione non erat sermo de officiis habentibus jurisdictionem, quale est illud, de quo agimus, sed de aliis mere ministerialibus.

9 Ex alio etiam capite cessio illa non videtur potuisse comprehendere hoc officium ; quia cessio illa solum fuit in gratiam Inquisitorum, ut ex contextu patet, et ut Hispani inquisitores possent libere uti opera religiosorum Societatis : debet ergo intelligi circa officia quæ ab ipsis Inquisitoribus imponuntur, et ab eis dependent, quale non est munus interveniendi tribunali loco episcopi : hoc enim munus non dependet ab Inquisitoribus, nec ab iis imponitur, sed a solo episcopo, qui pro suo libito eligit aliquem vicarium loco sui, cui suas vices delegat : non renuntiavit ergo Societas quoad hoc officium, suam exemptionem, atque adeo non potest ab episcopi præcepto aliquis ex Societate obligari ad

hoc munus acceptandum : quare cum aliunde prælati regulares non possint hoc præcipere, ut vidimus, restat quod solus summus Pontifex id possit præcipere.

Sed, quidquid de his sit, sublata est jam omnis difficultas, et omne dubium in hoc puncto, stante proprio motu, seu decreto felic. record. Urbani VIII. edito 26. Februarii anno 1643. ubi ad tollenda omnia dubia declaravit et decrevit, religiosos illos, qui juxta suas constitutiones peculiare votum emittunt non procurandi, nec acceptandi dignitatem aliquam, seu prælationem extra religionem, nisi coacti sint, vel astricti præcepto ejus qui sibi præcipere potest : hos, inquam, non posse acceptare dignitatem vel prælationem ejusmodi ex præcepto cujuscumque prælati, vel superioris, quicumque ille sit, nisi solius summi pontificis, ubi omnes alii etiam legati a latere, et quacumque nota digni excluduntur a potestate id præcipiendi, vel dispensandi in eo voto. Unde etiam si episcopi vel inquisitores potuissent hoc munus alicui ex Societate imponere, et præcepto cogere ad acceptandum : nunc tamen procul dubio non possunt, cum ex uno capite Pontifex ibi sibi uni, et suis successoribus reservaverit facultatem cogendi præcepto ad quamlibet prælationem extra suum ordinem religiosos qui ex suo instituto ejusmodi vota emittunt, non acceptandi prælationes extra suum ordinem : et ex alio capite idem Pontifex alio brevi, ut supra vidimus, declaraverit nomine *Prælationis* in ejusmodi votis intelligi quæcumque officia, quorum officiales de jure vel consuetudine habent, vel exercent jurisdictionem aliquam ecclesiasticam, vel laicalem, qualem ecclesiasticam jurisdictionem etiam in foro externo habent, et exercent, qui loco episcopi interveniunt tribunali inquisitionis.

## DUBIUM XXXVII.

*Quid judicandum sit de professo societatis fugitivo ?*

Professus quidam Societatis, cum suo provinciali non obediret, timuit ne fortasse ea de causa in suo cubiculo carceraretur, et fuga arrepta, habitu tamen retento, per plures dies non comparuit, animo tamen redeundi, cum primum novus provincialis succederet. Multa ergo in hoc casu, qui in Societate insolitus erat, quæsita sunt. 1

Primo, quærebatur, an censendus esset Apostata? Respondi, non deesse qui id concedant. Nam imprimis, quando non retinetur habitus, etiamsi sit animus redeundi, si tamen sit animus absentiæ longæ, reputari apostasiam, docent aliqui, quos affert et sequitur Suarez tom. IV. *de Relig.* tract. VIII. lib. III. ca. 1. num. 21. qui num. 24. addit, idem procedere, licet religiosus fugitivus non dimittat habitum, quod etiam repetit ca. II. num. 14. pro qua sententia afferuntur etiam Antoninus, Tabiena, et Armilla, quamvis non omnina clare loquantur apud Castro Palaum tom. III. tract. VI. disp. IV. punct. 16. num. 3. Addit autem Suarez dicto ca. I. nu. 35. longitudinem temporis sufficientem ad apostasiam judicari debere arbitrio prudentis, sufficere tamen animum ab initio illius longæ moræ, quamvis postea prælatis deprehensus, vel mutato consilio, redeat brevi ad obedientiam regularem. 2

Communis tamen sententia ad veram, et propriam apostasiam requirit habitus dimissionem cum animo non redeundi : ita tradunt communiter doctores, quos congerunt et sequuntur Sanchez lib. VI. *in Decalog.* cap. VIII. n. 2. Castro-Palao ubi supra n. 2. et 4. et Lezana tom. I. cap. XVI. n. 7. Cum ergo hæc sententia 3

ad minus sit probabilissima, non debemus in casu nostro professum illum tanquam apostatam damnare : potuit enim se communi fere omnium sententia defendere, juxta quam absolvendus potius est a pœnis apostasiæ.

4 Secundo itaque quæsitum fuit, an saltem ob fugam incurrerit aliquam excommunicationem ? Respondi, de jure communi excommunicationem impositam esse religioso fugitivo, dimisso habitu, non vero si habitum retineat, ut ex Bullis Pauli IV. et Pii IV. probant doctores, et videri possunt Suarez ubi supra dicto cap. II. an. 10. et Sanchez ubi supra n. 11. De jure autem speciali Societatis nulla reperitur excommunicatio lata contra fugitivos, si non sint apostatæ ; imo advertit idem Sanchez ibi n. 7. in Societate non dari proprie habitus dimissionem, cum Societas non habeat habitum sibi proprium : in nostro autem casu nequc hunc qualitercumque proprium, seu usitatum Societatis habitum fugitivus dimisit ; quare nullam ex hoc capite excommunicationem incurrit.

5 Tertio quæsitum fuit, quibus pœnis ob fugam puniri posset? Respondi, pœnis arbitrariis, attenta qualitate personæ, delicti et aliis circumstantiis, ut colligi potest ex Tridentino sess. XXV. cap. IV. *de Regularibus*, ubi ejusmodi regulares fugitivi ab ordinario, seu episcopo puniri præcipitur, non determinando pœnam imponendam. Potest ergo puniri carcere, jejuniis, et aliis pœnitentiis ad tempus pro majori, vel minori culpa quam in hoc casu contraxisse reperietur.

6 Quarto quæsitum fuit de aliis ex Societate, si qui forte deprehendantur cooperati ad illius fugam, vel saltem non impedivisse, cum ex officio tenerentur impedire, an ii incurrerint pœnas contentas in compendio privilegiorum Societatis verb. *Apostatæ*, § 3. et 4. Respondi pœnas ibi contentas imponi cooperantibus apostatæ, vel saltem recedenti a Societate, ut fatetur Castro-Palao ubi supra punct. XVIII. num. 7. Qui tamen amplecteretur sententiam Suarii supra adductam, consequenter deberet dicere, quod si fuga duravit longo tempore, vel ab initio fuit animus differendi reditum per longum tempus, quorum quodlibet in illa sententia sufficit ad incurrendas pœnas apostasiæ ; cooperantes etiam incurrerint pœnas in ditis locis impositas illis qui cooperantur apostatis, vel recedentibus a Societate.

7 Ultimo quæsitum fuit, quo peccati genere peccaverint ejusmodi cooperantes : an non solum contra justitiam, quatenus Societatis in suos subditos jus læserunt ; sed etiam contra religionem, sicut et ipse fugitivus peccavit etiam contra religionem, et quibus pœnis puniendi sint? Respondi, peccasse quidem gravissime, et quidem in multorum sententia peccato injustitiæ contra jura Societatis, ut docet Suarez ubi supra cap. III. n. 3. Castro-Palao d. puncto 18. et alii, quos retuli tom. I. *de Justitia* disp. IX. sect. 3. n. 42. ubi tamen probabilius esse dixi cum aliis, non esse peccatum injustitiæ, quando non intercedit vis vel fraus ex parte cooperantis, atque ideo in ipso non esse obligationem restituendi pro damnis aliis subsecutis religioni. Peccant tamen cooperantes illi peccato gravissimo contra religionem, contra quam directe peccat ipse professus fugitivus, alii autem cooperantes peccant indirecte. Quare peccatum cooperantium non videtur esse ejusdem speciei cum peccato ipsius fugitivi, quia regulariter in aliis materiis præter materiam justitiæ, malitia consulentis vel cooperantis non est ejusdem speciei, sed indirecte opponitur eidem virtuti : contra quam principalis peccat directe. Quod latius explicui, et probavi disp. XVI. *de Pœnitentia*, sect. IV. n. 156. et sequentibus. Unde possunt ejusmodi cooperatores cum proportione puniri pœnis et pœnitentiis debitis ; levioribus quidem quam ipse fugitivus, sed gravibus, juxta delicti qualitatem et attentis circumstantiis et excusationibus, quas for-

tasse afferre possunt ad excusandum vel diminuendum suum peccatum.

## DUBIUM XXXVIII.

*Continens quæsita aliqua circa judices conservatores Societatis.*

1 Supponendum est, potestatem et jurisdictionem judicum conservatorum, quos regulares eligebant, et facultatem eorumdem regularium ad eos eligendos, multo ampliorem antea fuisse, quam hodie sit post constitutionem Gregorii XV. editam anno 1621. quæ habetur in IV. tom. *Bullarii communis*, et est nona inter bullas ejusdem Pontificis. Quare in hac materia standum omnino est decretis in prædicta bulla contentis, et declarationibus sacræ congregationis cardinalium Tridentini interpretum postea emanatis, quas congerit Lezana tom. II. c. x. per quæ decreta et declarationes imminuta magna ex parte sunt privilegia tum aliarum religionum, tum etiam, quæ Societas amplissima habebat ex bulla Gregori XIII, et quæ enumerantur in compendio privilegiorum Societatis, verb. *Conservator*. Post prædictam vero bullam Gregorii XV. conservatores inprimis elegi non possunt, nisi sint in dignitate ecclesiastica constituti, vel personatum obtinentes, vel ecclesiæ cathedralis canonici ; sed neque hæc sufficiunt nisi sint in conciliis provincialibus, aut diœcesanis designati, ut eligi possint : in quibus synodis debent plures personæ ad hoc munus designari, ex quibus, si aliquis interim obierit, designare debet interim ordinarius loci cum consilio capituli alium ejus loco usque ad futuram synodum. Quod etiam locum habere, quando aliquis illorum per longum tempus absit, atque ita responsum fuisse a S. Congregatione, docet cum aliis Lezana ubi sup. n. 56. deinde regulares debuerunt intra Italiam infra duos menses, extra Italiam vero infra sex menses a die publicationis dictæ bullæ in Urbe inchoandos, eligere sibi conservatores, et ejusmodi electionis documentum penes acta curiæ ordinariorum dimittere, alioquin poterunt coram ordinariis conveniri. Conservatorem vero semel electum non possunt durante quinquennio amovere, nisi ex causa legitima a sede Apostolica, vel ab ordinario approbanda. Postea tamen responsum esse a S. congregatione, ut religiosi qui intra tempus designatum non deputarunt conservatores, possint quandocumque eis libuerit, eos eligere, refert ex Barb. *in Collect. Bullarii*, verb. *Regulares* I. Lez. ubi supra n. 58.

Addidit Gregorius, non posse regulares ut actores trahere alios coram suo conservatore. Nec posse conservatores procedere contra quoscumque extra civitatem aut diœcesim, in quibus fuerint deputati. Controversia autem orta inter conservatorem et ordinarium super jurisdictione, in causa non procedendum, donec per arbitros in forma juris electos fuerit super jurisdictionis competentia judicatum. Denique additæ sunt pœnæ contra inobedientes, aut excedentes limites in hac bulla præscriptos. 2

Hinc ergo orta sunt aliquot dubia. 3 Primo quærebatur, an hodie possint conservatores cognoscere de aliis causis præter casum manifestæ injuriæ et violentiæ? Ratio dubitandi oriebatur ex constitutione Bonifacii VIII. quæ habetur in cap. *finali, de officio, et potestate judicis delegati* in VI. ubi dicitur, ejusmodi conservatores dari ad manifestas injurias arcendas ; juxta cujus constitutionis terminos, et non aliter, congregatio concilii Tridentini respondit posse procedere conservatores, cujus decisionem postea adducemus, Unde Lezana ubi supra num. 62. pro comperto supponit, hodie post constitutionem Greg. XV. conservatores regularium non posse procedere sive in civilibus, sive in criminalibus, sive quando regulares sunt rei, sive

quando sunt actores, nisi in manifestis injuriis et violentiis : atque adeo antequam procedere incipiant, oportere quod appareat injuriam seu violentiam fuisse manifestam et notoriam : ubicumque enim jurisdictio committitur alicui respectu certæ qualitatis, debet ei ante omnia de qualitate illa constare. Si tamen conservator dubitet de illa *notorii* qualitate, vel de ea clare non appareat, poterit ante omnia summarie examinare, an violentia seu injuria notoria sit, et super eam probationes assumere ad fundandam suam jurisdictionem, ita ut si inveniat eam notoriam, procedat, alias se incompetentem pronuntiet. Hæc Lezana ibi.

4 Cæterum, quidquid sit de mente hujus auctoris, omnino videtur dicendum, quando regulares non sunt actores, sed rei, posse et debere conveniri ipsos coram suo judice conservatore, non solum in criminalibus sed etiam in causis civilibus, et debitis pecuniariis : prout alii doctores supponunt, et notat P. Thesaurus *in praxi Ecclesiastica* part. II. verb. *Conservatores*, cap. I. num. 3. dicens, in hoc etiam puncto limitata fuisse privilegia regularium a Gregorio XV. Nam concilium Tridentinum sess. XIV. cap. V. de Reformatione, dum prohibuit, ne aliquis apud suum judicem conservatorem in causis civilibus alios ut actor traheret, exclusit expresse ab ea prohibitione loca religiosa, relinquens illis sua privilegia, quæcumque essent, integra, quæ tamen hac in parte abstulit Gregorius in dicto decreto, statuens ne Regulares, quando sunt actores, possint alios ad suum judicem conservatorem trahere. Constat autem ex verbis ipsis, quod quando non sunt actores, sed rei, possint imo et debeant coram suo judice conservatore conveniri in omnibus causis. Verba enim decreti Gregorii sunt hæc : « Ad hæc statuit Sanctitas sua, ut coram ipsis conservatoribus regulares, ac personæ suprascriptæ conveniri quidem aut trahi debeant, sed alias convenire, aut trahere non possint, ita ut memorati conservatores in causis, in quibus regulares, et alii (scilicet quorum conservatores sunt) actores fuerint, nullam prorsus jurisdictionem habeant, sed in iis tantum, in quibus rei extiterint : » ubi universaliter conservatori datur jujurisdictio ad omnes causas, in quibus regulares tanquam rei conveniuntur.

Hoc autem efficaciter confirmari pot- 5
est, quia manifeste constat, Gregorium discrimen assignasse inter causas in quibus religiosi sunt actores, et illas, in quibus sunt rei. Certum est autem, quod etiam quando sunt actores, possunt coram suo conservatore se tueri contra inferentes manifestas, aut notorias injurias et violentias. Ita enim respondit, et declaravit sacra congregatio anno 1624. ut habetur post dictam constitutionem Gregorii in dicto III. *Bullarii*, his verbis : in constitutione de conservatoribus edita a S. memoriæ Gregorio XV. inter cætera statutum est, ut coram conservatoribus regulares conveniri quidem, aut trahi debeant, sed alios convenire aut trahere non possint, etc. Dubitatur nunc, an per hæc verba sublata sit facultas, quam habent conservatores defendendi regulares, et alios a manifestis injuriis et violentiis, quæ illis de facto inferuntur, dum a suis possessionibus dejiciuntur, et propriis bonis uti et frui impediuntur. Sacra congregatio cardinalium concilii Tridentini Interpretum censuit, ejusmodi verbis minime sublatam fuisse facultatem, quam habent conservatores defendendi regulares a manifestis injuriis, ac violentis ; dummodo observent formam præscriptam constitutionibus Innocentii IV. et Bonifacii VIII. relatis in cap. I. et finali *de off. delegati* in VI. Si ergo Gregorius XV. non prohibuit quin regulares possint coram suo conservatore tamquam actores ad judicium trahere alios in manifestis injuriis et violentiis, et tamen voluit quod non possint ut actores convenire alios coram eodem conservatore in eo causarum genere, in quo possunt et debent coram eo convenire, ut rei ;

consequens est, ut etiam extra manifestas injurias ; et in omnibus causis possint coram eo ut rei conveniri, quo argumento convictus idem Lezana paulo ante, nempe num. 61. id clare concessit, etiam in causis civilibus, quoties regulares sunt rei ; nec video quomodo num. sequenti id potuerit negare, nisi ex typographi errore addita sint ibi verba illa, *quando Regulares sunt rei;* quæ videntur opponi iis, quæ num. præcedenti recte docuerat : imo idem auctor tom. III. verb. *causa judicialis*, num. 4. expresse fatetur posse regulares, quando sunt rei, conveniri in causis civilibus coram suo conservatore, prout ex Pauli V. et Gregorii XV. declarationibus aperte colligitur.

6 Secundo ergo quærebatur, an hodie ordinarius, coram quo ex constitutione illa Gregorii XV. conveniri possunt regulares, qui non elegerunt debito tempore conservatorem, habeat jurisdictionem in regulares in omnibus causis civilibus : et quidem qui dicebant judicem conservatorem hodie non posse cognoscere de civilibus etiam, quando regulares sunt rei, nisi in manifestis injuriis et violentiis, consequenter dicere debebant, et aliqui dixerunt, ordinarium non posse de civilibus cognoscere, nisi in iisdem injuriis manifestis et violentiis ; quia ordinarius hodie subrogatur in locum conservatoris : subrogatum autem sapit naturam et conditiones ejus, in cujus locum subrogatur, ut constat ex allegatis per Everardum in loco, *Avi subrogationis* 122. Quare, cum conservator nunc non habeat jurisdictionem in omnibus causis, sed tantum in manifestis injuriis et violentiis, consequens est quod ordinarius, qui in ejus locum subrogatur, majorem jurisdictionem non habeat.

7 Cæterum, cum dixerimus conservatores hodie habere jurisdictionem in omnibus causis etiam civilibus, quoties regulares sunt rei ; consequenter dicendum est, eamdem jurisdictionem competere ordinario, quando non fuit conservator electus, cum ordinarius in locum conservatoris subrogetur. Imo hinc potest rursus confirmari et probari quod diximus, judicem conservatorem habere hanc jurisdictionem ad causas etiam civiles, quando regulares sunt rei ; quia nimirum ordinarius, qui in locum conservatoris subrogatur, jurisdictionem hanc habet etiam quando non agitur de manifestis injuriis et violentiis, quod videtur manifeste colligi ex verbis Gregorii XV. in prædicta constitutione. §. 7. ubi dicitur. « Alioquin eo termino elapso, quandiu conservatores secundum formam præsentis constitutionis non elegerint, coram iisdem ordinariis conveniantur » et §. 4. contra transgressores addita fuerat pœna carendi conservatore ad annum : « Careant, inquit, conservatore ad annum, ita ut illorum causæ interea coram locorum ordinariis duntaxat cognosci ac diffiniri debeant. » Quæ verba manifeste universalia sunt, et ad omnes causas etiam civiles extenduntur.

Nec obstant supradicti textus in cap. 8
I. et in cap. fin. *de officio,* et potestate judicis delegati in VI. in quibus dicitur non posse judicem conservatorem cognoscere, quoties opus est judiciali indagine, sed solum de manifestis injuriis et violentiis. Nam ibi sermo est de conservatoribus datis sine speciali clausula, et facultate cognoscendi de omnibus causis, qualem causulam ex speciali privilegio habent fere omnes regulares, præsertim mendicantes ; quare in illis non habet locum illa restrictio, ut notavit glossa 1. in dicto cap. 1. his verbis : « Sed quid, si injuria non sit manifesta, sed requirat plenam causæ cognitionem, utrum conservator possit se impedire ? Respondeo, quod non, sed pro hoc est recurrendum ad ordinarium. Et ista vera sunt, nisi in privilegiis istorum religiosorum, vel aliorum, quibus dati sunt conservatores, aliud diceretur, videlicet, ut possent cognoscere de injuriis et aliis causis, etiamsi requirerent judicialem indaginem. Et communiter in privilegiis apponitur illa

clausula. » Quod etiam adductis privilegiorum verbis probat cum aliis quos affert, Lezana tom. II. cap. x. num. 23. et 24. Quare hodie stare debemus, ut dixi, declarationibus et constitutionibus solum ac restrictionibus modernorum Pontificum, quos supra adduximus.

9 Tertio, et magis specialiter quærebatur, an possit coram judice conservatore Societatis conveniri scholaris ejusdem societatis, qui post vota biennii retinet adhuc dominium suorum bonorum, super quibus intentatur ei lis a sæcularibus. Ratio dubitandi erat, quia illa non sunt bona Societatis, sed illius personæ privatæ : quare non videtur conservator datus ad illa bona tuenda.

10 Dixi tamen, posse procul dubio conservatorem domus, vel collegii Societatis, in quo religiosus ille degit, cognoscere de ea causa quando religiosus est reus, vel in manifesta injuria et violentia, etiamsi religiosus non sit reus, sed actor, quod videtur manifeste constare ex verbis bullæ Greg. XIII. data anno 1572. quæ incipit, *Æquum reputamus*, et habetur in bullario ejusdem Societatis, in qua judices conservatores ab eadem Societate eligendi deputantur ad causas Societatis, *et singularum illius personarum*. Quamvis ergo bona de quibus controvertitur, non sint bona Societatis, sufficit tamen quod persona quæ convenitur, sit proprie persona Societatis, ut ad eam extendatur jurisdictio judicis conservatoris : ideo enim fortasse postea in eadem bulla injungitur prædictis conservatoribus impedire molestias et gravamina inferri circa bona et res ad dictam Societatem *communiter vel divisim* spectantes : hoc est, vel ad corpus Societatis, vel ad singula ejus membra. Cum ergo hæc bona sint sub dominio unius membri, et personæ Societatis, debent esse sub tutela judicis conservatoris.

11 Confirmarique potest primo satis efficaciter, quia in eadem bulla extenditur jurisdictio judicis conservatoris non solum ad causas Societatis, et singularum ejus personarum, sed etiam ad caussa familiarium ejusdem Societatis clericali charactere insignitorum. Certum autem est, quod bona familiarium ejusmodi, super quibus lites possent consurgere, non essent bona Societatis, quanto ergo magis spectabit causa ad judicem conservatorem, quando agitur de bonis cujusdam religiosi Societatis, quæ aliquo modo pertinent ad Societatem, cum non possit religiosus de illis bonis disponere sine licentia prælatorum Societatis, propter votum paupertatis religiosæ, quo supponitur astrictus ?

Confirmari potest secundo, quia quamvis concedamus, bona illa non esse bona Societatis : conservator tamen non solum datur ad tuenda bona Societatis, sed etiam ad tuendas ejus personas, et privilegia, ut constat ex verbis præfatæ bullæ. Unum autem ex præcipuis Societatis privilegiis est exemptio, qua Societas et singulæ ejus personæ et earum bona eximuntur inprimis a jurisdictione ordinariorum, ut constat ex bulla Pauli III. data 15. Kal. Nov. anno 1549. et incipit, *Licet debitum*. Quod etiam nominatim confirmavit de iis, qui emiserunt vota simplicia post biennii novitiatum, in bulla illa, [quæ incipit, *Ascendente Domino*, data 8. Kal. Jun. anno 1584. ubi eos ab omnium aliorum judicum jurisdictione exemptos esse declarat. Hoc ergo præcipuum Societatis privilegium manifeste læderetur, si religiosus ille ratione suorum bonorum conveniretur coram judice non suo, cum reus semper conveniri debeat coram suo judice, non coram eo a cujus jurisdictione non dependet. Pertinet ergo ad judicem conservatorem inhibere quemcumque alium judicem, qui sese vellet ingerere, saltem eo titulo, ne privilegia et exemptiones Societatis per contrariam jurisdictionis usurpationem manifeste læderentur. 12

Confirmatur tertio, quia minus pertinet ad religionem novitius et ejus, bona, quam religiosus Societatis expleto novitiatu ligatus votis religiosis, et ejus bo- 13

na: et tamen novitius et ejus bona gaudent omnimoda exemptione, ut cum aliis docet Lez. tom. I. c. XXIV. n. 4. et multis relatis Diana I. p. tr. *de immun. Eccl.* res. (juxta primam editionem) 40. quare, licet illa non sint bona religionis: non tamen possunt ex illis exigi gabellæ, quia eorum dominus gaudet exemptione religiosa. Minus ergo poterit trahi ad forum judicis sæcularis religiosus non novitius, sed religioni jam incorporatus per voto religiosa: debet enim conveniri coram suo judice, cujus forum sortitur ob exemptionem religiosam, quam omnino participat.

14 Hac ergo occasione quarto deinde quærebatur, an possit eo casu religiosus eligere sibi specialem judicem conservatorem diversum ab eo, qui est judex conservator illius collegii, in quo ipse degit. Ratio dubitandi sumi poterat ex verbis bullæ Greg. XIII. supra relatæ, in qua conceditur facultas Societati, et *singulis illius personis* eligendi sibi judicem conservatorem, etc. Dixi tamen, hodie id fieri non posse, sed debere recurri ad judicem conservatorem collegii, aut domus ad quam pertinet ille religiosus. Nam, quidquid sit de jure antiquo, Gregor. XV. in relata constitutione et abrogatis omnibus privilegiis, præscripsit formam novam, sine qua conservator non sit legitimus. Inter alias autem conditiones una est, quod unus ex judicibus synodalibus in synodo nominatis eligatur a regularibus, utique a conventu ipso; nam additur hujus electionem debere statim penes acta curiæ ordinariorum legitimo documento exhiberi, et dimitti, nec variari intra quinquennium sine legitima causa a sede Apostolica, vel ab ordinario approbanda. Non ergo potest alius eligi ad specialem causam unius particularis personæ: ille enim, qui electus fuit a conventu, videtur electus et deputatus ad causas omnes intra illam diœcesim agitandas, ut colligitur ex decreto S. congregationis concilii, vel declaratione, quam refert Barbosa in Collectan. Bullar. verb. *Conservator*, ubi habetur, debere regulares eligere conservatores, in singulis diœcesibus, in quibus monasteria, conventus, seu domos regulares habent. Adde, juxta eamdem constitutionem Gregorii XV. debere regulares, quoties rei sunt, conveniri coram hujusmodi conservatore sic electo: ille ergo est judex universalis ad omnes eorum causas, nec potest ab alio impediri. Denique hanc esse mentem sedis Apostolicæ, colligi potest ex Bulla Clementis VII. quam refert Casarubius *in compend. privileg. Mendicant.* verb. *Procuratores fratrum.* Emman. Roder. tom. III. *quæst. regular.* q. XXXIX. art. 4. et Lezana dicto tom. II. cap. x. num. 66. in qua Pontifex concedit procuratori, et syndico fratrum Minorum, ut non possent conveniri, nisi coram judice conservatore eorumdem fratrum, quem vocat conservatorem domus illius, cujus fuerint procuratores, vel syndici. Supponit ergo conservatores non debere esse plures pro numero illorum qui conservantur, sed eumdem pro tota domo, vel conventu, coram quo debeant omnes et singuli judicialiter conveniri.

Quærebatur quinto, an prædictus re- 15
ligiosus Societatis possit cogere actorem, ut eum potius conveniat coram conservatore, an vero ipse actor possit pro libito astringere religiosum, ut coram alio judice respondeat?

Dixi, electionem semper esse penes 16
actorem, qui incipit litem, atque ideo potest agere coram quocumque judice, qui tamen sit judex competens ipsius rei. In nostro ergo casu potest actor litem movere religioso inprimis coram ejus prælato regulari, qui procul dubio est ejus judex legitimus, vel coram legato a latere, vel nuntio Apostolico (si habeat jurisdictionem supra exemptos) vel coram judice conservatore illius collegii, vel domus ad quam religiosus ille spectat, vel denique potest petere ab auditore cameræ Apostolicæ judicem specialem ad cognoscendum de illa causa.

Quærebatur sexto, in quo loco possit 17

actor agere contra illum religiosum, an ubi est ipse religiosus, an ubi sunt bona stabilia quæ petuntur? Dixi, regulam generalem esse, quod actor agere possit in altero ex illis locis, ubi actor voluerit, ut post alios observat Baptista Fragosus *de regimine reipublicæ Christianæ* p. I. lib. IV. disp. x. §. 1. n. 107. In casu tamen nostro videtur fallere, nec posse recurri ad prælatum regularem, vel ad conservatorem illius loci, in quo sunt bona; non quidem ad prælatum, quia ille non est prælatus illius religiosi, nec ullam in eum habet potestatem, cum non magis reus subdatur illi prælato, quam prælato alterius religionis : Nec etiam habet jurisdictionem ratione territorii, in quo sunt bona, cum prælatus regularis non habeat territorium, sed solum sit superior domus, vel collegii, et prælatus illarum personarum : non ergo apparet, unde habeat titulum ad illam causam cognoscendam et judicandam. Sed neque ad judicem conservatorem illius loci, in quo sunt bona, pertinere potest judicium : quia in bulla relata Gregorii XV. prohibetur, ut vidimus, ne judex conservator possit citare aut trahere ad suum forum eos qui sunt extra diœcesim in qua deputatus est conservator. Frustra ergo recurreretur ad ipsum contra religiosum alibi commorantem, quem ille judex conservator non posset ad respondendum citare, aut compellere. Alia ergo remedia accipienda sunt, recurrendo ad provincialem proprium illius religiosi, vel ad legatum, aut nuntium (si possit judicare de exemptis) vel ad judicem delegatum ab auditore cameræ Apostolicæ, ut diximus.

## DUBIUM XXXIX.

*An Provincialis Societatis, et rectores seminariorum possint benedicere sacra ornamenta?*

Societas, quamvis vivæ vocis oraculo habuerit facultatem aliquam quoad hoc : nihil tamen habet sibi specialiter concessum per litteras, sed solum per communicationem privilegiorum aliarum religionum potest frui facultatibus illis concessis. Inveniuntur autem plures concessiones illis per litteras Apostolicas factæ : et præcipua est, quæ habetur in bulla Leonis X. edita die 3. Februarii anno 1514. quam affert Emman. Roder. in *Bellario regularium*, et est ibi bulla VI. ejusdem Leonis, in qua conceditur Generali, Provincialibus, Custodibus, et Guardianis fratrum minorum, ut possint benedicere ornamenta et paramenta, et alia quæcumque ad divinum cultum necessaria, in quibus chrisma non intervenit, pro usu proprio tantum. Cum qua moderatione Societas hac facultate utitur, ut constat ex compendio privilegiorum Societatis verb. *benedicere,* quamvis ibi prædicta bulla non referatur, quia fortasse a collectore visa non fuerat. Circa usum ergo hujus facultatis quæsitum fuit, an non solum præpositi locales, et rectores collegiorum Societatis benedicere possent ejusmodi ornamenta, sed etiam provinciales, atque etiam rectores seminariorum, in quibus sæculares alumni sub cura et regimine Societatis educantur, quale est seminarium Romanum, collegium Germanicum, Anglicum, Græcum, et alia similia. Ratio autem dubitandi est, quia in prædicto compendio privilegiorum Societatis non fieri videtur mentio de illis, sed de Generali et de præpositis, ac rectoribus localibus Societatis, quales non

videntur esse rectores seminariorum, qui quidem non videntur esse superiores Societatis, sed sæcularium qui ibi reguntur et educantur : et idcirco in congregationibus provincialibus, in quibus præpositi omnes et rectores congregantur : rectores tamen seminariorum non conveniunt, ut habetur in v. Congregatione generali, decreto LXXXI. et in VI. Congregatione, decreto XXV. §. ubi adverte, hos rectores seminariorum condistingui in dicto decreto LXXXI. ab aliis, *qui Societatis domicilia administrant :* hi autem non dicuntur Societatis domicilia administrare, sed *Seminariorum curam habere.*

2 Duplex poterat esse in hoc puncto difficultas. Prima, an potuerit Generalis ejusmodi facultatem benedicendi vestes sacras communicare provincialibus et rectoribus seminariorum. Secunda, an de facto eam illis communicasse censeatur. Circa primam partem dixi, probabile mihi esse, privilegia, quibus Societas per communicationem fruitur, ad has etiam personas extendi. Et quidem, quod attinet ad provinciales, res videtur esse extra controversiam : quia bulla Leonis X. supra adducta, loquitur expresse de provincialibus fratrum Minorum : et in *compendio privilegiorum Societatis,* verb. *benedicere;* post §. 3. P. Generalis communicat illam facultatem omnibus præpositis domorum, ac rectoribus et aliis superioribus, quibus provinciales communicandam duxerint. A fortiori ergo provinciales eam facultatem habent, cum possint ipsi eam aliis communicare. Præsertim cum et ipsi sint præpositi singularum domorum illius provinciæ, ita enim appellantur præpositi provinciales : quare nihil prorsus competit præposito, vel rectori locali in sua domo, vel collegio, quod non competat multo magis provinciali in eadem domo, vel collegio, et in singulis aliis suæ provinciæ.

3 Difficilius videri posset, quod attinet ad rectores seminariorum : sed ii etiamsi simul cum convictoribus, vel seminaristis sæcularibus, subditos habeant aliquos e Societate, videntur posse in dicta facultate comprehendi nomine *Rectorum,* atque ita olim interrogatus respondit P. Joannes de Salas. Ratio autem esse potest, quia, quando ejusmodi rectores habent sub se subditos ex Societate quos gubernant, sicut alii omnes rectores, et ipsi nulli alii præposito aut rectori locali subduntur, sed soli provinciali immediate (de hujusmodi enim rectoribus loquimur, qui soli provinciali immediate subjacent) iis, inquam, nihil videtur deesse, ut in toto rigore sint veri superiores et rectores, ac prælati regulares Societatis. Non sunt quidem prælati regulares respectu convictorum et subditorum sæcularium quos habent; quia prælatus regularis habet relationem necessariam ad subditos regulares : sed tamen respectu subditorum regularium quos habet, non video cur non sit verus prælatus regularis, cum in eos habeat jurisdictionem ordinariam permanentem, et circa illos possit et exerceat, quidquid possunt et exercent circa suos subditos alii prælati regulares et nulli alteri prælato locali subordinetur, sed soli provinciali.

Nec obstat, quod major pars subditorum sint sæculares : sufficit enim quod sint etiam alii religiosi, qui cum suo rectore possint facere collegium constans ex ministris, et officialibus religiosis, quales ultra rectorem sunt minister, subminister, consultores, admonitor, confessarii religiosorum, et omnes qui in aliis collegiis reperiuntur. Regula namque generalis est, quod utile per inutile non vitiatur, et communitas religiosa non perdit suam naturam ex eo quod habeat sibi adjunctam aliam communitatem sæcularem. Nec moniales desinunt habere verum monasterium regulare, quamvis habeant intra suam clausuram puellas multas sæculares ad educationem, quas eadem abbatissa gubernat. Imo olim monachi pueros multos sæcu- 4

lares ad similem educationem secum habebant, nec ideo minus censebatur monasterium regulare, sub abbate proprio regulari. Similiter ergo in ejusmodi seminariis, ubi sunt plures e Societate, reperitur verum collegium regulare constans ex rectore, et religiosis Societatis, quamvis idem sit rector sæcularium, cum quibus componit aliam communitatem sæcularem.

5 Magis videtur posse obstare, quod domus seu locus ille non sit vere locus Societatis, nec ad ejus dominium pertineat, sed ad communitatem illam sæcularem, ad quam vocantur religiosi Societatis quasi hospites et administratores, possuntque ex causis expelli, et vocari eorum loco alii religiosi vel sæculares, qui curam loci et alumnorum habeant, et non semel ita factum est, dimissis et iterum revocatis patribus Societatis : non est ergo collegium Societatis, sed sæculare, in quo religiosi ob justas causas hospitantur. Unde diximus supra dub. xxxv. ecclesias illorum seminariorum non esse proprie ecclesias Societatis, neque in iis locis prohibitum esse ingressum feminarum, sicut in domibus regularium, quia non tam alumni illi sunt in domo Societatis, quam religiosi Societatis sint in domo alumnorum, ut eorum curam habeant.

6 Propter hæc itaque fatendum videtur, loca illa non esse in toto rigore et stricte loquendo, collegia Societatis, quando nimirum religiosi Societatis vocati solum sunt ad curam loci et alumnorum habendam, et dominium manet penes communitatem alumnorum, quod confirmari potest ex verbis constitutionem Societatis p. IV. cap. II. §. 3. et congregationis quartæ generalis decr. XXIII. et XXVII. ubi prohibetur Generali dissolvere vel relinquere collegia semel acceptata, nisi accedat consensus Societatis in congregatione generali, vel, si urgeat necessitas, saltem per suffragia provincialium et assistentium, et duorum antiquissimorum professorum ex singulis provinciis Europæ. Et tamen certum est, posse saltem Generalem relinquere seminarium, cujus curam Societas susceperat, et jubere ut Societatis patres ab eo recedant. Non ergo comprehenduntur ejusmodi seminaria nomine collegiorum, quando interpretatio stricta facienda est : quia tamen nunc non versamur in odiosis, sed in materia favorabili, qualis est facultas benedicendi vestes sacras, probabile videtur, quod nomine *Superiorum localium* comprehendantur rectores horum seminariorum, qui respectu subditorum regularium sunt veri prælati regulares locales, atque ideo videntur comprehendi in facultate concessa omnibus prælatis localibus benedicendi ea ornamenta sacra ; sunt enim veri superiores locales affixi tali loco, et exercentes eamdem et plenam jurisdictionem in suos subditos regulares, quam exercent alii omnes præpositi, et rectores domorum, et collegiorum Societatis.

Nec obstat facilior dissolubilitas hu- 7
jusmodi collegiorum, aut quod illa non sint domus propria Societatis, sed alumnorum sæcularium, quia id etiam fere reperitur in pœnitentiaria S. Petri in Urbe, et Lauretana, in quibus sacerdotes Societatis habitant in domibus deputatis pœnitentiariis illarum ecclesiarum, quandiu Societas illarum curam ex commissione Sedis Apostolicæ exercet, et posset Generalis justis de causis curam illam dimittere, et petere a summo Pontifice, ut alios pœnitentiarios sæculares vel regulares introduceret. Imo Societas in iis locis non habet ecclesiam propriam, sed sicut in ecclesia S. Petri, vel Lauretana confessiones audiunt, ita ibidem pœnitentiarii celebrant. Eo tamen, quandiu ibi sunt, habent suum rectorem, et sub ejus obedientia vivunt, sicut in cæteris collegiis : nec ullus dubitavit an rector ille possit benedicere vestes sacras, sicut alii rectores, a quibus quoad usum omnium facultatum nullo modo differt : differt quidem rector pœnitentiariæ a rectoribus seminariorum, quod hi habent

etiam subditos sæculares, quos ille non habet, sed solos regulares : et ideo fortasse rector pœnitentiariæ locum habet in congregatione provinciali cum aliis rectoribus, quod non conceditur rectoribus seminariorum, quia rector pœnitentiariæ per se, et primario constituitur superior regularium ; rectores vero seminariorum ex primaria intentione videntur deputati ad regendos subditos sæculares ; et per accidens habent subditos religiosos, quorum opera indigent ad regimen sæcularium. Hoc tamen discrimen videtur esse extrinsecum, et pertinens ad causam finalem : intrinsece vero non minus est superior ordinarius suorum subditorum regularium, quam sit rector pœnitentiariæ, et aliquando plures habebit subditos religiosos rector alicujus Seminarii, quam rector pœnitentiariæ. Unde quamvis in congregatione generali quinta, decreto LXXXI. exclusi fuerint rectores seminariorum a congregatione provinciali, ne nimium cresceret numerus congregandorum : in congregatione tamen quarta in formula congregationis provincialis, cap. III. §. 5. admissi fuerunt quoties rectores illi immediate provinciali suberant, et novem e Societate in seminario communiter habitant : quia in iis casibus nihil videbantur a cæteris rectoribus differre.

8 Magis obstare posset differentia alia supra insinuata, quatenus pœnitentiarii, et eorum rector videntur magis esse in domo, seu loco Societatis, quia, licet domus illa non sit vere sub dominio Societatis, sicut sunt alia loca et collegia, sed solum Patres habitent ibi ex concessione sedis Apostolicæ, quandiu munus pœnitentiariæ exercent : id tamen sufficit, ut pro tunc domus illa Societatis dicatur ; nam, sicut dicitur domus mea, quam ego ex conductione habito, licet non sit mea quoad dominium proprietatis : ita potest dici domus Societatis, quam Societas ex concessione sedis Apostolicæ habitat : parum enim refert quod ex mercede et pretio annuo, vel quod gratis habitet Societas, ut ejus domus interim dicatur. In seminariis autem non ita proprie dicuntur loca illa Societatis, quia, licet rector et alii religiosi Societatis ibi habitent, etiam ex concessione sedis Apostolicæ, vel eorum ad quos ea loca pertinent, quandiu Societas convictorum vel alumnorum curam gerit : non sunt tamen ipsi patres Societatis primarii inquilini, ut ita dicam, illorum locorum, sed ipsi alumni, in quorum gratiam constructum est : Patres vero indicuntur quasi principales officiales alumnorum : quare magis dicitur locus ille domus alumnorum, quam Societatis : et ideo etiam minus stricte obligat ibi, ut supra dixi, clausura regularis, ne ingredi possint feminæ, quam in domo pœnitentiariæ, quæ proprie est domus regularis. Unde fatendum est rectorem pœnitentiariæ magis proprie esse rectorem Societatis, quam rectorem seminarii, quia ille est prælatus localis in loco Societatis, quod in toto rigore non habet rector seminarii.

Cæterum, quamvis quoad locum sit 9
hæc differentia : quoad communitatem tamen religiosam quam uterque rector gubernat, nulla videtur esse differentia : quare, cum rector magis sit rector subditorum quam loci, non videtur rector seminarii excludendus a nomine rectoris et prælati localis Societatis. Nam prælatus localis non solum est qui habet jus in locum, sed etiam qui in certo loco determinato habet jus in personas degentes ibi, cum utroque modo verum sit, restrictam esse ejus jurisdictionem ad certum locum. Adde, licet locus ipse non sit ita proprie locus Societatis, sicut alia collegia, vel sicut domus pœnitentiariæ : in aliquo tamen posse dici locum Societatis et Societatem habere jus aliquod in locum ipsum, non quidem dominium, ut constat, sed usum et habitationem quoad proprias personas ex concessione domini, a quo vocantur Patres, ut habeant curam illius loci, et ut ibi habitent, ac per consequens habent ex voluntate domini jus ibi habitandi, non soli sed

cum alumnis : quæ concessio procul dubio dat Patribus aliquod jus, non quidem contra Sedem Apostolicam, sed contra alios omnes, et contra ipsos alumnos, a quibus non possunt sine manifesta injuria expelli, quia id fieret contra jus acquisitum ex concessione potentis tale jus concedere : quod multo magis procedit in seminariis illis, in quibus Societas curam et regimen immediatum habet ex testamento fundatoris, ut in seminario Hibernorum Romæ erecto, vel ex bullis Summorum Pontificum, qui in perpetuum curam illorum locorum a sede Apostolica erectorum Societati commiserunt. Ex hujusmodi enim testamentis, vel bullis Pontificiis non leve jus Societas comparat ad loca illa regenda et habitanda, et merito censetur fixum et stabile, quod ex testamento vel bulla Pontificia firmatum est ; atque ideo in catalogo, qui aliquando typis vulgari solet, provinciarum et collegiorum societatis, non minus ejusmodi collegia et seminaria enumerantur, quam cætera omnia : non ergo immerito collegia Societatis dici possunt, et eorum rectores in materia favorabili, qualis est ista, possunt intelligi sub nomine rectorum locaIium Societatis.

10 Unde facile jam responderi potest ad id quod secundo loco proponebatur, an præpositus generalis habuerit intentionem communicandi hanc facultatem rectoribus seminariorum : quamvis enim privilegia a sede apostolica concessa ad eos etiam rectores extenderentur, id satis non erat, si Generalis illis hanc facultatem non communicaret, a quo uno debent facultates et privilegia omnia singulis Societatis personis positive communicari, ut licite et valide illis prodesse possint. Intentio ergo Generalis colligenda erit ex verbis quibus eam facultatem communicat in *compendio privilegiorum Societatis*, verb. *Benedicere*, ubi postquam in §. 4. dictum fuerat posse in Societate omnes præpositos domorum et rectores ea ornamenta benedicere, additur postea nomine præpositi generalis : hæc facultas conceditur omnibus in ea comprehensis, et aliis superioribus, quibus provinciales communicandam duxerint. » In quibus verbis videtur Generalis requirere ad minus judicium provincialis, ut alii superiores præter præpositos, et rectores collegiorum ea facultate uti possint. Non apparet autem, qui sint *alii superiores,* nisi rectores seminariorum : nam, licet in singulis domibus et collegiis, præter præpositum et rectorem, sit etiam minister, qui est quasi instrumentum præpositi vel rectoris, et in aliis ordinibus appellari solet subprior vel vicarius, et in Societate censetur superior, quamvis non possit præcipere in virtute sanctæ obedientiæ : hi tamen ministri, non possunt in casu nostro intelligi nomine aliorum superiorum, quia hæc facultas benedicendi ornamenta non competit Societati, ut diximus, nisi ex communicatione privilegiorum aliorum ordinum. Nullibi autem reperitur concessa hæc facultas aliis ordinibus pro subprioribus, vel vicariis prælati localis : non potest ergo communicari ministris in Societate, nisi quando ob absentiam, vel mortem rectoris, minister remaneret vicerector, et haberet plene gubernium totius collegii : quo casu non indiget peculiari communicatione, qua provincialis ei communicet facultatem hanc benedicendi. Nam in proœmio dicti compendii privilegiorum Societatis expresse declaratur, omnes facultates concessas præpositis, vel rectoribus, intelligi concessas ejusmodi vicepræpositis, vel vicerectoribus, quando nullus alius est præpositus, vel rector, vel adeo longe abest, ut pro rei exigentia non satis commode consuli possit. Restat ergo, quod nomine *aliorum Superiorum*, quibus nonnisi de consensu provincialis, hæc facultas communicari censetur, intelligi debeant superiores, seu rectores horum seminariorum, quibus nonnisi per manus, et

nutum provincialium hæc facultas communicatur.

Mihi ergo certum videtur, voluisse Generalem rectoribus seminariorum ejusmodi communicare hanc facultatem, interveniente saltem consensu provincialis, hoc enim ad minus prædicta communicationis verba probare videntur, quare optime facient ejusmodi rectores, si petant hanc communicationem a suis provincialibus, et scio, aliquos eorum Romæ illam a Generali petere : idque magis tutum erit, ut ambiguitas prædictorum verborum omnino tollatur. Probabile tamen videtur, quod intentio patris Generalis absolute feratur ad ejusmodi rectores sine necessitate novi consensus obtinendi a provinciali ; quia in favorabilibus, qualis est communicatio facultatis, et ubi aliunde non colligitur eorum exclusio, ipsi intelligi videntur nomine *Rectorum*, atque ita ab omnibus appellantur rectores. Nec obstant verba illa, quibus Generalis dicit posse communicari eamdem facultatem *aliis Superioribus*, quibus provinciales communicandam duxerint, quia verba illa possunt commode intelligi de superioribus residentiarum, quæ non sunt collegia, sed loca aliqua in quibus aliqui e Societatis sub uno superiore habitant, ut ubi Societate ministeria exerceant interim, dum opportunitas erigendi collegium speratur : hi non appellantur rectores, sed superiores talis, vel talis residentiæ.

Porro hanc esse interpretationem, et sensum illorum verborum, probari potest ex verbis aliis præfationis appositæ ante illud compendium privilegiorum Societatis, ubi pro intelligentia omnium privilegiorum et facultatum subsequentium, explicatur et declaratur qui sint intelligendi nomine *Superiorum*, quando postea Generalis dicit aliquam facultatem communicere superioribus : declaratio autem est hæc : « Denique nomine provincialium, præpositorum, et rectorum, quorum non raro in compendio fit mentio, subintelligendi quoque sunt viceprovinciales, vicepræpositi, ac vicerectores, quando nimirum nullus est provincialis, præpositus, aut rector, vel adeo longe abest, ut pro rei exigentia consuli non satis commode possit, qui omnes etiam nomine superiorum in hoc compendio significantur. Nam reliquis residentiarum, et missionum superioribus, eorum superiores, a quibus vel mittuntur, vel sub quorum cura et directione vivunt, eas ex sibi concessis facultates juxta constitutiones communicare poterunt, quas pro ratione locorum, temporum, et personarum communicandas judicaverint. » In quibus verbis observo, duas solum classes superiorum in Societate distingui quoad usum privilegiorum et facultatum. In prima sunt provinciales, præpositi, rectores, viceprovinciales, vicepræpositi, et vicerectores, et hi omnes intelliguntur nomine *Superiorum*, quoties communicatur aliqua facultas omnibus superioribus. In secunda classe ponuntur soli superiores residentiarum et missionum : et his debent communicari facultates a suis superioribus immediatis. Quando ergo postea in casu nostro communicatur absolute facultas benedicendi ornamenta omnibus præpositis et rectoribus, et deinde dicitur quod provincialis poterit decernere ; an sit aliis superioribus communicanda : ii soli debent ibi intelligi nomine *aliorum Superiorum*, qui supra in præfatione nominati, fuerant distincti a præpositis et rectoribus ; nimirum superiores residentiarum et missionum, solum sub conditione, si provincialis communicandam judicaret. Dixi tamen intentionem hanc habuisse *quantum de se erat ;* quia fortasse aliqui erunt superiores residentiæ vel missionis, quibus juxta Societatis privilegia supra adducta, ea facultas communicari non possit, eo quod non habent conditiones requisitas, ut possint absolute censeri prælati locales, v. g. si missio fiat ad tempus in aliquo loco, vel si duo vel tres e Societate habitent etiam permanenter in aliquo, ut

curam habeant bonorum temporalium quæ ibi sunt, et pertinent ad aliquod collegium principale: tunc enim qui ibi superior appellaretur, non esset prælatus localis regularis simpliciter et absolute, sed esset quasi minister rectoris collegii principalis, ad quod bona illa spectant. Non video autem privilegium alicujus religionis datum per bullam, ex vi cujus possint ejusmodi superiores subordinati, et qui non sint absolute prælati locales, benedicere vestes sacras. Et hæc de his sufficiat tetigisse.

## DUBIUM XL.

*An possit erigi congregatio sodalium B. Virginis in loco, qui non sit sub dominio Societatis?*

1 Suppono, ex bullis Gregorii XIII. Sixti V. et Clementis VIII. quæ habentur in Bullario Societatis, posse erigi in omnibus domibus, collegiis, et residentiis Societatis, sodalitates, vel congregationes scholarium, vel quorumcumque aliorum, qui juxta regulas a generali præscriptas, ibi conveniunt ad frequentiam sacramentorum, et alias pias exercitationes obeundas: quæ omnes congregationes aggregantur congregationi primariæ erectæ in collegio Romano Societatis, et eo ipso fruuntur omnibus gratiis, et indulgentiis eidem primariæ congregationi concessis.

2 Hoc supposito, quæsitum fuit, utrum ad hoc, ut congregatio, seu sodalitas aliqua B. Virginis alicubi a patribus Societatis erigenda primariæ congregationi aggregari, ejusque indulgentiis ac gratiis frui possit, requiratur quod sodales conveniant, et sua spiritualia exercitia consueta peragant in loco, qui proprie ad Societatem pertineat: an vero sufficiat si locus ille Societati quoad usum suorum ministeriorum, ac functionum a vero ejus domino concessus sit?

Hoc ultimum sufficere, probari videbatur. 3 Primo ex mente Gregorii XIII. et Sixti V. qui, licet in prædictis suis bullis concedentes erectionem et aggregationem aliarum congregationum utantur illis verbis, *in quibuscumque collegiis, domibus, ecclesiis Societatis JESU:* non tamen videntur voluisse verba illa usurpare in eo rigore, ut complecterentur solas domos, ecclesias, etc. quæ vere et quoad proprietatem seu dominium sint ejusdem Societatis, sed potius ut complecterentur etiam eas, quæ saltem quoad usum suarum functionum sunt ejusdem Societatis ex liberali accommodatione et concessione verorum dominorum: partim, quia concessio hæc erigendi et propagandi congregationes est favorabilis, atque adeo extendenda, quantum sine verborum violentia extendi potest. Partim etiam, quia Societas plerumque in aliquibus locis per plures annos commoratur, suasque exercet functiones, (inter quas non est postrema harum congregationum institutio) antequam habeat propriam domum, vel saltem ecclesiam seu capellam, vel oratorium. Non videtur autem credibile, dictos Pontifices tantopere laudantes in suis bullis ejusmodi congregationes, earumque spiritualia exercitia, et animarum fructus, voluisse fideles in illis locis privare hoc fructu cum spirituali eorum jactura.

Secundo probatur, quia ad tollendum 4 hunc scrupulum, seu hanc verborum ambiguitatem, Clemens VIII. in sua bulla data die 30. Augusti anno 1602. quando facultatem a Gregorio XIII. et Sixto concessam extendere voluit etiam ad residentias, videtur de industria mutasse verba: nec enim dixit ejusmodi congregationes *erigendas in domibus, collegiis*, etc. prout ejus prædecessores dixerunt, sed dixit erigendas *apud residentias, domos, collegia, ecclesias Societatis*, etc. imo dixit *apud quascumque*

*residentias presbyterorum Societatis;* qui tamen plerumque residentiam habere solent sine ecclesia propria, et degunt in domo aliena ; quare ad eum etiam locum et casum facultas illa extensa omnino videtur, ne falsa sit locutio illa universalis Clementis, *apud quascumque residentias* posse erigi ejusmodi congregationes.

5 Tertio probatur, quia ex aliquorum sententia indulgentiæ ecclesiis Societatis concessæ locum etiam habent, et obtineri possunt in eo templo, quo Societas propria ecclesia adhuc carens, ita ad suas functiones in eo exercendas uti potest et solet, ut communiter ab omnibus ibi haberi, dicique soleat templum Societatis. Poterit ergo ibidem erigi sodalitas sub regimine Societatis, quæ primariæ congregationi Romanæ aggregatur, et ejusdem indulgentiis, et gratiis fruatur.

6 Denique usus videtur huic sententiæ favere ; nam inprimis de facto in variis convictoriis, et collegiis, seu seminariis alumnorum sæcularium Societatis curæ commissis, proprietate, et dominio loci ad alios, et non ad Societatem pertinente, congregationes ejusmodi multæ sunt erectæ, et primariæ congregationi aggregatæ, nec dubium fuit de earum erectionum valore, et quod sodales gratiis ac indulgentiis primariæ congregationis fruantur ; quod idem dici potest de aliis non paucis congregationibus, quæ, licet in collegiis erectæ videantur ; earum tamen sodales ad sua exercitia conveniunt extra collegia in sacellis, vel oratoriis usui sodalitatis ad suas functiones concessis, dominio ad alios spectante : quæ tamen congregationes non minus solent primariæ congregationi Romanæ aggregari, et ejusdem gratiis ac indulgentiis potiri, nec de iis unquam dubitarunt.

7 Pro contraria tamen sententia, et contra legitimum valorem hujusmodi sodalitatum videbantur esse inprimis verba summorum Pontificum in prædictis bullis, in quibus solum conceditur facultas erigendi ejusmodi sodalitates in collegiis, ecclesiis, domibus, et residentiis Societatis, seu apud ea loca, in qua voce nullum videtur inesse mysterium, cum ipse Clemens VIII. referens concessionem a Gregorio, et Sixto factam, utatur ea voce *apud*, quamvis illi non dixissent *apud*, sed *in ecclesiis*, *collegiis*, etc. Quare non videtur aliud intendisse Clemens, dicens, *apud collegia*, etc. quam quod ejus prædecessores intenderant, dicentes *in collegiis*, etc. Accedebant deinde responsa præpositorum Generalium Societatis. Nam P. Claudius Aquaviva in litteris datis anno 1584. ad provinciam Neapolitanam, et anno 1600. ad provinciam Austriæ, respondit : « Congregationum, quæ sunt extra domum, vel collegium, non esse suscipiendam aliam curam, quam ut habendis exhortationibus, privatisque colloquiis sobales ad pia opera excitentur. » Similiter anno 1610. die 7. Augusti provinciæ Poloniæ respondit : « Congregatio haberi non potest in domo vicina nostræ, quia congregationes haberi debent in domibus nostris, nec aggregatio ad primariam dabitur, nisi cum locus idoneus domi nostræ paratus fuerit. » Item P. Mutius Vitelleschus Generalis, litteris suis datis 10. Julii anno 1621. ad provinciam Flandriæ respondit : « Congregationes extra domicilia Societatis institui, aut institutæ ad nostras aggregari non possunt. » Item 19. Augusti anno 1631. Germaniæ superiori respondit : « Oratorium congregationis non potest alibi ædificari, quam in fundo Societatis : si enim ita sejunctum sit, ut pro collegiis censeri nequeat, non poterunt, qui in illo sunt, frui indulgentiis. « Denique idem 3. Martii anno 1640. provinciæ Poloniæ respondit : « Congregationes domi nostræ non erectæ, nec a Societate administrari, nec aggregari iis quas administramus, nec harum privilegiis ac indulgentiis donari possunt. »

8 Vides rationes pro utraque parte. Ego quidem die 26. Julii anno 1642. cum iterum apud eumdem P. Mutium de hoc

quæreretur, ita respondi. Seclusis responsis Patrum Generalium, hæc mihi dicenda videntur, juxta quæ fortasse eorum responsorum sensus intelligi posset. Primum, non ita debere locum, ubi erigitur congregatio, et fiunt ejus exercitia, esse sub dominio proprietatis Societatis, ut non sufficiat esse sub jure Societatis saltem quoad usum liberum, v. gr. si collegium, vel residentia nondum habeat domum propriam, et ideo Patres habitent in domo conducta, prout habitarunt aliquandiu patres collegii Januensis, et seminarium Romanum, in quibus locis congregationes scholarium, vel convictorum erigi poterunt, quia illa dicuntur vere loca Societatis. Sicut etiam dicitur vere et in rigore palatium et domus Cardinalis, et fruitur omnibus privilegiis quæ Cardinalium palatiis competunt, domus ubi Cardinalis permanenter habitat, licet sit conducta ; quia durante conductionis tempore quoad usum liberum fit sua, atque ita ab omnibus appellatur et existimatur.

9 Unde secundo dicendum videtur, idem esse sentiendum, licet absque pretio concedatur usus liber illius loci, cum eodem jure et facultate libera, ac si esset domus conducta ; quod enim solvatur vel non solvatur pretium, est per accidens, et parum refert, si effectus est idem, et Patres habent idem jus ad liberum usum illius loci, perinde ac si essent domini proprietatis.

10 Tertio, quamvis ecclesia, vel oratorium, in quo exercentur ministeria, non esset locus conjunctus reliquæ Patrum habitationi : si tamen locus ille esset ipsorum Patrum, vel quoad proprietatem, vel saltem quoad usum liberum, altero ex duobus modis supradictis, idem videtur dicendum. Nam alicubi templum est separatum a reliqua Patrum habitatione interjecta via publica, et tamen censetur et appellatur ecclesia Societatis. Et quidem collegium Græcorum Romæ dividitur a sua ecclesia, nec a collegio nisi per viam publicam, quæ interjacet adiri, poterit ad ecclesiam, ad quam tamen nunc datur aditus internus per arcum, seu pontem paucis ab hinc annis super viam publicam constructum ; et tamen semper ecclesia illa erat et censebatur ecclesia propria illius collegii, cujus curam habebant et habent Patres Societatis.

Dixi tamen, hæc intelligi debere, quando Societas habeat usum liberum illius loci, sive id sit ex conductione sive ex concessione domini. Unde non idem dicerem, quando administratio illius loci non sit plene penes Societatem, v. g. si parochi, vel canonici permittant patribus Societatis sua ministeria in eorum ecclesia exercere, manentibus interim in ea ipsis parochis, vel canonicis, ut in ecclesia sua. Tunc enim patres Societatis non sunt ibi ut domini, sed ut hospites in domo aliena : administratio vero et cura illius remaneret apud parochos, vel canonicos. Sic de facto patres Societatis pœnitentiarii celebrant, et audiunt confessiones in ecclesia S. Petri Vaticana, et in ecclesia Lauretana : quæ tamen non censentur ecclesiæ Societatis, nec in illis erigi possent ejusmodi sodalitates, seu congregationes : idemque dicendum esset, si patres hospitio reciperentur apud aliquem sæcularem, dum quærunt locum proprium : illa enim domus non esset locus sacer, nec gauderet immunitate, atque adeo non esset locus Societatis, nec in eo possent erigi congregationes. Imo idem fortasse dicendum esset, si iisdem patribus domus aliqua precario solum concederetur, ut in ea soli habitarent ; si tamen nec ad tempus jus aliquod irrevocabile haberent, sed semper possent a domino pro libito expelli, quia nec ad usum videretur ille esse locus Societatis, cum nullum jus Societas acquisivisset ad ibi permanendum. Debet ergo esse locus Societatis saltem quoad usum, cujus administrationem ipsi soli habeant cum jure ibi manendi, et cæteros expellendi, sicut habet, qui utitur 11

domo sibi conducta : ita tunc ad dubitationem propositam respondi.

## DUBIUM XLI.

*De professo Societatis transeunte ad alium ordinem, et inde postea ad clericos regulares sancti Joannis Jerosolymitani.*

1 N. professus Societatis cum facultate præpositi generalis transiit ad ordinem Sanctissimæ Trinitatis redemptionis captivorum : quam licentiam prædictus generalis ex justis causis dare potuit ex facultate sibi concessa a Gregorio XIII. litteris datis die 22. Septembris anno 1582. quæ bulla habetur in bullario ejusdem Societatis, et incipit, *Cum alias.* Postquam vero in illo ordine professionem emisit, voluit inde transire ad ordinem clericorum regularium S. Joannis. Quæsitum est, an id posset facere sine novo consensu præpositi Generalis.

2 Videbatur autem necessarius ille consensus, idque colligi ex verbis alterius privilegii, quo Societas per communicationem fruitur, et habetur in compendio priviligiorum Societatis verb. *Apostatæ*, §. 10. ubi dicitur, quod « si post licentiam obtentam ad aliam religionem transeundi, ex ea post professionem emissam recesserint, et ad sæculum redierint, vel ad aliam laxiorem transierint, contra ipsos, ut contra alios apostatas, procedere possunt Societatis superiores. » Fuit autem hoc privilegium concessum ordini minorum a Julio II. per bullam, quæ habetur in bullario Regularium, apud Emman. Rodericum, et est XXVI. illius Pontificis, ubi §. 17. illud privilegium continetur, qui videbatur esse casus nostræ quæstionis.

3 Respondi, duo quæri posse in hoc casu. Primum est, an Generalis Societatis possit licentiam illam concedere. Secundum est, an, licet non possit concedere licentiam, possit tamen transitum illum impedire, ita ut licentia a summo Pontifice ad eum transitum obtenta censenda sit subreptitia, quandiu non explicatur, professum illum ordinis sanctissimæ Trinitatis fuisse antea professum Societatis, a qua nec immediate, nec mediate transire poterat ad ordinem laxiorem. Et quidem, quod attinet ad primum, non credo, posse præpositum generalem Societatis licentiam illam eo casu concedere. Primo, quia jam professus ille non est amplius ejus subditus, sed alterius ordinis, ad quem antea transierat, et in quo professionem jam emiserat. Neque enim privilegium, et facultas Generali concessa, ut dare possit professis licentiam transeundi ad ordinem laxiorem, intelligi debet, nisi de respectu professorum suorum subditorum, de quibus solis loquitur Gregorius XIII. in bulla supra relata. Neque etiam Julius II. concessit prælatis Minorum potestatem dandi hanc licentiam suis professis transeundi ad ordinem laxiorem, sed solum dedit eis potestatem puniendi ut apostatas eos, qui cum debita licentia transiissent ex suo ordine ad alium, et ex hoc postea transiissent ad laxiorem. Ad quam quidem punitionem exercendam necessaria fuit specialis concessio summi Pontificis; nam in rigore juris nec hoc possent facere prælati ordinis minorum, cum jam illi non essent eorum subditi, postquam cum debita licentia professionem in alio ordine emiserant. Concessit tamen Pontifex quod in hoc casu possent eos ut apostatas punire : non tamen concessit, quod possent illis dare licentiam transeundi ad ordinem laxiorem. Quare Societas nec ex propriis privilegiis, nec per communicationem aliorum habet hanc potestatem, ut iis, qui jam non sunt subditi Societatis, possit dare facultatem transeundi ad ordinem laxiorem.

4 Secundo, et clarius hoc ipsum probatur, quia licentia etiam a summo Pontifice concessa alicui mendicanti transeun-

di ad aliam religionem etiam laxiorem, sive mendicantium, sive non mendicantium non sufficit, ut possit transire ad ordines militares et hospitalarios, ut cum aliis tradit Emman. Rodericus tom. III. *qu. regular.* q. LII. art. 12. ubi refert, ita responsum fuisse a sacra congregatione : ergo similiter potestas concessa generali Societatis, ut possit dare professis licentiam transeundi ad aliam religionem laxiorem, non extenditur ad licentiam transeundi ad ordinem militarem, vel hospitalarium, cum eodem modo debeat intelligi facultas transeundi, et facultas dandi licentiam transeundi. Atque ita in terminis respondit sacra congregatio patri Claudio generali Societatis, non posse ipsum virtute sui privilegii dare licentiam professo Societatis transeundi ad ordinem sancti Joannis Jerosolymitani. Imo Sanctissimus N. D. Innocentius X. sæpe interpellatus, ejusmodi licentiam cuidam professo Societatis, me præsente sæpe constantissime negavit. Restat ergo, quod attinet ad primum quæsitum, generalem Societatis non potuisse in casu nostro dare licentiam ad illum transitum : tum, quia ille jam non erat ejus subditus : tum, quia, licet subditus esset, non poterat concedere transitum ad talem religionem. Ad summum ergo poterat præstare ex parte sua consensum, ut si summus Pontifex judicaret licentiam concedendam, ipse non censeretur Societatis nomine contradicere.

5 Difficultas ergo manet quoad secundum quæsitum, an potuerit generalis Societatis impedire transitum illum ob jus, quod Societas habet virtute præfati privilegii, ne professus ad alium ordinem translatus possit inde postea ad alium ordinem laxiorem transire ? Et quidem certum est, non obstante illo privilegio, posse summum Pontificem, si velit, et adsit causa justa, concedere illum secundum transitum etiam invita Societate : neque de hoc ullum dubium esse potest. Solum potest dubitari, an ad valorem hujus dispensationis, et ne sit subreptitia, debuerit narrari summo Pontifici, quod ille fuerit antea professus Societatis, atque ideo impedimentum aliud habeat ad transitum ad religionem laxiorem : videtur enim dehuisse privilegium prædictum, quo diximus frui Societatem ne ejus professi, qui cum facultate debita transeunt ad alium ordinem, possint ex illo postea ad alium laxiorem transire.

Verum P. Suarez tom. IV. *de Religione*, tract. VIII. lib. III. cap. XII. num. 31. et 32. cum mentionem hujus privilegii Societatis fecisset, et concessisset communicari virtute illius novam, et extraordinariam potestatem supra personam illius, qui jam non est amplius subditus Societatis, sed alterius ordinis, ad quem transierat, et in quo professus fuerat : idque merito concedi, ne forte prior transitus ex Societate fiat cum fraude, eo quod ex secunda religione facilior sit transitus ad aliam laxiorem : addit tamen, non habere locum hoc privilegium, nec prælatos Societatis posse procedere contra illum professum, nisi quando postea ille ad tertium ordinem laxiorem transtulit se sine dispensatione ; secus, si hanc obtinuit, etiamsi a prælatis Societatis consensum non petiisset, quem consensum ipse Suarez non reputat necessarium, ut dispensatio subreptitia non sit, Nec enim ejusmodi necessitas ex verbis, aut tenore privilegii colligi potest, quæ interpretatio mihi etiam satis probabilis videtur, et magis consona verbis privilegii, quæ loquuntur solum de iis, « qui post licentiam obtentam ad aliam religionem transeundi, ex ea post professionem emissam recesserint, et ad sæculum redierint, vel ad aliam laxiorem transierint : » ubi eodem modo loquitur de transitu ad laxiorem, et de reditu ad sæculum, qui tamen reditus supponitur procul dubio fieri sine dispensatione debita : quare videtur sermo esse de simili transitu ad laxiorem dispensatione necessaria. 6

Magis tamen potest ex alio capite dubitari de valore hujus dispensationis, nisi 7

saltem Pontifici narretur, Oratorem jam antea ex dispensatione transisse ex societate Jesu ad aliam religionem, quæ necessitas fundari videtur in regula illa generali, quod in secunda dispensatione obtinenda facienda est mentio primæ dispensationis obtentæ, ne secunda censeatur subreptitia, quam regulam veram esse, quando saltem ex utraque dispensatione simul sumpta dispensatio circa eamdem materiam fit major, atque adeo exigit majorem causam, ut concedi possit, docent ii, quos afferunt et sequuntur Sanchez lib. VIII. *de matrimonio* disp. XXII. Basilius Legionensis *de matrimonio* lib. VIII. cap. 17. Castro Palao tom. I. tr. III. disp. VI. §. 4. n. 5. et alii communiter. Et quidem in casu nostro id maxime locum habere videtur, cum agatur de dispensatione voti solemnis facti in professione, quæ professio licet maneat quoad substantiam vitæ religiosæ ; dispensatur tamen magna ex parte quod observantiam, cum revera per utramque illam dispensationem simul sumptam reducatur obligatio observantiæ debitæ in Societate ad observantiam, quam potest habere clericus regularis ordinis S. Joannis, qui majori ex parte domi suæ in sæculo degit. Quamvis ergo potuerit subesse causa, ut professio Societatis commutata sit in professionem alterius ordinis mendicantis : non ita tamen facile suberit causa, ut eadem professio Societatis commutetur in professionem solam, et observantiam illius ordinis S. Joannis, quare ne sit subreptitia posterior dispensatio, videtur necessario facienda Pontifici mentio prioris, ut sciat id totum in quo dispensatur prima professio facta in Societate.

8 Video, posse in contrarium afferri sententiam multorum, qui dicunt, quando votum reservatum, v. g. castitatis, vel religionis commutatum est a summo Pontifice in alia opera pia, ut in jejunia vel orationes, etc. obligationem ad hæc alia opera non esse reservatam, atque adeo posse ab alio inferiori commutari, vel etiam ex causa posse in iis ex parte dispensari : quod docent Sanchez lib. VIII. *de matrimonio*, disp. VIII. n. XX. et lib. IV. *in Decalog.* cap. XL. n. 46. Suarez lib. VI. de voto cap. XX. num. 25. Basilius Legionensis lib. VIII. *de matrim.* cap. VIII. §. 2. num. 24. Lessius, et alii, quos affert, et sequitur Castro Palao tom. III. tr. XIV. disp. II. punct. 11. n. 5. quia nimirum reservatio prioris voti jam est ablata, et perinde est, ac si opera illa pia subrogata deberentur ex voto peculiari ad ipsa terminato, quod quidem non esset reservatum. Similiter ergo in casu nostro, cum professio Societatis jam sit legitime extincta, et commutata in professionem secundæ religionis, judicandum erit de hac secunda professione, ac si ipsa fuisset prima, nec debet difficilior reddi ejus dispensatio, aut commutatio ex eo quod fuerit subrogata in locum alterius professionis præcedentis.

Cæterum doctrinam illam (ut verum 9
fatear) quamvis ego etiam probabilem existimem, puto tamen sano modo esse intelligendam, quem modum ejus auctores non negant, sed fortasse illum supponunt ; neque enim ii auctores dicunt, satisfacere eum cujus votum castitatis commutatum fuit in jejunia et orationes, v. g. si postea solum dicat, Ego ex voto debeo jejunia et orationes, et petat hujus voti commutationem, vel dispensationem, imo credo mala fide procedere, si hoc solum dicat, et non explicet, quod hæc debeat propter votum castitatis, quod in illa opera pia commutatum fuit, ut hoc modo possit confessarius judicare, an subsit causa talis quæ sufficeret ab initio, ut votum castitatis reduceretur ad hæc pauciora opera, in quæ nunc vult totum debitum reduci. Fateor et concedo, posse inferiorem commutare et dispensare cum causa super materia non reservata, in quam votum reservatum commutatum fuit a summo Pontifice. Credo tamen, debere ad hanc secundam commutationem, vel dispensationem narrari ei qui dispensa-

turus vel commutaturus est, quomodo materia illa, et ejus debitum oriatur ex obligatione voti antea commutati. Alioquin enim eluderetur paulatim et successive obligatio prioris voti, quod supponimus ex causa fuisse partim dispensatum et partim commutatum in aliam materiam. Si autem hæc alia materia postea commutaretur ex causa in aliam minorem, et rursus hæc postea in aliam minorem, et sic deinceps, nunquam facta mentione præcedentium commutationum; reduceretur aliquando votum castitatis vel religionis ad materiam minimam, et omnino improportionatam, v. g. ad tria, vel quatuor jejunia pro una vice, quod esset omnino elndere obligationem primi voti; neque ejusmodi intentio præsumi potest de mente dispensantis, vel commutantis. Neque id dicunt auctores illius sententiæ, sed solum quod possit inferior dispensare, vel commutare materiam subrogatam a superiore, quæ quidem non retinet reservationem prioris voti. Id tamen intelligitur suppositis terminis habilibus, et narratis narrandis, ita ut commutanti, vel dispensanti narretur id quod oportet, ut sciat quantum relaxetur de prima obligatione. Constat autem hæc esse illorum auctorum mens ex variis exemplis, quæ afferunt alias agentes de necessitate explicandi primam dispensationem obtentam, quando impetratur secunda dispensatio, v. g. quando obtinuisti dispensationem ad percipiendos fructus; et non residendum per quinquennium : quo elapso, petis dispensationem ad aliud quinquennium; debet tunc manifestari prior dispensatio : quia causa quæ sufficit ad dispensandum per quinquennium, non sufficit ad dispensandum per decennium. Idem ergo dicendum erit in casu nostro ; quia causa, quæ sufficit ad commutandam secundam professionem in tertiam laxiorem, non sufficeret fortasse ad commutandam primam in hanc tertiam ; oportebit ergo Pontifici narrare dispensationem priorem obtentam, cujus taciturnitas posset merito ingerere scrupulum et dubium de subreptione. Non tamen oportet requirere ad hunc secundum transitum licentiam, aut consensum generalis Societatis, sed sufficit dicere Pontifici, quod olim cum debita facultate post professionem in Societate factam transiit ad hunc alium ordinem, ex quo nunc vellet transire ad clericos regulares sancti Joannis Jesolymitani ob talem vel talem causam, de cujus causæ sufficientia ipse summus Pontifex judicabit.

## DUBIUM XLII.

*Utrum Generalis Societatis possit subdelegare provinciali facultatem concedendi licentiam ad legendos libros prohibitos ?*

Suppono, a felic. record. Urbano VIII. ablatas esse omnes facultates antea concessas quibuslibet personis ad retinendos, aut legendos libros prohibitos. Unde Generalis Societatis, qui antea ex suis privilegiis poterat suis subditis eam licentiam concedere, obtinuit de novo facultatem ad plures libros, quorum catalogum exhibuit, quam licentiam obtinuit pro se, et pro *Patribus sibi bene visis*, ad tempus tamen limitatum, quo transacto oportet licentia illam renovare, et cum certis aliis conditionibus, quæ in rescripto continentur.

Hoc supposito, dubitatum fuit, an possit Generalis hanc novam facultatem communicare alicui provinciali, ut sine recursu ad Generalem possit ipse provincialis patribus sibi bene visis suæ provinciæ concedere licentiam ad legendos libros in ejusmodi catalogo contentos.

Respondi, in primis fortasse Generalem non posse communicare provinciali facultatem, qualem ipse habet, quia

quamvis delegatus supremi principis, qualis videtur esse Generalis in hoc casu, possit causam subdelegare, ut multis relatis probat Thomas Sanchez lib. III. *de Matrim.* disp. xxxi. num. 1. 10 et 31. dubitari tamen potest in primis, an hæc facultas concessa sit Generali immediate a summo Pontifice, an vero a congregatione Cardinalium, quorum nomine aliquæ ejusmodi facultates concedi solent. Deinde obstare videntur verba illa, *Patribus sibi bene visis*, in quibus videtur requiri industria personæ, ut Generalis ipse judicet de qualitate personarum, et postea licentiam illis communicet.

4 Addidi tamen, posse Generalem, non quidem fortasse, ut dixi, communicare provinciali potestatem dandi licentiam, sed dare nomine suo immediate eam licentiam illis, quos provincialis dixerit et designaverit idoneos, quod probari potest in primis, quia verbis illis, *Patribus sibi bene visis*, sufficienter videtur satisfieri, si Generalis ex provincialis testimonio credat, et sciat illos tales esse idoneos, ut possint eam licentiam accipere. Hoc autem Generalis facit, quando communicat talem licentiam iis, quos provincialis judicaverit idoneos : nimirum committit provinciali examen extrajudiciale de idoneitate, et iis, qui idonei reperiantur, et quos eo ipso Generalis judicat idoneos, communicat ex nunc ejusmodi licentiam. Ad quod deservire potest id, quod in simile fere casu notavit Thomas Sanchez lib. III. *de matrim.*, disp. xxvi. n. 6. ubi supponit, ex concessione Pii V. posse religiosos in India occidentali assistere matrimonio Indorum in locis, in quibus parochi munus exercent, et in locis per quæ transeunt, si in iis sine proprio parocho habitant : debere tamen hos religiosos deputari ad hoc munus a suis prælatis in capitulis provincialibus. Addit vero Sanchez, non requiri quod religiosi personaliter præsententur, vel nominatim designentur a capitulo, sed sufficere quod capitulum provinciale decernat, ut omnes fratres, quos designaverit provincialis, vel prior, vel vicarius, etc. ex tunc sint designati ab ipso capitulo provinciali, quia hoc non est delegare potestatem assignandi fratres, et conferendi illis facultatem ministrandi sacramenta : sed revera ipsum capitulum assignat, et dat prædictam licentiam : quod idem repetit et confirmat postea disp. xxxi. n. 18. ubi dicit, delegatum, licet non possit subdelegare, atque ideo licet parochus delegatus ad universitatem causarum non possit subdelegare facultatem iterum delegandi, nec possit dicere alteri sacerdoti : Ego do tibi facultatem, ut possis alteri sacerdoti dare licentiam assistendi matrimonio ; posse tamen dicere, ego ex nunc do licentiam assistendi matrimonio sacerdoti quem tu designaveris, quia nimirum tunc delegatus non facit gradum, nec ipse censetur delegare, vel dare jurisdictionem, sed solum designat personam cui parochus immediate concedit eam licentiam. Hoc autem ipsum diximus fieri posse in casu nostro, in quo Generalis non debet dare provinciali facultatem, qua ipse possit concedere subditis licentiam ad libros prohibitos, sed ipse Generalis debet eam licentiam immediate communicare illis personis, quas provincialis judicaverit et designaverit ut idoneas : nec tunc provincialis faciet gradum, sed designabit mere personam, cui Generalis immediate licentiam communicare censetur.

Unde obiter inferre aliquis posset, mortuo Generali, non posse amplius provincialem designare personas, quibus ea licentia communicetur : nam, licet regulariter facultates et licentiæ concessæ a Generali non expirent ejus morte, donec a successore revocentur, atque ideo ii, quibus vivente Generali ea licentia communicata fuerat, possint Generali mortuo eadem facultate uti. Provinciali tamen non fuerat delegata potestas dandi eas licentias : sed fuerat commissa mera designatio personarum, quibus toties, 5

quoties Generalis ipse immediate censebatur licentiam communicare. Cum ergo Generalis mortuus non possit amplius eas licentias communicare ; frustra provincialis designabit deinceps personas, quibus jam Generalis non potest amplius licentiam communicare.

6 . Verum hæc illatio, ut verum fatear, nimis scrupulosa videtur ; hinc enim fieret, quod subditi a provinciali designati non possent tuta conscientia uti illa licentia, donec certificarentur de vita Generalis durante tunc, quando ipsi a provinciali designati fuerant. Quid enim, si Generalis jam senio confectus provinciali apud Indos commoranti id per litteras commisit datas ante biennium, quo elapso non facile creditur Generalis adhuc vivere ? Deberet ergo subditus abstinere ab usu licentiæ, donec constet quod Generalis vivebat tempore designationis a provinciali factæ. Adde, exemplum illud, quod ex Thoma Sanchez usi sumus, contrarium probare : nam capitulum provinciale, in quo provinciali, vel priori committitur designatio religiosorum, revera non existit, quando postea prælati illi religiosos designant. Imo, quando capitulum dissolvitur, tunc moritur, et adhuc postea religiosi a provinciali designati, censentur deputari ab ipso capitulo, ut vidimus. Fatendum ergo est, accedente postea designatione a provinciali facta, certificari deputationem illius personæ factam antea a capitulo, quando deputavit religiosos postea a suis prælatis designandos, quem sensum videtur aperte significasse idem Sanchez d. disp. xxxi. num. 18. dicens, parochum delegatum posse rursus delegare, dicendo, *ex nunc ego do facultatem assistendi matrimonio sacerdoti, quem tu designaveris,* quam formulam postea approbari dicit apud Paulum in c. *is cui, de officio delegati* in vi. et apud Dominicum ibid. in fine. Debet ergo delegans *ex nunc* dare licentiam, vel potestatem personæ postea designandæ, atque ita censetur facere Generalis communicando ex nunc eam licentiam personis postea a provinciali designandis, et hoc modo nihil obstat mors Generalis subsecuta, cum ipse adhuc vivens licentiam hanc ex tuto huic personæ, quæ postea designatur, communicate voluerit.

## DUBIUM XLIII.

*De professione data ex errore commisso a secretario, qui litteras Generalis scripsit.*

Cum Pater N. in examine doctrinæ ad professionem quatuor votorum in Societate præmittendo examinatoribus non satisfecisset, atque ideo non fuisset ab illis ad ejusmodi professionem approbatus, nec postea Romæ a patribus assistentibus, sed potius numeratus, et sepositus in eorum numero, qui ad professionem solemnem promoveri non debebant : ex errore tamen secretarii, seu scriptoris litterarum, appositus fuit cum aliis ad professionem promovendis in litteris Generalis ad provincialem, quibus litteris idem Generalis, errore non observato, subscripsit : quibus acceptis, provincialis eum cum aliis ad professionem admisit ; cum tamen, ut supra, dub. xiii. diximus, in Societate nemo, nisi solus Generalis, vel de ipsius licentia, possit valide professionem solemnem acceptare.

Duo poterant in hoc casu dubitari. Primum, an professio fuerit valida ? Secundum, an, dato, quod a principio non fuisset valida, possit Generalis postea valide et licite eam ratam habere ? Incipiendo autem ab hoc secundo, dixi, posse valide et licite ratam haberi a Generali, quandiu professus ille voluntatem profitendi non revocavit. Defectus enim doctrinæ in examine deprehensus non obstat, cum non sit impedimentum essentiale, sed est defectus cujusdam requisiti, quod a constitutionibus Societatis

exigitur, in quibus Generalis ex justa causa potest interdum dispensare ; cum in ipso resideat tota, et plena auctoritas, et facultas, qualis, et quanta residet in tota Societate, quoties non est ei specialiter prohibitum, prout in aliquibus expresse prohibetur dispensare : ita docent Suarez tom. IV. *de Relig.* tr. X. libr. II. *de ingressu in Societatem*, cap. IV. num. 10. et Thomas Sanchez lib. V. *in Decalog.* cap. IV. num. 20. post medium ; et colligitur ex ipsis constitutionibus par. IX. c. III. §. 1. et 8. ubi expresse dicitur, ad Generalem pertinere dispensare in constitutionibus, ubi dispensatione opus est, habita ratione personarum, locorum, temporum, et aliarum circumstantiarum, quod munus præstabit finem earumdem constitutionum intuendo, qui alius non est, quam majus Dei obsequium, et bonum subditorum. « Idque tam de experimentis eorum, qui in probationibus versantur, quam de aliis rebus, in quibus eam fuisse mentem eorum, qui constitutiones condiderunt ad gloriam Dei judicabitur, dictum sit. » Ita habetur d. §. 8. ubi in declaratione littera D. additur. « Et intelligendum est, dispensare posse, ubi eam esse mentem constitutionum, ut dictum est, consideratis circumstantiis particularibus, et non aliter in Domino judicat. » Certum autem est, quod Societas posset in hoc defectu dispensare, prout de facto dispensavit generaliter cum habentibus notitiam linguarum Indicarum, et cum viris eminentibus in litteris humanioribus, quamvis utrique careant gradu illo doctrinæ theologicæ, qui in constitutionibus ad professionem quatuor votorum requiritur. Ergo et Generalis in casu particulari dispensare poterit, occurrente necessitate, vel ratione, ob quam id necessarium judicetur ad bonum subditorum. Quæ autem, aut qualis ratio magis urgens desiderari potest, quam necesssitas casus præsentis, in quo ex epistola ejusdem Generalis data est professio publica, et de qua ad minus dubitari potest, an fuerit valida, nec sine magna turbatione potest hoc dubium manifestari et examinari ? Porro Generalem posse ratam habere et acceptare professionem ab alio suo nomine invalide acceptam, dummodo professus in eadem voluntate perseveret, probavi cum communi doctorum dicto dubio XIII.

Major difficultas esse potest, quoad primum dubium supra indicatum, an professio illa fuerit valida ? potuit enim in rigore Generalis valide acceptare professionem, non obstante defectu doctrinæ ab examinatoribus deprehenso. Nam æque exigitur in constitutionibus probitas morum, ac requiritur doctrina ad professionem. Certum autem est, validam fore professionem quam Generalis acciperet ab homine improbo, sive ignoranter, sive scienter id faceret : idem ergo erit si admittat ad professionem hominem indoctum. 3

Tota ergo difficultas est, an Generalis habuerit intentionem et voluntatem acceptandi professionem hujus Patris, quem examinatores reprobaverant ? Et quidem, si Generalis aliunde cognoscebat illum Patrem, et antequam subscriberet litteras, in quibus ejus nomen simul cum aliis professuris continebatur, eas legit et tamen subscripserit, quamvis id fecerit, vel oblitus reprobationis, vel deceptus ab aliis, et putans illum fuisse approbatum ; credo fuisse validam professionem, quia non fuit error et deceptio circa personam, sed solum circa qualitatem doctrinæ. Hoc autem est proprium matrimonii, et professionis religiosæ, ut error solus circa substantiam, et circa personam irritet actum, non vero error circa qualitatem, excepta conditione servili ignorata, quæ irritat matrimonium, ut cum aliis probat late Sanchez lib. VII. *de matrimonio* disp. XVIII. num. 18. et seqq. lib. X. disp. IX. num. 20. Ratio autem est, quia habet Generalis voluntatem ultimam absolutam circa personam determinatam, prout talis est in individuo. Et quamvis ea voluntas procedat ex errore quo putavit 4

examinatores eam approbasse ; ille tamen error versatur circa solam qualitatem. Videatur idem Sanchez lib. v. *in Decal.* cap. IV. nu. 57. Exemplum autem optimum esse potest in episcopo conferente sacerdotium Titio, quem falso ei dicunt fuisse ab examinatoribus approbatum. Certe Titius ordinem valide recipit ; quia episcopus habet intentionem et voluntatem ultimam eum ordinandi, quæ voluntas oritur quidem ex errore, sed ex errore qui non versatur circa substantiam, sed circa qualitatem, qui non sufficit ad irritandum ejusmodi actum, quamvis relinquat Titium obnoxium pœnis, et censuris in jure latis contra surreptitie sacros ordines suscipientes.

5 Rursus si Generalis non cognoscebat aliunde illam personam, sed commisit assistentibus, ut examinarent informationes, et alia necessaria pro promovendis, et assistentes visis informationibus, hunc Patrem ob defectum doctrinæ excluserunt, quam tamen secretarius ex errore inclusit in epistola, quam sive lectam sive non lectam, Generalis subscripsit ; præsumptio videtur esse quod habuerit voluntatem sufficientem circa professionem illorum omnium, nisi constet de voluntate contraria. Duplex enim voluntas potuit esse in Generali subscribente. Prima esset : *Volo quod promoveantur ad professionem illi, quos assistentes approbarunt ;* et hæc voluntas non includeret illum, quia ipse non fuerat ab assistentibus approbatus. Secunda voluntas esse potuit : *Volo ut promoveantur omnes hic scripti, quia hi sunt approbati ab assistentibus ;* et ejusmodi voluntas includit hunc, quia erat ibi scriptus, licet procedat ex errore qualitatis, scilicet quod fuisset ab assistentibus approbatus. Videtur autem in dubio præsumi hæc secunda voluntas, nisi constet fuisse solam primam ; quia Generalis subscribens ostendit se sufficienter informatum circa qualitatem eorum qui ibi scripti sunt, atque adeo se velle eorum promotionem, qui ibi scripti sunt, utque adeo se velle eorum promotionem, quia informatus est de illorum qualitatibus. Et quidem in rigore jam est sufficienter informatus, cum sufficiat secretarium testari illos omnes approbatos fuisse ab assistentibus, ut Generalis censeatur esse sufficienter informatus de qualitatibus eorum, qui ibi continentur. Sicut episcopus non aliter est informatus de idoneitate illorum quibus confert sacros ordines, nisi quatenus secretarius testatur eos omnes fuisse ab examinatoribus, et a vicario generali approbatos.

Denique, si Generalis ipse affuit con- 6
sultationi præcedenti, et ipsemet exclusit a professione illum patrem N. ob insufficientiam doctrinæ ab examinatoribus testificatam, et postea vel non legit epistolam, vel ea lecta, quia non cognoscebat aliunde personam, putavit hunc esse unum ex inclusis, et non ex antea exclusis : tunc error videtur esse circa personam, atque adeo deesse voluntatem sufficientem, quia videtur alligasse intentionem ad illos quos ipse destinaverat, et quos in mente habebat, ex quorum numero putavit hunc esse, cum non sit. Sicut si Petrus volens contrahere matrimonium per procuratorem cum Maria, cujus qualitates examinaverat, subscriberet mandatum procuratori mittendum, in quo loco Mariæ scripta esset alia, procul dubio matrimonium cum alia non esset validum ob defectum intentionis, quia Petrus ad solam Mariam intentionem præsumitur ordinasse.

Tota ergo hæc difficultas circa valorem 7
primæ professionis videtur solum deservire in casu nostro ad decernendum, an debeat computari antiquitas a die factæ olim professionis ; an vero a die quo a Generali ratificatur : quoad reliqua enim res ponitur in tuto, ratificata professione a Generali, dum professus supponitur in eadem voluntate perseverare. Quare, si Generalis non noverat aliunde personam, et ipse non affuit consultationi, sed commisit assistentibus, ut viderent informationes, nec constat de voluntate

contraria qua alligaverit intentionem ad eos solos quos assistentes approbaverint; præsumi potest in dubio voluntas promovendi eos qui scripti erant in epistola, quam subscripsit juxta supradicta, atque adeo poterit relinqui cum sua antiquitate a die factæ professionis, quamvis ad majorem cautelam ratificetur postea professio a Generali. Si vero Generalis affuit consultationi, et ob defectum doctrinæ exclusit a professione illum patrem N. præsumi potest defectus intentionis sufficientis ad valorem professionis, atque adeo moneri debet professus, ut non computet antiquitatem, nisi a die ratificatæ professionis. Quare (quod non facile continget) si eveniret, quod intuitu professionis, vocetur ad congregationem in præjudicium alterius professi qui professionem fecit medio illo tempore ante ratificationem, excuset se aliquo alio prætextu, et moneat secreto provincialem de suo impedimento, ut sub alia specie declaret illum esse legitime impeditum, juxta regulam quam tradit Thom. Sanchez lib. VII. *de matr.* disp. xxxvii. nu. 68. Ratificationem denique dixi fieri debere a Generali coram testibus, ut sit acceptatio externa et possit eam probare, ad quem finem oportet quod maneat in scriptis, et expediet eam ipsi professo intimari, et ab eodem recognosci, ne ullo unquam tempore velit fortasse reclamare de nullitate prioris professionis.

## DUBIUM XLIV.

*An testator excludens professum ab aliquo lègato, censeatur excludere eum, qui emisit vota simplicia in Societate?*

1 Testator in suo testamento reliquerat summam magnam pecuniæ, ut ejus reditus distribuerentur semper inter ipsius posteros æquali portione per singula capita, ita ut omnes, et singuli æqua participarent plus vel minus pro minori, vel majori eorum numero : ab hac autem participatione exclusit eos qui essent religiosi professi. Cum ergo unus ex iis Societatem Jesus ingressus esset, et post biennii novitiatum vota simplicia Societatis emisisset, prætendebant cæteri consanguinei non posse ipsum amplius in prædicta distributione locum habere, sed ejus portionem debere cæteris accrescere, quippe qui religiosus esset votis ligatus, quæ non minus constituunt in vero statu religioso, quam vota solemnia aliarum religionum : atque adeo quoad hunc effectum comprehensum intelligi sub exclusione religiosorum professorum, sicut etiam quoad incapacitatem contrahendi valide matrimonium, et ad alios similes.

Dixi tamen, procul dubio religiosum 2
illum, quandiu manet in eo statu, et professionem solemnem adhuc non facit, participare debere ex distributione illorum redituum, ex qua verbis testatoris exclusus non est; excluduntur enim soli religiosi professi : et certum est hunc nondum esse professum, sed esse in via adhuc, et quasi in probatione ad professionem, in quo statu quamvis sit ligatus votis simplicibus, quibus votis summi Pontifices communicarunt plures effectus professionis solemnis, quos expresse et nominatim declararunt, quibus postea Gregorius XIII. addidit etiam inhabilitatem ad matrimonium valide contrahendum; iidem tamen Pontifices in suis bullis expresse declararunt, ejusmodi religiosos, durante eo statu, nondum esse professos, ut expresse habetur in bulla Julii III. quæ incipit, *Exposcit debitum*, edita anno 1550. et in bulla Gregor. III. quæ incipit, *Quanto fructuosius*, et aliis, quæ habentur in bullario ejusdem Societatis. Nominatim vero quoad capacitatem redituum, imo et dominium bonorum temporalium retinendum, et successionem hæreditariam, vel legatorum acquisitionem, non esse professis adæquan-

dos, sed ab iis omnino distinguendos, decernunt iidem Pontifices, et tradunt communiter doctores Societatis et externi, et novissime firmavit Rota in quadam Bononiensi successionis de Zanis, sub Bicchio anno 1641. nec de hoc puncto dubitari potest.

3 Difficultas solum esse poterat, an in casu nostro, exclusis professis cujuscumque ordinis a participatione illorum reddituum, deberet per ampliationem extendi nomen *Professi* ad eos, qui votis simplicibus Societatis ligantur, quæ sunt vere vota substantialia religiosa, quamvis in rigore non sint professi. Dixi tamen, non debere ejusmodi ampliationem admitti, quia, licet ejusmodi religiosi in favorabilibus et privilegiis, et in odiosis etiam quoad aliquos effectus a sede Apostolica expressos, æquiparentur professis; id tamen non procedit in odiosis non expressis, et multo minus in exclusione a bonis temporalibus, in ordine ad quæ summi Pontifices decreverunt et declararunt semper, quod debeant omnino a professis contradistingui. Hanc autem eamdem regulam debere in casu nostro observari, constabit manifeste comparando casum et clausulam hujus testamenti cum aliis casibus, et clausulis similibus, in quibus agitur universaliter de professis; et tamen ad ejusmodi Societatis religiosos, qui votis simplicibus ligantur, non extenduntur.

4 Primum ergo exemplum esse potest ex c. *beneficiorum; de Regularibus* in VI. ubi traditur beneficia quæ novitius habebat, vacare ipso jure, secuta professione. Et tamen in Societate, nisi ipsemet beneficium resignet, non censetur vacare beneficium emissis votis simplicibus post biennii novitiatum, ut declaratum fuit in prima congregatione generali Societatis can. I. et quamvis postea in congregatione quinta generali can. V. jussum fuerit, ut beneficia resignent, antequam vota simplicia emittant; si tamen de facto eo non resignent, nullo modo vacabunt ante professionem, ut fatetur Thomas Sanchez libr. VII. *in Decalog.* cap. IV. num. 7. Sicut ergo exclusis religiosis professis a beneficio retinendo, non intelligitur exclusus religiosus Societatis, quandiu professionem solemnem non fecit; ita exclusis religiosis professis a participandis reditibus annuis legatis, non debet intelligi exclusus religiosus Societatis, qui votis solum simplicibus ligatur; eadem enim ratio in utroque casu procedit.

Secundum exemplum esse potest ex communi regula, quæ tradit, pensiones ecclesiasticas, quas novitius habebat, extingui professione religiosa, ut docent doctores communiter, quos affert et sequitur Sanchez lib. VII. *in Decalog.* cap. XXIX. num. 8. et tamen religiosi Societatis post emissa ejusmodi vota simplicia, et post biennii novitiatum, adhuc retinent pensiones ecclesiasticas, quas in sæculo habebant, donec professionem solemnem faciant, ut docet idem Sanch. ibi n. 10. et est praxis frequentissima in Societate, nec ullus difficultatem præfert in iis solvendis, et ego ipse usque ad meam solemnem professionem per multos annos recepi ab archiepiscopis Hispalensibus pensionem annuam absque ulla specie difficultatis, quia videbant sola professione extingui pensiones. Idem ergo dicendum erit de legato annuo sæculari, a quo soli religiosi professi excluduntur, cum eadem sit ratio, et eadem sint verba in utroque casu, quibus professi excluduntur. 5

Tertium exemplum esse potest ex cap. *cum simus, de Regularibus*, et ex §. *Si quis autem*, vers. *si vero filius* Authentic, *de Monachis*, ex quibus doctores communiter colligunt, post professionem patris statim deberi legitimam filiis, ut multis relatis probat Sanchez dicto lib. VII. *in Decalog.* c. X. num. 3. et tamen non debetur filiis ea legitima, quando Pater sola vota simplicia post biennii novitiatum in Societate emisit, ut docet idem Sanchez ibi num. 6. quia 6

hæc vota non veniunt nomine professionis religiosæ.

7 Quartum exemplum esse potest ex usufructu, quem novitius habebat in fundo alterius, qui usufructus eo ipso extinguitur et consolidatur cum proprietate statim ac usufructuarius profitetur in religione succedendi incapaci, qualis est ordo Minorum, et societas Jesu. ut cum communi doctorum docet idem Sanchez dicto lib. VII. cap. XIII. n. 53. et tamen non extinguitur usufructus, sed perseverat quando usufructuarius emisit sola vota illa simplicia post novitiatum, donec postea faciat professionem solemnem, ut fatetur idem Sanchez ibidem, et P. Molina tom. I. *de Justitia*, disp. IX. columna antepenultima, et alii.

8 Quintum exemplum esse potest de jure nominandi ad emphyteusim, vel de jure revocandi nominationem antea factam, quæ jure extinguuntur per quamcumque professionem religiosam, ut docent Molina tom. II. *de Justitia*, disp. 482. colum. penultima, et Thomas Sanchez dicto lib. VII. in Decalog. cap. XIV. nu. 16. et tamen non extinguuntur per dicta vota simplicia in Societate, quandiu non fit professio solemnis, ut supponit Molina ibi initio disputationis, et Sanchez dicto cap. XIV. n. 14.

9 Sextum denique exemplum esse potest de jure renuntiandi officium publicum, quod novitius habebat in republica, quod jus extinguitur per professionem, nec potest professus amplius illud renuntiare, et resignare in favorem alterius, sed officium ipso jure vacat, ut docet idem Sanchez ibidem dicto cap. XIV. num. 21. et tamen per vota illa simplicia post biennii novitiatum non extinguitur, nec amittitur illud jus in Societate, sed potest religiosus iis votis ligatis, et antequam professionem emittat, valide renuntiare, et resignare officium illud in favorem alterius, ut docet idem Sanchez ibi num. 22.

10 Ex quibus omnibus exemplis constat manifeste, nomine professionis in ejusmodi prohibitionibus, aut exclusionibus, præsertim quando agitur de bonis temporalibus, non intelligi vota simplicia Societatis, atque adeo testatorem excludentem posteros suos professos a participatione illius legati annui, non exclusisse emittentem sola vota simplicia Societatis, quandiu professus non est, sicut in exemplis relatis leges excludentes ab aliquo jure religiosos omnes professos, non intelliguntur excludere religiosos Societatis ligatos votis simplicibus, quandiu professi non sunt : nec enim excogitari potest ratio aliqua diversa in hoc casu ab aliis supra adductis.

Possunt autem hæc amplius confirmari ex iis, quæ tradit Navarrus consil. VI. *de statu Monachorum*. 11

## DUBIUM XLV.

*An sine facultate sedis Apostolicæ possit Societas ei, quem dimittit, reddere bona immobilia, quæ antea ab ipso per renuntiationem acceperat?*

Quidam Societatem igressus postea debito tempore abdicavit se bonis suis, et ex eis aliqua Societati donavit, donatione, inquam, irrevocabili. Post multos vero annos a bono proposito deficiens, et religiosam disciplinam non curans, e Societate, ipsomet petente, dimissus est. Repetere autem volebat bona quæ Societati donaverat, cum donationes omnes factæ intuitu ingressus in religionem irritæ sint non secuta professione, juxta decretum concilii Tridentini sess. XXV. c. 16. *de Regularibus*. Societas autem opponebat, decretum illud Tridentini locum non habere in novitiis, aut religiosis Societatis, quæ nominatim in eodem decreto excepta fuit verbis illis subsequentibus. « Per hæc tamen sancta synodus non intendit aliquid innovare, aut 1

prohibere, quia religio clericorum Jesu juxta pium illorum institutum a sancta Sede Apostolica approbatum, Domino, et ejus Ecclesiæ inservire possit. » Unde Societatem eo in decreto non comprehendi docent multi quos affert et sequitur Sanchez lib. VII. *in Decalog.* cap. I. nu. 34. et sequentibus, et cap. V. nu. 9. et late probat Suarez to. IV. *de Religione* tractat. VIII. lib. III. cap. XIV. nu. 22. et tract. X. lib. IV. cap. IV. num. 19. P. Molina to. I. *de Justitia*, disp. 139. Castro Palao tom. III. tr. XVI. disp. I. pun. 15. n. 6. et alii communiter, atque id ita declarasse patrem Generalem Societatis Jesu anno 1584. nimirum donationes illas non habere conditionem implicitas perseverantiæ in Societate, testatur Sanchez ubi supra, dicto c. I. n. 34. et colligi potest ex constitutionibus Societatis, ubi in examine cap. IV. §. 1. dicitur, hanc renuntiationem bonorum fieri debere, *a se omnem fiduciam submovendo eadem ullo tempore recuperandi*, quod utique non fieret, si renuntians retineret jus ea bona recuperandi, quoties justis de causis a Societate dimitteretur, imo hæc spes posset nonnullis occasionem suggerere vacillandi in sua vocatione. Vide alias rationes apud prædictos auctores.

3 Quia tamen litis exitus dubius erat, et ne bona Societatis existimatio periclitaretur, voluerunt cum donatore transigere, eique partem cedere bonorum immobilium quæ Societati donaverat. Dubitatum ergo fuit, an Societas posset reddere donatori bona illa immobilia sine facultate sedis Apostolicæ, quæ de jure requiritur ad quamlibet alienationem bonorum immobilium, vel mobilium pretiosorum.

4 Aliqui in ea fuerunt sententia, ut non esset necessaria in hoc casu facultas sedis Apostolicæ. Primum fundamentum erat ; quia cessio illa fiebat juxta mentem constitutionum Societatis : nam in examine cap. IV. §. 4. in declaratione littera B. dicitur : « Si accideret hunc a Societate dimitti, et Societati quid dedisset, ei restitui debet juxta declarationem tertii capitis secundæ partis. » In illo autem cap. III. littera B. sic. dicitur : « Ea, quæ ipsius esse constet, difficile non est statuere, ut secum ferat. Verum in iis, quæ vel expendisset, vel dedisset Societati, vel alioqui, si accidisset, ut ficto animo in domo, vel collegio ipsius habitasset, prudentiæ superioris dimittentis relinquetur, ut habita ratione tum æquitatis, tum ædificationis, statuat, num illi aliquid amplius, quam quod invenitur, de rebus ipsius dari debeat, necne, et si amplius, quantum. » Quod idem fuisse de mente Societatis in Congregatione quinta generali, constat ex decreto VIII. ubi proposito hoc dubio, et petita interpretatione illius loci constitutionum, Congregatio censuit, *praxim patris Præpositi arbitrio relinquendam.* Ex quibus locis constare videtur, Societatem non ita acceptare firmiter ejusmodi donationem, ut non habeat animum reddendi totum, vel partem donatori si dimittatur ex Societate : quod et communis praxis testatur ; semper enim bona redduntur, magna saltem ex parte, et sæpe omnia, iis quiæ ante professionem dimittuntur. Non ergo facta fuerunt inalienabilia, cum Societas retinuerit sibi facultatem reddendi ea donatario, atque adeo non acceptavit firmiter eorum dominium.

5 Confirmatur, quia ideo domus professa Societatis potest sine licentia sedis Apostolicæ vendere bona immobilia sibi a testatore relicta (saltem de jure communi, nisi, prout aliqui referunt, necessitatem licentiæ etiam in hoc casu imposuerit sacra cardinalium congregatio) quia nimirum juxta constitutiones Societatis domus professa debet ejusmodi bona alienare : idem ergo erit in casu nostro, cum juxta ipsius Societatis institutum retinenda non sint hæc bona, sed saltem ex parte reddenda.

6 Secundum fundamentum erat, quia aliquando contingeret necessariam esse

omnium bonorum restitutionem : ut si donator ob infirmitatem contractam reddatur omnino ineptus ad vitam religiosam ; et ideo consentiens ipse permittatur ad sæculum redire, ut curari possit, vel si ob indigentiam suorum parentum dimittatur liber a votis religiosis, ut eis subveniat. In quibus, et similibus casibus impium videretur bona omnia retinere donatore dimisso : non ergo acceptantur illa bona ab initio, nisi retenta potestate restituendi illa, quando expedierit.

6 Tertium fundamentum erat, quia inter alias rationes, ob quas scholares Societatis possunt post votum simplex paupertatis retinere dominium suorum bonorum ad tempus ; una est, ut magis libera maneret Societas ad eos dimittendos, quando expediret, ut testatur etiam Gregorius XIII. in bulla, quæ incipit, *Ascendente Domino*. Hæc autem Societatis intentio magna ex parte fraudaretur, si non posset illis, quando eos dimittit, reddere eorum bona Societati donata ; cogeretur enim Societas eos cum suis defectibus tolerare, ne diceretur, quod bonis suis spoliatos remittit eos, et quod fortasse eo animo eos acceptat, ut bona retineat et personas rejiciat: quæ nota tanti ponderis esset, ut cogeretur Societas cum magno religiosæ disciplinæ dispendio homines inutiles et noxios retinere, si bona ab iis donata reddere non posset. Fatendum ergo est, quod Societas non aliter ejusmodi donationes acceptat, nisi retenta sibi libertate eas rescindendi in totum, vel in partem, quoties donatorem dimittendum judicaverit.

7 Denique huic sententiæ non parum favere videtur P. Suarez dicto to. IV. *de Relig.* tract. VIII. lib. III. cap. XIV. n. 23. ubi postquam late probavit donationem hanc ex parte donatoris esse absolutam et irrevocabilem, atque adeo Societatem non obligari ad eam rescindendam, etiamsi donatorem dimittat ; statim addit : « Quamvis autem religio ex justitia non teneatur hæc bona reddere in hujusmodi casibus, ex quadam æquitate, et ad tollendam omnem occasionem offensionis, potest licite vel omnia, vel aliquam eorum partem priori domino reddere, vel pretium eorum, quia hæc non censetur alienatio simpliciter bonorum religionis, sed quædam justa dispensatio necessaria ad conservandam libertatem, quam talis religio profitetur, ad dimittendas personas quæ sibi non congruunt : imo ex praxi et consuetudine instituti consentanea videntur hæc bona a principio acceptari a religione cum hac potestate et libertate, dimittendi etiam illa simul cum persona, si fuerit expediens ad finem Societatis, et ad communem ædificationem. In hac tamen æquitate facienda observare etiam necesse est, ne nimium gravetur religio, quæ per multos annos alit personam, quæ postea litteris et aliis donis instructa dimittitur, et nihilominus integra vult recipere bona, quæ donaverat, quod non potest, non esse grave onus religioni. Cavendum etiam est, ne facilitas in hac parte generet in subditis certam spem recuperandi bona in simili eventu : nam posse hæc esse occasio licenter vivendi, ut supra dicebamus. Denique præcavendum est etiam, ne hoc sit tam frequens, et tali modo fiat, ut inducatur consuetudo obligationem inducens. » Hæc P. Suarez, in quibus videtur significare, quamvis Societas non teneatur ad reddenda bona, posse tamen ea reddere, quin propter hæc dicatur bona religionis alienare.

Unde non videtur obstare, quod donatio facta fuerit absoluta et irrevocabilis, quia, quamvis fuerit talis ex parte donatoris, potuit Societas non acceptare omnino absolute, sed sub conditione, nisi donator ante professionem dimittatur ; quo casu reservat sibi facultatem non acceptandi in totum, vel ex parte. Nec etiam videtur esse contra decretum Urbani VIII. editum in sacra Congregatione Concilii die 7. Septembris anno 1624. in quo prohibita fuit Religiosis 8

omnis alienatio, revocatis privilegiis, et facultatibus si quas habebant ad alienandum. Dici enim potest, Societatem in hac alienatione non fuisse usam ullo privilegio, sed ex ipsamet forma sui instituti solitam fuisse reddere bona, vel integra, vel in partem iis qui dimittuntur. Hæc fere afferebant, qui sentiebant non esse necessariam facultatem sedis Apostolicæ in hac bonorum restitutione.

9 Ego tamen dixi, rem hanc non carere difficultate, nec videri mihi solida argumenta supra adducta, si ad debitam examinis trutinam reducantur. Nec enim apparet quomodo possint stare simul hæc duo, quod donator nullum prorsus jus retineat in bonis illis, nec possit ullo casu ea repetere; et tamen Societas debeat, vel possit ea reddere sine facultate sedis Apostolicæ. Nam, si donator abdicavit omnino a se totum jus ad illa bona, et omnem prorsus spem ea recuperandi: totum ergo illud jus transiit in Societatem, atque adeo bona illa sunt sub pleno dominio Societatis. Quid enim est aliud esse plene dominum hujus fundi, nisi posse illum retinere, et de illo disponere sine ullius injuria? Potest autem Societas sine ulla donatoris injuria retinere sibi semper bona illa. Alioquin, si id non posset facere sine donatoris injuria, quando illum dimittit; jam ergo donator retinet jus aliquod ad bona illa recuperanda, si dimittatur: cujus contrarium supponunt constitutiones Societatis, et auctores supra adducti, qui volunt, donatorem nullum prorsus jus ad illa bona retinere: nec potest fieri injuria a Societate contra donatorem, si in donatore non sit jus aliquod, cum injuria habeat respectum essentialem ad jus alterius. Potest ergo Societas retinere sibi semper ea bona absque ullius injuria, et per consequens est omnino et plene domina illorum bonorum, atque adeo non poterit illa alienare sine facultate sedis Apostolicæ; lex enim generalis est, qua prohibentur religiosi alienare quæcumque bona sua immobilia, quorum nempe dominium sit penes religionem.

Confirmatur, et explicatur amplius hæc 10
ratio; quia non potest Societas velle acquirere bona illa, cum facultate tamen alienandi ea auctoritate propria; hoc enim esset velle duo contraria, nempe, quod bona illa sint sua, et quod lex ecclesiastica loquens de omnibus bonis suis non loquatur de illis, quod quidem Societas facere non potest: neque enim emere potest sibi fundum aliquem, vel domum, retinendo sibi facultatem illam auctoritate propria alienandi, quando voluerit. Potest quidem id fieri ex vi contractus, quando v. gr. Petrus venderet Societati domum cum pacto, ut possit ab ipso venditore redimi, quia tunc in venditore maneret adhuc jus ad redimendam domum, nec Societas haberet plenum omnino, et liberum dominium illius. In casu autem nostro supponitur, nullum prorsus jus remanere in donatore; quare bona illa sunt sub pleno et absoluto dominio Societatis, quæ sine ullius injuria potest illa sibi retinere: non potest ergo cum hoc perfecto, et pleno dominio retinere Societas facultatem alienandi ea bona sine facultate sedis Apostolicæ.

Confirmatur secundo, quia adhuc ad- 11
veniente casu quo dimittatur donator, non debet Societas etiam juxta mentem constitutionis reddere omnia bona, sed vel omnia, vel partem, vel nihil, prout in Domino judicaverit magis expedire. Constat ergo, quod ab initio constituta sunt omnia sub dominio pleno Societatis; si enim constituta essent solum sub conditione perseverantiæ donatoris, deficiente conditione, non posset Societas etiam partem retinere, cum nulla eorum pars esset sub ejus dominio absolute, sed solum sub conditione. Repugnat ergo velle retinere partem bonorum, supponendo donationem fuisse firmam, et independentem a perseverantia donatoris in Societate, et simul velle reddere partem propria auctoritate, eo prætextu, quod donatio non fuerit omnino firma,

sed dependens a futura conditione quoad sui valorem, et firmitatem irrevocabilem.

Nec satisfacit dicere, donationem fuisse firmam, et irrevocabilem ex parte donatoris, non tamen fuisse acceptatam absolute ex parte Societatis, sed sub conditione, si donator postea non dimittatur, hoc, inquam, non satisfacit, quia inprimis, ut modo dicebamus, si donatio non erat firma ex parte Societatis, eo quod Societas eam non acceptaverat absolute, sed solum sub conditione; ergo non potest Societas partem bonorum retinere, quia deficiente conditione, deficit acceptatio, atque adeo deficit valor donationis. Unde impugnari potest secundo illa responsio, quia, si toto illo tempore donatio nondum erat acceptata absolute, sed solum sub conditione; ergo toto illo tempore manebat adhuc jus in donatore ad revocandam donationem saltem pro casu, quo e Societate dimitteretur. Suppono enim cum communi Doctorum, quos retuli tom. II. *de Justitia*, disp. XXIII. sect. antequam donatarius acceptet donationem, semper posse donatorem illam revocare. Si ergo Societas nondum acceptaverat donationem pro casu quo donator ex illa dimitteretur, poterat semper donator donationem revocare pro illo casu. Quare biduo antequam e Societate dimittatur, poterit dicere : Ego nolo illa bona Societati donare, is ab ea dimittar, quæ revocatio valida erit, cum nondum donatio sit a Societate acceptata pro illo casu : posse autem donatorem hoc facere, non videtur esse de mente illorum auctorum, nec juxta constitutiones ipsius Societatis, quæ volunt donatorem abdicasse a se omne jus et omnem spem recuperandi. Frustra autem hoc desiderat, si ipsa non acceptante donationem absolute, sed solum sub conditione, non minus remanet in donante jus ad revocandam donationem et recuperanda sua bona, quam si ipsemet expresse in donatione dixisset, *Dono mea bona Societati, si in illa permansero; secus si ab ea exiero.* Fatendum ergo est, Societatem non acceptare donationem sub conditione, sed absolute, et statim fieri dominam bonorum illorum, quamvis ut postea dicam, habeat simul animum reddendi omnia vel partem, si dimisso postea donatore, id expedire videbitur; non enim repugnat hæc intentio cum acceptatione absoluta, et cum absoluto dominio bonorum.

13 Dicet fortasse aliquis, Societatem ab initio acceptare donationem, non quidem sub conditione, si donator perseveraverit, sed sub alia conditione, nempe, nisi Societati postea visum fuerit donationem rejicere, quod est proprie acceptare, reservata sibi facultate recedendi ab acceptatione in totum, vel in parte; sed revera hoc est ludere vocibus : nam conditio illa non impedit plenam et absolutam acquisitionem dominii, atque adeo quod bona illa jam sint absolute bona Societatis, et per consequens non possint alienari sine facultate sedis Apostolicæ; conditio enim illa, etiamsi exprimeretur, non redderet acceptationem conditionatam, ut constat quando Petrus donat Joanni domum, et Joannes acceptat, certe Joannes retinet facultatem reddendi postea, si voluerit, eamdem domum Petro : et quamvis Joannes id exprimeret, et diceret, *Accepto domum, sed reservo mihi facultatem reddendi eam tibi, si voluero;* certe non redderet acceptationem conditionatam, nec aliquid exprimeret quod non inesset in ipsa natura acceptationis, cum sit de ratione domini posse distrahere pro libito rem suam, nisi lege impediatur. Sicut ergo Joannes in eo casu esset perfecte dominus illius domus; ita Societas manebit absolute domina bonorum illorum, quamvis reservet sibi facultatem bona illa reddendi donatori, quæ facultas non impedit absolutam acquisitionem dominii. Cum ergo Societas intendat acceptare, et quod in donatore nullum maneat jus ad repetenda illa bona, et aliunde habeat animum restituendi omnia, vel partem, si expedierit; restat explican-

dum quo sensu animum illum habere possit, ita ut non præjudicet valori acceptationis, nec reddat illam conditionatam, ita ut possit adhuc a donatore revocari ob defectum acceptationis sufficientis : hinc enim pendere videtur responsio ad ea quæ in contrarium afferebantur.

14 Primum ergo argumentum desumptum ex verbis constitutionum, et congregationum Societatis probat sufficienter, Societatis mentem hanc esse, ut, regulariter loquendo, vel omnia, vel pars bonorum acceptorum donatori restituantur, si dimittatur; nullo tamen jure apud donatorem interim remanente ad ea repetenda, cum totum id relinquatur prudentiæ superiorum, quorum arbitrium frustra requireretur, si donator posset suo illa bona repetere. Nulla ergo relinquitur obligatio ex justitia, sed significatur congruitas magna et decentia, ut restituantur. Per hoc tamen nullo modo excluduntur quæ necessaria sunt ad eam restitutionem faciendam : nec mirum esse debet quod non fiat ibi mentio de facultate a sede Apostolica petenda ad reddenda bona illa; neque enim semper necessaria est ea facultas, quando nimirum dimittendus donaverat vel pecuniam, vel ser mobiles, de quibus potissimum videtur sermo esse in illis locis, supponuntur enim aliqua esse consumpta, pro quibus æquivalenter aliquid satisfacere aliquando expediet. Quando vero donata fuissent bona immobilia, non dicitur ibi quod potest Societas ea reddere propria auctoritate, sed quod in aliquibus casibus expediet ea in totum vel in partem reddere : suppositis nempe terminis habilibus, et obtenta facultate necessaria, quam quidem ante decretum Urbani VIII. poterat dare Generalis Societatis, postea vero sedes Apostolica ob justas causas eam sibi reservavit. Hic autem sensus ex ipsa materia, de qua agitur, colligi potest; ponamus enim quod aliquis donavit Societati bona immobilia ad fundandum collegium novum, quod jam ex illis bonis erectum fuit; postea vero provincialis justas ob causas eum e Societate dimittit, prout in dicta secunda parte constitutionum capit. 1. supponitur, posse Provincialem aliquando inconsulto Generali, aliquos dimittere. Peto ergo, num Provincialis sine alia facultate possit bona illa dimisso restituere et collegium fundatum dissolvere? nam in dicto cap. III. prudentiæ superioris dimittentis, quicumque ille sit, relinquitur, num bona donata restituenda sint ei qui dimittitur. Quis autem dicat posse provincialem solum collegium illud dissolvere inconsulto Generali, cum in IV. p. constitut. cap. 2. negetur ipsi Generali ejusmodi potestas dissolvendi collegium sine consensu Societatis, vel in congregatione generali præstito, vel saltem per litteras requisito? Sicut ergo, quando ibi relinquitur prudentiæ provincialis dimittentis, num bona donata Societat restituenda sint dimisso, subintelligi debet, quod petatur etiam facultas a Generali, quando bona talia fuerint, ut non possint sine ejus facultate alienari : ita quando dicitur expedire quod omnia, vel quoad partem restituantur, subintelligi debet, quod si talia sint bona, quæ sine facultate sedis Apostolicæ reddi non possunt, ab ea petatur et obtineatur facultas necessaria. Societas itaque acceptat absolute illa bona, et acquirit plenum et absolutum eorum dominium; sed simul habet animum reddendi omnia, vel aliqua donatori, si eum ante professionem dimiserit : hic enim animus, si nulla intercedat obligatio, aut promissio, non impedit perfectam, et absolutam dominii acquisitionem, ut constat quando ego emo librum, cum animo donandi illum postea Petro : quo casu non minus emptione sum absolute et perfecte dominus libri quam si eum animum non haberem. Hoc autem constitutiones Societatis significant, nempe, quamvis nulla sit obligatio reddendi bona donatori; expedire tamen aliquan-

do illa, vel illorum partem reddere. Quomodo autem restitutio illa facienda sit non explicant, sed supponunt fieri debere modo legitimo, ita ut si propter bonorum parvitatem sufficiat rectoris, vel præpositi localis consensus, non requiratur alius : secus si propter bonorum qualitatem, vel quantitatem requiratur consensus provincialis, vel Generalis. Quod idem erit intelligendum, quando propter bonorum qualitatem necessarius erit consensus sedis Apostolicæ, necessitas enim legitimi consensus requisiti nullo modo excluditur in prædictis locis constitutionum.

5 Unde ad confirmationem constat differentia : nam domus professa juxta constitutiones non potest retinere bona immobilia sibi legata, atque ideo non mirum, quod non indigeat facultate ad ea alienanda, cum ob suam incapacitatem retinere non possit. At vero in casu nostro Societas in rigore juris potest ea bona sibi semel donata retinere : si autem aliquando expedit quod ea restituat, id quidem deserviet ad justificandum causam, ut facultas concedatur, non vero, ut in sine debita facultate fiat.

6 Ad secundum argumentum responderi potest, non debere nos nunc examinare singulos casus in particulari, qui evenire possunt. Sufficit regulam generalem assignare, quod si circumstantiæ sint tales, ut Societas non solum possit, sed debeat reddere bona donatori, poterit, imo debebit reddere, neque ad id indigebit facultate sedis Apostolicæ. Si autem circumstantiæ sint tales, ut non debeat, possit tamen et quidem expediat reddere, hæc erit causa sufficiens ut facultas concedatur a sede Apostolica, a qua tamen peti debebit, sicut et peti debet quando alienatio cedit in evidentem utilitatem religionis, et in aliis casibus similibus.

7 Ad tertium dici potest, requiri quidem ad perfectam Societatis libertatem in dimittendis dyscolis, quod possit eis reddere bona ab illis accepta in totum, vel in partem : ad eamdem tamen libertatem requiri etiam, quod Societas non teneatur bona illa reddere, ne forte metu restitutionis necessario faciendæ dissimulentur et tolerentur nimis donatoris vitia, et ne ipsimet donatores certi de bonorum recuperatione facilius relaxentur in disciplina regulari, et dimissionem e Societate procurent. Satis ergo providetur illi priori periculo, si maneat in arbitrio Societatis, reddere omnia vel partem bonorum, prout circumstantiæ diversæ exigunt, quo casu tota illa ratio et congruitas justificat facultatem quæ petenda est a sede Apostolica, sicut in similibus casibus ob bonum etiam Societatis nomen conservandum peti, et obtineri solet.

Denique eodem modo interpretandum 18
videtur, quod ex P. Suarez afferebatur, qui non est nimirum quod restitutionem hanc bonorum dixerit non esse alienationem illicitam, sed prudentem dispensationem ; quia solum videtur voluisse non esse intrinsece malam, nec dissipationem, sed prudentem distributionem, nec enim tempore illo, quo P. Suarez id dixit, prohibita erat jure humano, cum posset Generalis Societatis in iis casibus alienare bona immobilia. Nos autem loquimur de jure novo, quo ejusmodi facultates abrogatæ sunt decreto Urbani VIII. qui non solum prohibuit, ne alienationes fierent prætextu privilegiorum, sed in universum omnes alienationes de novo prohibuit, quacumque causa fierent, et sedis Apostolicæ consensum necessarium esse voluit. Quare, stante hoc strictissimo decreto, difficile mihi est, quod sine ejusmodi Apostolicæ sedis consensu possit Generalis propria auctoritate bona immobilia semel Societati irrevocabiliter donata donatori restituere, et jam si id fiat per transactionem ad vitandas lites, cum transactio in ejusmodi bonis immobilibus enumeretur communiter a doctoribus inter alienationes, quæ prohibitæ sunt circa bona ecclesiastica, ut aliis re-

latis, observat Filliucius in *Appendice* tract. XLIV. cap. II. num. 24.

## DUBIUM XLVI.

*An ille, qui est jam plene emendatus, possit in Societate denuntiari prælato, ut patri ?*

1 Suppono in Societate posse ex peculiari ejus regula deferri ad superiores, non ut judices sed ut patres, omnes defectus subditorum cum debito amore et charitate, ut ipsi pro paterna diligentia possint debito modo consulere bono ipsius delati, et bono etiam Societatis, ad quod majori cum libertate exequendum omnibus in ingressu societatis proponitur distincte hæc regula, et interrogantur an ei consentiant, et quatenus opus sit, cedant jure quod habere possent, ne deferantur eorum defectus ad superiores, nisi præmissa antea fraterna correptione : quod tamen non intelligitur de iis quæ vel sub sigillo confessionis, vel etiam consilii petendi causa subditus alicui aperuit, ut late hæc omnia explicata fuerunt in congregatione sexta generali decreto LII. et ejusdem in Societate praxim late et docte defendunt Thomas Sanchez lib VI. *in Decalog.* ca. XVIII. n. 50. et seqq. et alii quos affert late, et ex professo totam hanc controversiam tractans P. Petrus Hurtado disp. 163. *de charit.* sect. 5. quam in plures dividit sectiones, quæ videri possunt.

2 Hoc supposito dubitatum fuit, an hæc ampla et generalis facultas tanta sit, ut etiamsi subditus sit perfecte emendatus, possit qui ejus peccatum aut defectum novit, prælato eum deferre ut patri, non præmissa fraterna correptione : imo enim fraterna corruptio in hoc casu inutilis et superflua esset ; si enim frater supponitur jam omnino emendatus, frustra corripitur ut emendetur, cum jam finis correptionis habeatur sine correptione. Aliunde vero utile videtur quod prælatus sciat defectum aut peccatum præteritum subditi, ut emendatio firmior et magis diuturna sit, et ut prælatus paterna cura amoveat occasiones et impediat periculum relapsus. Quare, cum cessio juris fuerit universalis, et solum excipiatur casus sigille sacramentalis, et notitiæ datæ ad petendum consilium ; videtur etiam in cessione illa juris inclusus casus fratris emendati, in quo etiam contentus fuit, ut ejus defectus ad majorem in spiritu profectum prælato ut patri manifestari possent.

Dixi tamen, inprimis casum esse rarissimum, in quo notitia prælati non speretur utilis futura ad majorem securitatem emendationis, vel ad bonum commune religionis, ut ex multis conjecturis probant Suarez dicto ca. IX. num. 11. et ca. X. num. 12. et Hurtado ubi supra §. 71. et seqq. ubi bene advertit, posse contingere quod subditus sit emendatus, et doleat de suo lapsu quantum sufficit ut possit in sacramento pœnitentiæ absolvi et justificari, et tamen id non sufficiat ut non possimus prudenter timere reincidentiam, si nova occurrat occasio, quotidie enim proponimus, et cito in proposito deficimus. Ad hoc autem, et ad boni propositi perseverantiam et constantiam multum deservit notitia prælati, qui occasiones avertet, et suis monitionibus secretis majori rigore et auctoritate subditum continebit, præsertim, cum certi generis peccata ejus sint conditionis, ut si semel admittantur, difficile eorum radices possint omnino extirpari, et verendum communiter sit ne vel pœnitentia ficta sit ad consopiendum zelum fratris, cujus denuntiatio timetur ; vel certe, si vera sit, non sit futura constans, nisi adhibitis remediis efficacioribus quæ prælatus sua paterna cura melius et facilius adhibere potest. Est ergo casus rarissimus in Societate, quo aliquis non possit prælato ut patri deferre subditi defectus, si prælatus talis sit, ut credatur

ex notitia nonnisi debito modo usurus, ad finem solum paternæ gubernationis cum debito amore et charitate procurandum.

4 Demus tamen, de facto casum occurrere, in quo frater qui erravit, sit omnino et perfecte emendatus, nec timor jam sit futuræ reincidentiæ, nec ad hunc finem securius obtinendum necessariam esse prælati notitiam, nec ad alios fines procurandi commune bonum religionis, vel aliquid simile. Data ergo ea hypothesi, dixi, non posse etiam in Societate subditi crimen deferri ad prælatum etiam ut patrem, quod est maxime juxta sensum ejusdem Societatis, unde ejus doctores id expresse docuerunt, Thomas Sanchez dicto ca. xviii. num. 49 et 60. Suarez dicto lib. X. ca. viii. num. 11. et ca. ix. num. 8. et clarius num. 17. ubi dicit, considerandum esse in particulari, an cesset omnino ratio delationis immediate ad prælatum. « Cessare autem poterit, inquit, si in aliquo casu particulari contingat, ut pensatis omnibus circumstantiis, prudenter judicetur, notitiam superioris nec necessariam, nec utiliorem futuram esse ad emendationem fratris, securitatem religionis, et alios fines honestos, qui per talem denuntiationem intendi possunt (quod quia rarissimum erit, ideo a lege seu regula non curatur) nam tunc abstinendum est a tali denuntiatione, si lapsus sit occultus, et nullum offendiculum aliis præbuerit, nec in futurum timeatur. Tunc enim urget ratio illa charitatis, ut subveniatur proximo in majoribus bonis cum minimo, vel nullo incommodo in bonis inferoris ordinis, si fieri possit. « Hæc Suarez, qui postea addit, peccatum denuntiantis in tali casu esse ex genere suo mortale : in individuo tamen posse facile esse solum veniale ; quia bona intentio qua fit denuntiatio, quamvis imprudenter fiat, purgabit tamen et minuet magna ex parte culpam detractionis. Idem sentit Castro Palao tom. I. disp. iii. *de charit.* punct. 12. n. 4. Hurtado dicta disp. 163. §. 221. et seqq. et alii.

Ratio autem est, quia charitas semper 5
obligat ad subveniendum proximo cum minimo ejus damno : si ergo totum damnum et periculum fratris lapsi, et ipsius etiam communitatis, vitari potest absque ullo detrimento famæ, etiam apud prælatum, charitas videtur obligare ad non adhibendum remedium illud difficilius, ex quo nullus major fructus in his circumstantiis sperari potest. Nec obstat cessio juris et licentia antea ab ipso subdito concessa, ut omnes ejus defectus possint prælato ut patri manifestari ; quia, quidquid sit, an licentia illa et cessio extendatur ad hunc etiam casum, in quo delatio criminis inutilis judicatur ; obligatio tamen charitatis semper videtur remanere, quæ dictat ne aliis faciamus, quæ nobis fieri nollemus : quare etiamsi ob cessionem præcedentem ea manifestatio non esset contra justitiam (de quo adhuc dubitari posset) adhuc esset contra charitatem, quæ semper obligat ad impediendum proximi detrimentum, quoties sine incommodo potest impediri.

Dices, hanc etiam obligationem sublatam 6
esse per cessionem præcedentem, per quam videtur cessare non solum obligatio justitiæ, sed etiam charitatis. Nam, sicut ipsemet poterat ad majorem suam humiliationem dicere prælato sua peccata præterita ; ita potest velle, quod alius ea prælato dicat, qua voluntate posita, non videtur esse contra charitatem ea prælato dicere ; charitas enim non obligat ut conserves famam fratris apud prælatum, quando ipsemet non vult quod conservetur ; quia præceptum præstandi aliis, quod nobis volumus, non habetur in hoc casu. Imo tunc facies quod tibi fieri velles : nam, licet semper velis ne te renuente fama tua lædatur apud prælatum ; non tamen vis quod te consentiente et volente id non fiat : non ergo obligat charitas ad vitandum illud qualecumque detrimentum famæ tui fratris apud prælatum, quando frater ipse

consentit et vult illud detrimentum pati ad suum majus bonum spirituale obtinendum, quod videtur significare P. Suarez dicto lib. X. ca. IX. num. 6. dum loquens de hac renuntiatione juris, quæ fit in Societate, subdit : « non minoris virtutis est consensus præstitus religioni, quam qui inter ipsos privatos religiosos propria auctoritate præstaretur, ad mutandam materiam, ut jam non sit contra charitatem, hoc est, contra bonum temporale famæ, sed potius pro charitate, hoc est, pro bono melioris correctionis prædicta manifestatio.

7 Hoc tamen non videtur omnino satisfacere : nam quoad hoc propositum, non videtur esse eadem ratio de obligatione justitiæ, et de obligatione charitatis : nam justitia solum respicit jus alienum, ne lædatur ; et quidem, posita renuntiatione juris, nullum remanet jus quod lædatur : nec ille qui semel omnino renuntiavit suum jus, potest hanc cessionem revocare ut repetat jus quod habebat, et quod a se omnino abdicavit. Sufficit ergo renuntiatio illa semel posita, et a religione acceptata ad vitandam postea malitiam contra justitiam in tali manifestatione ; si tamen intentio renuntiationis, ut supra dicebamus, extendebat se ad hunc etiam casum rarum et extraordinarium, de quo nunc agimus. Charitas vero non respicit jus proximi, sed præcise id quod tibi velles fieri. Si ergo velles, ne tibi invito fama læderetur, hoc debes proximo præstare. Nec obstat quod frater tuus olim consenserit manifestationi delicti, quia si jam hodie non consentit, sed potius displicet ei graviter hæc famæ læsio, jam nunc invitus patitur hoc damnum, et desiderat sublevari. Sicut si quis iratus, vel etiam bono spiritu ductus divitias suas dissipavit, et postea facti pœnitens paupertate oppressus auxilium a te petat, charitas ei subveniendum dictat, quia jam nunc malum illud invitus patitur, in quo statu tu etiam velles tibi ab aliis subveniri. Cessio ergo et renuntiatio præcedens non tollit motivum charitatis præsens, quoties jam nunc proximus malum illud grave invitus patitur, in qua circumstantia tu etiam velles ab aliis sublevari.

Nec huic regulæ adversatur doctrina 8
illa patris Suarii supra relata : nam, si attente legatur, non loquitur ibi de obligatione charitatis erga alios, sed erga seipsum. Præmiserat enim paulo ante, renuntiationem juris ad propriam famam ex fine melioris correctionis licitam esse, « sine quo fine talis renuntiatio absoluta prodiga foret, atque adeo contra propriam charitatem. » In hoc ergo sensu subdit statim, hunc consensum præstitum ob finem melioris correctionis non esse contra charitatem, nempe contra charitatem propriam erga seipsum, de qua sermo erat, et contra quem esset prodigere propriam famam sine causa. Imo inde retorqueri potest argumentum pro nostra doctrina : si enim P. Suarez docet ipsummet subditum peccare contra charitatem, si renuntiet jus ad famam sine causa majoris boni ; ergo multo magis putabit, peccare contra charitatem quemlibet alium, qui sine tali causa prodigat et lædat fratris famam, cujus non est ita dominus sicut ille de cujus fama agitur. Nec de mente Suarii in hoc puncto dubitari potest, quam ipse clare expressit in aliis pluribus locis, quæ supra retulimus : et hæc de hoc puncto sufficiant ; casus enim est rarissimus, et fere solum locum habere potest in peccatis valde antiquis, in quibus, ut bene ponderat Hurtado dict. disp. 163. num. 224. inutile omnino et illicitum esset manifestare nunc prælato peccata senis octogenarii, quæ in adolescentia commisit, et diuturna pœnitentia delevit, et quorum apud homines memoria non est ; quamvis ipsemet posset ad suam majorem humilitatem ea omnia prælato manifestare.

## DUBIUM XLVII.

*An consulens homicidium, ipso secuto, sit inhabilis ad ingrediendam Societatem?*

1 Suppono, unum ex impedimentis substantialibus ad ingrediendam Societatem esse *homicidium aliquod perpetrasse*, ut habetur *in examine*, cap. II. §. 2. et *in constit.* par. I. cap. III. §. 4. et quidem hoc impedimentum tale esse, ut professio subsecuta valida non sit, declaratum fuit in Congregatione generali 7. decreto XLII. quo supposito, quærebatur, an idem impedimentum haberet, qui non occidit propria manu, sed homicidium consulit, ex quo consilio homicidium secutum fuit.

2 Pro parte affirmativa videtur esse inprimis, quod in dictis constitutionibus dicto c. III. in declaratione marginali, quæ eamdem auctoritatem habet, ac ipse textus, littera C. dicitur : « Qui cum deliberatione homicidium perpetrari jussisset, si effectus est consecutus, quamvis manu sua non occiderit, inter homicidas erit existimandus. » Unde apparet *homicidium* ibi non accipi in stricta significatione, sed in latiori ; alioquin non posset comprehendere mandantes. Si ergo mandantes comprehendit, poterit etiam consulentes comprehendere. Deinde probari potest ex doctrina generali Silvestri, Rosellæ, et aliorum, quos affert Thomas Sanch. lib. III. *de matrim.* disp. XLIX. num. 1. qui dicunt, excommunicationem, et pœnam latam in facientes, comprehendere etiam mandantes, quod idem de consulente dicendum videtur, eum uterque concurrat solum ut causa moralis.

3 Respondi tamen, in rigore loquendo, mihi probabilius videri, quod ejusmodi impedimentum non afficiat consulentem, quam sententiam portea inveni amplexum etiam fuisse Castrum Palaum tom. III. tr. XVI. *de essentia, et requisitis status religiosi*, disp. I. punct. 8. §. 1. num. 18. Et probari potest ex fundamento contrario ; quia communissima sententia est, censuram aut pœnam latam adversus facientes non comprehendere mandantes et consulentes, nisi exprimantur, ut multis relatis probat idem Sanchez dicta disp. XLIX. num. 2. et lib. I. *in Decalog.* ca. x. nu. 44. ubi ponderat irregularitatem homicidæ impositam non comprehensuram consulentem, nisi fuisset in jure etiam expressa ea extensio : unde postea infert consulentem homicidium non esse reputandum irregularem, quando dubitatur an occisio secuta fuerit, quia licet homicida in dubio facti censeatur irregularis ; textus tamen id statuentes loquuntur solum de homicida, quo nomine in pœnalibus et odiosis non intelligitur consulens homicidium. Quare is solum reputabitur irregularis, quando constat occisionem secutam fuisse, et dubitatur an consilium influxerit ad homicidium ; quia tunc præsumptio est contra consulentem, nisi contrarium probetur : secus vero erit, quando dubium est an homicidium secutum fuerit, quod in casu simili docet idem Sanchez lib. II. *consil.* c. III. dub. 104. num. 6. et 30. ubi dicit. censuras a jure impositas simoniacis non incurri a consulentibus, vel mandantibus, nisi quando expresse ad eos in ipsa lege extenduntur, quod de omnibus pœnis latæ sententiæ probat P. Thesaurus *in praxi ecclesiastica*, part. I. c. x. Idem ergo videtur dicendum in casu nostro de inhabilitate ad Societatem, quæ odiosa est, et ideo sub nomine *homicidium perpetrantis*, non debet intelligi consulens, qui in rigore non perpetravit homicidium, sed consuluit, quamvis improprie et tropice dicatur occidisse, quod verbum etiam ipsum *perpetrandi homicidium*, quo impedimentum statuitur, maxime significat : nam *perpetrare*, ut Latinæ linguæ

magistri docent, non est utcumque facere, sed perficere, et ad finem usque actionem perducere; quod non convenit consulenti, sed exequenti: nam consulens incipit remote quod exequens postea ad finem perducit.

4 Nec obstat, quod mandans homicidium eodem ibi impedimento teneri dicatur, imo hinc nostra doctrina magis roboratur; quia enim legislator volebat etiam mandantem homicidium, ipso postea subsecuto, ab ingressu Societatis excludere, ideo expresse impedimentum hoc au mandantem extendit; quia, nisi id explicaret, non excludebatur verbis præcedentibus de homicidium perpetrante. Potuisset autem ad consulentem etiam extendere; et tunc id etiam de consulente explicaret, quod non fecit, nec usus est verbo aliquo generali, quo omnes cooperantes includeret, sed solum illum nominavit, qui animo deliberato homicidium mandasset, quia nimirum ille videtur auctor principalis et magis culpabilis, cujus nomine et auctoritate alius postea operatur, cum homicidium exequitur. Consulens autem multo minus influit, ut constat ex iis, quæ dixi t. 1. *de Justit.* disp. XIX. sect. IV. num. 124. et seqq. ubi cum communi sententia probavi, mandantem teneri primo loco ad restitutionem etiam ante ipsum exequentem; consulentem vero non teneri, nisi in defectum restitutionis factæ ab ipso cui consilium dedit, et qui primo loco tenetur ante consulentem, quia nimirum mandans est causa principalis, cujus nomine mandatarius operatur ut instrumentum illius: consulens vero est causa accessoria, nec ejus nomine operatur qui consilium accepit, nec ullo modo est instrumentum consulentis, seu causa principalis. Non ergo mirum est, quod S. Ignatius ultra homicidam proprium, voluerit etiam a Societatis ingressu excludere mandantem, quem solum expressit, non vero consulentem aut alios similes; imo ex expressione solius mandantis magis probatur quod alii non comprehendantur juxta regulam vulgarem, quod exceptio firmat regulam in contrarium.

Unde, etiamsi daremus statutum odiosum extendi posse ad casus similes non expressos, quod falsum est, ut de pœnis latæ sententiæ probat Thesaurus dicta p. 1. c. IX. et in omnibus legibus odiosis probant alii quos affert et sequitur Lezana tom. IV. verb. *leges Regularium*, n. 42. in nostro tamen casu id non procederet, cum casus in lege expressus de mandante non sit similis, sed valde dissimilis consulenti, respectu cujus exequens non est causa instrumentalis, sed principalis et principalior, ita ut consulens non teneatur ad damna, nisi in defectum exequentis, cum tamen mandans, ut vidimus, teneatur primo loco, etiam ante ipsum exequentem: quare prohibitio facta mandanti non potest ullo modo ob paritatem rationis extendi ad consulentem. Porro legem hanc non esse favorabilem, sed potius odiosam, atque ideo non large sed stricte interpretandam, constat ex iis, quæ post longam discussionem statuit Suarez lib. V. *de legib.* c. II. n. 15. ubi, quamvis ipse in toto illo capite magis propendeat ad reputandam in dubio quamlibet legem favorabilem quam odiosam; fatetur tamen, legem illam odiosam esse censendam, quæ irritat factum aliquod quod prohibet directe vel indirecte, et quæ exorbitans est a jure communi: quæ omnes conditiones reperiuntur in lege ista, quæ non solum prohibet homicidæ ingressum in Societatem, sed etiam illum irritat, in quo recedit a jure communi, quo tales non prohibentur ab ingressu religionis, nisi ad summum in certo casu in bulla Sixti V. et rursus irritat factum, quod jure communi non irritatur; imo irritationes in casu peculiari a Sixto V. inductas abstulit Clemens VIII. et reduxit ad terminos juris communis. Ex qua constitutione Sixti V. argumentum efficax desumi potest ad probandum, hanc legem Societatis esse 5

odiosam et stricte interpretandam ; sicut enim lex Societatis inhabiles reddit homicidas ad eam ingrediendam : ita Sixtus V. inhabiles reddidit ad professionem regularem criminosos, et ære alieno oppressos in certis casibus ibi expressis. Et quamvis illa inhabilitas videretur cedere n bonum status religiosi, ne ab ejusmodi personis occuparetur, sicut lex Societatis videtur cedere in ejus bonum : nihilominus doctores communiter judicarunt, constitutionem illam Sixti V. reputandam esse legem odiosam, atque ideo stricte interpretandam, ut cum aliis supponit Thomas Sanchez lib. IV. *in Decalog.* c. XIX. n. 23. idem ergo dicendum erit de lege Societatis, per quam inhabiles redduntur homicidæ ad eam ingrediendam ; debere, inquam, odiosam existimari, atque ideo non late sed stricte esse interpretandam.

## DUBIUM XLVIII.

*Utrum privilegia Societatis concessa pro iis, qui mittuntur ad Indiam, competant iis, qui vel in India nascuntur, vel ibi Societatem ingrediuntur.*

1 Multa sunt in Societate privilegia a summis Pontificibus concessa pro iis, qui ad Indiam a præposito generali mittuntur, quibus in illis solum regionibus uti possunt ; quia tamen non omnes sacerdotes, qui Societatis ministeria in India exercent, mittuntur ex Europa, sed aliqui ibi in Societatem recipiuntur, qui antea ob alios fines illuc ex Europa transierant in statu sæculari ; aliqui etiam ibidem nati sunt ex parentibus Hispanis, qui jam ibi domicilium habebant, et quidem hi origine Hispani sunt, sed patria et domicilio Indi ; ideo dubitatum fuit an hujusmodi sacerdotes uti possint prædictis privilegiis, cum ipsi non fuerint a præposito generali ad Indiam missi, et privilegia iis solis concessa videantur, qui ad Indiam mittuntur a præposito generali ?

Dixi tamen, omnes eos sacerdotes 2
Societatis, qui in India sunt, gaudere procul dubio eisdem privilegiis ; de illis enim omnibus sufficienter verificatur, quod ad salutem animarum illarum mittuntur ; duplex quippe missio intelligi potest, altera localis, qua aliquis corporaliter ab uno loco in alium ex mittentis imperio proficiscitur : altera spiritualis, seu moralis, qua mittentis jussu aliquis destinatur ad munus aliquod circa aliquos exercendum, ad quod non requiritur mutatio loci, sed officii. Et in hoc sensu accipitur communiter *missionis* nomen, quando de ministris ecclesiæ sermo est ; in hoc enim sensu de prædicatoribus Evangelii dixit Paulus Apostolus *ad Rom.* X, 15 : *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur* ? Et tamen non omnes Apostoli profecti sunt in alium locum, ut prædicarent : nam Jacobus Apostolus Jerosolymorum episcopus creatus, ibidem permansit, ut Evangelium prædicaret usque ad mortem, ad quod munus missus dicitur sine ulla loci mutatione. Unde *Jerem.* XIV, 14. pro eodem accipitur *mitti*, et *destinari*, dum de falsis prophetis dicitur, *Non misi eos, et non præcepi eis, neque locutus sum ad eos.* Sufficit ergo præcipi alicui quod aliquid alteri dicat, ut possit dici ad eum missus, imo et ipsæ divinæ personæ dicuntur in toto rigore mitti ad nos sine ulla loci mutatione : neque enim Spiritus sanctus locum mutavit, quando die Pentecostes missus fuit ad Apostolos, in quibus ex totius Trinitatis decreto aliquid peculiariter debebat operari, illosque instruere, et specialiter in prædicatione dirigere. Possunt ergo in rigore dici, mitti a suis prælatis ad salutem Indorum illi etiam, qui antea ibi erant, quando præcepto prælati ad hoc munus denuo designantur et deputantur.

3 Confirmari potest primo, quia idem videtur esse de nomine *Legati*, et de nomine *Missi;* nam legatus est nuntius honorificus unius principis ad alium, unde communiter ii qui mittuntur a summo Pontifice, si non sint cardinales, vocantur nuntii ; si vero sint cardinales, vocantur legati : quare semper respectum involvunt ad mittentem illos. Et tamen aliquando legati deputantur illi ipsi, quia jam alia de causa in eodem loco commorabantur. Sic Romæ videmus oratorem ordinarium Imperatoris apud Pontificem esse unum ex ipsis dynastis Romanis, qui ad hoc munus a Cæsare deputatur. Sic etiam aliqui sunt legati ipsius Pontificis, qui appellantur legati nati, et ad quos successione perpetua transit legationis munus cum aliqua dignitate, quam in ea provincia obtinent. Sed et ad tempus soliti sunt Pontifices summi legatum suum deputare aliquem antistitem illius ejusdem provinciæ, cui tale munus merito fidere possint. Similiter ergo poterunt missionarium deputare aliquem, qui jam ibidem reperitur ; et ita, ut credo, praxis habet, ut sacra congregatio de propaganda fide deputet aliquem missionarium suum in provinciis infidelium, et hæreticorum, qui jam antea pie ac fructuose ibidem animarum saluti et fidei propagationi attendebat. Incipit tamen vocari *Missionarius*, et frui privilegiis et facultatibus missionariis concessis, eo ipso quod in missionarium deputatur : tunc enim incipit mitti a sede Apostolica, quamvis nullum iter ejus jussu susceperit. Esse autem missionarium, et esse missum idem omnino esse videntur, ut ex ipsis terminis constat.

4 Confirmari potest secundo alio exemplo indulgentiarum, quæ concedi solent confluentibus in festo aliquo ad aliquam ecclesiam ; si enim aliquis ad eam ecclesiam alia occasione ierit, vel forte ob debita vel delicta commissa illuc confugisset ; potest adhuc in eadem ecclesia indulgentiam lucrari, ut observavit Ludovicus a cruce in bullam Cruciatæ disp. I. cap. VIII. dub. XIII. num. 3. et ante eum Nugnus in III. par. to. II. tract. *de Bulla* §. 10. quia nimirum ire ad ecclesiam exigitur solum præsuppositive, ut in ea possit orare, quod solum formaliter desideratur. Sic etiam facultates et privilegia conceduntur ministris Evangelii, qui salutem animarum in India procurant, quia tamen communiter hi solent ab Europa mitti, ideo sub ea appellatione nominantur ; si tamen itinere non indigeant, quia jam in India reperiuntur, sufficiet deputatio ad eumdem finem ; parum enim curat Pontifex, an navigatione vel nativitate ibi sint, dummodo a præposito generali ad eadem ministeria ibi exercenda applicentur et deputentur. Praxis denique perpetua, quæ est optima legum interpres, in hoc sensu semper ejusmodi concessiones et privilegia intellexit ; quare non videtur scrupulus hac occasione denuo injiciendus.

## DUBIUM XLIX.

*An possint professionem in Societate emissuri examinari ante finem studiorum ?*

In Societatis constitutionibus variæ 1
conditiones requiruntur ut quis ad professionem solemnem quatuor votorum admittatur ; quarum una est, ut quadriennio theologiæ studeat, et a quatuor deputatis examinatoribus rigoroso examine probetur, et inveniatur in philosophia, et theologia profecisse, ut constat ex p. V. *constit.* c. II. §. 2. quem profectum congregationes generales VII. et VIII. eum debere esse declararunt, ut possit ejusmodi facultates cum satisfactione docere, idque examinatores juramento adhibito testari debent. Ab hoc tamen examine subeundo excipiuntur, qui pro dignitate et cum satisfactione audientium has facultates professi sunt, aut profitentur ; vel

qui actum generalem mane et vespere in theologia habuerint, si iis patribus qui provincialis judicio disputationibus interesse debuerint, satisfecerint, ut habetur in ordinationibus generalium auctoritate septimæ congregationis contractis c. xviii. p. iii. §. 6.

2 Hoc supposito, dubitatum et quæsitum fuit, an ille, qui non quarto theologici cursus anno, ut fieri solet, sed tertio anno actum habuit generalem theologiæ mane et vespere, et judicibus deputatis satisfecit, cogendus sit postea sequenti anno examen subire? Ratio autem dubitandi esse poterat, quia prius examen non videbatur legitimum, utpote non factum tempore legitimo; debet enim fieri ut appareat quantum profecisset quadriennio theologici cursus, quod tunc apparere non poterat, cum nondum triennium elapsum esset. Et confirmari potest primo ex verbis constitutionis loco supra citato, ubi sic dicitur: « Et quamvis aliqui breviori tempore non minorem progressum, quam alii longiori, facere possent; nihilominus, ut communis aliqua mensura statuatur, spatium aliquod temporis præscribetur; et hoc erit quadriennium integrum post artium liberalium et philosophiæ studia, in theologia explevisse. Ut ergo ad professionem quis admittatur, in ea facultate hoc tempore se exercuisse, et quidem ad gloriam Dei, satis in ea profecisse convenit; et in profectus hujusmodi testimonium quisque ante professionem assertiones logicæ, philosophiæ et theologiæ scholasticæ tuebitur, etc. » Et ibid. in declaratione litt. B. dicitur, hanc mensuram studii quatuor « Annorum in sacra theologia (præter litterarum humaniorum, et artium studia, et examinationem dictam, ut quem profectum in ea doctrina fecerint, videri possit) ut plurimum observandam, » etc. excepto casu speciali uno, vel altero, qui ibi subjicitur: ex quibus colligi videtur necessitas examinis in fine quadriennii.

3 Quod rursus secundo confirmari potest ex verbis congregationis generalis septimæ decreto xxxiii. §. 3. ubi sic statuitur: « Nemo vero ad quatuor votorum professionem admittatur, nisi qui sub finem anni quarti deprehensus fuerit tantum eruditionis habere, quantum necessum foret ad philosophiam, ac theologiam cum satisfactione docendam, nisi forsan ad gubernandum, vel ad concionandum illustria talenta haberet, idque judicio patris nostri. Examen vero, quod sub finem anni quarti instituitur, sit ut minimum horarum in unoquoque duarum, in quo varia e primis philosophiæ et theologiæ capitibus percurrantur. » In quibus verbis examen doctrinæ videtur omnino requiri sub finem quadriennii.

Dixi tamen, omnino sufficere examen 4 factum, vel actum generalem theologiæ habitum anno tertio. Non dico, non requiri quadriennium integrum cursus theologici; hoc enim constitutio supra adducta videtur expresse exigere: sed solum dico, examen anticipatum prodesse posse et sufficere, quod verba ipsa septimæ congregationis supra relata videntur significare; non enim petunt, quod in fine quarti anni examinetur professurus, sed quod nemo ad professionem promoveatur, *nisi qui sub finem anni quarti deprehensus fuerit tantum eruditionis habere, quantum necessum foret ad philosophiam, ac theologiam cum satisfactione docendam*. Qui autem tertio anno publico examine ostendit, se eum gradum eruditionis habere, is procul dubio sub finem quarti anni noscitur talem eruditionem habere; permanet enim adhuc apud omnes notitia examinis et approbationis præteritæ. Verificatur ergo de illo in toto rigore, quod in fine quarti anni deprehenditur, talem habere eruditionem qualis ad professionis gradum requiritur.

Quod rursus confirmari potest verbis 5 illis sequentibus: « Examen vero, quod sub finem anni quarti instituitur, sit ut minimum horarum in unoquoque duarum, etc. » ubi non dicitur, *Examen*,

*quod tunc institui debet :* sed *quod tunc instituitur*, quia nimirum tunc, et non antea fieri solet : quibus verbis solum refertur consuetudo, non imponitur necessitas temporis illius, ita ut, si alio tempore fiat, validum non sit.

6 Porro non imponi hanc temporis præfixi necessitatem, probari adhuc potest, quia si hoc esset, sequeretur non sufficere ad professionem examen, si non sub finem quarti anni, sed biennio post fieret. Non enim minus sed magis distat finis biennii sequentis a fine quarti anni, quam annus tertius theologiæ. Si ergo necessario alligaretur examen ad finem quarti anni theologiæ, non magis validum esset examen biennio post factum, quam anno præcedenti. Consequens autem est manifeste falsum, ut praxis ostendit in multis, qui post duos, vel plures annos a fine cursus theologici examinantur, quam ultimi examinis, et judicii dilationem permittere videtur constitutio ipsa supra allegata, ubi post necessitatem examinis præscriptam subditur : « Quod si doctrina ea præditi esse, quæ satis sit, non invenientur, conducibilius erit, ut donec eam consequantur, expectent, etc. » Possunt ergo postea iterum examinari, ut judicium ultimum de illorum sufficientia ferri possit.

7 Ratio denique opima, et a priori esse potest, quia examen hoc ad id solum adhibetur, ut Societati constet de doctrinæ sufficientia illius qui professionem emissurus est. Ad hunc autem finem non minus, sed magis conducit examen tertio anno factum ; qui enim tertio anno inventus est aptus ad docendam philosophiam et theologiam cum satisfactione, multo aptior erit sub finem quarti anni : frustra ergo iterum examinabitur, ut de hac aptitudine Societati constare possit.

8 Accedit regula generalis, quod terminus alicujus in ejus favorem præfixus non obligat illum ad non anticipandum, imo debitor potest semper anticipare, quando terminus in ejus favorem positus fuit, ut cum communi doctorum dixi t. I. *de Justit.* disp. xx. sect. 9. n. 117. Certum autem est, tempus illud sub finem quadriennii in favorem examinandi statutum fuisse ; duplex quippe favor in ea temporis determinatione resultat ei, qui examinandus est. Primus est, ne cogi possit antea examinari, quando nondum comparaverat eam doctrinæ sufficientiam, nec tantum potuerat profectum in illis facultatibus facere. Secundus favor est, ne cogi possit ad differendum postea diu examen, quod in magnum ejus præjudicium sæpius caderet, ut explicatur in ordinationibus Generalium dicto c. xviii. *de promovendis*, part. I. §. 3. his verbis : « Quoniam vero si examen de sufficientia litterarum ad id tempus differretur, quo quis ad gradus promovendus proponitur, minus commode succederet (contingeret enim eos, qui examinandi tunc essent, ante aliquot annos studia absolvisse, et in variis Societatis ministeriis occupatos, ac distractos fuisse, ac proinde scholasticas res, vel certe subtilitates non ita in promptu habere : unde non possent forte ita satisfacere, ut satisfecissent, si statim absolutis studiis fuissent examinati). Propterea animadvertendum deinceps erit, ut examen juxta instructionem a nobis missam, fiat postquam quisque studia absolverit, antequam ad tertium probationis annum mittatur, juxta constitutiones, etc. » Constat ergo, undequaque in favorem ejus, qui examinatur, tempus illud designatum fuisse, ne anticipatio vel dilatio ipsi noceat, si examini subjiciatur, vel nondum sufficienter edoctus, vel eorum, quæ olim didicerat, oblitus. Non potest ergo rejici ut minus validum examen, quod quis sponte ante terminum subit, cum terminus in ejus gratiam designatus fuerit. Ex quibus constat jam responsio ad rationem dubitandi in contrarium adducta ; negamus enim, in constitutione vel in congregatione generali, necessitatem illius temporis impositam fuisse, nisi quatenus cedit in favorem ejus qui examinatur, ne cogi possit ante illud tempus examinari, dum

nondum fortasse doctrinam sufficientem comparavit, atque adeo exponeretur reprobationis periculo. Si autem anticipato examine dignus comprobatus fuit, jam sufficienter etiam sub finem quadriennii Societati constat ex vi examinis anni præcedentis, eum habere doctrinam, ut ad professionem quatuor votorum promoveatur : quam solam notitiam sub finem quadriennii congregatio generalis septima postulavit, ut supra observatum fuit.

## DUBIUM L.

*Utrum legatus a latere possit uti privilegiis Societatis circa personas ejusdem Societatis, sicut possunt prælati Societatis ?*

1 Suppono, quamvis regulares ratione suæ exemptionis non subdantur nuntiis, aut aliis legatis simplicibus ; legatis tamen a latere subjici, sive ex jure communi, ut aliqui volunt, sive ex specialibus clausulis quæ in ipsa delegatione inseri solent, in quibus id specialiter exprimitur ut cum aliis, quos afferunt, observant Thomas Sanchez lib. VII. *consil.* c. IX. dub. I. n. 14. et seqq. et P. Pellizarius *in Manuali Regul.* t. II. tr. VII. c. VI. sect. 1. q. 1. Hinc ergo dubitatum fuit, an ejusmodi legatus a latere possit circa religiosos Societatis ea omnia exercere, quæ prælati ejusdem Societatis circa suos subditos respective exercere possunt ?

2 Respondi breviter, ea, quæ prælati Societatis circa suos subditos exercere possunt, esse in duplici differentia ; alia enim sunt, quæ ad meram et solam jurisdictionem spectant, qualem haberent etiam episcopi respectu regularium, si non fuissent ab eorum jurisdictione exempti. Alia vero sunt, quæ competunt prælatis, vel ratione voti obedientiæ, vel ratione privilegiorum specialium ipsis a sede Apostolica concessorum. Illa ergo sola quæ pertinent ad primam classem, sunt quæ ad summum competere possunt legato a latere. Secus vero dicendum videtur de iis, quæ ad secundam classem spectant ; nam in primis legatus a latere non videtur posse ratione voti obedientiæ religiosæ quidquam religiosis præcipere ; ii enim non fecerunt votum obediendi, nisi prælatis regularibus quibus sese tradiderunt. Potest quidem summus Pontifex præcipere regularibus etiam ratione voti obedientiæ regularis, quod sicut fit Generali religionis, ita etiam fit Papæ, qui est supremus Generalis omnium, ut cum P. Suarez t. III. *de Relig.* lib. X. c. 11. n. 10. Sanch. Lezana et alii notat idem Pelliz. in dicto *Manuali*, t. I. tr. IV. c. IV. sect. 4. q. Cæteris vero extra religionem non tenetur religiosus ex voto obedientiæ religiosæ obedire, quia eo voto solum intendit se obligare ad prælatis regularibus obediendum, ut constat ex ejus formula, qua dicit, *Promitto Deo, et tibi*, (hoc est, Generali, vel ejus locum tenenti,) *obedientiam*, etc. ut notat idem Pelliz. ibi q. VI. qui addit q. 9. nec etiam religiosos non exemptos teneri ex voto obedientiæ religiosæ obedire episcopis, vel ordinariis, de quibus posset esse major controversia. Hinc autem a fortiori fit, religiosos exemptos in iis in quibus de facto subjiciuntur episcopis, vel legatis, non subjici, ut obediant iis ratione voti, sed ratione jurisdictionis quam in eos habent. Quamvis ergo prælatus regularis possit subditis præcipere ratione jurisdictionis et ratione voti, legatus tamen non potest illis præcipere, nisi ratione jurisdictionis.

Alia etiam sunt, ut dixi, quæ prælatus 3 regularis potest exercere circa suos subditos ex privilegiis specialibus ejusmodi prælatis concessis, v. g. in Societate, de qua loquimur, potest Generalis, per se, vel per alios dispensare ex causa cum suis subditis circa præcepta jejunii, recitationis officii tempore infirmitatis, cele-

brandi ante auroram, vel post meridiem, et aliis similibus. Imo omnia privilegia Societati concessa censentur semper ex declaratione Gregor. XIII. concessa immediate ipsi Generali, et eo mediante cæteris, ita ut nullo ex iis privilegiis possit gaudere aliquis ex Societate, nisi ei a Generali communicetur. Hoc ergo dicimus non posse a legato etiam a latere fieri, nec ipsum posse alicui ex Societate communicare ejusdem Societatis privilegia, vel virtute talium privilegiorum cum eo dispensare, vel aliquid simile exercere. Ratio autem videtur clara; quia hæc privilegia soli Generali concessa sunt, et quibus ipse communicaverit; nec ullibi legato concessa sunt, et quibus ipse communicaverit: nec ullibi legato concessa inveniuntur, sed sola et mera jurisdictio: non potest ergo legatus communicare, aut exercere privilegia ultra tenorem concessionis eorumdem privilegiorum.

4 Possumus autem hoc ipsum exemplo declarare, et comprobare; sunt enim aliqui ordines regulares, in quibus abbates ex privilegio uti possunt baculo et mitra, et exercere pontificales aliquas functiones, imo et conferre ordines minores suis subditis. Quis autem dicat, legatum Pontificis, cui ex peculiari commissione illi religiosi subjicerentur, posse eo ipso, etiamsi nec episcopus, nec cardinalis esset; uti baculo et mitra, et exercere pontificalia, sicut possunt abbates et prælati illius ordinis? Similiter in Societate possunt provinciales in actu visitationis indulgentiam plenariam concedere suis subditis, quam certe legatus concedere non posset. Ratio autem est, quia hæc sunt privilegia concessa peculiariter illis prælatis regularibus: quæ ratio procedit æque de aliis omnibus privilegiis et facultatibus, quæ solis religiosis concessæ reperiuntur. Non ergo potest legatus ea omnia, quæ prælati regulares ratione suorum privilegiorum exercere possunt.

5 Addere possumus alia multa, quæ prælati regulares facere possunt, quæ non potest facere legatus etiam a latere; hic enim non potest admittere aliquem ad habitum religiosum, vel ad professionem; ut cum aliis, quos affert, notat Pelliz. t. I. tract. III. c. 3. num. 5. quia hi non sunt proprie actus jurisdictionis, nec prælatus procedit ut judex, sed potius tanquam acceptans, vel contrahens: legatus autem solum est judex quoad forum contentiosum. Unde ob eamdem rationem legatus non potest disponere de bonis regularium, nec ea obligare per contractumin casibus etiam, in quibus prælati, et capitulum possunt id facere. Similiter prælati, et alii vocales habent suffragium in capitulo ad electiones, et alia quæ ibi fiunt; quod tamen suffragium legatus non habet, quamvis capitulo adesset, quia nimirum hæc et similia jura competunt prælatis, et religiosis, quatenus sunt pars intrinseca illius corporis, et ordinis religiosi, cujus legatus non est pars sed superior, et judex intrinsecus pro certis casibus. Idem ergo dicendum erit de privilegiis, quæ soli religioni, et ejus prælatis intrinsecis concessa sunt, non vero iis qui extra religionem sunt, quamvis aliquam superioritatem, et jurisdictionem in eam exerceant.

# LIBER QUINTUS.

CONTINENS DUBIA CIRCA BENEFICIARIOS, ET PERSONAS ECCLESIASTICAS.

## DUBIUM I.

*De donatione facta ab episcopo regulari ægrotante in favorem sui nepotis.*

1 N. Episcopus regularis senex 70. annorum graviter ægrotans, ex qua infirmate mortuus est, aliquot diebus, imo et mensibus ante suam mortem nepoti suo, in cujus tunc domo ægrotabat, et qui tam de ipso episcopo, quam de episcopi parentibus, erat optime meritus, iteratis vicibus dixit: *Voi siete patrone di tutto quello, che mi trovo: mi rincresce che e poco*, subjungens, se habere aliquam pecuniæ summam. Postea octavo ante obitum die datæ fuerunt episcopo litteræ cambii, quas statim tradidit suo nepoti exigendas, prout cum effectu summam illam aureorum 120. exegit, quam cum ministri cameræ Apostolicæ, mortuo episcopo, ab illo exigerent, ipse se defendit probans et docens, se totam illam pecuniam in beneficium ejusdem prælati expendisse. Denique biduo, vel triduo ante mortem episcopi, dictus nepos ab ejus scrinio ex pecuniis, quæ ibi reperiebantur, accepit scuta circiter mille, nullo facto de hoc verbo cum episcopo, cujus reliquas pecunias, et bona mobilia, ipso mortuo, spolii nomine acceperunt cameræ Apostolicæ ministri: qui etiam monitorium publicarunt, et postea etiam excommunicationem contra eos, qui detinerent aliquid ex defuncti episcopi bonis, et eos, qui detinentes non revelarent.

2 Quæsitum fuit primo, an nepos episcopi potuerit tuta conscientia pecunias illas accipere, et retinere? Secundo, an, si forte non potuit, sufficeret compositionem obtinere in foro conscientiæ per sacram pœnitentiariam. Et quidem ad hoc secundum facile responsum est, id fieri non posse, quia in ejusmodi compositione sacra pœnitentiaria non apponit manus, ut testatur Filliucius (qui et ipse pœnitentiarus erat) *in Appendice*, tr. XLIII. *de spoliis*, c. VIII. nu. 13. Sed compositio cum camera Apostolica facienda est, sive pro foro externo, sive pro foro conscientiæ, tacito nomine debitoris.

3 Tota difficultas est circa primum punctum. Quod enim pecunia illa pertinuerit ad cameram Apostolicam, nec potuerit nepos episcopi eam sibi usurpare et retinere, probari videtur primo, quia verba illa episcopi dicta sæpius nepoti: *Voi siete patrone di tutto quello, che mi trovo*, etc. vel non significant donationem præsentem, vel certe non significant donationem inter vivos, sed solum donationem causa mortis: neque enim videtur credibile, voluisse episcopum ita se abdicare bonis omnibus, ut si convaluisset, non posset ea sibi usurpare: solum ergo intendebat quod ipso mortuo, nepos sibi ea acciperet. Hoc autem episcopus valide non poterat facere: qui enim testamentum non potest facere, nec donare etiam potest causa mortis: certum est autem episcopum testari non potuisse sine indulto summi Pontificis, quod ipse non habebat, quod multo magis locum habet in episcopo regulari, qui licet habeat liberam administrationem suorum redituum: non tamen habet eorum dominium juxta communiorem sententiam: nec potest de illis in morte disponere, cum ejusmodi dispositio post mortem interdicta sit omnibus regularibus, etiamsi sint episcopi, ut cum communi sententia probat Thomas Sanchez l. VI. *in Decalog.* c. VI. n. 10. et seqq. et tenuit rota

in recent. posth. apud Farinac. tom. II. decis. 548. num. 2.

4 Accedit, quod, etiamsi daremus, verbis illis significari donationem inter vivos, illa tamen non videtur potuisse subsistere quoad pecunias exactas biduo, vel triduo ante mortem donatoris ex litteris cambii, nam donatio præcedens solum fuit de bonis quæ tunc habebat donator, non de bonis quæ postea habiturus erat; nec postea proximus morti poterat iterum donare, cum necesse sit supravivere 20. dies ad valorem donationis, ut cum aliis docet Filliucius d. tr. XLIII. c. VIII. n. 9. Quamvis autem Diana I. parte, tract. *de Legib.* resolut. (juxtà primam editionem) 43. cum Joanne Valerio quem affert, dicat hanc supraviventiam 20. dierum non esse necessariam in foro conscientiæ, si donatio vere et irrevocabiliter fiat: in nostro tamen casu nulla ejusmodi donatio apparet pecuniæ posterioris, sed sola commissio ad exigendam illam cum mandato ab episcopo subscripto.

5 Pro contraria tamen parte, et quod nepos potuerit tuta conscientia accipere, et retinere illos mille aureos, non obstante excommunicatione a collectore cameræ publicata, afferebantur aliqua non exigui ponderis fundamenta. Et in primis ponderebatur, episcopum exiguos fructus ecclesiasticos habuisse, qui non perveniebant ad 400. scuta annua, ultra quæ habebat stipendium a quodam episcopo magno, cui quasi suffraganeus deserviebat, (non tenebatur ad residentiam in proprio episcopatu) quod stipendium præsumitur reservasse et vixisse reditibus ecclesiasticis. Certum enim est, posse episcopum vivere de fructibus ecclesiasticis, et libere disponere de bonis quasi patrimonialibus, inter quæ computatur stipendium, quod accipit pro labore personali, etiamsi detur ad compensandum laborem positum in functionibus ecclesiasticis. De hujusmodi autem bonis potest libere in vita, vel in morte disponere, ut tradunt communiter doctores, quos retuli, et secutus sum to. I. *de Justit.* disp. IV. sect. 3. num. 23. et sequentibus, quod multo magis locum habere debebat in casu nostro, in quo bona illa data sunt consanguineo, de ipso episcopo optime merito et quidem consanguineo indigenti, et habenti multos filios, et unam neptem nubilem, quam honeste non poterat in matrimonio collocare, quam doctrinam locum habere etiam, quando episcopus vixit de bonis suis patrimonialibus, vel quasi patrimonialibus, posseque postea tantumdem sibi compensare ex fructibus ecclesiasticis quos reservaret, docent communiter gravissimi doctores, quorum sententiam amplexus sum dicta disp. IV. sect. 3. num. 44. et sequentibus.

Hæc tamen, ut verum fatear, probarent ad summum posse pecuniam illam a nepote retineri, si constaret de animo faciendæ donationis irrevocabilis inter vivos; si enim fuit donatio causa mortis, hæc non magis fieri potest ab episcopo regulari de bonis quasi patrimonialibus, quam de acquisitis ex fructibus Ecclesiæ, sicut nec potest ab eo fieri testamentum de ullis bonis etiam ad causas pias, ut ex communi doctorum sententia cum Thomas Sanchez supra retulimus. Tota ergo difficultas dubii præsentis reducitur ad hoc punctum, an ex illis verbis Episcopi, *tutto quello, che mi trovo, è vostro: mi rincresce, che è poco*, colligatur donatio inter vivos eorum bonorum, quæ tunc habebat.

Dixi itaque, probabile satis esse, quod verba illa contineant donationem factam nepoti, quod primo probari potest ex regula generali, quod verba in dubio accipienda sunt in suo proprio sensu, et significatione, ut cum aliis docet Thomas Sanchez lib. I. *de matrim.* disp. XVIII. n. 8. illa autem verba æquipollent omnino his, *Ego dono tibi id, quod domi meum invenitur, et vellem, ut plura invenirentur.* Secundo, quia quando non constat de animo proferentis, utendum est præsumptionibus, quibus in utroque

foro standum esse probat bene idem Sanchez lib. VII. *de matrim.* disp. XXXVII. n. 12. præsumptiones autem omnes in casu nostro videntur esse in favorem donationis. Quamvis enim donatio regulariter in dubio non præsumatur ex l. *cum de indebito*, ff. *de probationibus;* ex causa tamen remunerationis, et quando merita præcesserunt præsumitur donatio, ex l. *si vero non remunerandi*, §, *inde Papiniamus*, in fine, ff. *mandati*. Mantica *de tacitis, et ambig. convent.* vol. II. lib. XIII. tit. 15. in princip. Menoch. *de arbitr. judicum*, casu 66. Supponitur autem, præcessisse eximia merita ex parte nepotis, in cujus domo episcopus habitat, et ex parte etiam parentum illius, qui multa in episcopi favorem fecerunt. Quamvis etiam Bald. quem affert Mantica loco supra allegato, dicto lib. XIII. tit. 17. nu. 19. dicat, non præsumi prælatum donare pecunias consanguineo, sed mutuare : idem tamen Mantica addit, id non procedere, quando consanguineus est pauper, et exemplum affert ut si filiam habebat nubilem, quam aliter matrimonio honeste collocare non poterat, quæ omnia in casu nostro concurrebant : habebat enim nepos plures nepotes, quos alere debebat et non poterat, nec matrimonio collocare neptem nubilem, ad cujus dotem illi mille aurei deservire debebant : præsumptio ergo saltem in foro conscientiæ est, quod verba illa ab episcopo dicta significaverint animum donationis perfectæ.

8 Porro donationem illam factam fuisse inter vivos et irrevocabiliter, probari potest secundo hac ratione non parum efficaci, quia nimirum in dubio delicta non sunt præsumenda : quare cum episcopus, præsertim regularis, non posset licite donare causa mortis, nec id præsumatur ignorasse hic episcopus, qui erat vir doctus, præsumendus erat donasse modo licito, qui solus erat donandi inter vivos. Unde Filliucius in *Appendice*, tr. XLIII. c. 8. n. 13. proposito nostro casu in eisdem terminis, sic respondet ; « Quæro decimo quarto, an quibus aliquid a beneficiario donatum est in ultima infirmitate, et dubium est, an causa mortis donaverit, tuti sint in conscientia? Respondeo, si donans mortuus non est infra 20. dies a donatione, donatarius tutus est in conscientia, quia in dubio melior est conditio possidentis, nec debet in donante præsumi delictum, nimirum, quod voluerit donare tantum causa mortis (quod facere non poterat) nisi illa aperte constet : si autem intra 20. dies mortuus est, tenetur restituere, quia prohibitus est eo tempore donare. » Hæc Filliucius qui alios affert. Confirmari autem potest ex alia doctrina communi, quod scilicet in dubio, an aliqua fuerit donatio inter vivos, vel solum causa mortis, interpretatio esse debet pro valore actus, ita ut si uno solum ex iis modis valida esse potuit, eo modo facta intelligatur, ut probat Menochius *de præsumptionib.* lib. VI. præsumption. IV. n. 22. quem secutus est Naldus in *summa* verb. *donatio*, nu. 7. et alii. In casu autem nostro episcopus certe donare non poterat valide nec licite causa mortis, cum testari non posset : poterat vero valide et licite donare inter vivos : eo igitur modo et non alio interpretanda est ejus donatio. Unde in foro conscientiæ nepos tutus esse videtur retinendo illos mille aureos quos sibi accepit, cum supponatur episcopus supervixisse multos plusquam 20. dies, atque ideo, non obstante excommunicatione prolata contra retinentes episcopi bona, poterit pecuniam illam sibi retinere : nisi forte sciat episcopum, si supervixisset pecuniam illam esse repetiturum : hoc enim esset argumentum intentionis non donandi irrevocabiliter, quo casu cessarent præsumptiones aliæ favorabiles supra adductæ.

Difficultas restare posset de illis 120. 9
scutis, quæ ex mandato episcopi cum litteris cambii exegit octavo ante obitum episcopi die, quæ summa non videtur comprehensa in donatione præcedenti,

nec constat de donatione subsequenti, sed de mandato ad exigendum : nec episcopus supervixit 20. diebus. Nepos tamen defendit se a collectore cameræ, probans, se summam illam expendisse in episcopi obsequium : quod si ita se habuit, salva res est ; sin minus, adhuc sunt qui dicant posse retinere, cum collectores cameræ acceperint pecunias fere totidem relictas in illo scrinio, unde nepos acceperat mille scuta : acceperunt etiam bona mobilia apud episcopum inventa, quæ omnia ratione præcedentis donationis spectabant ad nepotem, quia ea de causa posset sibi compensare ex pecunia illa denuo exacta, cum aliter non posset illa, quæ ad se vere spectabant, recuperare : id tamen difficultate non caret.

## DUBIUM II.

*De unione duarum ecclesiarum parochialium, an potuerit fieri ab episcopo post decretum concilii Tridentini* sess. XXIV. cap. 13.

1 In quodam oppido erant duæ ecclesiæ parochiales, et quidem ita tenues, ut neutrius parochus haberet portionem sufficientem ad congruam sustentationem. Episcopus ergo voluit unam supprimere, et omnium subditorum curam uni ex iis parochis committere: fructus tamen et reditus parochi supprimendi nolebat applicare parocho superstiti, cui oves utriusque parochiæ committebat, sed volebat fructus illos applicare aliis beneficiis simplicibus, vel aliis sacerdotibus inservientibus in illa parochia non suppressa, quibus tamen animarum cura non incumbebat, sed ad summum servitium Ecclesiæ, cum sacramentorum ministratio ad solum parochum spectaret. Quæsitum est an id episcopus facere posset ?

Ratio dubitandi esse poterat, quia concilium Tridentinum sess. XXI. cap. 5. *de reformat.* non solum restrinxit, sed videtur ampliasse potestatem episcopi in unionibus beneficiorum, dicens : « Possint episcopi etiam tanquam sedis Apostolicæ delegati, juxta formam juris, sine tamen præjudicio obtinentium, facere uniones perpetuas quarumcumque ecclesiarum parochialium, et baptismalium, et aliorum beneficiorum curatorum, vel non curatorum cum curatis propter eorum paupertatem, et in cæteris casibus a jure permissis, etiamsi dictæ ecclesiæ, vel dicta beneficia essent generaliter, vel specialiter reservata, aut qualitercumque affecta. » Quamvis autem postea sess. XXIV. cap. 13. *de reform.* prohibeatur, ne ecclesiæ parochiales uniantur præbendis, aut beneficiis simplicibus in hoc tamen casu ecclesia parochialis non unitur beneficio simplici, sed supprimitur et unitur alteri ecclesiæ parochiali, ut idem parochus curam habeat utriusque parochiæ, et ex duplici ecclesia parochiali fiat una sola.

Dixi tamen, id episcopum facere non posse, quia decretum Tridentini dicta sess. XXIV. cap. 13. *de reformat.* videtur obstare, verba Concilii hæc sunt : « Ecclesiæ parochiales monasteriis quibuscumque, aut abbatiis, seu dignitatibus, sive præbendis ecclesiæ cathedralis, vel collegiatæ, sive aliis beneficiis simplicibus, aut hospitalibus, militiisque non uniantur, etc. » Ex quibus verbis omnes post Tridentinum negant, posse episcopum unire beneficium curatum alicui beneficio non curato, de quo late Thom. Sanchez l. VII. *in Decalog.* c. XXIX. num. 178. et seqq. præsertim num. 184. et alii omnes recentiores. Non potest ergo episcopus supprimere unum beneficium curatum, nisi ut reditus illius addat altero beneficio curato indigenti : quod tamen in casu nostro facere non vult, sed suppresso uno parocho, alteri parocho addit oves suppressi, reditus vero unit beneficiis simplicibus, relicto

parocho cum majori onere, et cura, et sine congrua sustentatione, quo nihil magis alienum esse potest a mente Tridentini.

4 Dici solum posset, in hoc casu observari quidem verba Tridentini, quatenus ecclesia parochialis quæ supprimitur, unitur ecclesiæ parochiali remanenti, cui subduntur omnes parochiani parochiæ suppressæ, et ex duobus parochis fit unus parochus, et ex duabus parochiis fit una parochia. Sed hoc revera est eludere decretum Concilii cujus mens est, quod fructus beneficii parochialis non uniantur alicui beneficio simplici. Certe Consilium non prohibuit, ne oves unius parochiæ, et earum cura unirentur beneficio simplici ; hoc enim omnino repugnabat, quod fieret. Nam eo ipso, quod ovium cura uniretur beneficio simplici, jam beneficium illud mutaret naturam et non esset amplius beneficium simplex sed curatum. Potissima ergo Concili intentio fuit impedire, ne fructus destinati habenti curam animarum transferrentur per ejusmodi uniones ad alios, quibus non inerat animarum cura, ex quo sequebatur quod cura animarum despiceretur, et difficile invenirentur sacerdotes idonei, qui animarum curam debito modo haberent, translatis parochiæ proventibus ad alias personas, quibus animarum cura non inerat. Unde inter decisiones sacræ congregationis cardinalium concilii Tridentini interpretum, quæ in codice manuscripto apud me habentur, hæc etiam invenitur pro ecclesia Lancianensi : « Non solum unio parochialium est prohibita, sed etiam aliqua pars fructuum earum uniri non potest. » Si congregatio partem fructuum parochialis ecclesiæ dicit non posse uniri beneficio non curato, quanto minus judicabit posse omnes fructus uniri beneficio simplici, commissis ovibus parochi suppressi alteri parocho non habenti congruam sustentationem ?

5 Dices, in casu nostro ecclesiam parochialem suppressam uniri, non solum quoad curam animarum, sed etiam quoad fructas alteri ecclesiæ parochiali : nam fructus parochiæ suppressæ applicantur alteri ecclesiæ parochiali remanenti, ut beneficia simplicia, quæ in ea sunt pinguiora remaneant, vel ut novi clerici assumantur, qui ad cultum divinum in ecclesia deserviant : jam ergo servatur totum quod Concilium voluit, nempe quod ecclesia parochialis non uniatur, nec etiam quoad fructus nisi alteri ecclesiæ parochiali.

Verum hoc etiam effugium est aperte 6
contra mentem concilii Tridentini, cujus intentio fuit prohibere unionem ecclesiæ parochialis non solum materialem, ut ita dicam, sed etiam et multo magis formalem cum beneficio non curato. Nam licet in casu nostro beneficium parochiale uniatur materialiter cum alia ecclesia parochiali : quoad fructus tamen non unitur formaliter cum ecclesia parochiali, sed cum beneficiis simplicibus : nam fructus parochiæ suppressæ non applicantur alteri ecclesiæ remanenti, quatenus parochialis est, sed quatenus habet beneficia, simplicia et alios clericos nullam hebentes curam animarum ; ipsi vero parocho habenti animarum curam, nulli fructus applicantur, atque adeo nec ipsi ecclesiæ formaliter, quatenus parochialis est, quæ unio materialis, ad ecclesiam solum, quæ specificative et materialiter est aliunde parochialis, non sufficit ad intentionem Concilii, quæ procul dubio fuit providendi, ut boni et idonei parochi reperirentur, qui curam animarum exercerent.

Porro hanc fuisse Concilii mentem, 7
colligi potest primo ex ipsius verbis : neque enim Concilium dixit, ne parochiales ecclesiæ unirentur ecclesiis non parochialibus, sed dixit non posse uniri *beneficiis simplicibus*, non ergo sufficit quod fructus beneficii parochialis uniantur ecclesiæ alteri parochiali, si tamen applicantnr, et uniuntur beneficiis simplicibus ecclesiæ parochialis, quod est expresse prohibitum a Concilio nolente

quod uniantur ullis beneficiis simplicibus. Secundo colligitur ; hoc ipsum ex eodem Concilio ibidem explicante, non posse fieri hanc unionem cum *præbendis, sive dignitatibus ecclesiæ cathedralis*, quo casu unio dici posset fieri cum ecclesia parochiali, cum ipsamet ecclesia cathedralis sit etiam, communiter loquendo, ecclesia parochialis, unde dici posset quod ecclesia parochialis unitur cum alia ecclesia parochiali ; et tamen Concilium illam etiam unionem expresse reprobat : ergo vult, quod fructus ecclesiæ parochialis non possint ab episcopo applicari, nisi ad beneficium etiam parochiale, ita ut deserviant ad alendum parochum illum, cui oves parochi suppressi committuntur. Non ergo potest episcopus propria auctoritate suppressionem et unionem fructuum hic narratam facere, sine licentia sedis Apostolicæ, apud quam rationes, si quæ sunt, ad id faciendum, proponi debent, ut ibi examinentur, et cognita earum justificatione, licentia concedatur. Quam tamen, ni fallor, difficile impetrabunt, dum parochus cui novum onus accrescit, nullum sentit emolumentum, et aliunde supponitur non habere congruam sustentationem.

## DUBIUM III.

*An sine læsione ecclesiasticæ immunitatis potuerint clerici cogi ad solvendum, quod in utilitatem ipsorum etiam expensum fuerat ?*

1 Cum militum copiæ per territorium cujusdam principis transirent, ibique aliquandiu vellent commorari, idque sibi licere dicerent ob directum dominium, quod suo principi in eo loco competebat : princeps timuit prudenter damna et detrimenta gravissima subsecutura, si milites ibi moram aliquam traherent, arborum cæsiones, prædiorum vastationes, armentorum ac pecorum strages, quæ ut opportune impediret, transitum, et commorationem exercitus pecunia voluit redimere, oblatis centum mille aureis, ut illac non transirent, quam summum communitas civitatis exolvit. Postea vero, ut datam pecuniam recuperaret, actum fuit de imponenda gabella solvenda in molendinis ex singulis tritici mensuris, quæ moluntur. Reclamarunt ecclesiastici, quod, salva eorum immunitate, non possent ad eam contributionem compelli. Laici tamen sese opponebant, dicentes, agi de expensis factis in utilitatem ipsorum ecclesiasticorum, quorum prædia eidem jacturæ subjacuissent, si milites fuissent ad commorandum admissi : quod experientia comprobabat viciniorum statuum, quibus ab eodem exercitu ibi commorante non minus ecclesiasticorum, quam laicorum prædia detrimentum sustinuerant. Non debere ergo ecclesiasticos totum onus et expensas redemptæ vexationis in laicos solos refundere, ut ipsi alienis expensis res suas in tuto habuerint.

In hoc ergo casu, posse ecclesiasticos compelli, aliqui absolute dicebant, quia, quamvis hi non debeant contribuere ad ea quæ mediate et consequenter cedunt in eorum utilitatem, immediate vero et directe sunt in utilitatem publicam communitatis, cujus ecclesiastici sunt partes, ut quando agitur de reparandis mœnibus, pontibus, fontibus, viis publicis, et his similibus, ut docet communis sententia, quam multis relatis probavi et amplexus sum to. II. *de Justit.* disput. xxxvi. sect. 8. num. 123. ad ea tamen, quæ directe et immediate concernunt utilitatem ipsorum clericorum, debere contribuere ipsos clericos, de quorum interesse agitur, docent Molina, Silvester, et alii innumeri, quos afferunt et sequuntur Thomas Sanchez lib. II. *consil.* cap. iv. dub. 5. nu. 6. et 7. et Diana I. par. tr. ii. resolut. 40. et 132. In casu autem nostro damnum vitandum spectabat directe et immediate ad ipsos

etiam ecclesiasticos, quorum prædia damnis ab exercitu inferendis non minus erant obnoxia, quam prædia laicorum.

3 In contrarium tamen urgent facultates petitæ, et concessæ in his casibus a summis Pontificibus modernis, ut pro illa vice solverent etiam ecclesiastici ; et quidem non absolute, sed cum limitatione, nempe si prius fiat discussio bonorum laicorum, et constet illa non sufficere ut laici soli solvere possint. Sic enim Clemens VIII. concessit, ut pro reparatione facienda contra fluvium Arnum, qui agros vicinos clericorum et laicorum vastabat, posset nuntius Apostolicus Florentiæ existens cogere clericos ad contribuendum, si tamen discussione bonorum facta, constaret ipsi nuntio laicorum bona non sufficere. Et postea Urbanus VIII. concessit, quod clerici Panormitani contribuerent ad expensas factas tempore pestis ; mandavit tamen archiepiscopo Panormitano, ut examinaret prius, an verum esset quod narratum fuerat de impotentia laicorum ad eam contributionem sine ecclesiasticorum concursu. Unde colligi videtur, non esse mentem summi Pontificiis, quod etiam in iis casibus ecclesiastici solvant, nisi in defectum facultatum laicorum.

4 Ego in casu proposito dixi, in primis verum esse, in genere loquendo, doctrinam illam in neccssitatibus quæ non mediate et consequenter, sed immediate et directe tangunt ecclesiasticos, posse, salva immunitate, ipsos contribuere pro parte sua, atque ideo posse ipsos antecedenter ad hanc contributionem pacto sese obligare. Nam, sicut potest clericus qui domum communem habet cum laico, contribuere ad ejus reparationem, ne corruat : ita, si clerici agros habent in territorio communi, in quo sunt etiam agri laicorum, possunt cum laicis concurrere ad avertendum flumen, quod agros illos inundat et vastat ; neque hoc est tributum, sed contributio ad expensas communes, sicut si concurrerent ad expensas pro lite circa hæreditatem communem, vel ad quid simile, ut latius dixi tom. I. *de Justit.* disp. xxxvi. sect. 8· num. 129. ubi notavi, debere tunc præcedere consensum omnium illorum, quorum interest et quorum causa agitur, id enim quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari : nec possunt inviti cogi ad consentiendum, quia id jam esset tributum. et requireretur consensus superioris, qui eo casu est solus summus Pontifex, qui sibi reservavit hanc tributorum impositionem, ut constat ex cap. *adversus*, *de immunitate Ecclesiarum*, et dixi in eodem loco num. 127. Quare Papa tunc potest quidem cogere clericos, etiamsi laicorum facultates sufficiant : posset tamen eam licentiam non dare, nisi constet de laicorum impotentia ad eas expensas faciendas, quam tamen conditionem fortasse Pontifex non adderet, si peteretur solum facultas obligandi eos clericos, qui interesse immediatum habent in illis communibus expensis, sed eos sua auctoritate obligaret, ut pro rata sui interesse contribuerent. Verum in illis exemplis adductis, ut hoc obiter advertam, petebatur a Clemente VIII. et Urbano VIII. facultas ad tributum generale, quod ab omnibus ecclesiasticis solvendum erat. Neque enim omnes habebant agros inundationibus expositos, et tamen ab omnibus contributio petebatur. Sicut et a toto clero Panormitano exigebatur contributio pro expensis factis tempore pestis ; quæ quidem expensæ magis videbantur esse ex illarum genere, quæ tendunt immediate et directe in bonum communitatis, mediate vero et consequenter in bonum clericorum, quatenus ipsi sunt pars illius communitatis, atque adeo clerici in rigore non debebant ad eos sumptus contribuere, sicut nec ad reparationem mœnium, pontium, viarum, et similia. Merito ergo Pontifices in utroque casu apposuerunt conditionem illam de discussione præmittenda, ut constaret, de insufficientia facultatum laicorum, qui in

neutro casu debebant solvere illi a quibus solutio petebatur.

Hinc ergo ad casum nostrum præsentem deveniendo, certum videtur, non posse sine facultate summi Pontificis imponi gabellam illam super molendinis. Primo, quia gabella solvenda esset ab omnibus ecclesiasticis ; cum tamen non omnes ; sed pauci habuerint interesse immediatum in redemptione et expensis factis, ne milites castrametarentur in illo territorio ; cum non omnes ecclesiastici haberent prædia ibi, et possessiones, quæ pati possent detrimenta ab exercitu ibi commorante. Secundo, quia ad eas expensas faciendas, non fuerat habitus, nec petitus consensus clericorum omnium, imo nec eorum qui poterant habere interesse, et quibus militum transitus immediate nocere poterat : quare non poterant inviti cogi ad eos sumptus faciendos, nisi a suo legitimo superiore, qui in hoc casu est solus Papa, ut vidimus. Tertio, quia non satis constat, hunc casum fuisse ex iis, in quibus contributio tendit immediate et directe in utilitatem clericorum : neque ad hoc videtur sufficere, quod certum moraliter sit si milites transirent, aliquorum clericorum possessiones passuras fuisse detrimenta, si tamen non sciatur, quæ et quorum possessiones illæ fuissent : quando enim dicimus, aliquas expensas cedere solum mediate in utilitatem clericorum, non negamus quod clerici immediate in seipsis, et in suis bonis sentiant illud commodum : nam refecto ponte vel via publica, certum est clericos aliquos transeuntes per pontem, vel bibituros ex fonte, commodum aliquod immediate percepturos : solum ergo significare volumus, quod utilitas illa immediate respiciat communitatem, mediante vero ratione communi civium, respiciat etiam hos et illos in particulari, et in confuso, quatenus continentur sub illa ratione generica, et communi, quam solam immediate respicit utilitas quæ intenditur, sic intenditur salus civium qui agrotabunt, quando communitas dato stipendio conducit medicum, et quamvis aliqui etiam clerici ægrotantes gaudeant illo beneficio, non tamen debent solvere gabellam forte impositam ad solvendum stipendium medico destinatum, quia nimirum finis immediate intentus est salus civium in communi, nec attenditur ad hos, vel illos in particulari, nec sciri potest, qui et quales sint postea ægrotaturi, et medici opera fruituri. Sic ergo in casu nostro finis immediate intentus in erogatione pecuniæ non fuit liberatio ecclesiasticorum, sed civium quorum prædia detrimentum passura essent, quicumque illi sint : nec enim scitur quorum et qualia prædia vastanda, vel deterioranda essent, cum id ex multis circumstantiis dependeat. Non ergo ordinantur immediate illæ expensæ ad clericorum utilitatem, sed mediate quatenus illi etiam continentur sub ratione communi civium habentium possessiones, quorum indemnitati in genere consulere voluit ipsa communitas, prævidens in confuso aliquos cives passuros detrimenta, si exercitus illic commoraretur. Debet ergo omnino facultas exigi a summo Pontifice, ut ecclesiastici cogi possint ad contributionem pro expensis factis in publicam utilitatem laicorum, et ecclesiasticorum.

Addidi vero, casu, quo summus Pontifex obliget ecclesiasticos ad contributionem illam, vel gabellam solvendam, non posse illos vi coercitiva compelli a judice, vel magistratu laico ad solvendum, sed si aliqui non solvant, recurrendum esse ad superiores ecclesiasticos qui eos compellant : laici enim nullam in clericos exercere possunt jurisdictionem : quare sicut in aliis creditis convenire eos debent coram judice ecclesiastico, ita in hoc debito gabellæ solvendæ coram eodem judice ecclesiastico conveniri debent, ut cum communi doctorum, quos retuli, contra nonnullos id negantes, dixi dicta sect. VIII. n. 31.

Putabant aliqui, posse principem eo

casu reservare sibi distributionem aquæ necessariæ pro molendinis, et singulis molitoribus vendere portionem aquæ necessariæ, et hoc modo colligere pecuniam necessariam ad resarciendas illas expensas, nihil a clericis, vel laicis, quorum frumenta moluntur, exigendo, sed solum a molitoribus pro pretio aquæ. Vel certe vendere singulis molitoribus facultatem molendini ; et in utroque casu ipsi postea majori pretio frumenta molant, ut resarciant sibi pretium pro aqua, vel pro molendini facultate solutum : dummodo tamen in utroque casu non cogantur clerici in illis molendinis molere suum triticum, sed possint libere sibi de alia molitura providere, vel curare, ut suum frumentum alibi molatur. Hæc tamen omnia, ut verum fatear, fierent in fraudem legis ecclesiasticæ, quæ censuris punit facientes, non solum directe sed etiam indirecte, contra immunitatem ecclesiasticam. Quid enim est facere indirecte, nisi id, quod non potest directe et immediate a clericis exigi, extorquere indirecte, et quærere vias reflexas, ut tandem clerici non minus contribuant, quam ipsi laici? vide quæ dixi dicta disp. XXXVI. sect. IX. n. 126. et seqq. ubi late explicui, quando verificetur læsio immunitatis indirecta, et quando in principe vel magistratu laico præsumatur lex facta ex animo extorquendi indirecte a clericis, quod directe solvere cogi non poterant : et invenies regulas ibi ad hoc positas verificari ad litteram in casu nostro.

## DUBIUM IV.

*An possit quis habere animum resignandi beneficium, dum procurat expeditionem bullæ ?*

1 Titius in habitu sæculari obtinuit a summo Pontifice facultatem habendi aliquas pensiones ecclesiasticas in quocumque habitu, atque etiam in statu matrimonii. Postea antequam haberet pensioues, mutato consilio, assumpsit habitum ecclesiasticum, et cum animo permanendi in eo statu obtinuit præbendam et aliqua beneficia, et supplicatione signata et registrata, ante expeditionem bullæ mutavit iterum animum, et habuit intentionem reassumendi habitum sæcularem, atque adeo resignandi beneficia et præbendam, reservata sibi pensione, quam vigore primæ concessionis poterat in statu sæculari habere. Quæsivit, an cum hoc animo posset procedere ad expeditionem litterarum prædictæ præbendæ et beneficiorum ?

Et quidem nulla esset dubitatio in hoc 2
puncto, si vera esset doctrina, quam tradunt Lessius lib. II. *de Justit.* ca. XXXIV. dub. 26. et Thomas Sanch. lib. VII. *de matrim.* disp. XLV. num. 16. qui dicunt, non esse peccatum mortale accipere beneficium simplex non habens annexam obligationem ordinis sacri, etiam cum animo dimittendi illud post aliquod tempus, et ducendi uxorem : nisi forte præbenda data in casu nostro erat ex iis quæ afferunt obligationem suscipiendi ordinis sacri. Hæc tamen doctrina rejicitur communiter a scriptoribus modernis, qui viderunt et ponderarunt bullam Pauli IV. editam anno 1557. quæ incipit, *Inter cætera*, et est 12. in I. tom. Bullarii Cherubini, in qua Pontifex prohibet ne quis in Romana curia beneficium ullum accipiat cum intentione illud resignandi, et ultra alias pœnas, reddit irritam acceptationem talis beneficii. Quare, cum beneficium, seu præbenda in casu nostro in Romana curia conferatur, locum habebit bulla prædicta, sive beneficium habeat, sive non habeat curam animarum, vel obligationem annexam ordinis sacri suscipiendi, ut observavit Filliucius, qui Romæ scripsit, in *Appendice* tr. XLI. ca. v. num. 43. et merito credit auctores illos non vidisse hanc bullam, cujus observantia

adeo in Urbe procuratur, ut a singulis beneficia quælibet accipientibus exigatur juramentum, quod ea non accipiant animo dimittendi, ut testatur idem Filliucius ibi, et testes sunt omnes qui in Romana curia versantur.

3 In casu ergo proposito respondi distinguendo. Vel enim Titius fecerat jam solitum juramentum, quod non haberet animum resignandi, et postea ante expeditionem bullæ animum mutavit, vel juramentum adhuc emittendum est. Et quidem in hoc secundo casu non video, quomodo possit licite jurare se non habere animum resignandi, cum revera nunc quando jurat, eum animum habeat. Nec enim petitur ab ipso, an antea acceperit cum animo non resignandi, sed an nunc talem animum habeat, an vero animum resignandi. Si ergo bulla non expedietur, nisi præmisso eo juramento, quod jam ob animum mutatum emittere non potest, manet illi consequenter, et per accidens impedita et illicita bullæ expeditio.

4 Si vero juramentum illud factum jam fuerat ante animi mutationem, et supplicatio tunc etiam signata fuerat, et registrata, non in forma *Dignum*, seu commissoria, sed in forma *Gratiosa*, cujus effectus non dependeat adhuc ab examine et approbatione futura ; probabile mihi est quod possit licite bullam expedire etiam post propositi mutationem, quia etiam ante bullæ expeditionem, præbendæ et beneficia sunt jam ipsius, et habet non solum jus ad rem, sed in re, quamvis pro foro externo litterarum expeditio necessaria sit, ut late probat Sanchez l. VIII. *de matr.* disp. XXIX. et in propriis terminis Filliucius dicto tr. XLI. cap. III. quæst. 5. num. 91. qui cum aliis quos affert, advertit non sufficere signaturam solam sine registratione : quia, quamvis per signaturam gratia videatur jam perfecta, non est tamen jus perfecte acquisitum, ut constat experientia, cum sæpe post signaturam, antequam registretur, soleat lacerari, et conferri alteri ad libitum Papæ sine injuria primi supplicantis, quod sane non fieret si jam esset illi jus acquisitum. Cum autem hoc jus acquisitum censeatur post registrationem, fatendum est, quod jam tunc accepit, et habet beneficium, et per consequens verum erit quod illud accepit sine animo resignandi, quamvis postea ante bullæ expeditionem propositum mutaverit. Advertit autem idem Filliucius ibi cum Garzia IV. part. cap. II. num. 28. Cancellariam non censere translatum esse jus in re beneficiaria, nisi litteris expeditis, hoc tamen procedere pro foro externo. Denique advertunt, doctrinam traditam locum habere tunc solum, ut dixi, quando supplicatio est signata in forma *Gratiosa*, non vero quando est in forma *Dignum*, seu commissoria : tunc enim non fit provisio, sed mandatum de providendo, atque ideo non est acquisitum jus in re, sed ad rem quatenus supplicans habet jam jus ut ei tale beneficium conferatur. Quando vero signatur supplicatio in forma *Gratiosa*, et registratur, acquiritur jus in re, et cum semel acceperit beneficium sine animo resignandi, potest curare expeditionem bullæ, quæ est testificatio gratiæ jam antea factæ, quamvis jam nunc habebat propositum resignandi cum pensione, quam juxta indultum antea obtentum retinere potest in habitu sæculari.

## DUBIUM V.

*An debeat recitare officium divinum, qui cum titulo colorato accepit possessionem beneficii, non tamen pacificam, sed litigiosam ?*

Suppono communem et probabilem multorum sententiam, qui dicunt beneficiarium non teneri ad recitandam officium a die qua beneficium ei collatum

est, et ab ipso acceptatum, sed a die obtentæ possessionis, dummodo per ipsum non stet ne possessionem consequatur, sed bona fide illam habere conetur. Ita multis relatis Bonacina *de horis Canonicis* disp. I. quæst. II. punct. 5. nu. 2. a quo afferuntur Parisius, Azorius, Lessius, Filliucius, Naldus, Suarez, Molfesius, Rodriquez, Menochius, Cajetanus, Philiarchus, quibus adde Gavantum *in rubricas Breviarii* sect. I. cap. IV. nu. 5. qui testatur de praxi et consuetudine Romanæ curiæ, et alios plures quos affert et sequitur Diana part. II. tr. *de horis canonicis* resol. 21. nempe Henriquez, Vegam, et Malderum. Dubium ergo est, an sufficiat possessio capta ad hanc obligationem, si tamen litigiosa sit.

In eo casu obligari docet Bonacina ubi supra punct. 4. num. 26. saltem quando pacifice incepit possidere, quod etiam docet Thomas Sanchez lib. II. *consil.* cap. II. dub. 76. num. 9. et 10. juncto num. 7. nisi quando fructus omnes sequestrantur, quia beneficium nullum habet servitium, et aliunde non est verisimile pro ipso ferendam esse sententiam, sed lis est in æquilibrio : in hoc enim casu negat eam obligationem. P. vero Suarez I. tom. *de Relig.* tract. IV. lib. IV. cap. 10. nu. 10. indicat, ad hanc obligationem sufficere titulum et possessionem, quamvis sit litigiosa. Dicit enim, quod ex duobus, litigantibus super beneficio unus solus illud possideat : « Ille solus tenetur pro nunc recitare, qui tenetur ad totam administrationem beneficii, et quia necesse est, ut habeat saltem titulum coloratum, et actu fruatur beneficio ratione possessionis, et actualis ministerii, et ob illum exteriorem titulum, ut sic dicam, seu speciem veri tituli : ergo non est, cur pro eo tempore alter obligetur, quia omnino est ab administratione remotus, et quia non oportet ut hoc peculiare onus duobus imponatur. » Castro Palao tom. II. tract. VII. disput. II. punc. I. §. nu. 24. dicit obligari ad recitandum, esto possessionem beneficii litigiosam habeat, si lite non obstante beneficium ministret, et sperat morali certitudine sibi esse fructus applicandos, saltem servitio debitos.

Alii tamen expresse addunt, non obligari beneficiarium ad recitandum officium ante adeptam pacificam possessionem, nisi per ipsum stet quod possessio non capiatur : ita loquitur expresse Bonacina loco citato. Diana dicta resolut. 21. Filliucius tom. II. tractat. XXIII. cap. 5. num. 159. docens, neminem habere perfecte beneficium nisi habeat ejus pacificam possessionem. Idem supponere videtur P. Suarez ubi supra, dicto capit. XIX. num. 7. ubi contra Navarrum probat solum titulum sine possessionem non obligare ad recitandum officium, quod probat : « quia in jure non censetur quis perfecte, et quasi consummate habere beneficium, donec pacificam ejus possessionem habeat, vel saltem per illum stet quominus habeat. » Denique pro eadem sententia Thomas Sanchez dicto lib. V. *consil.* ca. II. dub. 76. num. 2. affert Paludanum, Palacios, et Dominicum Sotum, quos dicit in eo sensu locutos, ut non sufficiat capta possessio, quando non est pacifica. 3

Aliqui media via procedunt, et dicunt, quando non obstante possessione, possessor non percipit fructus, quia propter litem sequestrantur, possessorem non teneri quidem ad officium recitandum, quia non debet obligari ad onus certum propter incertam mercedem, cum propter litem dubium sit an postea fructus illius temporis sint ipsi applicandi. Cæterum, si postea vincat litem, non potest recipere fructus correspondentes toti illi tempori quo non recitavit, et ideo non fecit fructus suos, sed debet eos dare illis ad quos spectant fructus beneficiarii non recitantis, nisi forte velit postea uti bulla compositionis in iis locis, in quibus usus illius bullæ est. Ita docuit P. Joannes de Salas in manuscriptis, tract. *de oratione, et horis canonicis* dub. 41. 4

qui addit primo, posse ex fructibus deducere expensas litis. Secunda, posse fortasse uti bulla compositionis, quamvis ejus intuitu emiserit recitationem officii, quia bulla excludens ab ejus usu eum qui ob spem bullæ accipiendæ omittit recitationem, videtur loqui de omittente culpabiliter et illicite recitationem : hic autem omisit absque peccato. Tertio denique addit, doctrinam hanc non habere locum in eo qui certo sciret se victurum in lite sine magno incommodo : hic enim tenetur procul dubio sub peccato recitare, sive vellet postea fructus suos facere litigando, sive non vellet, quia tunc per eum staret si non perciperet.

5 Hic tamen modus dicendi singularis est, et non videtur satis consequenter procedere. Primo, quia si ille non peccaret non recitando toto illo tempore : non apparet unde oriatur postea obligatio restituendi fructus : hæc enim obligatio imposita est ut pœna omissæ recitationis. Quare si aliquis, qui revera tenetur recitare, bona fide omisisset recitationem, quia aliquis cui credere poterat, dixit illi, quod non habebat obligationem recitandi, postea cognito errore, non debet fructus perceptos restituere, sed haberet se sicut qui oblivione invincibili omisit aliquo die recitationem officii. Cum ergo in casu nostro inculpabiliter omissa sit recitatio toto tempore litis, non potest esse obligatio, finita lite, restituendi fructus temporis præcedentis.

6 Secundo, quia obligatio saltem restituendi fructus ob recitationem omissam inducta a S. Pio V. non incipit nisi post sex menses. Si ergo lis duravit solis sex mensibus, non est obligatio saltem ex bulla Piana ad restituendos illos fructus etiamsi culpabiliter fuisset omissa recitatio, quidquid sit de obligatione alii juris naturalis, si quæ sit de restituenda aliqua parte pro non adimpleta obligatione satisfaciendi proprio muneri. Tertio denique, quia vel tempore litis ille erat vere et complete beneficiarius, vel non erat : si erat, non debet ab onere recitandi excusari : si vero non erat, non est cur postea debeat restituere fructus si non recitaverat, cum præceptum recitandi non obliget nisi beneficiarios, vel habentes ordinem sacrum. Nec deest illi titulus percipiendi fructus temporis præcedentis, sicut capta possessione accipit etiam beneficiarius fructus a die collationis, quo tempore ante adeptam possessionem supponimus cum communiori sententia non fuisse obligationem recitandi, nisi per beneficiarium stetit ne acciperet possessionem.

Hac ergo singulari sententia omissa, duplex potest responsio reddi ad dubium propositum, utraque probabilis. Prima esse potest, quod possessio capta cum titulo sufficiat ad inducendam obligationem recitandi officium divinum, etiamsi possessio non sit pacifica, sed litibus adhuc supposita. Hanc doctrinam videtur supponere P. Suarez d. c. XIX. nu. 10. in verbis supra relatis, et eamdem a fortiori tenent, qui dicunt sufficere solum titulum sine ulla possessione. Et quidem, speculative loquendo, videtur satis apparenter hoc posse probari exemplo aliorum onerum beneficii, quæ omnia subire quidem debet beneficiarius, quandiu beneficium possidet, etiamsi alius contra eum litiget. Unde si beneficium sit habens curam animarum, tenebitur eam exercere et ministrare sacramenta : si sit canonicatus, debet residere et choro interesse : si sit capellania, debet missas in loco assignato celebrare, et sic de aliis. Cum ergo unum ex oneribus beneficii sit recitatio divini officii, non est cur ab hoc solo onere excusetur, et non ab aliis propter litem subortam : ratio autem a priori esse potest, quia eo ipso quod non obstante lite vult adhuc possidere, et pro beneficiario se gerere, vult suscipere onera beneficio annexa, et exercere munera beneficiarii propter spem pacificæ possessionis futuræ, et fructuum percipiendorum, si forte nunc propter litem sequestrantur ; quam spem

tanti æstimat, ut prudenter velit suscipere nunc onera beneficii, ne perdat possessionem, quæ multum confert ad victoriam litis obtinendam. Merito ergo obligatur ad recitationem officii ille qui sponte valt suscipere onera omnia beneficii litigiosi, quorum onerum unum est recitatio officii divini.

Quod rursus confirmari potest, quia si accipiens possessionem litigiosam non debet recitare officium, eo quod ob litem non sit certus de fructibus recipiendis aut retinendis : non video cur debeat recitare officium ille, qui ab initio pacifice ingressus est possessionem beneficii, quod per annum vel biennium pacifice possidet, et postea ei intentatur lis super eodem beneficio : nam revera hic etiam, suborta lite, non recipit fructus, si sequestrantur, vel certe debet postea eos restituere collitiganti, si ei applicentur fructus a die litis contestatæ. Consequens autem videtur contra praxim ; nemo enim qui pacifice possidet beneficium, aut præbendam, judicat se liberum ab officii recitatione statim ac aliquis novam ei litem intentat super eodem beneficio, sed potius sicut perseverat exercens alia omnia munera et jura beneficiarii, donec beneficio privetur et a possessione expellatur, ita perseverat in recitatione officii divini ; idem ergo dicendum videtur, quamvis lis ab initio mota fuerit, et ideo possessio fuerit ab initio litigiosa, si tamen vere possidet et exercet reliqua munera beneficiarii, cum ratio sit eadem in utroque casu. Itaque stando in ratione, et speculative loquendo, hæc pars videtur satis probabilis.

Quia tamen in praxi durum fortasse aliquibus videbitur obligare ad certum onus recitandi officii ob spem incertam fructuum, de quibus adhuc lite pendente dubitari potest, ad quem debeant pertinere ; ideo potest esse secunda responsio distinguendo de possessore. Aliquando enim ita possidet beneficium, ut tamen propter litem pendentem omnes beneficii fructus sequestrentur, ut postea applicentur ei qui litem vicerit, nec interim ex obventionibus, aut aliis manualibus servitiis aliquod emolumentum possessori proveniat ; sed solum habeat spem fructuum sibi applicandorum, qualem ex dubia et ancipiti lite habere potest. Aliquando vero vel spem illam habet moraliter certam, vel saltem interim percipit emolumentum ex obventionibus, vel servitiis manualibus, vel aliquo alio modo occasione beneficii quod possidet. In primo ergo casu liberari potest ab onere recitandi officii, quandiu status ille rerum perseverat, nec per eum stat quod non declaretur : in secundo autem casu non videtur ab onere recitandi liberandus. Ita expresse concludit Thomas Sanchez dicto lib. II. *Consil.* cap. II. dub. 76. præsertim nu. 9 et 19. et probari videtur rationibus aliarum sententiarum : quia durum videtur propter spem dubiam imponere onus certum, et obligare ad recitationem eum qui non habet titulum certum ad accipiendum stipendium sui laboris. Si ergo pro tunc nullum habet emolumentum ex obvenientibus, aut manualibus, vel alio titulo, nec in futurum habet spem certam recipiendi fructus præsentes, vel saltem futuros ob certam spem vincendi litem, non est facile obligandus ad onus certum præsens recitationis officii ; secus vero dicendum videtur, quando nunc percipit aliqua emolumenta ex obvenientibus, vel stipendiis manualibus sui laboris, quæ non perciperet nisi titulo beneficii : hæc enim obligant ad recitandum divinum officium ; idemque est, quando spes est moraliter certa de victoria litis, quia tunc æquivalet possessioni pacificæ, moraliter loquendo, et debet subire eadem onera.

Contra hanc tamen doctrinam videtur statim stare argumentum adductum pro priori resolutione, seu responsione, quia possessio beneficii etiam litigiosi sufficit ut possessor obligetur ad reliqua onera beneficii, quæ videtur velle subire, eo ipso quod vult possidere illud, et gerere

se ut beneficiarium : ergo sufficiet etiam ut obligetur ad recitandum officium quod est unum ex oneribus beneficii.

11 Responderi potest negando consequentiam, quia obligatio recitandi officium divinum imposita est solum ab Ecclesia beneficiariis, ut cum aliis probat Suarez dicto lib. IV. cap. XVIII. num. 15. Ecclesia autem solos beneficiarios obligat ; ille vero, qui nondum pacifice possidet, non censetur complete et perfecte beneficiarius, ut dixit Suarez dicto cap. XIX. num. 7. Quare, quamvis velit possidere, non tamen censetur velle sibi imponere pro tunc hoc onus, quod Ecclesia non imposuit nisi perfectis et completis beneficiariis. Aliud est de aliis oneribus quæ ab intrinseco adhærent ipsi beneficiario, nec possunt ab ipso separari : ad hæc enim videtur velle se obligare possessor beneficii eo ipso quod vult, non obstante lite, possidere et inhærere beneficio, et beneficiarii locum occupare.

12 Adhuc tamen remanere videtur difficultas ex secunda parte hujus posterioris resolutionis : videtur enim sequi quod nec teneatur recitare possessor durante lite, etiamsi obventiones et alia manualis servitii emolumenta accipiat, quia si adhuc non est complete et perfecte beneficiarius, non apparet unde habeat propter illa emolumenta obligationem recitandi, quæ illis solis ab Ecclesia imposita est, qui sunt perfecte et complete beneficiarii, qualis iste non est ante adeptam pacificam beneficii possessionem. Vel ergo hic non erit obligatus, velle ille etiam obligari debet.

Ad hoc etiam responderi potest negando sequelam : debet enim possessor recitare durante lite, si percipit obventiones vel alia emolumenta, quam quidem obligationem non dicimus provenire ex eo quod tunc sit perfecte et consummate beneficiarius, sufficit enim ad hanc obligationem inducendam, quod pro tunc possideat beneficium illud quasi in commendam, donec adveniente sententia declaretur ad quem pertineat verus titulus. Etenim doctores communiter supponunt, illum etiam obligari ad recitandum divinum officium, qui fructus accipit beneficii quod habet in commendam, et hoc non solum quando commenda esset perpetua, sed etiam quando esset amovibilis et ad beneplacitum, si tamen integre commendatur quoad totam administrationem et servitium, ut aliis multis relatis docent Suarez dicto lib. IV. c. XXII. nu. 14. Bonacina dicta disp. I. *de horis Canonicis* qu. II. punct. 4. n. 2. quia, licet ille non sit beneficiarius, nec possit ordinari ad titulum illius commendæ non perpetuæ : subrogatur tamen loco beneficiarii cum tota ejus obligatione. Ob eamdem ergo rationem possessor in casu nostro ; quamvis ob litem non sit perfecte et consummate beneficiarius ; subrogatur tamen et occupat locum beneficiarii quoad totam administrationem, atque adeo subire vult omnes obligationes beneficiarii multo magis quam si beneficium haberet in commendam non perpetuam, sed amovibiliter, cum in casu nostro adsit titulus ratione cujus prætenditur inamovibilitas a possessione habita : merito ergo, dum percipit emolumenta aliqua, obligatur ad recitandum, sicut obligatur commendatarius amovibilis ob administrationem integram sibi commendatam ; quando vero, sequestratis fructibus, nihil percipit etiam ex obventionibus, vel manualibus servitiis, non debet obligari ad recitandum ob solam possessionem litigiosam, quia etiamsi esset omnino et perfecte beneficiarius ; non obligaretur, si fructibus injuste privatur, et creditur nunquam recuperandos, ut cum aliis docet Bonacina dicta disp. I. *de horis Canonicis* qu. II. punct. 4. n. 25. et quamvis beneficiarius ille teneretur recitare ob spem fructuum futurorum ; non tamen idem dicendum videtur in casu nostro, in quo possessor non obligatur præcise ut beneficiarius, cum non sit perfecte et omnino talis, dum cum litigio possidet : quare

non debet obligari sicut alii perfecti beneficiarii, qui ob solam spem fructuum futurorum debent recitare, eo quod vere et in omni rigore sunt beneficiarii, et lex obligat generaliter omnes beneficiarios ad recitandum, quia in lege non comprehenditur directe possessor in casu nostro, sed solum indirecte, quatenus volens possidere cum litigio, vult subrogari, durante lite, loco beneficiarii, et ejus onera sustinere. Ex hac autem voluntaria subrogatione id solum probatur, nempe velle obligari etiam ad recitandum eo modo, quo obligaretur pacificus et perfectus beneficiarius, qui tunc solum obligatur ad recitandum, quando vel percipit emolumenta aliqua præsentia, vel saltem habet spem aliquam fructuum, vel emolumentorum futurorum fundatam in titulo beneficii præsenti certo et securo : quorum neutrum habet possessor in casu nostro, cum nulla percipiat emolumenta de præsenti, ut supponimus, nec habeat spem fructuum futurorum fundatam in titulo beneficii præsenti certo et securo, sed in titulo incerto et litigioso. Subrogatio ergo in locum beneficiarii perfecti non debet operari, quod obligetur ad recitandum pro eo casu, pro quo nec lex ecclesiastica eum obligat nec ipsi beneficiarii certi et perfecti obligantur : quæ sufficiunt ut probabilitatem illius responsionis ostendamus.

13 Posset tamen ultimo aliquis opponere, quod rationes a nobis adductæ, si quid probant, videntur æque procedere, sive lis mota fuerit ante obtentam possessionem, sive postea : nam in utroque casu æque continget, sequestrari omnes fructus, et non remanere ulla emolumenta ex obventionibus, aut servitiis manualibus : quare in utroque casu non debet reputari perfecte et consummate beneficiarius pro eo tempore, quo perseverat lis et fructuum sequestratio. Et tamen doctores videntur aliquando distinguere quoad obligationem recitandi inter eum, qui accepit possessionem litigiosam ab initio, et illum, qui ab initio possedit pacifice beneficium, et postquam per annum vel biennium fuit in possessione pacifica, incipit perturbari aliqua lite super eodem beneficio.

Ego ingenue fateor, me nullam inve- 14
nire differentiam inter utrumque casum : nec tamen auderem doctrinam traditam extendere ad eum etiam, qui antea pacifice possederat, et postea nova lite perturbatur, nisi invenissem id ab aliis etiam concedi, prout expresse concedit Thomas Sanchez d. lib. II. *consil.* c. II. dub. 76. n. 10. his verbis : « quando lis advenit post possessionem adeptam, et beneficium nullum habet servitium, ut si est præstimonium, et sic fructus omnes sequestrantur, nulla parte possessori relicta, judicandum est an hic teneatur recitare, sicut, quando lis advenit ante possessionem, juxta dicta in secunda, et tertia conclusione, et videtur de mente Auctorum quos ibi citavimus. » Dixerat autem in secunda conclusione teneri beneficiarium recitare, quando verisimile est pro ipso ferendam sententiam : in tertia autem conclusione dixerat non teneri recitare, quando non est verisimile pro ipso beneficiario, qui habet collationem, ferendam esse sententiam, sed lis sit in æquilibrio constituta, quia probabiliter est dubius, et in æquilibrio, an beneficium sit suum, et fructibus ejus sit potiturus, et in dubio, an percipiet commodum, non est ad onus astringendus. Hæc Sanchez ibi, qui cum postea idem sentiat, quando lis advenit post obtentam possessionem, clare sentit non esse obligandum, quando est in dubio et æquilibrio an sententia sit pro ipso ferenda. Eodem modo loqui videtur Petrus Ledesma tr. IX. c. IV. conclus. 6. differ. 10. dicens possessorem beneficii non obligari ad horas canonicas, dum fructus sequestri nomine depositi sunt, et lis est super proprietate, quem Bonac. ubi supra dicto punct. 4. n. 26, fatetur in ea sententia esse, quam tamen ipse impugnat, et contendit possessorem de-

bere recitare. Hæc sufficiat indicasse, neque enim velim aliquid absolute asserere circa extensionem hujus doctrinæ ad eum, qui jam pacifice possidebat et postea contra ipsum lis intentatur super proprietate ejusdem beneficii, quia fortasse invenietur major ratio, ut perseveret in hoc obligatio recitandi, quæ jam inceperat, et video doctores communiter supponere hanc obligationem in eo casu, a quibus non est facile recedendum.

## DUBIUM VI.

*Utrum beneficiarius non habens ordinem sacrum, peccet graviter non recitando officium divinum, cum animo tamen restituendi fructus?*

1 Ratio dubitandi erat, quia cum obligatio recitandi officium fundetur in eo, quod beneficiarius accipiat fructus beneficii in stipendium, et mercedem sui laboris, beneficium enim datur propter officium, et ideo peccat contra justitiam accipiendo fructus, et non satisfaciendo debito sui officii, consequens videbatur, quod cessaret culpa, et injustitia eo ipso quod beneficiarius nihil prorsus vult sibi accipere ex fructibus, aut emolumentis beneficii, sed eos vult integre expendere in fabrica ejusdem beneficii, vel in usus pauperum, ad quod solum obligat Pius V. in sua bulla contra beneficiarios non recitantes officium.

2 Respondi, certum mihi esse, quod animus restituendi omnes fructus non impedit peccatum grave omittentis recitationem officii divini : nam independenter ab obligatione restituendi fructus, est præceptum Ecclesiæ obligans beneficiarium ad recitandum officium, cui præcepto, quod jam antea stabat, accessit aliud præceptum Leonis X. in concilio Lateranensi, et Pii V. in sua bulla obligans ad restituendos fructus pro rata officii omissi. Quamvis ergo beneficiarius nolens retinere fructus beneficii correspondentes illi diei, quo non recitat, non peccet contra secundum præceptum restituendi fructus ; non tamen liberatur a transgressione culpabili prioris præcepti, quod obligat antecedenter ad recitandum officium : quod quidem multis argumentis probari potest.

Primo, quia primis sex mensibus ab 3
adepta possessione beneficii, quamvis non sit obligatio ab Ecclesia imposita restituendi fructus ob non recitatum divinum officium (quidquid sit de obligatione juris naturalis, si quæ est) habet tamen beneficiarius sub peccato gravi obligationem recitandi officium etiam pro illo primo semestri, ut declaravit Pius V. in prædicta bulla ; ergo obligatio recitandi officium non dependet ab obligatione restituendi fructus, siquidem sine hac obligatione invenitur illa. Non ergo minus perseverabit eadem obligatio recitandi toto tempore sequenti independenter ab obligatione restituendi fructus.

Secundo, quia ille etiam, qui per acci- 4
dens non percipit fructus beneficii, atque adeo omittens recitationem officii non tenetur illos restituere, adhuc tenetur ad recitandum officium, ut constat in eo, qui habet canonicatum, cujus fructus non percipit, quia non residet, qui tamen debet recitare, ut cum communi docet Suarez t. II. *de Religione* lib. IV. *de horis Canonicis*, cap. XX. nu. 12. Item in eo, qui acceptat beneficium cum onere solvendi omnes fructus pro pensione ei, qui in ejus favorem resignavit tale beneficium, qui certe non debet quidquam restituere, si non recitat, cum nullos fructus percipiat : et tamen obligatur ad recitandum, ut docet idem Suarez dicto c. XX. nu. 2. quod etiam in aliis exemplis invenitur, quæ clare ostendunt, obligationem recitandi non pendere ab obligatione restituendi, cum sine hac adhuc perseveret.

Tertio probari potest, quia quamvis 5
beneficiarius non percipiat fructus hoc

anno, adhuc obligatur ad recitandum propter spem percipiendi fructus annorum subsequentium, quæ spes est pretio æstimabilis, et cum titulo et possessione beneficii sufficit, ut obliget ad recitandum officium, ut docet idem Suarez d. cap. xx. nu. 10. et 11. quod multo magis habet locum in casu nostro, in quo beneficiarius non solum habet jus ad fructus anni sequentis, sed etiam ad fructus præsentes, quos potest percipere si vult, et per eum solum stat si eos non percipit, quia non vult.

6 Quarto, quia videtur, si res attente consideretur, involvi repugnantiam, dum excusatur ab onere recitandi si habet animum restituendi fructus; lex enim ecclesiastica obligans non recitantem ad restituendos fructus, est lex pœnalis, atque adeo obligat eum solum, qui culpabiliter et illicite omittit recitationem officii, non vero eum qui sine peccato illud omisit, undecumque proveniat, quod non intervenerit peccatum in omissione officii divini, ut cum communi docet idem Suarez dicto lib. IV. c. xxx. nu. 16. et Thomas Sanchez lib. II. *consil.* cap. II. dub. 86. nu. 1. Ratio autem est, quia restitutio fructuum imposita est ab Ecclesia in pœnam peccati commissi : si ergo absque peccato omissa est recitatio, non apparet quo titulo Ecclesia obliget de facto ad restitutionem, cum solum expresserit pro titulo culpam commissam, ut ex verbis legis ponderat bene Suar. loco citato. Videtur ergo involvi repugnantiam, dum dicitur, non peccare beneficiarium non recitando si habeat animum restituendi fructus, quia si absque culpa omittit recitare officium, non est unde postea habeat obligationem restituendi fructus, qui non debent restitui, nisi in pœnam recitationis culpabiliter et cum peccato omissæ.

7 Quinto probari potest hoc ipsum a posteriori, et ab absurdo, quod ex illa licentia sequeretur : si enim beneficiarius satisfaceret in conscientia, cum intentione expendendi fructus beneficii juxta præscriptum Pii V. et cum eo animo posset licite non recitare, posset accipere beneficium pingue, ut ex fructibus aleret fratres, vel dotaret sorores indigentes, ut juxta statum suum honeste nuberent, atque ita providere sufficienter per multos annos toti suæ familiæ, et cognationi sine onere recitandi officium ; nam Pius V. solum obligat non recitantem ad restituendos fructus, vel ad fabricam beneficii, vel ad usus pauperum, et quidem pauperum nomine comprehendi possunt ejus consanguinei, si vere indigent, ut omnes fatentur. Satisfaceret ergo huic debito expendendo fructus omnes in alimentis suorum fratrum, vel in dotibus sororum indigentium, et nihil sibi accipiendo, sed vivendo interim ex suis bonis patrimonialibus. Consequens autem apparet ex se satis absurdum, et contra omnium fidelium et piorum mentem. Fatendum ergo est, Ecclesiam non relinquere beneficiario talem optionem, sed determinate imponere illi onus recitandi, et ulterius in pœnam peccati imponere illud aliud onus restitutionis faciendæ.

Unde sexto addere possumus aliud non 8
minus absurdum ; si enim ipse beneficiarius aliunde pauper sit, nec habet unde vivere possit, nisi ex fructibus beneficii, quibus sufficienter alitur, posset licite nunquam recitare officium, et retinere semper sibi fructus omnes beneficii quibus indiget ad propriam sustentationem. Quando enim Pius V. obligat non recitantes, ut expendant fructus perceptos in usus pauperum, concedunt doctores, ipsummet beneficiarium, si pauper sit, posse sibi applicare fructus illos, sicut posset applicare aliis pauperibus, et ita satisfacere præcepto Pontificis, cum non debeat ipse pejoris esse conditionis quam alii pauperes, ut aliis citatis fatetur expresse Thom. Sanchez dicto cap. II. dub. 87. num. 3. Si ergo habet animum sibi eos fructus applicandi ut pauperi, jam habet animum satisfaciendi omnino obligationi sibi a Pio V. impositæ, atque adeo cum hoc solo animo poterit licite

nunquam recitare officium, et vivere de ejus fructibus. Quis autem non videat, quam longe hoc absit a mente Ecclesiæ, et Pontificis, ut clericus pauper obtinens beneficium congruum ad suam sustentationem, non illud accipiat cum onere recitandi officium divinum, sed satisfacere hoc solum, quod velit ex fructibus beneficii sustentari?

9 Septimo denique ratio a priori esse videtur, quod beneficia omnia instituta sunt ad servitium aliquod Ecclesiæ præstandum, ut omnes supponunt, et ad minus ad servitium illud, quod in recitatione officii divini exhibetur. Unde qui beneficium retineret, quamvis fructus sibi non acciperet, sed daret omnino pauperibus, si tamen non recitaret, fraudaret Ecclesiam fine primario intento in erectione beneficii, quod in magnum Ecclesiæ detrimentum resultaret, occupato inutiliter loco alterius, qui Ecclesiæ deservire deberet. Sicut, si habens beneficium parochiale vellet fructus omnes pauperibus erogare; non ideo, dum beneficium retinet, posset curam animarum abjicere, quia beneficium illud ad tale servitium institutum est, et affert secum obligationem intrinsecam, et affixam personæ parochi, ut obsequium Ecclesiæ debitum non prætermittat, ad quod se obligavit eo ipso quod acceptavit beneficium. Similiter ergo quodlibet aliud beneficium, saltem nisi tenuitas nimia fructuum excuset, affert secum obligationem intrinsecam, et affixam personæ beneficiarii, ut inserviat Ecclesiæ saltem in recitatione divini officii, quo servitio illicite fraudat Ecclesiam, quoties sine legitimo impedimento officium non recitat, quamvis non semper ad restituendos fructus teneatur, nisi post primum semestre, et quando illos percipit. Nullo ergo modo reputari potest probabile, prout non nemini fortasse videbatur, quod possit absque culpa officium non recitare beneficiarius, qui habet animum non percipiendi sibi fructus, sed eos vel fabricæ, vel pauperibus applicandi.

## DUBIUM VII.

*Utrum officia aliquorum Sanctorum, quæ in quadam civitate recitari solebant, et diu omissa, ac interrupta fuerunt, possint sine nova sedis Apostolicæ licentia iterum recitari?*

Desiderabat clerus cujusdam civitatis 1
in Italia satis nobilis repetere usum, qui ibi antea fuerat, recitandi officia propria de aliquibus suis Sanctis, et solum dubitabat, an id liceret, postquam diu fuerat interrupta recitatio illorum officiorum: quare per non usum timebant ne perditum jam fuisset jus, seu privilegium, si quod habuerant ad illa officia recitanda. Respondi, difficultatem apud me non fundari in mera interruptione præterita: nam, si revera celebratio natalium illorum sanctorum, et recitatio officiorum propriorum facta fuerat aliquando cum facultate, et approbatione sedis Apostolicæ, interruptio sola, vel non usus, non poterat impedire reditum ad eadem festa, et officia celebranda et recitanda. Ratio autem desumitur ex doctrina generali, quam cum aliis late tradit, et probat Suarez *de legibus* lib. VIII. cap. 34. et alii, quos affert, et sequitur Castro Palao tom I. tract. III. disp. IV. punct. 18. n. 3. et punct. 19. n. 1. qui dicunt, privilegia, quæ non sunt in aliorum præjudicium, non perdi per merum non usum, nec etiam per actus contrarios: nisi interveniat renuntiatio acceptata a concedente privilegium, vel ab eo ad quem spectat acceptatio renuntiationis. Cum ergo in casu nostro nulla interveniat renuntiatio, et multo minus acceptatio sedis Apostolicæ, non potest interruptio illa inducere amissionem facultatis a sede Apostolica semel concessæ, hoc

enim privilegium, seu hæc facultas ex iis certe erat, quæ in nullius detrimentum vergunt, sed solum in commodum illorum quibus conceditur.

2 Difficultas ergo tota est in eo, an hæc facultas concessa præsumatur a sede Apostolica, et an subsistere nunc possit, si ab alio, quam sede Apostolica emanaverit? Et quidem, si vera esset doctrina, quam tradit Emman. Roder. in *quæstionibus Regalur.* tom. I. q. XLII. art. 21. res esset fere extra controversiam, docet enim hic auctor, posse in religionibus recitari officia propria sanctorum illius ordinis, etiamsi hæc officia non sint a sede Apostolica approbata, dummodo digna sint ut approbentur, vel religio eis utatur animo ea a sede Apostolica confirmandi; quam doctrinam ex parte videtur approbare Laym. lib. IV. cap. 5. n. 6. dicens placere sibi hanc Roderici doctrinam « si lectiones de sanctis omni suspicione falsi carentes, antehac in Ecclesia recitari consuetæ fuerant: secus si lectiones de Sanctis noviter introducantur. » Hoc autem, quod de religionibus dicitur, a fortiori procedit de officiis ab episcopo pro sua ecclesia, approbatis, cum major sit ad hoc episcopi auctoritas in sua ecclesia quam prælati regularis in suo ordine. Et fundamentum Roderici non minus in episcopoapprobante procedit, fundat enim suam doctrinam in verbis rubricæ primæ breviarii de *officio duplici* n. 1. ubi dicitur officium etiam duplex fieri in festis Sanctorum, « qui apud quasdam ecclesias, religiones, vel congregationes consueverunt solemniter celebrari cum officiis propriis a sede Apostolica approbatis, aut ejusdem sedis auctoritate receptis, vel recipiendis (servata tamen forma hujus Breviarii) alioquin de communi, etiamsi prædicta festa in hoc Kalendario non sint descripta. » In qua rubrica dictus auctor verba illa, *vel recipiendis*, ita intellexit, ut ante approbationem a sede Apostolica possint officia illa recitari; si tamen adsit animus faciendi illa a sede Apostolica approbari, quia rubrica non requirit approbationem præteritam, sed vel præteritam, vel saltem futuram. Et quidem eodem modo loquitur rubrica de ecclesiis, ac de religionibus; quare quod potest quoad hoc prælatus regularis pro suo ordine, poterit procul dubio episcopus pro sur ecclesia.

Sed in hoc graviter lapsus est Rode- 3
ricus, nec intellexit sensum verborum itlorum, *vel recipiendis*, qui clarissimus est; voluit enim Pius V. cujus auctoritate rubrica illa facta est, comprehendere officia propria, non solum quæ jam tunc recitabantur, sed etiam futura, et nova, quæ successu temporis poterant accrescere, et in utrisque officiis propriis voluit, quod haberent approbationem sedis Apostolicæ, quæ vel antea ea approbasset, vel postea prævio examine approbatura esset. Unde ex verbis ejusdem rubricæ omnes colligunt, non posse introduci officium proprium novum, nisi antea sedes Apostolica illud approbet. Quinimo, etiamsi lectiones illæ antea recitarentur, post illam tamen bullam Pii V. necessariam esse sedis Apostolicæ approbationem, ut retineantur, colligitur clare ex relatis verbis rubricæ, et notavit Gavantus in rubricas Breviarii sect. II. c. 2. n. 2. et ita de facto ecclesiæ, et religiones adduxerunt officia propria, quæ habebant, et successive afferunt quæ de novo introducunt, ut examinentur et approbentur a sacra rituum congregatione, in quo sensu sacra rituum congregatio die VIII. Aprilis anno 1628. decrevit id, quod postea in novo Breviario appositum est. « Non potuisse post bullam Pii V. de breviario Romano, neque posse locorum ordinarios, tam sæculares, quam regulares, addere Kalendariis, etiam propriis, sanctorum officia, nisi ea duntaxat, quæ breviarii Somani rubricis, vel sacræ rituum congregationis, seu sedis Apostolicæ licentia conceduntur. » Ex quibus verbis constat non potuisse officia illa post bullam Pii

V. introduci cum sola episcopi approbatione.

4 Dubium ergo solum esse potest, an, si solita fuissent recitari cum approbatione et consensu episcopi ante bullam Pii V. possent recitari etiam post illam, sine nova approbatione sedis Apostolicæ? id enim aperte concedere videtur Layman in verbis relatis, « *quando lectiones sint omni suscipione falsi carentes, et antea in ecclesia recitari consuetæ fuerant* : quæ verba ex ipso refert, et approbat Antonius de Quintanadvenas tom. I... *singularium* tr. VIII. *singulari* 1. num. 6. ipse tamen ita intelligit prædicta verba, ut Layman loquatur solum de officiis propriis, quæ jam semel a sede Apostolica approbata fuerunt pro alio loco, quam approbationem dicit sufficere, ut in alia etiam ecclesia, vel loco, in quo fit officium de eodem sancto, possint eædem lectiones recitari : qui tamen sensus, quidquid sit de illius veritate, longe distat a sensu Layman, qui clare loquitur de officiis numquam a sede Apostolica approbatis, sed solitis recitari ante bullam Pii V. et omni falsi suscipione carentibus.

5 Sed revera, et attentis verbis bullæ Pii V. dicendum videtur, post illam non potuisse retineri, et continuari officia propria peculiarium ecclesiarum, vel ordinum, quæ non fuissent a sede Apostolica approbata, ut probat Gavantus dicto c. II. num. 23. quia Pontifex expresse prohibet, ne quidquam addatur, vel tollatur suo Breviario : illæ autem lectiones nondum approbatæ a sede Apostolica adderentur contra præceptum Pontificis, cujus ea potissimum fuit intentio, ut tolleretur varietas et diversitas variarum ecclesiarum, et ubique ab omnibus idem officium recitaretur. Unde, quando in rubricis mentionem fecit celebritatis aliquorum festorum propriorum in singulis ecclesiis, caute additum est, officia propria tunc posse in illis recitari, quando officia illa approbata invenirentur, vel postea approbabuntur a sede apostolica, ut supra vidimus ex verbis rubricæ. Ex quibus desumi potest argumentum pro hac conclussione firmissimum, nam ibi solum permittuntur officia propria a sede Apostolica recepta vel recipienda, ubi duplex approbatio distinguitur, altera de præterito, altera de futuro. Sicut ergo pro officiis propriis de novo introducendis requiritur approbatio sedis Apostolicæ futura, quæ significatur per illa verba, *vel recipiendis* : ita pro officiis propriis recitari antea solitis requiritur approbatio ejusdem sedis præterita, quæ significatur per illa verba, *ex ejusdem Sedis auctoritate receptis.* Alioquin non debuisset fieri mentio approbationis de præterito, quæ solum exigi poterat pro Officiis antiquis, et jam antea recitari solitis : nam pro officiis novis, et de novo introducendis, certum est requiri approbationem futuram et novam. Cum ergo ibi pro officiis propriis requiratur approbatio sedis Apostolicæ disjunctive vel præterita, vel futura ; manifeste intelligitur, sermonem ibi fieri non solum de officiis de novo introducendis, quibus necessaria est approbatio de futuro, sed etiam de officiis antiquioribus, et jam antea recitari solitis, quibus solis prodesse poterat approbatio sedis Apostolicæ præterita ; quare in utriusque approbatio necessaria est, nec possunt officia illa antea recitata retineri, si a solo episcopo, et non a sede Apostolica approbata fuerant.

Objici possunt verba earumdem ru- 6
bricarum, in quibus permitti videntur festa, quæ in aliquibus locis, vel ecclesiis consueverunt celebrari, licet non inveniantur in Romano Kalendario, ut in dicta rubrica I. num. 1. et rubr. II. num. 1. et alibi : sufficit ergo usus præteritus ad retinenda ejusmodi officia et et festa.

Ad hoc respondet Gavantus dicto cap. 7
II. num. 27. rubricas illas non esse intelligendas de omnibus festis propriis, sed de illis solis, quæ solita erant solemniter celebrari. Sed hoc certe non satis-

facit, quia in dicta rubr. n. agitur de festis etiam propriis, quæ ritu solum semiduplici celebrantur, quæ certe non est solemnitas proprie dicta.

8 Facilius fortasse, et clarius responderi potest distinguendo inter festa propria, et officia propria : quare admittere possumus .et concedere, Pium V. permisisse quod celebrarentur in singulis ecclesiis, et ordinibus festa propriorum sanctorum, quæ apud illos celebrari solebant : non tamen concessisse, quod in eorum festis recitarentur officia propria, quæ a sede Apostolica non essent approbata, vel approbanda : atque ideo quando de illis officiis propriis mentionem fecit, statim addidit conditionem illam approbationis sedis Apostolicæ, quam conditionem non addidit, quando de celebrandis festis propriorum sanctorum in multis rubricis sermo incidit : quia tamen experientia docuit abusum et inconvenientiam ex multiplicatione sanctorum propriorum, de quibus in singulis ecclesiis, vel locis festum celebrabatur, ideo hæc etiam facultas abrogata, et restricta est decreto speciali congregationis rituum jussu Urbani VIII. edito die VIII. Aprilis anno 1628. et in novissimo Breviario recognito adjuncto, his verbis : « Item vetuit et prohibuit celebrari per totam civitatem, vel diœcesim, etiam de cujuscumque ordinarii auctoritate festum cum officio, eo quod in loco adsit ecclesia parochialis, vel regularis, vel abbatialis, aut aliqua reliquia, sed tantum in ipsius sancti ecclesia titulari, seu ubi asservatur corpus, aut insignis reliquia, et non alibi. Insignes autem reliquias declaravit, esse caput brachium, crus, aut illam partem corporis, in qua passus est martyr, modo sit integra, et non parva, et legitime ab ordinariis approbata. De sanctis episcopis locorum, martyribus, civibus, et aliis festis, de quibus in Kalendario Romano seu rubricis breviarii nihil habetur, uti etiam de beatis nondum canonizatis, nihil propria auctoritate constituatur, sed omnino consulatur sacra rituum congregatio. » Post cujus decreti promulgationem omnes fere Italiæ ecclesias licentiam petiisse novam ad suos proprios sanctos celebrandos a sacra rituum congregatione testatur Gavantus dicto c. n. n. 29. Ex quibus omnibus constat ; officia de quibus quærebatur, non posse nunc iterum repeti et recitari, nec de illis sanctis officium proprium, vel etiam commune fieri sine nova facultate sedis Apostolicæ, vel sacræ congregationis rituum, nisi ejusmodi facultas jam antea obtenta fuisset, quando illa officia recitabantur, et eorum sanctorum festa celebrabantur.

Solum ergo restare potest nunc dubium, cum modo constare non possit, an præcessisset tunc ejusmodi facultas sedis Apostolicæ, quando recitabantur officia illorum sanctorum, an in hoc dubio præsumenda sit sedis Apostolicæ approbatio et licentia fuisse, quando olim ea officia recitari solebant. Ad quod breviter dico, non præsumi sufficienter ejusmodi licentiam, nisi probetur. Ad quod inprimis afferri posset regula illa generalis, quod licentia, cum sit actus positivus, non præsumitur, nec creditur nisi probetur, ut probat Thomas Sanchez de licentia parochi, ut alius sacerdos matrimonio assistat l. III. *de matr.* disp. XXXVII. per totam, et n. 5. concludit, si superior agat contra licentiam, et neget illam, incumbere onus probandi ei, qui assistit matrimonio, vel ipsis contrahentibus. In hoc autem casu est et alia magna præsumptio, ut credi potius debeat, non præcessisse talem licentiam, nimirum non solebant frequenter olim peti tales licentiæ a sede Apostolica, et quia interruptio subsecuta in officiis illis recitandis, magnum argumentum est, quod quando congregatio rituum incepit adstringere in hoc negotio, et coarctare ordinarios ; ne sibi eam auctoritatem assumerent, ea de causa officia illa propria et festa omissa sunt, quia nulla sedis Apostolicæ facultate approbata vel 9

subnixa reperiebantur. Quare, si præsumptionibus standum esset, præsumptio magis videtur suadere, quod facultas sedis Apostolicæ non præcesserit, atque adeo, ut iterum officia, et festa illa in usum revocentur, petenda necessario videtur facultas et approbatio a sede Apostolica, vel a sacra rituum congregatione.

## DUBIUM VIII.

*Utrum qui per errorem recitavit hodie officium crastinum, debeat cras recitare officium hodiernum, vel iterum recitare crastinum?*

1 Suppono officium utriusque diei fuisse æquale, vel fere æquale, ne locus sit alteri dubio, an qui hodie cognito errore, debeat supplere, vel recitando officium hodiernum, vel aliquam ejus partem ad ponendam æqualitatem : de hoc enim non quærebatur, sed solum quale officium debeat cras recitare, an hodiernum, quod omisit, an iterum idem officium crastinum, quod jam hodie recitaverat?

2 Ad hoc dubium multis abhinc annis respondi, debere cras recitari officium diei crastinæ, quamvis hodie per errorem idem recitatum sit, quod etiam sentit Villalobos I. p. tr. xxii. num. 3. Ratio autem esse potest, primo, quia singulis diebus est præceptum Ecclesiæ recitandi officium illius diei : si ergo hodie per errorem recitasti aliud officium, non ideo excusaris a præcepto crastino, quod nondum incepit obligare, et quod cras obligat determinate ad tale officium.

3 Secundo, quia si per errorem hodie jejunasti, putans hodie esse vigiliam. S. Petri, v. g. quæ erit cras, non ideo excusaris a jejunio crastino : et e contra, si vigilia sit hodie, et tu per errorem putes esse cras, non obligaris cras ad jejunandum. Similiter, si putans esse Dominicam, cum sit sabbatum, audisti missam, et abstinuisti ab operibus servilibus, non ideo excusaris cras ab audienda missa, et abstinendo ab opere servili, et sic in aliis. Quorum ratio est, quod Ecclesia non præcipit jejunare semel in anno in honorem S. Petri, nec audire missam semel in hebdomada, vel in ea observare unum diem festum, etc. Sed præcipit determinate tali die jejunare, et tali die audire missam, et abstinere ab operibus servilibus. Eodem autem modo præcipit tali die determinate recitare tale officium : quare si per errorem alia die illud recitasti, nondum satisfecisti præcepto Ecclesiæ, quod nondum inceperat obligare, atque adeo adveniente sua die, debes illud officium iterum recitare.

4 Post hoc vero responsum a me datum, prodiit tomus primus *Singularium* Patris Antonii de Quintanadvenas, qui tr. vii. *de recitatione horarum*, *singulari* 9. quamvis verius putet, omisso per errorem festo duplici, vel semiduplici hodierno, non posse de eo alia die sequenti recitari ; probabile tamen contrarium existimat. Primo, quia intrare videtur regula de translatione festorum, quando die propria est impedita : nam, sicut impeditur dies propria alio duplici majore, vel Dominica, aut alio officio magis privilegiato ; ita impeditur oblivione, quæ maximum impedimentum inducit : debet ergo festum illud transferri in aliam diem non impeditam. Secundo, quia ignoranti non currit tempus : ergo cum primum pervenit ad tuam notitiam, quod fieri debebat officium de tali festo, perinde est ac si non pertransisset ejus dies. Tertio denique, quia nemo jure suo absque culpa privandus est. Habent autem jus et sanctus ille, et ipse recitans, ut de illo festo semel in anno recitetur : nec intercessit culpa ipsius sancti, aut recitantis, quia oblivio fuit inculpabilis : ergo nec sanctus suo cultu, nec recitans suo jure pri-

vari debet, cum præsertim nulla sit rubrica, quæ ad id cogat, sed potius rubrica de translatione festorum contrarium suadeat.

5 Doctrina hæc nimis singularis mihi videtur, et merito ab ejus auctore posita est in tomo *singularium* titulo inscripto. Tota autem innixa est fundamento omnino falso, ex rubrica de translatione festorum, quam auctor aliter concepit, ac revera sit. Supponit enim festum duplex, aut semiduplex transferri semper debere, *cum proprius dies est impeditus* : quæ regula ita universalis non invenitur in Breviario, sed sub terminis satis expressis, et particularibus, nempe transferri debere tunc solum, quando occurrit in Dominicis Adventus, et Dominicis a Septuagesima, usque ad Dominicam in Albis, et in certis aliis diebus ibi enumeratis, ut constat et rubr. 10. quæ est de translatione festorum, in qua singillatim ponuntur omnes casus, in quibus solis officium alicujus sancti transferri possit, et debeat extra suum diem : in quibus certe non ponitur, quando recitans per oblivionem erravit in officio recitando. Non favet ergo, sed aperte repugnat rubrica menti hujus auctoris.

6 Ratio vero illa, quod Sanctus videatur habere jus, ut semel in anno cultus officii ei tribuatur, multo debilior est. Et quidem, si aliquid probaret, concluderet etiam, quod si recitans per errorem feria VI. hebdomadæ majoris omisit officium illius diei, et in paschate agnosceret suum errorem, deberet, aut posset post octavam Paschæ, prima die non impedita, recitare officium feriæ VI. hebdomadæ majoris, quo certe nihil absurdius dici aut fieri posset. Sequela vero probari videtur, quia majus jus habet passio Domini, ut de ea semel in anno officium solemniter fiat, quam passio ullius sancti. Cum ergo anno illo, nullo alio die talis persona recitaverit illud officium, quia propria dies impedita fuit propter oblivionem, vel errorem : oportebit, quod recitatio illius officii adeo solemnis transferatur in diem aliam non impeditam.

7 Adde, posse etiam contingere, ut sine errore, vel oblivione impediatur recitatio officio de sancto, propter morbum eo die occurrentem, qui non minus impedit quam error vel oblivio. Si ergo sufficit diem illam esse impeditam quocumque genere impedimenti, ut transferri debeat vel possit officium illud in aliam diem non impeditam : poterit ægrotus, cessante morbo, recitare de festis omnibus successive, quorum officia omisit morbi causa, quod absurdissimum esset. Fatendum ergo est, translationem officii tunc solum fieri debere, quando solum dies propria impeditur officio Dominicæ, vel festi magis privilegiati, prout in rubricis Breviarii expresse traditur, in quibus de impedimentis alterius generis nulla prorsus mentio habetur.

8 Respondet ad hoc exemplum ægroti ille auctor n. 4. eo casu ægrotum non teneri ad recitandum die illo, atque ideo obligationem, vel jus ad recitandum de illo sancto non perseverare : nec adfuit error aut oblivio, ob cujus impedimentum conceditur ista translatio ; hoc tamen satisfacere non potest, quia remanet eadem difficultas : si enim rubrica concedit translationem festi in aliam diem, quando dies propria impedita fuit, et hoc intelligi potest de impedimento oblivionis, cur non de impedimento morbi? Ratio ergo universalis reddi debet, quæ non potest esse alia, nisi quod rubrica non loquitur universaliter de omni impedimento, sed solum quando impeditur officio Dominicæ, vel festi, aut feriæ privilegiatæ tunc occurrentis.

9 Confirmari potest et explicari, quia vel obligatio recitandi de tali Sancto erat alligata illi diei, et tunc transacto illo die cessat obligatio, nec postea reponendum est illud officium. Vel obligatio illa taliter erat alligata illi diei, ut obliget etiam pro toto anno, quando illa die non fuerit ei satisfactum, prout dici solet de communione in paschate, cujus

præceptum obligat quidem ad communionem in paschate, vel intra illos quindecim dies ; ita tamen ut si vel culpabiliter vel inculpabiliter omissa sit, non ideo cesset obligatio, sed debeat quamprimum eo anno sumi communio. Si ergo talis sit obligatio recitandi officium de tali sancto, redit argumentum supra factum ; quia sive communio paschalis omissa sit ob errorem, vel oblivionem, sive etiam ob infirmitatem vel impotentiam, vel quodlibet aliud impedimentum, debet tamen intra eumdem annum quamprimum accipi : nam præceptum taliter obligat ad circumstantiam temporis paschalis, ut præterea obliget ad substantiam communionis intra annum. Similiter ergo, si præceptum recitandi officium de hoc sancto taliter alligatur ad circumstantiam hujus diei ut etiam postea maneat obligatio quoad substantiam intra eumdem annum, manebit utique obligatio, sive per oblivionem sive per morbum, aut aliud impedimentum omissa fuerit recitatio in sua die.

10 Imo si consequenter loquendum sit, idem dicit deberet, quando non per oblivionem, sed scienter omissa fuit recitatio ; si enim sanctus ille habet jus, ut semel in anno cultus officii ei deferatur, sicut non debet eo jure privari per te, ob errorem, vel oblivionem recitantis ; ita non debet sine sua culpa ob solam culpam recitantis suo jure, et cultu privari, sed alia die non impedita debebit de ipso officium recitari, atque adeo qui per mensem culpabiliter officium non recitavit, debebit, vel poterit mense sequenti recitare de duplicibus vel semiduplicibus, quorum omisit officia ; neque enim apparet cur minus in uno casu quam in alio fieri possit, vel debeat ea translatio, cum non minus impedita fuerit dies propria, quando cum culpa, quam quando sine culpa officium fuit omissum in propria die.

11 Ratio denique est, quia ritus divini officii recitandi non debet esse privatus ; et proprius singulis personis, sed publicus, et communis toti communitati, vel Ecclesiæ, ad quam pertinet hic recitans : atque adeo singuli debent semper officium illud recitare, quod recitatur a tota communitate in illo loco, vel ecclesia, ad quam spectant. Si ergo alii canonici, v. g. vel monachi recitent hodie de feria, et tu velis de sancto ante triduum a te omisso recitare, vel debebis duo officia recitare, alterum privatim, alterum in choro cum aliis, (ad quod certe rubrica nulla obligat) vel debes cum cæteris in choro non canere, quod non est minus absurdum. Nec satisfacit auctor ille n. 6. dicens, posse te tunc amplecti contrariam sententiam, et recitare de officio currenti, hoc, inquam, non satisfacit ; quia nos non quærimus quid possit facere per principia extrinseca, sed quid præscribat faciendum eo casu rubrica breviarii Romani, a cujus verbis et mente dicimus esse omnino alienum transferre officium ex solo suo errore omissum. Si enim ea translatio esset juxta rubricam, præciperet eo ipso rubrica, quod illa die non recitaret officium quod recitat ejus ecclesia, sed aliud diversum, quod evidens est contrarium esse rubricæ intentioni, quæ semper intendit uniformitatem officii, nec permittit variationem, nisi ad summum pro festis propriis alicujus ecclesiæ, vel communitatis.

Nec etiam permittit, ut vidimus, translationem officii in aliam diem, nisi solum quando dies propria impeditur officio magis privilegiato, qui est casus unicus in rubrica translationis expressus. Unde neque est ad rem quod dicebatur, *ignoranti tempus non currere ;* id enim habet locum in iis, quæ non alligantur certo diei, prout est Officium talis sancti. Sicut nec est ad rem, quod nemo jure suo sine culpa privandus est ; supponit enim falsum, quod scilicet recitans, vel ipse sanctus habeant jus ad officium indefinite pro toto anno ; nusquam enim hoc jus concessum est, sed solum pro tali die, nisi in casu ab eadem rubrica expresso, 12

quo propter aliud officium dignius occurrens, præcipitur translatio in talem diem determinatam, et non in aliam. Sicut ergo putans ex errore hodie esse feriam sextam, cum sit feria quinta, et ideo abstinens hodie a carnibus, debet cras etiam ab eisdem abstinere, nec potest allegare quod sine culpa non debet privari jure suo edendi carnes diebus quinque in hebdomada : nam revera non habebat tale jus, sed edendi carnes talibus diebus determinatis ; ita prorsus in casu nostro dicendum est, non privari sine culpa jure suo, sed ob impotentiam ex errore, vel oblivione, non potuisse uti jure suo, quo illa solum die uti poterat.

13 Ex dictis autem infertur decisio alterius similis dubii, an qui ex errore hodie recitavit officium de festo crastino, cras debeat repetere idem officium, an vero recitare cras de festo hodierno. In quo dubio idem Quintanadvenas dicto tr. VIII. *singulari* X. n. 2 et 3. dicit, adveniente postea die crastina propria illius Sancti, non esse de illo iterum recitandum, cum jam debitum officium ei anticipata solutione exhibitum sit ; sed die illa recitandum officium, vel de sancto duplici, vel semiduplici, cujus forte officium hodie recitari debuisset, vel, si hodie non occurrebat tale officium recitari debebit de feria, vel sancto simplici occurrenti die crastina.

14 Hæc tamen sententia non est minus singularis, quam præcedens, et oppositum docuit Villalobos loco supra allegato, et procul dubio videtur esse juxta mentem Pii V. qui singulis diebus alligavit suum officium proprium, nec permisit variationem, aut translationem a parte antea, nec a parte post : et singulis diebus incipit obligare præceptum officii illius diei, quod antea non obligat, atque adeo non potuit huic præcepto heri satisfieri : nec præceptum est recitandi semel in anno de tali sancto, sed recitandi tali die determinate. Quare applicari possunt exempla supra adducta ex jejunio, et missa : nam, si ex errore heri jejunasti, putans esse vigiliam S. Petri, quæ est hodie, non ideo excusaris a jejunio hodierno : item, si hodie audisti missam, et servati festum, putens ex errore hodie esse festum S. Laurentii, quod erit cras, non ideo excusaris ab observatione festi crastina, et tuæ ignorantiæ debes imputare, quod bis jejunes, vel observes festum ; quia nimirum hæc præcepta non obligant indeterminate pro semel in anno, sed determinate pro tali die sola : idem ergo dicendum est de recitatione officii, in quo eadem est ratio, ut vidimus.

15 Ad hoc etiam applicari possunt absurda similia, quæ sequerentur. Si enim aliquis ex errore anticipavit officium hebdomadæ majoris, quod recitavit tota hebdomada passionis præcedenti : postea cognito errore in ipsa hebdomada majori deberet recitare de festis sanctorum, quorum officia omiserat hebdomada præcedenti. Item, si per errorem recitavit officium nativitatis domini ante ejus diem, deberet in ipsa die recitare officium de feria. Imo, cum juxta rubricas missalis debeat missa concordare cum officio, deberet in die natalis dicere missam de feria ; et cum omnes possint illa die tres missas celebrare, posset etiam sacerdos ille tres missas de feria dicere : quæ omnia absurda ex illa sententia consequuntur. Nec minora sunt, quæ auctor ipse consequenter concedit, cum enim *singulari* IX. n. 6. admisisset idem procedere quando error communis fuisset toti choro et communitati ; deberet enim postea die prima non impedita recitare officium sancti, quod per errorem omissum fuerat propria die, nisi scandalum sequeretur : postea *singulari* X. n. 4. idem dicit in choro observandum casu, quo per errorem anticipatum fuisset officium alicujus festi, ut cessante scandalo, adveniente die propria, in choro non fiat officium de illo festo, sed de feria : quare, si doctrina illa vera esset, anticipato per errorem officio nativitatis, vel resurrectionis do-

minicæ, deberet etiam in choro cessante scandalo, officium de feria in iis festivitatibus celebrari, ne bis solvatur officium eidem festivitati, quod maximum inconveniens reputat ille auctor, sed certe debuissent hæc alia graviora existimari, prout revera sunt, et a mente rubricarum valde aliena.

16 Major difficultas esse potest in dubio alio, de quo etiam olim consultus fueram ; nimirum quid facere debeat, qui per errorem incipit recitare de feria, v. g. immemor festi occurrentis, vel e contra, et parte officii illius diei recitata, agnoscit errorem ; an tunc debeat prosequi recitando quod superest, de sancto occurrente, an vero juxta officium, quod ex errore jam partim recitaverat. Ad quod dubium idem Quintanadvenas dicto *singulari* x. num. 4. respondet, si solum vespere cum completorio recitatæ sunt, non oportet eas repetere, sed solum addere commemorationem illius sancti, de quo debet sequenti die recitari, et prosequi officium de ipso, quod idem dicendum putat, si matutinum etiam cum laudibus recitavit, « et si forsan non deerit, inquit, qui juxta sententiam relatam dicat, tunc prosequendum esse inceptum officium, et missam de illo celebrandam, nam major pars debet trahere ad se minorem, ut constans est doctorum axioma. Sed quoad celebrationem missæ attinet, inspiciatur, ne in ecclesia adsit scandalum, vel si magnæ solemnitatis dies, etc. » Sed ulterius progreditur Caramuel in regulam VIII. Benedicti, disput. X. num. 1403. quem affert et non improbat P. Diana part. VII. tr. XI. *miscell.* 11. qui supponit, unicum esse præceptum omnium horarum quæ recitantur singulis diebus, et inde infert, peccare mortaliter, qui legit horas aliquas de Dominica, et reliquas de sancto, quia non legit officium divinum, sed duo semiofficia, quæ non possunt ita connecti, ut unum officium divinum constituant ; quia ex aliquot horis de Dominica et aliis de feria, si conjungantur, non exurget officium divinum approbatum a sede Apostolica. Hæc ille, qui consequenter dicere debet in dubio nostro, cum qui incipit cum errore recitare officium, v. g, de feria, vel de alio sancto, debere vel repetere horas quas dixit, vel prosequi idem officium, quia ex illa parte et alia parte officii de sancto vere occurrenti non potest componi unum officium canonicum approbatum.

Sed, ut ab hoc ultimo incipiamus, non 17
credo esse obligationem prosequendi officium ex errore inceptum. Et quidem, si argumentum hujus auctoris aliquid concluderet, probaret utique, esse obligationem iterum recitandi horas illas juxta officium eo die occurrens ; fundatur enim in hoc, quod non sunt plura præcepta, sed unicum de toto officio illius diei : præceptum ergo illud non est de officio in genere, sed de tali officio, quod huic diei in Breviario assignatur : si ergo recitatur aliud officium, non impletur illud præceptum. Si autem respondeas, impleri quoad substantiam officii, quamvis non quoad circumstantiam accidentalem talis officii : ex hoc ipso solvi potest argumentum, ut non probet intentum illius auctoris. Sicut enim in illo præcepto consideras substantiam et circumstantiam rei præceptæ, et dicis, satis fieri quoad substantiam, recitato quolibet officio saltem moraliter æquali : ita dicam ego, ex illis duabus partibus officii diversi resultare unum Officium unitate substantiali, quamvis non unum unitate accidentali : quare satisfactum est præcepto recitando unum officium substantialiter, quamvis non habeat unitatem accidentalem resultantem ex eo quod omnes horæ sint de officio ejusdem sancti, vel feriæ, quæ unitas est circumstantia accidentalis non pertinens ad substantiam, sicut quod officium sit de tali sancto, non pertinet per se ad substantiam, sed ad circumstantiam accidentalem rei præceptæ.

Aliunde vero, quod illa diversitas 18
partium intra idem officium non sit

contra substantiam, nec impediat officium esse unum, probari potest. Primo, quia officium alicujus sancti non minorem respectum habet ad primas vesperas, quam ad secundas ; unde quando die sequenti non potest fieri officium de sancto simplici propter vigiliam, aut feriam privilegiatam occurrentem ; die etiam præcedenti vesperæ non dicuntur de illo Sancto, sed de feria, ne maneant primæ vesperæ sine toto officio consequenti. Et tamen, si aliquis per errorem non recitavit heri vesperas festi hodierni, potest, agnito errore, et debet hodie recitare de festo hodierno ; quia correspondentia illa ad vesperas hesternas non est substantialis.

19 Secundo, quia intra eamdem diem sæpe officium usque ad nonam recitatur de uno sancto, et a vesperis recitatur de alio : imo intra easdem vesperas dimidia pars dicitur de uno festo, et altera pars a capitulo dicitur de alio festo diverso : et aliquando ritus ipse dividitur, ut in vigilia natalis Domini, in qua matutinum dicitur feriale, et laudes dicuntur ritu festi duplicis. Si ergo Ecclesia ipsa in uno officio inducit ejusmodi divisiones et diversitates, non erit contra substantiam officii unius, si agnito errore, ab horis minoribus et deinceps recitetur de festo occurrenti, quamvis matutinum cum laudibus dictum fuerit de feria.

20 Tertio hoc ipsum clarius ostendi potest in privata etiam unius recitatione, hoc ipsum posse, et debere aliquando observari. Pone enim, te recitato matutino hodierno de feria, accipere post auroram beneficium alicujus ecclesiæ, cujus sancti titularis festivitas sit hodie : certe ab illa hora, qua possessionem accepisti, debes recitare de sancto illo, ut duplici primæ classis, et cum octava. Conflatur ergo unum officium ex matutino feriali, et reliquis horis ritu festi duplicis : quod tamen officium nusquam invenietur in breviario ita conflatum. Alioquin non satisfecisses hodie præcepto, si hodie non recitasti unum aliquod officium. Sicut ergo tunc potes, et debes unire matutinum feriale cum horis aliis et vesperis de Sancto titulari, imo non potuisses dicere matutinum de illo Sancto, quia illa hora nondum eras beneficiarius illius tituli, sed ab ea hora debes variare officium, in qua advenit obligatio recitandi de Sancto : ita in casu nostro ea hora, qua innotescit tibi obligatio recitandi. De festo hodierno, quod antea ignorabas, debes incipere recitare aliud officium, ex quo, et ex horis anterioribus resultare potest unum officium, quod non sit minus unum, quam sit in casu beneficiarii accipientis possessionem sui beneficii ante horam primam, vel tertiam. Hoc autem frequenter contingere potest, et mihi olim sæpe contigit venienti primo mane in locum, in quo fiebat octava dedicationis ecclesiæ propriæ ; quamvis enim pridie sero dixissem matutinum feriale, die sequenti recitabam de octava, quia jam tunc debebam sequi ritum illius loci, in quo manere debebam. Nec mirum, quod ex illis diversis partibus officii Romani resultare possit unum officium sufficiens ad satisfaciendum præcepto, quando ex partibus rituum multo magis diversorum posset id fieri. Pone enim, quod sacerdos aliquis post dictum matutinum ritu Romani breviarii, fiat monachus Benedictinus, vel Carthusianus, qui ab illa hora debet recitare juxta ritum breviarii suæ religionis, qui est multo diversus a ritu Romano. Die illa satisfacit præcepto per officium conflatum ex matutino Romano, et ex aliis horis ritu monastico, ex quibus partibus adeo diversis conflatur unum officium sufficiens ad satisfaciendum præcepto. Quid si fieret monachus S. Basilii, qui monachi in Italia recitant ritu Græco ? Quid, si sacerdos ex ritu Græco cum licentia (quæ sæpe conceditur) transiret ad ritum Latinum ? certe in iis casibus ex matutino Latino, et horis Græcis, vel e contra fieret unum officium sufficiens ad satisfaciendum præcepto : quid ergo mi-

rum si ex matutino feriali, et horis festivis, cognito errore post matutinum, fieri possit unum officium sufficiens ad satisfaciendum præcepto ?

21 Unde infero, in casu nostro eum, qui in præcedentibus horis erravit, non solum posse, sed debere, quando agnoscit errorem, reliquas horas recitare juxta officium ea die currens, ut se in iis saltem partibus officii conformet toti Ecclesiæ, vel illi communitati, cujus est pars et observet præceptum officii hodierni in ea saltem parte, in qua potest. Quamvis enim non sint plura præcepta, sed unum de toto officio hujus diei recitando : quando tamen præceptum est de re dividua, et non potest tota impleri, sed pars, debet ea pars impleri, si sit major pars, vel si, quamvis sit pars minor, certo tamen constat, quæ pars sit, quam regulam optime explicat, et probat Thomas Sanchez lib. I. *in Decalog.* cap. XIX. num. 9. ubi exemplum affert ejus, qui ob carentiam Breviarii non potest recitare totum officium, potest tamen recitare aliquam, vel aliquas horas, quas vel memoria retinet, vel ex diurno potest legere, quo casu dicit, teneri ad eas horas, vel etiamsi una sola esset, recitandum ; quia circa illam partem rei præceptæ non est impedimentum. Idem autem contingit in casu nostro ; quando enim agnoscitur lex quæ antea ignorabatur, potest adhuc observari quoad partem, et constat de parte illa : non bebet ergo continuari error male inchoatus, sed corrigi, ut si non in totum, observetur tamen lex, quantum fieri potest.

## DUBIUM IX.

*De numero missarum in beneficii erectione assignando.*

1 Testator dixit : « Volo, ut extrahantur ex mea hæreditate sex millia scuta, et ex iis fundetur beneficium ad celebrandas tot missas in anno in perpetuum in ecclesia N. pro anima meæ matris. » Cum ergo erigendum jam esset beneficium, dubitatum fuit, ad quot missas obligandus sit beneficiarius, cum testator earum numerum non designaverit ?

Tota difficultas oritur ex verbis illis, 2
*ad celebrandas tot missas in anno*, nam illud *tot*, potest referri vel ad summam 6000. scutorum, ita ut velit testator tot missas celebrari, quot correspondent fructibus illius summæ pecuniæ. Vel potest referri ad beneficium fundandum, ita ut velit tot missas in anno celebrari, quot habens illud beneficium celebrare poterit. Et quidem, quoties agitur de interpretandis verbis dubiis testatoris, utendum est conjecturis ex circumstantiis personæ, loci, temporis, et aliis ad indagandam mentem, et intentionem testatoris, quæ prævalere debet, etiamsi aliquando verba videantur aliud sonare, ut videri potest in exemplis, quæ adduxi tom. II. *de Justitia, et jure* disput. XXIV. de testamentis, sectione 9. et 10.

Dixi ergo, investigandum inprimis 3
esse diligenter ex circumstantiis, an testator locutus fuerit de vero, et rigoroso *beneficio*, an solum voluerit fundari eos reditus perpetuos in tali ecclesia, ut in ea missæ correspondentes fructibus quotannis celebrentur : nam revera in vulgari modo loquendi beneficium institutum cum solo onere missarum pro anima alicujus, quamvis in rigore juris sit beneficium ecclesiasticum ; non tamen solet vocari vulgariter *beneficium*, sed *Capellania*, et qui illam habet, non appellatur communiter *beneficiarius*, sed *Capellanus ;* quare dubitari potest, an de vera capellania testator locutus fuerit, an vero de beneficio non personali, sed reali, ut ita dicam, hoc est, affixo et applicato tali ecclesiæ, ut ecclesia illa ex fructibus faciat celebrare tot missas : et enim hæc fuisset testatoris mens, procul dubio fructus omnes, deductis expensis,

deberent in missas ibidem celebrandas erogari.

4 Rursus, si conjecturæ sensum prædictum non suadeant, sed verba intelligenda sint de beneficio uni personæ certæ conferendo ; investigandum adhuc erit per conjecturas ex circumstantiis prædictis, quale voluerit esse munus illius beneficiarii ; audivi enim, esse in usu beneficia aliqua, et beneficiarios, qui jus solum habent recipiendi reditus sui beneficii ad hoc solum instituti, ut curam habeant distribuendi pecunias illas sacerdotibus, quibus velint, et curandi ut missæ celebrentur correspondentes illis fructibus. Si ergo hoc beneficiorum genus sit in usu in illis partibus, credibile fit hanc solam fuisse mentem testatoris, quando ex tali summa voluit fundari beneficium, ut tot missæ semper celebrentur ; constructio enim illorum verborum magis plana, et sincera est, ut illud *tot*, referatur ad fructus illius capitalis 6000. scutorum, quæ fuerant ad hoc assignata. Videndum autem tunc erit, qualis sit usus in ejusmodi beneficiis, an scilicet beneficiarius habeat solum jus eligendi sacerdotes celebraturos, et distribuendi illis stipendia, et fortasse applicandi sibi partem, si ipse etiam missarum partem celebrare voluerit : an vero ultra hæc habere etiam soleat partem aliquam fructuum pro stipendio curæ, et laboris in administratione et receptione fructuum, et in procurando, ut tot missæ semper celebrentur ; si enim usus communis hoc habeat in iis locis, merito præsumi potest testator beneficium cum iis conditionibus juxta usum suæ patriæ instituere voluisse.

5 Denique, si nihil horum omnium ex conjecturis, et circumstantiis colligi possit, verba in dubio accipienda sunt in sensu proprio, ut voluerit testator ex summa illa erigi, et fundari capellaniam, seu beneficium proprium conferendum per collationem canonicam alicui cum onere tot missarum. Tunc autem videtur beneficiarius, seu capellanus in ipsa beneficii erectione gravandus ad missam quotidianam pro anima matris testatoris, quod ad minus ejus verba significare debent, dum petit *tot missas in anno*, hoc est, tot, quot unus beneficiarius in anno dicere potest ; neque enim in hoc sensu potest mitius ad aliud referri illud *tot*, nisi ad capacitatem unius beneficiarii qui jubebatur institui. Nec videtur credibile, ad pauciores missas voluisse eum obligare, cui cum illo solum onere relinquit fructus sex mille scutorum, qui fortasse ad 300. scuta annua in illis partibus ascendere possent : qui certe fructus longe majores sunt, quam qui canonicis cathedralium communiter dantur pro assidua chori assistentia, et in aliis pluribus oneribus canonicatui annexis.

6 Addi potest primo, sensum et affectum testatoris erga beneficiarium constituendum colligi posse, si forte in ipso testamento designata sit persona, cui primo loco beneficium illud sit conferendum, et hæc sit consanguinea testatoris, vel illi peculiariter conjuncta ; hinc enim ad minus constabit, testatorem de vero et proprio beneficio cogitasse, nec voluisse plures missas exigere, quam quæ ab eodem beneficiario celebrari possent. Ad hoc etiam proderit, si saltem designavit patronum, ad quem beneficiarii nominatio et præsentatio successive pertineat ; hoc enim probat etiam, quod non solum de reditibus, sed etiam de persona unius beneficiarii perpetuo deligenda cogitaverit.

7 Secundo videndum erit, an beneficiario alia onera, præter missarum celebrationem, imponantur. Si enim in ea fortasse ecclesia sint alii beneficiarii, qui choro et missarum solemnium officiis inservire debeant, testator præsumitur voluisse, ut ad meliorem ecclesiæ cultum et officiorum divinorum beneficium novum erigatur, et hic beneficiarius teneatur etiam ad illas missas pro anima suæ matris celebrandas ; quo casu præsumitur testator contentus fuisse missis illis, quæ ab eo celebrari poterant, quem ta-

men aliis beneficiariorum oneribus ad cultum ecclesiæ gravebat.

8 Tertio, etiamsi ad missas singulis diebus a testatore obligetur, esse tamen sententiam aliquorum doctorum, qui dicunt, non esse id ita metaphysice intelligendum, ut non possit sacerdos obligatus a testatore ad celebrandum quotidie, semel saltem in hebdomada, devotionis, et reverentiæ gratia a celebratione abstinere, ut cum Navarro 1. part. *consil.* lib. III. tit. *de Præbendis*, consil. 7. alias 6. tenent alii communiter, quos refert et sequitur Diana II. par. tract. *de celebratione missarum*, resol. 28. et part. V. tract. XIII. *miscell.* resolut. 51. ii tamen advertunt, id intelligi, quando obligatio dirigitur ad capellanum ipsum, dicendo, v. g. *quid debeat quotidie celebrare*, etc. secus vero, si dirigatur ad ipsam celebrationem in tali loco, dicendo, v. g. *Volo, ut in tali ecclesia celebratur quotidie missa,* etc. tunc enim dicunt capellanum a die, qua ipse non celebrat, debere alium pro se substituere. Quare in casu nostro dubitari posset, quia verba testatoris ambigua sunt; dum dicit, *Volo, ut fundetur beneficium ad celebrandas tot missas in anno in perpetuum in ecclesia N.* etc. in quibus verbis non videtur dirigi obligatio directe ad beneficiarium, sed ad missarum celebrationem in tali loco. Adhuc tamen ea obligatio non videtur clara, quia verba in nostro casu sunt satis similia verbis relatis a Navarro ubi supra, quibus testator *reliquit bona reddentia* 830. *solidos annuos pro una capellania, ad dicendas missas*, non expresso earum numero : et tamen Navarrus eo casu judicavit posse capellanum abstinere a celebrando semel in hebdomada devotionis, aut majoris reverentiæ casu, argumento desumpto ex cap. *significatum, de præbendis*. Idem autem videtur posse dici in casu nostro, in quo testator non expressit missarum numerum : et quamvis dixerit, *ad celebrandas tot missas*, etc. Id tamen videtur posse commode explicari, tot missas, quod idem beneficiarius moraliter et reverenter celebrare poterit. Nec expressit, ut quotidie in ea ecclesia celebraretur, sed verba illa magis videntur dirigi ad ipsum beneficiarium, dum jussit, beneficium fundari ad celebrandas tot missas in anno in tali ecclesia : hoc est, ut beneficiarius celebret in tali ecclesia tot missas in anno. Non ergo video clare, cur ab ea facultate aliis concessa abstinendi semel a missa in hebdomada debeat excludi.

9 Denique advertendum erit, posse beneficiarium nominandum in casu nostro missas illas, si voluerit, non per seipsum, sed per alios celebrare, quia quoties testator vel fundator non obligat expresse capellanum ut celebret per semetipsum, et non per alios, non debet ad id obligari, ut constat ex responso sacræ congregationis concilii Tridentini, quod affert Gonzalez *super regulam octavam cancellariæ*, gloss. v. in principio num. 84. his verbis : « Item episcopus non potest compellere obtinentem capellaniam, ut ipsemet celebret, licet in ejus fundatione disponatur, quod cappellani celebrent : nam istis oneribus missarum recte per substitutum satisfit. » Quæ etiam declaratio habetur in declarationibus impressis sess. XXIV. ca. 12. circa finem, et juxta eam idem resolvunt quamplures quos afferunt et sequuntur Bonacina *de Sacramentis*, disp. IV. q. ult. punct. 7. §. 1. num. 1. et Dian. p. II. *de celebrat. missarum,* res. 18. Quare in casu nostro, quo testatur contrarium non expressit, poterit procul dubio beneficiarius missas debitas celebrare per alios sacerdotes, quibus dare debet, non quantum ipsi beneficiario corresponderet pro singulis missis ex fructibus beneficii, sed solum stipendium dari solitum missas celebrantibus. Quamvis enim decreto sacræ congregationis Concilii edito jussu Urbani VIII. anno 1625. prohibitum sit, ne sacerdos stipendio pro missa celebranda accepto, possit alii sacerdoti stipendii parte data, missam dicendam ei committere, sed debeat totum stipendium quod

accepit, eidem dare, nulla sibi parte retenta : id tamen locum non habet in casu nostro, ut eadem sacra congregatio respondit anno sequenti, dicens, decretum illud non intelligi de beneficiario, qui potest per alium celebrare, sed sufficere quod ei det eleemosynam congruam, nisi in fundatione ipsius beneficii aliter cautum fuisset. Quod idem procedere in capellano, qui per alium satisfaciat oneri missarum, diximus tom. *de Euchar.* disp. XXI. sect. II. n. 30. Sive ergo dicendus sit beneficiarius, sive capellanus, in casu nostro ille cui missarum onus testator imposuit, poterit huic oneri per alios satisfacere, quibus consuetam solum eleemosynam pro singulis missis dare teneatur.

## DUBIUM X.

*De obligatione illius, qui apertis litteris alienis, novit vacationem præbendæ, quam impetrari curavit pro quadam suo amico.*

1 Petrus in Hispania consignavit fasciculum litterarum Paulo, qui curam habebat expediendi tabellarios publicos, qui Hispanice appellatur *Correo mayor*, Italice *Mastro delle Poste*, illius civitatis, eique commendavit ut litteras illas Romam transmitteret ad Joannem ibi commorantem, qui litteris illis certior fiebat de vacatione cujusdam præbendæ, cujus annui fructus erant 1150 vel 2000. ducatorum. Paulus, ut majori diligentia rem exequeretur, fasciculum illum per nuntium, seu tabellarium extraordinarium, qui illac transibat, misit Romam ad Antonium suum amicum Romæ commorantem, eumque rogavit ut statim litteras illas Joanni traderet, quia continebant nuntium præbendæ vacantis. Antonius, acceptis litteris, non dedit eas Joanni, cui mittebantur, sed vocato Francisco suo amico, rem illi communicavit, et communi consilio Franciscus simul cum eodem Antonio fasciculum, et litteras, quæ Joanni mittebantur, aperuit, et cognita qualitate præbendæ vacantis, eam adhibito favore cujusdam Cardinalis, cui inserviebat, sibi impetravit. Postea vero, nullo tamen præcedente antea pacto, dedit Antonio 100. scuta pro se, et 50. pro Petro, a quibus notitiam vacantis præbendæ habuerat. Quærebatur, an Antonius teneatur aliquid restituere Joanni, qui tunc alteri Cardinali inserviebat, et postea duos episcopatus successive obtinuit.

2 Supponebatur in primis, Paulum non habuisse ex officio obligationem mittendi litteras illas Romam per nuntium extraordinarium, sed fuisse satis, si mitteret suo tempore per tabellarium ordinarium. Deinde Antonium nescisse, qua obligatione, vel conditione Paulus accepisset litteras illas mittendas Romam ad Joannem. Suspicatur tamen, aliquid significatum Paulo de remuneratione pro diligentia adhibenda in mittendis litteris. Certum est, Paulum acceptis postea illis 50. scutis, nihil Antonio scripsisse de obligatione, quam habuisset circa diligentiam faciendam in favorem Joannis.

3 Theologi Hispani Salmanticæ, et Vallisoleti consulti de obligatione Antonii, divisi fuerunt in contrarias sententias. Quia vero diversitas hæc oriebatur ex diversa intelligentia doctrinæ cujusdam, quam olim tradideram tom. I *de Just. et jure*, disp. XVIII. sect. V. num. 104. Major tamen pars liberabat eum ab obligatione restituendi : ideo coactus sum, ut sensum meum declararem et explicarem, quomodo doctrina illa ad casum præsentem posset, aut deberet applicari.

4 Dixi ergo in primis, me eo loco solum dixisse contra nonnullos ibi a me relatos, esse obligationem restituendi pro damno ex illa injusta litterarum apertione vere consecuto. Videndum ergo est, an in casu nostro damnum sit Joanni consecutum ex eo, quod ejus litteræ apertæ

sunt, an ex alia causa, potuissent enim litteræ retineri ab Antonio non apertæ. Unde videndum est, an esset obligatio ex justitia dandi eas litteras Joanni, nam damnum non fuit ortum solum ex apertione litterarum, sed ex eo etiam quod non sint redditæ Joanni, ad quem dirigebantur.

5 In Paulo ergo, cui litteræ consignatæ sunt, obligatio erat justitiæ eas ad Joannem transmittendi, quia tenebatur ex officio publico ad hoc constituto, ut litteræ ad varia loca transmittantur. Quamvis vero non teneretur ex officio ad litteras transmittendas per nuntium extraordinarium ; supposito tamen, quod elegit eam viam, debebat procurare, quod cum effectu darentur Joanni. Hoc autem jam ipse videtur præstitisse, curavit enim, et petiit ab Antonio cui fidebat, ut daret quamprimum Joanni fasciculum illum litterarum, et quamvis hunc finem non obtinuerit ; non fuit ex culpa ipsius Pauli, qui prudenter operatur fuerat, et curaverat ut quamprimum litteræ ad Joannis manus pervenirent. Paulus ergo liber videtur esse ab omni onere restituendi.

6 Difficultas est de Antonio, qui litteras retinuit et dedit Francisco aperiendas, ut sibi præbendam impetraret. Distinguere autem rursus possumus, nam si Antonius minister erat Pauli, vel ejus procurator, aut ei fide data promiserat distribuere fideliter litteras quas ad ipsum destinaret ; videtur non potuisse sine injustitia retinere Joannis litteras, atque adeo teneri ad restitutionem pro damno subsecuto, cum jam quasi ex officio teneretur ad litteras reddendas, sicut ipse Paulus cui se obtulerat ministrum et executorem hac in parte ipsius obligationis. Sicut illi famuli, quibus in domo tabellarii dantur litteræ distribuendæ per urbem singulis civibus, tenentur etiam ex justitia illas fideliter distribuere, nec possunt eos sibi retinere, quia participant obligationem justitiæ quam habet eorum dominus, cujus ministri ea in parte sunt.

Si vero Antonius neque erat procurator, nec minister Pauli, nec ei se fide data obstrinxerat ad litteras distribuendas quas ipsi mitteret : non facile apparet cur obligaretur ex justitia ad reddendas litteras Joanni ; durum enim est obligare te ex justitia ad distribuendas litteras, quas amicus tibi pro aliis mittit : imo sæpe litteræ illæ negliguntur ab eo qui eas cum suis accepit. Sola ergo urbanitas et amicitia poscit ut litteræ illæ aliis dentur : aliquando etiam charitas obligabit, quando magnum damnum proximo immineret nisi redderentur, sed peccatum contra charitatem non obligat ad restitutionem, ut constat. 7

Peccavit tamen Antonius contra justitiam litteras Joannis aperiendo ; quia litterarum alienarum apertio continet gravem injuriam contra justitiam, ut cum communi doctorum diximus tom. I. *de Justitia*, disp. XIV. sect. 9. num. 148. quamvis ergo posset Antonius litteras Joanni non dare absque injustitia ; non tamen poterat sine injustitia eas aperire et legere. Quare cum ex læsione graviter injusta consequatur semper obligatio restituendi pro toto damno ex illa consecuto ei, qui injuriam passus est, ut probavi eodem tom. I. *de Justitia*, disp. VIII. sect. 5. consequens est, ut Antonius restituere teneatur Joanni pro toto damno, quod ob litteras ejus apertas passus est. Non dico, pro damno, quod ob litteras ei non redditas passus est, quia fortasse Antonius non tenebatur, ut vidimus, ex justitia ad reddendas litteras : quia tamen tenebatur ex justitia ad non eas aperiendas, debebit restituere Joanni pro damno tot, quot ob litteras ejus apertas passus est. Difficultas ergo tota erit in decernendo, an damnum consecutum vere sit Joanni ex apertione litterarum, et quanti damnum illud æstimari debeat, quæ quæstio magis facti esse videtur quam juris. 8

Duo ergo potissimum consideranda sunt. Primum, an apertio litterarum causa fuerit quod Joannes non habuerit 9

illam præbendam. Secundum vero, quanti damnum illud æstimandum sit. Quod ergo ad primum spectat, ex circumstantiis loci, temporis, personarum, et aliis indagandum est, an, si litteræ non fuissent apertæ, sed tamen non fuissent Joanni traditæ, Joannes impetrasset adhuc sibi illam præbendam, habita nimirum interim aliunde notitia ejusdem vacantis. Si enim aliunde non potuisset impetrare, signum est, quod apertio litterarum non fuit causa quod non impetraret, siquidem, etiamsi non fuissent apertæ, non eas accepisset, neque impetrasset : quare si Antonius decrevisset non reddere litteras illas Joanni, et hoc independenter et antequam cogitaret de illis aperiendis, ita ut apertio litterarum non fuerit causa illas retinendi, nec quod Joannes non haberet præbendam, quia nec tunc, nec postea illam habiturus erat etiam litteris non apertis, non apparet unde oriatur obligatio restituendi, supposito quod Antonius non debebat ex officio, vel promissione litteras dare iis ad quos in ejus faciaculo mittebantur. Si autem apertio litterarum impedivit Joannem ab obtinenda præbenda, vel quia apertio litterarum fuit causa quod illi litteræ tempestive non darentur, sive quia, nisi fuissent apertæ, et ex illa notitia Franciscus eam sibi impetrasset, habuisset postea Joannes aliunde notitiam præbendæ illius vacantis, et eam sibi potuisset impetrare, Antonius tenebatur ad restituendum Joanni pro damno ex litterarum apertione consecuto plus, vel minus pro majori, vel minori spe, quæ esse poterat, ut Joannes litteris non apertis damnum illud passus non fuisset.

Quoad secundum vero, nempe ad taxandum id, quod restitui debet casu quo Antonius restituere teneatur, pendet id omnino ex variis circumstantiis, quæ arbitrio prudentis ponderandæ sunt. Ponderare enim oportet, quantum probabilitatis haberet, quod litteris illis non apertis posset Joannes præbendam illam impetrare, sive quia tunc litteræ ei redditæ fuissent, quarum non reddendarum causa fuit earum apertio, sive quia aliunde notitiam vacantis præbendæ opportune habuisset, si a Francisco per furtivam illam notitiam non fuisset præventus, et pro majori, vel minori gradu probabilitatis, et spei ejusmodi plus, minusve deberet ei Antonius restituere. Considerandum etiam est, quanto tempore præbenda illa fruiturus fuisset ante adeptum primum episcopatum, quem habuit, juxta ea, quæ in simili dixi disp. XI. *de Justitia*, sect. II. num 39. Item, an potuisset obtinere retentionem præbendæ saltem pro aliquo tempore simul cum episcopatu. Item, an occasione præbendæ habitæ, meliorem et pinguiorem episcopatum, vel in meliori loco obtinere potuisset a rege, ad quem tunc spectabat nominare successorem in præbenda, et an ipse habens talem præbendam in Hispania, acceptasset episcopatum illum in India, quæ omnia et alia similia pertinent ad factum, nec a me sciri possunt. Quare tutius et facilius esset in eo casu, quod Antonius per interpositam personam conveniret cum Joanne, oblata ei rationabili aliqua summa, et petens ad cautelam remissionem totius damni ; hoc enim modo cum majori satisfactione, et quiete res tota componetur, et tolletur radix scrupulorum in hac materia.

## DUBIUM XI.

*De obligatione prælati, aut beneficiarii ecclesiastici ad dandam eleemosynam.*

Propositum mihi fuit a quodam theologiæ magistro hoc dubium. Cum sit doctrina P. Vasquez, et aliorum, quos affert P. Diana p. II. tr. 16. res. 28. nomine congruæ sustentationis intelligi, non solum quæ requiruntur ad conservationem status præsentis, sed etiam ea

quæ sunt necessaria ad acquirendum statum meliorem, quia ascensus ad superiorem statum pertinet ad necessitatem et convenientiam status, unde aliqui inferunt non obligari ad eleemosynam ex bonis requisitis ad meliorem statum acquirendum ; quærebatur a me primo, an hæc doctrina sit vera ? Secundo, an procedat solum de statu immediato meliori, an etiam de quolibet mediato ? nam, si in hoc secundo sensu intelligatur, numquam esset obligatio dandi eleemosynam, quia omnis pecunia, quantumcunque copiosa, requiritur ad statum majorem possibilem acquirendum. Tertio, an id intelligatur etiam de meliori statu ecclesiastico, ita ut beneficiatus possit in congrua sustentatione computare ea, quibus indiget ad majorem dignitatem ecclesiasticam, vel altiorem statum acquirendum, etiamsi non sint necessaria ad conservationem status.

2 Respondi, supponi falsum : nam auctores illi non loquuntur de beneficiario, sed de laico divite, de quo quærunt, an obligationem habeat dandi eleemosynam ex iis, quibus indiget ad acquirendum altiorem statum ? Imo expresse dicunt, id non habere locum in personis ecclesiasticis, ut videri potest in locis ibi citatis ; in quibus tamen advertere oportet, P. Vasquez non agere de hoc in tract. *de restitutione* in quo citatur a Patre Diana, sed in tractatu *de eleemosyna ;* sicut nec etiam Malderus tractat de hoc qu. 27. in qua ab eodem Diana allegatur. sed q. 32. ii autem expresse excludunt ab ea doctrina personas ecclesiasticas, quas negant posse ultra congruam sustentationem status præsentis, reservare ex fructibus ecclesiasticis ad acquirendum statum meliorem. Quare corruunt alia duo quæsita ; neque enim ad meliorem statum immediatum acquirendum reservare possunt ; multo minus ad mediatum : nec ad meliorem statum sæcularem, nec etiam ad meliorem statum ecclesiasticum comparandum.

3 Hac tamen occasione iterum quæsitum est, an possit aliquis ex fructibus ecclesiasticis reservare ad emendum clericatum, vel auditoratum cameræ Apostolicæ, vel ad hoc, ut postea ad cardinalatum promotus habeat sumptus necessarios ad eam dignitatem sustinendam ?

Respondi, ex doctrina præcedenti sequi, quod non possit reservare ad emendum clericatum, vel auditoratum cameræ, quia hoc esset reservare ad acquirendum statum altiorem ; quod tamen doctores supra adducti expresse negant posse ex fructibus beneficiorum fieri : nam P. Vasquez dicto tract. *de eleemosyna*, cap. iv. dub. ultimo, nu. 14. dicit differre ecclesiasticos a laicis : « quod laici possunt de bonis patrimonialibus servare ad statum suum, vel consanguineorum mutandum, et tunc illud non dicitur superfluum. Unde vix in sæcularibus invenies, etiam in regibus, superfluum statui. At episcopi, et alii ecclesiastici non possunt ex bonis beneficii statum mutare altiorem sibi, vel consanguineis, vel amicis, ut bene docuit Corduba, quia ista bona non sunt data, nisi ad congruam sustentationem. » Eodem modo loquitur Navarrus in *Summa*, cap. xxiv. n. 6. ubi, cum dixisset, sæcularem posse ex superfluis reservare ad statum altiorem obtinendum, quod etiam dixerat cap. xxiii. nu. 74. statim subdit : Dixi *sæcularem*, quia ecclesiastici non possunt in tot fines, ac illi, pecunias coacervare, ut infra sequenti capite attingetur. » Sic etiam loquitur Malderus 2. dict. quæst. xxxii. art. 6. dub. 4. ubi loquens de obligatione dandi eleemosynam ex superfluo, sic ait : « Quod vero dicatur, rarius contingere, ut quis habeat ejusmodi superfluum ; esto simpliciter loquendo verum sit ; nobis tamen sufficit aliquando ita contingere, præsertim in ecclesiasticis, qui potius debent pauperes juvare, quam augere statum, vel consanguineos, et amicos ditare. » Ratio autem est clara, et inprimis ab absurdo ; quia, si hoc concederetur, nulla maneret obligatio ecclesiasticis expen-

dendi superflua in usus pios ; quis enim est qui non aspiret, vel aspirare possit ad statum altiorem vel sæcularem vel ecclesiasticum ? Deinde de auditoratu, vel clericatu cameræ emendo parum juvat ; quæ enim necessitas, vel utilitas ecclesiæ apparet in iis expensis ? Quasi, si tu non tibi hæc munera emas, defuturi sint alii multi et fortasse meliores et digniores, qui ejusmodi officia administrent. Hæc sane non sunt, nisi velamenta avaritiæ vel etiam ambitionis, ne fructus ecclesiasticorum beneficiorum in pios usus expendantur, ad quos ex sua natura et conditione destinati reperiuntur.

Magis apparenter fortasse excusare posset motivum illud aliud reservandi ad expensas in cardinalatu faciendas : si tamen circumstantiæ aliquæ concurrant, quæ id possint justificare. Prima sit, quod cardinalatus aliunde acceptandus sit, ita ut pecunia non reservetur, ut cardinalatus acceptari possit ; hoc enim esset reservare pecunias ad comparandum statum altiorem, quod diximus ecclesiastico non licere, sed ita ut reservetur, ut habeantur necessarii sumptus faciendi in cardinalatu, qui aliunde acceptandus est. Secunda sit, quod probabile sit defuturos sumptus necessarios, quando cardinalatus adveniet, nec esse spem solvendi debita, quæ tunc ad primos illos sumptus faciendos contrahere oportebit : si enim spes sit solvendi postea illa debita, non indiget hac pecunia, ut sibi tunc subveniat. Tertia denique, et potissima conditio est, quod necessitas hæc probabiliter et de proximo timeatur. Alioquin quilibet prælatus posset ab adolescentia reservare et thesaurizare ex reditibus ecclesiasticis superfluis statui, ut quando fiat cardinalius, habeat sumptus necessarios ad eam dignitatem sustinendam : quod certe in foro Dei approbandum non credo, et apud pios et prudentes omnes scandalum generaret.

## DUBIUM XII.

*An religiosus factus episcopus maneat adhuc religiosus, et cum voto paupertatis, et an acquirat dominium fructuum sui episcopatus ?*

Dixi, duas esse quæstiones diversas. 1
Prima, an religiosus factus episcopus maneat adhuc religiosus, an vero absolvatur omnino a votis religiosis etiam substantialibus, et reducatur ad statum sæcularem ? Secunda est, an acquirat dominium bonorum, seu redituum sui episcopatus, sicut alii episcopi in sententia magis communi acquirunt, an vero solum usum cum licentia administrandi et expendendi ejusmodi bona, quæ sunt quæstiones valde diversæ, ut videbimus.

Et quidem quoad primam quæstionem, nulla videretur esse dubitandi ratio, nisi aliqui recentiores dubium indicassent, inter quos Petrus Hurtado de Mendoza in tract. *de charitat.* disput. CLX. sect. 1 subsect. 3. quamvis ex professo solum tractet secundam quæstionem de dominio redituum ; obiter tamen nu. 62. et 64. significat aperte monachum factum episcopum non manere religiosum quoad essentiam religiosi, sed quoad aliqua accidentia, qualis est retentio sui habitus et similia ; « Relinquitur enim, inquit, illis habitus, tum in honorem sui ordinis, tum ut ipse episcopus meminerit non oportere ad luxum diffluere, qui religionem fuit tandiu professus. » 2

Alii tamen uno ore fatentur episcopum illum manere adhuc religiosum non solum quoad accidentia, sed magis quoad substantiam ; imo id non tractant quasi ex professo, sed supponunt tanquam omnino certum et indubitatum, et postea ad alias quæstiones consequentes descendunt, in quibus variæ sunt docto- 3

rum sententiæ, nunquam tamen apud illos fuit controversia, an episcopus ille esset religiosus, vel merus sæcularis. Unde P. Suarez tom. IV. *de Religione*, tr. VIII. lib. III. cap. 16. nu. 4. cum S. Thoma 2. 2. qu. CLXXXV. articul. 8. et aliis dicit, « certum esse religiosum, cum fit episcopus, non amittere substantialem statum religiosi. » Eodem modo tanquam de re omnino certa loquuntur alii omnes theologi et canonistæ, quos late congerit Thomas Sanchez lib. VI. *in Decalog.* cap. 6. nu. 2. dicens : « Absque dubio tenendum religiosum creatum episcopum in primis non absolvi a voto castitatis, nec etiam a voto obedientiæ, sed hoc quodammodo limitari, quia absolvitur ab obedientia prælatorum regularium ; » quod probat, *quia hic manet verus religiosus, ut fatentur omnes*, imo P. Vasq. quem Hurtado inducere conatur pro sua sententia, expresse fatetur 1. 2. qu. XCVI. art. IV. disp. CLXV. c. 8. nu. 93. ad finem, manere religiosum, nec liberari a voto obedientiæ respectu summi Pontificis. Idem dicunt Lessius, Layman, et alii quos affert et sequitur Castro Palao to. IV. tr. XVI. disp. 4. punct. 20. nu. 1. supponens pro certo, manere verum religiosum, et inde probans, manere obstrictum voto obedientiæ, et novissime Franciscus Pellizarius in *manuali Regularium* t. I. tr. III. c. V. sect. 1. nu. 15. Denique Lezana t. I. c. XVII. n. 1. eamdem conclusionem ut certam, et ut basim aliarum quæstionum supponit, nec videtur de hoc puncto doctores unquam dubitasse.

4 Ratio autem a priori est clara, quia vota religiosa substantialia perpetua fuerunt ex natura sua, et potest manere eorum vinculum radicale, licet eorum materia in multis deficiat ratione status : id tamen est per accidens, sicut vinculum matrimonii consummati manet, licet postea conjuges fiant religiosi, vel licet postea adveniat impotentia, qua iis reddatur impossibilis copula carnalis. A fortiori manebit vinculum religiosæ professionis, quamvis postea deficit materia ad exquenda vota. Et quidem de voto castitatis non est dubium, cum maneat tota ejus materia, et magis obligetur religiosus episcopus ad illud votum observandum. Obedientiæ autem votum manet, et potest impleri respectu summi Pontificis, cui episcopus religiosus debet obedire etiam ex voto suæ professionis in iis, quæ Papa ei præcipiat secundum regulam. Nec refert, quod non debeat obedire aliis prælatis regularibus, hoc enim est per accidens, quia non est tunc eorum subditus, sicut nec generalis perpetuus ordinis Prædicatorum, vel societatis Jesu potest obedire amplius ulli prælato ordinario regulari, sed soli summo Pontifici, et tamen permanet religiosus astrictus vinculo voti obedientiæ. De voto autem paupertatis postea explicabimus, quomodo adhuc maneat, non solum quoad vinculum radicale, sed etiam quoad executionem saltem partialem. Non ergo dissolvitur ex natura rei vinculum professionis religiosæ per dignitatem episcopalem. Sed nec dici potest, quod dissolvatur per dispensationem summi Pontificis assumentis eum ad episcopatum. Quamvis enim concedam, posse summum Pontificem ex causa dispensare etiam in votis solemnibus ; id tamen non potest nisi ex causis gravissimis : unde rarissime et ex gravissima causa solet dispensare cum habente ordinem sacrum, ut ducat uxorem ; quales certæ causæ non exiguntur ut religiosus fiat episcopus, sed passim fiunt eadem facilitate qua clerici sæculares, et absque Ecclesiæ necessitate. Non ergo intercedit dispensatio voti solemnis : alioquin Papa difficilius et rarius id faceret, cum sciat dispensationem voti sine causa sufficienti concessam esse non solum illicitam, sed omnino invalidam. Papa itaque non dispensat cum episcopo religioso in voto obedientiæ, v. gr. sed sicut Generalis eximens subditum ab obedientia sui provincialis, vel prælati localis, non dispensat cum eo in voto obedientiæ, sed aufert

partem materiæ, faciens quod provincialis et prælatus localis non sint ejus superiores, unde votum, quod solum est obediendi superioribus, non obligat jam ad illis obediendum : ita summus Pontifex non dispensat cum religioso episcopo in voto obedientiæ, sed facit quod prælati regulares non sint ejus superiores ; et ideo cessat obligatio illis obediendi ; quamdiu superiores non sunt ; manet tamen obligatio obediendi summo Pontifici, qui est supremus generalis et prælatus ejusdem religionis, et cui primo loco promissa fuit obedientia per votum professionis religiosæ. Ex nullo ergo capite dissolvitur vinculum professionis per assumptionem ad episcopatum.

A posteriori vero multipliciter hoc ipsum probari potest. Et imprimis non est levis conjectura, quæ desumitur ex obligatione retinendi habitum religionis saltem quoad colorem : imo ante Clementem VIII. retineri debebat etiam quoad formam, et paulo ante, nempe ante Gregorium XIV. nec ipsi quidem cardinales regulares ex monachis, vel fratribus menducantibus assumpti poterant uti bireto rubro, sed nigro : dicere autem, hoc solum fieri ut memores sint status antiqui, non est credibile, nec hoc aliud esset quam conservare accidentia sine substantia status religiosi, sicut in eucharistia accidentia panis conservantur sine substantia panis, quod certe omnino opponitur sensui omnium doctorum, qui dicunt religiosum factum episcopum, manere liberum ab obligationibus accidentalibus, non tamen a substantialibus status religiosi. Unde etiam post episcopatum appellantur pleno ore *regulares ;* sic vocantur in cæremoniali episcoporum libr. 1. cap. 1. ubi eorum habitus præscribitur, quod rursus repetitur cap. 3. his verbis : « Cæterum quod dicitur de hujusmodi episcoporum habitu, tam capparum, quam cæterarum, vestium, non est intelligendum de episcopis regularibus, qui non mutant colorem sui habitus, neque induunt rochetum, sed in ecclesia propria uti debent cappa coloris suæ religioni convenientis, pellibus, seu serico ejusdem coloris suffulta. Excipiuntur ab hac regula, uti dictum est, canonici regulares, qui rochetto utuntur : omnes autem tam sæculares, quam religiosi episcopi galero utuntur a parte exteriori nigro, etc. » Vide quoties in cæremoniali Clementis VIII. jussu editi, hi episcopi appellentur *religiosi*, et condistinguantur ab episcopis sæcularibus. Manent ergo veri religiosi ; alioquin frustra S. Ludovicus excusasset se ab acceptando episcopatu Tolosano, nisi prius permitteretur ingredi religionem minorum, et in ea professionem emittere. Si enim accepto postea episcopatu, remansisset sæcularis, sicut antea, et dissolvebatur omnino professio religiosa, ad quid ei circuitus ille deserviebat ? Temere etiam S. Antoninus episcopus Florentinus minanti cuidam ex magistratu respondisset, se paratum esse, abdicato episcopatu, reverti ad suam cellam, cujus clavem ei ostendit, quam adhuc penes se retinebat. Si enim jam erat omnino sæcularis, non magis poterat ad conventum redire, quam alii sæculares, sed indigebat nova receptione et probatione per annum novitiatus, et postea denuo profiteri.

Unde colligitur absurdum aliud quod ex illa sententia sequitur ; nam si episcopus, vel cardinalis religiosus, abdicato episcopatu, vel cardinalatu, et obtenta summi Pontificis facultate, ad regularem observantiam, et vitam conventualem, ut antea, rediret, indigeret utique nova professione, qua religiosus denuo fieret, cum jam prioris professionis vinculum dissolutum esset, et ipse esset omnino sæcularis, sicut alii episcopi, vel cardinales sæculares : imo in rigore indigeret novo anno novitiatus, cum nunc de novo ex sæculo ad religionem transiret, et consequenter antiquitas professionis non esset ei computanda ex priori professione, quæ jam omnino extincta fuerat, sed ex posteriori, ex vi cujus solius nunc est

membrum talis religionis : quæ omnia absurda sunt, et contra mentem omnium doctorum, et ipsorum summorum Pontificum in suis bullis nullam ejusmodi necessitatem novæ professionis supponentium : Quæstio quidem est apud doctores, an episcopus regularis deposito munere episcopali, teneatur ad monasterium redire? quibusdam id affirmantibus, quorum sententiam probabilem judicat Thomas Sanchez dicto cap. vi. n. 28. aliis tamen id negantibus, quos affert et sequitur idem Sanchez ibi num. 29. addens tamen in solutione primi argumenti teneri ad id non sub culpa, sed solo debito decentiæ et honestatis, et num. 30. cum. P. Henriquez fatetur, si ob delicta deponatur et degradetur, teneri omnino redire ad suum monasterium. Profecto ; si redire tenetur, non aliunde tenetur quam ex vinculo prioris professionis adhuc perseverante : unde non erit necessaria alia professio, nec ea posset ei injungi, etiamsi ob delicta degradaretur ; neque enim unquam Ecclesia aliquem obligat ad statum religiosum suscipiendum, nisi ipsemet ad hoc se sponte obligasset.

7 Unde obiter adverto, non opponi huic doctrinæ id, quod Thomas Sanchez dicto cap. vi. nu. 31. observavit, nempe, episcopum regularem depositum absque degradatione, redeuntem ad monasterium indigere novo voto obediendi prælatis regularibus, vel saltem quod Papa, ut supremus prælatus religionis virtute voti obedientiæ in professione antea emissi, eum prælatis regularibus subjiciat, quia, cum omnino exemptus sit ab illorum obedientia, non potest se illis obligare, nisi novo voto, vel nisi a prælato suo, qui est solus Papa, subjiciatur illis, quod ex parte amplexus est Pellizzarius ubi supra d. sect. i. n. 17. Hoc, inquam, non est contra nostram doctrinam : nam ii auctores fatentur, non indigere nova professione, ut fiat iterum religiosus, cum semper manserit religiosus ; sed quoniam ratione dignitatis exemptus est ab obedientia prælatorum regularium, dicunt non posse illis subjici, nisi vel ipsemet voto se illis subjiciat, vel a Papa illis subjiciatur : non tamen volunt quod per votum illud intelligatur professionem facere, aut, quod votum illud sit votum solemne obedientiæ pertinens ad professionem religiosam ; sed quod deserviat ad cedendum privilegio exemptionis a prælatis regularibus, quam ratione dignitatis habebat.

In hoc tamen, ut verum fatear, non vi- 8
deo, quam consequenter hi auctores loquantur. Fateor quidem, posse a summo Pontifice prælatis regularibus subjici, quia cum Papa ratione professionis præteritæ sit ejus supremus prælatus ; potest ei designare prælatos immediatos quos voluerit, et iis prælatis communicare potestatem ei præcipiendi. Quod tamen ipsemet solo proprio voto possit eos facere prælatos suos, non video, quomodo possit subsistere. Potest quidem episcopus Deo se obligare ad operandum juxta alicujus privatæ personæ consilia : non tamen potest facere quod illa persona sit ejus prælatus, aut habeat potestatem et jurisdictionem supra ipsum, qualem potestatem habent prælati regulares in suos subditos ; hæc enim potestas et jurisdictio debet, non ab ipso subdito, sed ab alio prælato superiore communicari. Nisi ergo Papa communicet prælatis regularibus potestatem et jurisdictionem supra episcopum regularem ab eorum potestate exemptum ; non potest ipse episcopus sola sua voluntate et voto hanc potestatem et jurisdictionem supra se prælatis concedere. Votum ergo illud obligabit eum ad facienda quæ prælati ei dixerint, sicut potest se obligare ad jejunia, vel alia pia opera : non tamen faciet quod prælati sint vere ejus prælati, et ipse sit eorum subditus, et quod possit ab illis corrigi, puniri, excommunicari, etc. qui sunt actus jurisdictionis quam prælati non possunt ab ipso subdito accipere, sed a summo Pontifice, qui solus est prælatus illius episcopi semel exempti.

Magis fortasse consequenter videtur mihi dictum, quod Castro Palao III. tom. tract. XVI. disp. IV. punct. 13. nu. 23. observavit, nimirum, cardinalem religiosum si renuntiet cardinalatum, et Papa renuntiationem acceptet, debere ipso jure redire ad obedientiam prælatorum regularium sui ordinis. Quamvis enim hoc non dicatur de episcopo regulari etiam renuntiato episcopatu ; ratio tamen est quia adhuc in episcopo perseverat dignitas ratione characteris episcopalis indelebilis, ratione cujus eximitur adhuc ab obedientia prælatorum regularium. Cardinalis autem, qui non erat episcopus, relicto cardinalatu, nihil prorsus retinet ex dignitate cardinalitia, sed remanet simplex sacerdos, vel diaconus, sicut antea : cessat ergo ipso facto omnino exemptio, et reducitur ad obedientiam prælatorum sui ordinis, nisi summus Pontifex positive ei exemptionem voluerit prorogare. Tantum abest quod ii non manserint religiosi, ut potius, cessante omnino causa, debeant ipso facto ad obedientiam suorum prælatorum redire.

10 Hoc ipsum pro comperto supponunt summi Pontifices. Unde Paulus IV. qui et ipse clericus regularis erat ordinis Theatinorum, in sua bulla, quæ incipit, *In sacra*, et habetur in I. t. Bullarii, et est 21. inter ejus bullas, statuit, ut ejusmodi episcopi et archiepiscopi regulares, qui renuntiato episcopatu ad suos ordines redeunt, non possent in iis eligi ad prælaturas regulares : quod quidem ideo prohibuit, ne ambitione generalatus, vel alterius prælaturæ, relinquerent episcopatus, ut ad regularem vitam redirent, ubi bis vocat illos episcopos, et archiepiscopos *religiosi ordinis professores*, et ideo supponit illos ad suum ordinem redeuntes, capaces esse ut in prælatos eligerentur, nisi id eis specialiter prohiberetur, prout ex bulla expresse Pontifex prohibuit, et inhabiles eos reddidit ad ejusmodi passivam electionem.

11 Denique, nisi ejusmodi episcopi vere essent regulares, et vinculum prioris professionis in eis permaneret, inutiles essent et otiosæ tanquam de subjecto non supponenti quamplures quæstiones, quas theologi et canonistæ de illis passim tractare solent. Disputant enim, an si non retineant habitum suæ religionis, sed utantur habitu episcoporum sæcularium, incurrant censuras impositas religiosis dimittentibus habitum religiosum? An teneantur sub peccato mortali, vel veniali ad observantias sui ordinis, quæ non repugnant statui episcopali. An maneant etiam ligati aliis votis, vel solemnibus, vel simplicibus, quæ in aliquibus ordinibus addi solent tribus votis substantialibus professionis religiosæ? An episcopus ex ordine minimorum obligetur adhuc ad vitam quadragesimalem, vel ex ordine Carthusiano ad non edendas carnes, vel ex ordine minorum ad jejunandum feria sexta, in qua occurrat natalis Domini? An possit episcopus regularis compaternitatem contrahere tenendo baptizatum, vel confirmatum, quod religiosis prohibitum est? An debeat socium ex suo ordine secum habere? An, et quomodo possit de suis bonis, et reditibus disponere, et an sit capax successionis hæreditariæ, præsertim quando est ex tali ordine, cujus religiosi capaces non sunt, et alia hujusmodi, de quibus late videri possunt Sanchez, et Suarez locis supra citatis, qui auctores alios congerunt de iis disputantes, et omnes supponentes episcopum illum manere adhuc substantialiter religiosum, alioquin quæstiones illæ, ablato fundamento, omnes corruerent.

12 Hinc tamen oritur jam secunda quæstio supra indicata, an episcopus regularis sit vere dominus bonorum et redituum quos percipit? ideo enim P. Hurtado loco supra citato negavit, eum manere religiosum, quia putavit eum esse dominum suorum bonorum, ad quod dominium inhabilis antea erat per votum solemne paupertatis. Fatendum ergo est, fuisse extinctum votum illud, atque adeo statum etiam religiosum, cu-

jus essentia manere non potest sine tribus votis substantialibus. Sed, pace viri doctissimi, et mei olim in docenda theologia collegæ, non debuit ea de causa negare eos episcopos esse religiosos ; imo si alterum negandum erat, debuisset potius negare acquisitionem dominii, quam permanentiam vinculi professionis religiosæ, cum hoc esset multo certius et ab omnibus absque controversia pro certo supponeretur, quam illud de dominio bonorum, quod a majori doctorum parte negabatur. Sed revera, etiamsi concederetur bonorum dominium, non cogebatur dicere extinctam fuisse religiosam professionem, ut statim videbimus.

13 In hoc ergo Doctores non conveniunt ; multi enim et multo plures dicunt, episcopum religiosum non habere dominium redituum ecclesiasticorum, et aliorum bonorum, sed solam administrationem, quod expresse docuit Sanct. Thom. 2. 2. qu. LXXXVIII. art. 11. ad 4. et qu. CLXXXV. artic. 8. ad 3. et in IV. *sentent.* dist. XXXVIII. quæst. I. artic. 4. quæstiunc. 1. ad 5. S. Bonaventura ibi art. II. quæst. ultim. quos secuti sunt alii communiter, quos refert et sequitur Thom. Sanchez dicto lib. IV. cap. VI. num. 8. Eamdem tenent Tannerus, Sanctarellus, Cenedo, Barbosa, Bartholomæus a S. Fausto, quos affert Diana I. part. tr. II. *de dubiis Regularium*, resolut. 64. quibus addit alios tract. VIII, *de eleemosyna*, resol. 31. nempe Granadum, Valentiam, Laurentium de Peirinis, Hieronymum Rodriquez, Emmanuelem Rodriquez, Castrum Palaum, Coninch, et Joannem de la Cruz : late autem et acriter jam probat P. Suarez d. tom. IV. *de Religione*, tr. VIII. lib. III. cap. 19. qui satis stricte loquitur in hac materia, inferens primo, episcopum regularem translatum ad aliam ecclesiam, vel dimisso episcopatu, debere relinquere statim apud ecclesiam quam relinquit, omnia bona quæ ex reditibus illius episcopatus acquisierat : quod idem fere dicit num. 27. de bonis aliunde acquisitis. Secundo infert, eum peccare contra justitiam donando in malos usus, et teneri ad restitutionem ipsum, et eos qui ab eo acceperunt. Tertio graviter eum peccare habendo suppellectilem pretiosiorem, quam quæ episcopo regulari necessaria sit, vel notabilem pecuniæ quantitatem ludo exponendo. Quarto non posse consuetudine sola obtineri, ut liceat episcopo regulari testari de bonis intuitu ecclesiæ acquisitis, imo nec Papam posse sine multo graviori causa eam licentiam illi valide concedere. Quinto nec de bonis patrimonialibus posse ad nutum disponere, aut testari.

Alii tamen non contemnendi doctores 14
dicunt, episcopum regularem acquirere dominium suorum redituum, et bonorum aliunde acquisitorum non minus quam episcopum sæcularem, hanc sententiam docuit Sotus lib. VI. *de Just. et jure* qu. IV. art. 2. in fine. Petrus Hurtado acriter eam probans dicta disput. CLX. *de charitate*, sect. 5. subsect. 3. P. Vasquez in tractat. *de reditibus* cap. III. num. 27. Palatios, Michael Medina, et Gratianus, quos affert Sanchez dicto c. VI. n. 7. qui num. 13. fatetur, eam sententiam esse probabilem. Eamdem tenent Alphonsus de Leone *de offic. Confessar.* p. I. recollectione 11. num. 178. et Joannes Marquez *de origine Erem.* August. c. VI. §. 4. et 5. quos et alios affert et sequitur Diana locis proxime citatis.

Ego quidem quoad rem ipsam parum 15
puto referre hanc controversiam, imo fortasse magna ex parte reduci posse ad quæstionem de nomine, an ille appellandus sit dominus eorum bonorum, vel non, posito semel eo, in quo ii doctores, præter Hurtadum, convenire videntur, quod scilicet ille maneat vere religiosus. Solum enim oportet præ oculis habere, quid significetur proprie nomine *domini ;* ille nimirum dicitur *dominus* absolute et proprie, qui potest disponere ad libitum sine ullius injuria de rebus, quas habet : et quo plus aliquis de potestate participat, eo plus dominii habet : quo vero

magis ab ea potestate recedit, eo magis a vera domini definitione degenerat. Unde apparet episcopum sæcularem vere et in rigore esse et vocari dominum suorum redituum, et aliorum bonorum saltem juxta veriorem sententiam, quia de illis potest disponere absque ullius injuria. E contra vero religiosus simplex nullo modo est dominus earum rerum quas habet, et quibus ex licentia sui prælati utitur, quia prohibente vel non consentiente prælato, non potest absque injustitia de illis disponere. Inter utrumque habet statum medium episcopus regularis, qui potest quidem libere disponere sine ullius injuria de suis reditibus, et aliis bonis, et hoc sine licentia prælati regularis, non tamen sine licentia supremi prælati sui ordinis, qui est summus Pontifex, qui simul cum episcopatu ejusmodi licentiam ei concedit; et ideo videtur se habere quasi si esset dominus eorum bonorum, quorum ideo liberam et universalem administrationem habet. Hoc tamen unum deficit, ne sit omnino dominus, sicut episcopus sæcularis, quia non potest disponere de rebus illis sine licentia sui prælati, qui est solus summus Pontifex, et qui posset illam licentiam limitare, revocare, coarctare, sicut posset prælatus regularis licentiam quam suis subditis concedit. Ad praxim vero parum refert, an dicendus sit *dominus* eorum bonorum, vel solum universalis administrator, cum de facto ea fere omnia facere possit, quæ posset si esset verus dominus, ut statim dicam, solumque possit fere esse differentia circa usum supellectilis nimis pretiosæ, ut postea videbimus, quod tamen procederet etiam fortasse quamvis esset dominus eorum bonorum.

16 Quatuor ergo breviter a nobis probanda sunt. Primum est id, quod paulo antea significavimus, votum paupertatis in episcopo religioso non extingui, sed adhuc ejus vinculum perseverare, atque ideo neque ex hoc capite illum desinere esse religiosum. Secundum est, quod proprie non acquirat dominium bonorum, sed liberam administrationem adeo amplam, ut possit minus proprie appellari dominum. Tertium est, hanc administrationem extendi ad disponendum valide in quoslibet usus, ita ut nec accipientes, nec ipse episcopus, quamvis fortasse in eo usu peccaverit, teneantur ad restitutionem. Quartum denique est, peccare tamen posse episcopum regularem contra votum paupertatis in aliquo usu inordinato suarum facultatum.

Primum itaque, nempe votum pau- 17
pertatis in eo episcopo non fuisse extinctum, probari inprimis potest illis omnibus argumentis, quibus probavimus eum manere religiosum. Cum enim de substantia status religiosi sit perseverantia trium votorum, uno ex illis sublato et extincto, extingueretur substantia status religiosi, qui essentialiter ex illo aggregato conflatur. Ne tamen aliquis cum Hurtado dicat, ideo negandum esse, quod episcopus maneat religiosus, quia votum paupertatis non manet, cum fiat dominus suorum bonorum: addidi supra, non esse negandum illum esse religiosum, quamvis haberet dominium suorum bonorum. Suppono enim id, quod jam apud omnes certum est, posse aliquem esse substantialiter et proprie religiosum, quamvis retineat dominium suorum bonorum, dum tamen in ejus usu dependeat a voluntate et licentia sui prælati, ut constat de facto in illis, qui in societate Jesu emiserant sola vota biennii, qui ad tempus retinent dominium suorum bonorum, de quibus disponere licite non possunt sine licentia prælati: et tamen pro eo etiam tempore eos esse vere et proprie religiosos, definitum est a Gregorio XIII. et late probant auctores Societatis, et videri possunt Suar. tom. IV. *de Relig.* tr. X. lib. 4. cap. 4. et Sanch. lib. VII. *in Decalog.* c. 18. a n. 23. et lib. IV. cap. 24. et alii communiter. Poterat ergo Pontifex cum episcopo regulari dispensare, ut retine-

ret, vel acquireret dominium, quamvis maneret religiosus, nec ad hoc necesse erat eum reddere sæcularem.

18 Addidi tamen secundo, neque hanc dispensationem quoad dominii acquisitionem datam iis episcopis fuisse, sed liberam illoram bonorum administrationem. Ratio desumitur ex supradictis, quia dispensatio in voto solemni non potest licite, nec valide a summo Pontifice concedi sine gravissima causa, qualis certe de facto non invenitur in omnibus religiosis, qui episcopi fiunt, ut fiant episcopi, nec Papa ad faciendos eos episcopos quærere solet eas causas quas quærit, et rarissime invenit ad dispensandum in aliquo voto solemni. Non posset autem religiosus post solemnem votorum professionem acquirere dominium saltem licite, nisi dispensaretur in voto solemni paupertatis a se antea emisso ; suppono enim religiosum professum ex duplici capite impediri ab acquirendo dominio bonorum temporalium. Primo quasi ab extrinseco, quatenus Ecclesia cum inhabilem, reddidit ad dominium acquirendum, et hanc incapacitatem adjunxit voto solemni paupertatis, sicut voto solemni castitatis annexam fecit inhabilitatem ad matrimonium valide contrahendum. Unde quantumvis ipse professus immemor suæ obligationis vellet acquirere dominium alicujus pecuniæ, non posset fieri ejus dominus propter incapacitatem ei ab Ecclesia impositam : hanc tamen incapacitatem posset eadem Ecclesia ab eo etiam invito auferre, quia tota provenit ex lege ecclesiastica. Nec hoc esset dispensare in voto, quia ipse non promisit incapacitatem, sed solum negationem actus : ablata autem ab Ecclesia hac incapacitate, ipse quidem peccaret contra votum volendo acquirere dominium, sed tamen valide illud acquireret, pout idem de facto diximus t. I. *de justitia*, disp. III. sect. 4. nu. 77. et seqq. de ligatis votis biennii in Societate posse quidem valide acquirere dominium rerum temporalium, quia Ecclesia non reddidit eos incapaces : peccaturos tamen contra votum paupertatis; si id faciant sine licentia sui prælati.

Ex alio tamen capite religiosus pro- 19
fessus quasi ab extrinseco non potest acquirere dominium licite, nimirum ratione voti paupertatis, quo promisit non solum non uti ejusmodi bonis, sed nec acceptare vel acquirere, aut retinere eorum dominium sine licentia prælati, ita ut non solus usus, sed dominium sit materia quam sibimet per votum solemne prohibuit, ut bene et docte explicat, et probat P. Suarez tom. III. *de Relig.* lib. VIII. cap. V. n. 13. et seqq. quia votum solemne paupertatis obligat ex intentione voventis ad non habendum proprium : qui autem vult fieri dominus alicujus rei, eo ipso vult habere proprietatem illius, atque ideo facit contra votum. Cum ergo episcopus regularis maneat adhuc ligatus vinculo voti solemnis paupertatis, etiamsi auferatur ab eo incapacitas habendi dominium, peccabit tamen contra votum paupertatis volendo acquirere dominium, nisi per dispensationem legitimam liberetur ab obligatione voti. Sicut, si Papa tolleret a religiosis professis incapacitatem solam, et impedimentum irritans matrimonium consequens, posset quidem professus valide matrimonium contrahere, non tamen licite, nisi Papa dispensaret cum illo voto castitatis. Sic maneret episcopus regularis ablata solum illi incapacitate habendi dominium ; posset enim illud valide acquirere, non tamen licite, nisi dispensaretur cum illo in voto paupertatis. Cum ergo dispensatio hæc in voto solemni non debeat, nec possit sine causa gravissima dari, ut diximus, non est præsumendum quod Papa cum omnibus episcopis regularibus passim dispenset in voto, cum in multis eorum nulla adeo gravis causa reperiatur, qualis desideratur ad dispensandum in ejusmodi voto.

20 Solum posset esse difficultas de religioso facto summo Pontifice, quem adhuc manere vere et substantialiter religiosum fatentur Suarez tom. IV. *de Relig.* tractat. VIII. lib. III. cap. 18. num. 4. Navarrus, Francus, Aragon, et alii quos affert et sequitur Thomas Sanch. lib. VI. *in Decalog.* dicto cap. 6. n. 9. qui fatetur eum esse tunc capacem acquirendi dominii, cum tota incapacitas in professis proveniat ex lege ecclesiastica cui Pontifex non subditur ; peccaturum tamen contra votum, si dominium velit acquirere. Et quidem non facile apparet, quid ei desit ad proprium et verum dominium bonorum quæ habet. In aliis quidem episcopis religiosis intellegi facile potest, eos esse solum administratores, et totam illam utendi et disponendi facultatem quam habent, habere semper ex licentia et cum dependentia a suo prælato, qui est summus Pontifex, quod non opponitur voto paupertatis, cum semper utantur rebus et de iis disponant cum licentia sui prælati ; et ideo etiam non sunt proprie domini earum rerum, quibus ex alterius arbitrio utuntur. At vero summus Pontifex a nemine prorsus dependet, nec ulterius indiget licentia ad utendum et disponendum valide et licite de suis rebus. Quid ergo deest illi, ut sit vere earum dominus, cum nihil aliud sit dominium proprium nisi facultas plena disponendi de re aliqua in omnem usum, ullius injuria, qualem potestatem summus Pontifex perfectissimam, et in supremo gradu videtur habere ? imo nec videtur posse non acquirere dominium rerum quas accepit, quia non potest illas accipere, nisi cum ejusmodi independentia ab alterius arbitrio, in qua omnimoda independentia videtur consistere essentia et perfectio dominii. Adhuc tamen consequenter dicendum puto id quod Sanchez supra citatus notavit, quamvis possit summus Pontifex religiosus dominium valide acquirere, si velit ; peccaturum tamen contra votum paupertatis, si velit : et licet ipse non explicet quomodo possit non acquirere dominium, possumus id aliqua ratione explicare. Et quidem cogimur modum aliquem quærere, ne dicamus ipsum facere contra votum quo se obligavit ad non acquirendum dominium, vel certe quod dispensat in suo voto : quod quidem difficile est, cum requiratur gravissima causa, ut diximus, ad dispensandum in voto solemni, et potest ejusmodi causa deesse, cum non desint alii qui possint eligi in summum Pontificem, quamvis religiosus non eligatur, si ipse non posset eam dignitatem acceptare sine dispensatione voti paupertatis ; imo nec apparet facile a quo hæc dispensatio danda esset : nam cardinales illum eligentes non possunt dispensare, cum collegium cardinalium non habeat potestatem dispensandi in voto solemni, sed solus Papa. Ipse autem Papa prius debet esse Papa quam dispenset, qui est actus procedens a potestate pontificia ; illo ergo tempore antequam cogitaret de dispensando secum in voto, vel erat vel non erat dominus rerum quas habebat : si erat plene dominus ; ergo violavit votum acquirendo dominium antequam votum non acquirendi dispensaret, vel acceptando eam dignitatem, cum qua erat conjuncta acquisitio dominii, quam sibi universaliter et perpetuo per votum solemne prohibuerat. Si vero pro eo tempore non erat adhuc dominus, redit eadem difficultas quid illi posset deesse ad perfectum dominium, cum haberet jam plenissimam potestatem sine dependentia ab arbitrio cujuslibet alterius. Et quidem, sicut eo tempore potuisset esse Papa sine proprio et perfecto dominio, potuisset etiam toto tempore sequenti absque violatione, vel dispensatione voti solemnis paupertatis a se emissi.

Scio aliquos dicere, quod dominium 21
earum rerum tunc esset penes Christum, cui soli summus Pontifex subditur. Hoc tamen non videtur solvere difficultatem,

quia nos loquimur de dominio humano, et quod deservit ad usus humanos, et vi cujus dominus præfertur aliis hominibus viatoribus in ordine ad usum earum rerum. Si enim hanc prælationem habes, eris perfecte dominus, licet non possis præferri Deo, vel Christo, qui altius dominium habet. Et quidem per votum paupertatis hoc solum dominium intendit professus sibi prohibere, quo præferatur aliis hominibus, non quo præferatur Deo, vel Christo. Ego aliter hoc soleo explicare exemplo desumpto a contrario, quando diu conjuges post matrimonium consummatum, mutuo consensu profitentur religionem ; adhuc enim manet in illis vinculum matrimonii : et quamvis non possint mutuo petere, vel reddere usum conjugalem ; retinent tamen singuli dominium corporis alterius ; quod dominium et vinculum hoc saltem operatur, ut si summus Pontifex dispensaret in eorum votis, possent et deberent singuli alteri petenti reddere usum conjugalem. Sic ergo in summo Pontifice remanere potest professio religiosa quoad vinculum : atque ita de facto perseverat votum obedientiæ quoad vinculum ; quia, licet nemini obedire debeat, aut possit, dum est summus Pontifex ; id tamen est per accidens, quia tunc non habet prælatum : si autem renuntiaret summum Pontificatum, ipso facto maneret subditus, et deberet ex voto priori obedientiæ obedire specialiter summo Pontifici, et aliis, quos idem Papa illi superiores constitueret. Manebat ergo adhuc in Papa votum obedientiæ religiosæ quoad vinculum, quia votum obedientiæ semper intelligitur cum conditione quasi implicita, obediendi prælatis, si eos habuerit : illis autem deficientibus non deficit votum, sed materia, circa quam executioni mandetur.

22 Hoc ergo cum proportione debita dicere possumus de Papa religioso, perseverare in illo votum paupertatis quoad vinculum, eoque obligari ad non acquirendum dominium, quod vere et proprie sit dominium ; hoc enim est jus disponendi de rebus omnino absolutum et independens : quod quidem jus Papa religiosus non potest licite acquirere, sed solum usum et administrationem earum rerum cum dependentia, et subordinatione ad superiores, si eos habeat ; hæc enim dependentia et subordinatio conditionalis semper in eo manet, et ratione illius, si deponat pontificatum, non potest amplius uti rebus illis, vel de illis disponere sine licentia suorum prælatorum, quicumque illi essent : et hæc dependentia conditionalis a prælatis sufficit ut non sit absolute et plene dominus eorum bonorum, et ut maneat adhuc votum paupertatis quoad vinculum ; sicut manet matrimonium quoad vinculum in conjugibus religiosis professis propter obligationem conditionalem reddendi debitum petendi, si auferatur votum castitatis. Cui autem interim acquiratur dominium eorum bonorum, facile dici potest acquiri cameræ Apostolicæ, cui etiam acquiruntur bona, sede vacante obvenientia, nisi tamen Pontifex ipse vel inter vivos, vel causa mortis de bonis illis disposuerit ; quia ejus dispositio propter amplissimam et absolutam administrationem quam habet, valida erit, perinde ac si esset vere et proprie eorum dominus.

Habemus autem ad hoc declarandum 23
optimum exemplum ex casu moraliter quidem impossibili, si religiosus professus remaneret solus in mundo, qui certe adhuc maneret religiosus, et votorum vinculo ligatus : haberet tamen amplissimam rerum administrationem, et independentem ab omni alio prælato, quia nullus esset : non tamen acquireret rerum dominia, præsertim si esset ex ordine minorum observantium, qui nec in communi nec in particulari habent dominium, sed solum usum facti. Imo loquendo de casu magis possibili, et frequenti, religiosus professus, perpetuo expulsus adhuc manet religiosus et ligatus voto paupertatis, atque adeo nec li-

cite nec valide potest rerum dominium comparare : habet tamen liberam bonorum quibus utitur, administrationem, quibus non solum potest uti, sed etiam de illis valide et licite disponere inter vivos sine alia prælatorum facultate, ut cum aliis, quos affert, docet Thom. Sanch. lib. VI. *in Decalog.* ca. IX. num. 45. et sequentibus, quia nimirum pro eo tempore nullum habet prælatum regularem, a quo dependeat. Quare nihil facit contra votum paupertatis, quod solum obligat ne dominium acquirat, nec rebus his utatur sine licentia prælatorum quos habuerit. Quid ergo mirum, quod religiosus factus Papa, quamvis maneat ligatus voto paupertatis, habeat sine dominii acquisitione, (quod quidem valide sed non licite posset acquirere) liberam et plenam bonorum administrationem sine licentia prælati, quia nullum habet prælatum, a quo dependeat? Potest tamen Papa in morte etiam de bonis disponere, quod non potest professus expulsus, quia dispositio testamentaria secundum se non est contra votum paupertatis, si non fiat sine licentia prælati : et tota impotentia testandi de facto provenit ex lege ecclesiastica, quam Papa auferre potest, et aliquando aufert et dispensat cum aliquibus religiosis, non tamen per hoc dispensando in voto solemni paupertatis ; ipse vero Papa ejusmodi lege non ligatur, ut constat.

24 Hinc ergo probatur jam id, quod tertio loco proposuimus, nempe episcopum regularem, excepta facultate testandi, quam nec etiam episcopi sæculares habent, nisi specialiter Pontifex illam concedat, quoad reliqua habere ita amplam et generalem, ac liberam bonorum administrationem, ut quomodocumque, et ad quoscumque usus de iis disponat, valide id faciant, neque ipsi vel illi qui ab iis accipiunt, ullam restituendi obligationem habeant, nisi donatio facta fuerit causa mortis, vel ita paulo ante mortem, ut præsumi possit intuitu mortis facta donatio, ita docent Azor, et Navarrus, et alii quos affert et sequitur Sanch. dicto lib. VI. cap. VI. num. 13. et 14. qui quoad hoc æquales faciunt episcopos regulares, et sæculares : idem docent Lorca, Granadus, et alii, quos affert et sequitur Diana p. V. tr. II. *de potestate Cardinalium*, resolutione 64. et tract. V. *de Eleemosyna*, resolut. 31. et eamdem a fortiori tenent, qui dicunt episcopum regularem acquirere licite et valide dominium bonorum quæ possidet, quos supra retulimus.

Ratione etiam probari potest, imprimis ab exemplo religiosi professi expulsi in perpetuum ab ordine, cui doctores concedunt administrationem liberam et absolutam bonorum quæ habet, de quibus potest inter vivos valide disponere in quoslibet usus. A fortiori ergo idem concedendum est episcopo regulari, qui sanctiori titulo et magis absolvitur ab obedientia regulari. Deinde ex usu et praxi universali, quæ est optima legis interpretatio ; nemo enim putat, se debere restituere id quod ab ejusmodi episcopis accipit. Cum ergo Papa possit licentiam et administrationem cum ea universalitate et amplitudine dare, et sciat in hoc sensu ab iis intelligi, et ita ad praxim reduci ; moraliter certo præsumitur et supponitur hoc modo licentiam concedi. Nec mirum quod ita liberalem et amplam administrationem iis ecclesia concedat, qui in ejusdem ecclesiæ principes eliguntur, et quorum prudentiæ et zelo pretiosiorem animarum thesaurum, et earum gubernationem confidit, cum videamus aliquando Pontifices nonnullis religiosis intra claustra degentibus concedere administrationem et liberam dispositionem aliquarum pecuniarum, vel aliquorum bonorum independenter ab aliis prælatis regularibus : quanto magis episcopo regulari hæc libera administratio conceditur? Denique hoc videbatur omnino necessarium in episcopo regulari, qui solum Papam habet prælatum, a quo difficile imo impossibile esset licentiam toties quoties pe- 25

tere ad donandum vel disponendum de re aliqua, præsertim ubi episcopus longissime a Pontifice distat. Quare ex natura rei licentia hæc, et administratio generalis censebatur episcopo concessa, quam praxis universalis subsecuta manifeste testatur.

26 Restat quartum, et ultimum, quod proposuimus, nempe peccare posse episcopum regularem contra votum paupertatis in aliquo usu inordinato bonorum suorum, in quo quidem convenio cum P. Suar. dicto tom. IV. *de Religione*, tractat. VIII. lib. III. cap. 16. num. 30. dicente, episcopum regularem facilius posse graviter peccare, si suppellectilem ditiorem vel familiam ampliorem habeat, quam episcopum religiosum deceat ; quia quamvis possit et debeat episcopalem dignitatem cum debita decentia et honore tractare, debet tamen paupertatem et modestiam religiosam servare in his quæ dignitati episcopali non repugnant. Sicut etiam facilius poterit contra idem votum graviter peccare sumptos magnificos et superfluos profanos faciendo. Ratio autem esse potest, quia, ut dixi tom. I. *de Justitia* disput. III. sect. 7. num 131. votum paupertatis ad duo potissimum obligat voventem. Primum est, ne habeat proprium, hoc est, communiter loquendo, ne retineat vel acquirat dominium bonorum temporalium, et in universum, ne utatur bonis illis sine licentia et voluntate sui prælati. Secundum vero est, ne utatur rebus temporalibus sicut divites et opulenti, sed sicut pauperes. Quare victus, vel ornatus, aut vestitus pretiosus, nec etiam de licentia prælati licere possunt religiosis professis, qui voto suo pauperum statum profitentur. Sicut ergo sacerdos religiosus debet vivere memor paupertatis competentis sacerdoti pauperi : ita episcopus religiosus debet modeste et frugaliter vivere, ut episcopus pauper, ita tamen ut non sordide sed decenter episcopi dignitatem sustineat. Si ergo ad hoc ex voto ipso immediate obligatur, non potest sine voti dispensatione ab ea frugalitate discedere : neque ad hoc sufficit licentia, nisi accedat dispensatio voti, nam professus non promisit solum non habere suppellectilem pretiosam sine licentia prælati, sed absolute promisit paupertatem in suo statu servare. Cum ergo supponamus Papam non dispensare cum episcopo religioso in voto solemni paupertatis (ad dispensationem enim voti solemnis gravissima et rarissima causa requiritur) sed dolum dare illi licentiam generalem ad usum et administrationem bonorum, non possunt excusari a voti violatione episcopi regulares, qui pretiosa nimis suppellectili utuntur, et quæ excedit nimis modestiam, qua episcopus religiosus gradum propriæ dignitatis decenter et honeste sustineat. Multoque minus excusantur, si familiam ex parasitis, venatoribus, et musicis refertam habeant, quæ vix in principe sæculari approbari possunt, longe vero a statu Apostolico religiosi prælati abesse debeant.

Restat nunc breviter respondere ad ea, 27
quibus P. Hurtado loco supra citato, probare conatur suam assertionem : nimirum episcopum regularem manere omnino liberum a votis religiosæ professionis. Primo ergo affert §. 56. aliquos auctores pro sua sententia ; ii tamen, ut dixi, solum dicunt episcopum regularem esse capacem dominii acquirendi, non tamen dicunt non manere vere et substantialiter religiosum : imo quod dicunt de dominii acquisitione, explicari posset sano modo de dominio non omnino stricte accepto, sed in latiori significatione. Secundo affert præcipuum argumentum ex cap. *statutum* XVIII. qu. I. ubi dicitur : « Statutum est rationabiliter secundum sanctos Patres, et a synodo confirmatum, ut monachus, quem canonica electio a jugo regulæ monasticæ professionis absolvit, et sacra ordinatio de monacho episcopum facit ; velut legitimus hæres paternam sibi hæreditatem postea jure vendicandi potestatem habeat, sed quidquid acquisierat, vel habere visus fuerat,

monasterio relinquat : et abbatis sui, qui fuerat secundum regulam sancti Benedicti, arbitrio : Postquam enim episcopus ordinatur ad altare, ad quod sanctificatur, et titulatur, secundum sacros canones, quod acquirere poterit, restituat. » In quibus verbis ponderat prædictus, auctor, quod episcopus regularis dicitur *legitimus hæres, et vendicat sibi hæreditatem paternam :* ex quibus arguitur, illum absolvi omnino a voto solemni paupertatis, per quod factus fuerat incapax acquirendæ hæreditatis, et eam sibi vendicandi, quo *vendicandi sibi* verbo significatur dominii acquisitio. Ad hoc tamen respondent communiter doctores, episcopo regulari auferri quidem incapacitatem successionis hæreditariæ, quæ incapacitas non erat materia voti, sed proveniebat ex lege ecclesiastica, atque ideo potuit summus Pontifex justis de causis auferre hanc incapacitatem ex lege provenientem, et concedere episcopo administrationem liberam modo supra explicato, in bonis hæreditariis absque dispensatione propria voti paupertatis, quod votum satis observatur, quoties religiosus nullis bonis utitur, nec ea administrat sine licentia sui prælati, in quo sensu intelligi debet, quod ibi dicitur, posse velut legitimum hæredem vendicare sibi hæreditatem paternam, nempe quoad usum et administrationem liberam, et ideo fortasse addita est particula *velut*, quasi non sit stricte hæres, sed quasi hæres : et satis id colligitur ex subsequentibus, quibus dicitur eum esse obligatum ad restituendum totum quod acquirit, ecclesiæ cui episcopus præficitur, sicut ante episcopatum acquisita debebat monasterio restituere. Dicitur tamen adeundo hæreditatem, illam sibi vendicare, quia adeo amplam habet facultatem bona illa administrandi, et de illis in vita sua disponendi, ut reputari quodammodo possit quasi illorum dominus, et ita possit vulgariter dominus appellari.

28 Urget tamen Hurtado §. 62. ex his verbis illis, *et sacra ordinatio de monacho episcopum facit*, sunt enim illi duo termini, *Monachus* et *Episcopus*, termini *a quo*, et *ad quem*, quorum alter motu destruitur, alter acquiritur : sicut quando ex homine fit cadaver, vel ex ligno ignis, in quibus et aliis mutationibus destruitur homo et lignum, ut fiat cadaver, vel ignis. Si ergo ex monacho sit episcopus, significatur destrui monachatum, et introduci episcopatum. Respondetur, particulas illas, *ex*, vel *dè*, non semper significare terminum *a quo*, qui destruatur, sed aliquando significare materiam ex qua aliquid fit, ut cum dicimus, de ligno fieri cathedram, non significamus destrui lignum. Sic etiam dicimus, ex civibus creari consules, quamvis hi maneant adhuc cives. Item ex presbyteris fieri episcopos, qui tamen manent adhuc presbyteri : ex monachis fieri abbates, qui tamen manent adhuc monachi, quod multo magis dici potuit in casu nostro, in quo, licet maneat monachatus quod substantiam professionis, non manet quoad plures effectus, nec quoad vitam monachalem. Sic etiam, quando duo conjuges mutuo consensu ingrediuntur religionem, et faciunt professionem, dicere possumus, virum illum ex uxorato factum fuisse monachum : et tamen matrimonium quoad vinculum non destruitur, ut constat ; quia tamen non manet quoad vitam conjugalem, et quoad plures ejus obligationes, id sufficit ut dicere possimus, hominem illum ex uxorato factum fuisse monachum. Similiter ergo dici potest hunc alium ex monacho factum esse episcopum, quia licet vinculum professionis non destruatur, non tamen manet quoad statum et vitam monachalem, nec quoad alias multas obligationes, quod sufficit abunde ad mutationem moralem illis vocibus significandam. Non est ergo vis facienda in illo loquendi modo, præsertim quando de re ipsa aliunde satis constat.

Arguit denique idem Hurtado §. 61. 29
ratione a priori ex definitione dominii, quod nihil est aliud, nisi potestas utendi

re pro libito citra injustitiam contra alium. Hoc autem totum habet episcopus regularis circa sua bona, de quibus omnibus potest pro libito disponere ; ergo est vere, et proprie eorum dominus. Hoc tamen argumentum nimis debile est cum æque probaret religiosos alios non episcopos, esse vere et proprie dominos bonorum, quando nimirum habent facultatem a prælato suo non solum utendi, sed disponendi de illis bonis, imo aliquando habent etiam a summo Pontifice facultatem testandi de illis, quam facultatem episcopi regulares communiter non habent. Certum autem est, illos non esse dominos illorum bonorum, nec illis convenire definitionem veri dominii, nam verba illa, *citra injuriam alterius*, hunc habent sensum, et ad hoc posita sunt, ut significetur, verum dominum ita posse de re sua disponere, ut etiam quocumque alio invito et repugnante nulli inferat injuriam de re illa disponendo, quod quidem religiosus non habet : quia quantamcumque habeat sui prælati, vel etiam summi Pontificis licentiam, semper tamen eorum voluntati subest, et ipsis repugnantibus non potest sine injuria de re illa disponere ; quia, quidquid circa rem illam potest, id totum ex voluntate prælati facere potest, sicut famulus disponit de rebus domini ex voluntate sui domini, et non ut earum dominus. Hoc autem ipsum procedit in episcopo regulari ; quia, licet habeat magis amplam facultatem tam circa plures res, quam ad longius etiam tempus, quam soleant alii religiosi non episcopi habere : id tamen totum non aliter possunt ; nisi ex licentia prælati, qui est summus Pontifex, quo auferente vel suspendente, aut limitante suam licentiam, non posset amplius episcopus regularis de bonis illis disponere, nisi juxta voluntatem prælati, qui respectu illius est solus summus Pontifex, ut dictum est ; quæ dependentia sufficit, ut non sit vere et proprie eorum dominus, sed solum minus proprie, et in modo loquendi vulgari, quo etiam sensu conventus fratrum minorum dici solent domini suorum mobilium, quamvis in rigore dominium non sit penes ipsos, sed penes sedem Apostolicam.

Posset tamen aliquis adhuc urgere ex 30
exemplo quod adduximus hominis conjugati transeuntis de licentia conjugis ad religionem ; hic enim emittens professionem solemnem, adhuc retinet vinculum matrimonii, atque adeo videtur retinere dominium corporis conjugis, quamvis impeditum per votum solemne castitatis, ne possit a conjuge debitum conjugale exigere. Sicut ergo ille manet religiosus professus cum dominio corporis conjugis, potuit etiam episcopus manere adhuc religiosus professus cum dominio bonorum. Cur ergo non ita de facto mansit, an cur, sicut Papa, permisit votum solemne castitatis cum retentione dominii corporis conjugis, non permisit in episcopo regulari dominium bonorum cum voto solemni paupertatis in professione antea emisso ?

Respond. loquendo de possibili, po- 31
tuisse quidem summum Pontificem id facere, quia incapacitas dominii acquirendi est annexa de jure ecclesiastico voto solemni paupertatis : quare potuisset Ecclesia hanc incapacitatem ab extrinseco provenientem auferre, et relinquere illum episcopum capacem dominii valide acquirendi cum obligatione voti, ut non posset licite illud acquirere sine licentia prælati, qui est summus Pontifex, sicut nec potest sine ejus licentia administrare, vel disponere de bonis suis. De facto tamen hanc incapacitatem non abstulit. Primo, quia id necesse non erat ; sufficiebat enim ad munus episcopale libera bonorum administratio, et licentia illa generalis. Secundo, quia dominii acquisitio non solum impediebatur ob incapacitatem ab Ecclesia impositam, sed etiam propter votum solemne paupertatis, quo religiosus interdicit sibi dominii acquisitionem, ut diximus ; quare etiam ablata incapacitate, non posset licite velle dominium acquirere, nisi dispensaretur hac

in parte votum paupertatis, quæ dispensatio sine causa gravissima dari non debet. In exemplo autem conjugati transeuntis ad religionem est diversa ratio, matrimonium enim non affert incapacitatem ad professionem religiosam, nec professio religiosa incapacitatem ad matrimonium præteritum. Nec potuit quidem Ecclesia auferre vi Professionis dominium supra conjugis corpus et matrimonio præterito, quia non potuit vinculum matrimonii contracti, et consummati dissolvere : aliunde vero noluit conjugatis claudere aditum ad conversionem, et vitam religiosam. Fecit ergo Ecclesia quod potuit, reddens omnes professos incapaces ad novum matrimonium ineundum, et interdicens, illis usum prioris matrimonii, quod sufficit ad substantiam voti solemnis castitatis, neque hanc incapacitatem aut prohibitionem illis aufert, nisi dispensando in voto ex causa gravissima. Idem ergo cum debita proportione facit cum episcopo religioso, cui neque aufert incapacitatem ad dominium semel in professione impositam, nec per dispensationem aufert ei obligationem voti, ut possit licite dominium de novo acquirere, quamvis, si necesse esset, vel gravissima causa intercederet, posset utrumque facere. Et hæc sufficiant de hoc puncto, de quo fortasse paulo plura diximus, propter opinionem illam singularem P. Hurtadi, qui immerito voluit episcopos, et cardinales regulares a religione omnino expellere, et ad statum mere sæcularem reducere.

## DUBIUM XIII.

*De episcopo petente dispensationes a summo Pontifices, ut a sua ecclesia per aliquot menses abesset.*

1 Cardinalis quidam, qui episcopatum celeberrimum habebat ab Urbe remotum, cum ad limina visitanda de more venisset, et negotia privata haberet, quæ non ita facile poterant expediri, voluit finito tempore ad visitanda limina designato, continuato per trimestre, quod episcopis a concilio Tridentino conceditur, ut possint ob justas causas abesse, ac insuper petebat dispensationem summi Pontificis ut postea per unum, vel alterum mensem morari posset, ut finita æstate, (hoc enim agebatur mense Aprili) posset ad propriam diœcesim, negotiis suæ domus expeditis, redire. Dubitatum fuit inprimis, an posset Papa in residentia episcopi dispensare? deinde, an subesset causa justa dispensandi?

2 Respondi ad primum, sententiam esse magnorum virorum, qui dicunt, posse quidem Papam in voto dispensare non tamen posse dispensare, proprie loquendo, in residentia episcopi, sed solum interpretari et declarare, quod in casu occurrente reperiatur causa sufficiens ad non residendum. Ratio autem differentiæ est, quia dispensando in voto remittit obligationem, qua vovens se Deo obligaverat, cui obligationi Deus ipse cedere potest, sicut et ego cedere possum obligationi, qua te mihi obligasti ad dandum mihi librum. Unde Papa Dei nomine, et ut ejus œconomus et minister, qui potestatem solvendi ab eo accepit, potest etiam interveniente justa causa, cedere obligationi quæ ex voto orta est. Residentiæ autem obligatio non oritur ex spontanea promissione, sed ex natura intrinseca officii pastoralis, quod obligat ad habendam curam de ovibus, quam curam non potest episcopus bene habere, si non resideat, ut significavit Tridentinum sess. XXIII. in decreto, *de reformatione*, cap. 1. Non potest autem Papa dispensare, ut aliquis retento munere et officio, non satisfaciat ejus obligationi, sicut non potest dispensare ut pater non habeat curam suorum filiorum, nec vir suæ uxoris, vel quod princeps non attendat ad gubernandos suos subditos, et sic de aliis. Sic etiam non potest dispensare ut

episcopus et pastor non gubernet modo necessario suas oves, sed solum potest judicare de sufficientia causæ ad non residendum. Ita P. Vasquez in opusculo *de beneficiis*, ca. IV. §. II. art. I. dub. 1. n. 130. et seqq. Castro-Palao. to. II. tr. XXI. disp. V. pu. 1. n. 4. et alii apud ipsos.

3 Alii tamen videntur supponere, etiamsi obligatio residendi sit de jure divino, (quod alii negarunt) posse tamen Papam ex causa in hac obligatione dispensare, Azor. II. tom. lib. VII, cap. 4. qu. 1. Filliucius in *Appendice*, tract. XII. capit. 6. num. 27. Ego partim cum utraque sententia sentio; ex duplici enim jure nascitur in episcopo obligatio residentiæ, nempe ex jure naturali divino, quam obligationem affert munus episcopale; atque etiam ex jure positivo ecclesiastico, quo prohibentur episcopi abesse a sua residentia. Quamvis ergo Papa non dispenset in prima obligatione juris divini, propter argumentum a prima sententia adductum; potest tamen auferre obligationem provenientem ex jure positivo humano, quod etiam necesse est auferre, ut episcopus licite absit a residentia. Sicut ad hoc ut catholicus licite ducat in uxorem feminam hæreticam, datur impedimentum juris naturalis propter periculum perversionis, et propter malam prolis educationem, et alia similia: et datur etiam impedimentum ex lege ecclesiastica illud matrimonium prohibente. Nec sufficit, quod cesset obligatio orta ex jure naturali, prout aliquando cessat, cessante omni periculo, vel propter majus bonum religionis, quod ex illo conjugio speratur: sed tamen necesse etiam est, quod Papa dispenset in lege ecclesiastica, saltem ubi ea lex recepta invenitur. Sic ergo episcopus non potest licite discedere a sua residentia, etiamsi causa subsit, ob quam cessat obligatio juris divini, nisi in casibus a sede Apostolica generaliter concessis, vel cum dispensatione summi Pontificis. Poterat ergo Papa hanc obligationem provenientem ex jure positivo ecclesiastico auferre, et quoad hanc partem dispensare: et quoad obligationem juris divini interpretari, quod in hoc casu cessaret ob rationes peculiares in eo concurrentes. Difficultas ergo tota in hoc solum esse poterat, an concurrerent causæ tales, ob quas prudenter judicari posset, cessare obligationem juris divini, vel naturalis.

Et quidem non una, sed plures ratio- 4
nes occurrebant, quæ facultatem illam justificare poterant Prima erat necessitas assistendi in Urbe liti gravissimæ circa feuda, et bona stabilia maximi pretii: quæ causa, licet a doctoribus in specie non afferatur, videtur tamen afferri in æquivalenti, quatenus inter alia exempla afferunt etiam necessitatem curandi sanitatem in morbo, quam dicunt excusare posse a residentia per aliquod tempus, ut fatetur Azor dicto capit. IV. qu. 4. et includi videtur nomine *necessitatis*, quam Tridentinum loco supra adducto dixit esse causam legitimam non residendi: quam causam minus proprie idem Azor paulo ante retulit ex concilio Tridentino sub nomine *communis necessitatis*. Nam neque Concilium nominavit *communem necessitatem*, sed *necessitatem*: neque morbus episcopi curandi est communis necessitas, sed privata ipsius episcopi. Dixi autem, huic causæ æquivalere necessitatem assistendi liti, in qua de maxima bonorum jactura agitur, frequentius enim invenies homines prudentes, qui eam ob causam paululum a propria domo, et civitate alio se transferant, quam qui solius valetudinis causa id faciant. Si ergo morbi curatio æstimatur causa sufficiens ad absentiam, non video, cur procuratio litis tanti momenti sufficiens non sit ad eam absentiam tempore brevi indulgendam. Unde videbatur etiam intervenire aliquo modo causa, quam Tridentinum nominatim approbavit, nempe *Christiana charitas*; hanc enim brevem assistentiam exigebat charitaserga propriam familiam illustrissimam, et cui paucæ inveniebantur in tota

Italia pares, quæ ex litis illius successu magna ex parte pendebat ad proprium statum conservandum.

5 Tertia aderat causa, nempe probabilis timor scandali futuri, et discordiarum, ac dissensionum gravium, quæ facile oriri poterant in loco residentiæ inter episcopum cardinalem, et alium cardinalem legatum a latere, qui eo tempore ibi aderat paulo post discessurus. Cum ergo doctores inter causas non residendi enumerent graves inimicitias, ut Azor loco citato, et alii communiter ; non apparet, cur probabilis earum timor et scandali futuri non possit absentiam justificare ad breve saltem tempus, quale in hoc casu petebatur. Imo ad summi Pontificis providentiam spectare videbatur, ad præcavendum hoc periculum, episcopum aliquandiu in Urbe retinere.

6 Accedebat quarto spes futuræ utilitatis, si cardinalis ille in Urbe eo tempore commorareetur, quo is multum prodesse poterat ad conciliandum pontifici principem sæcularem magni nominis, qui brevi sperabatur, et cum quo cardinali illi arcta erat necessitudo, et sanguinis etiam conjunctio : et ratio hæc jam videbatur ad communem Ecclesiæ utilitatem accedere. Denique dignum consideratione erat, parum satis esse id totum, cujus dispensatio petebatur. Venerat enim jure suo ad limina : postea continuare volebat timestre, quod ex causa singulis annis episcopo conceditur, et postea sufficiebant illi tres alii, vel quatuor menses. Quamvis enim fortasse non posset episcopus propria auctoritate conjungere trimestre sibi ex causa permissum, et illo frui immediate post menses ad visitanda limina concessos : ex dispensatione tamen id videbatur licitum. Hæc autem dispensatio videbatur leviter opponi legi, cum non tangeret substantiam absentiæ, sed circumstantiam continuationis, ut posset continuari tempus absentiæ, quod cum interruptione posset sine dispensatione haberi.

7 His ita ponderatis, quamvis singula fortasse non sufficerent, omnibus tamen concurrentibus, dixi, posse licite et prudenter licentiam a Pontifice concedi ; curandum tamen omnino, ne interim Ecclesia propria ob episcopi absentiam detrimentum pateretur : prout ea cura adhibita Pontifex licentiam pro certo ac limitato tempore concessit.

## DUBIUM XIV.

*An episcopus non consecratus possit sine dispensatione ducere exercitum ?*

In hoc puncto aliqua sunt communia, 1
aliquid tamen erat, quod ob circumstantiam personæ, specialem difficultatem præferebat. Primo ergo concedunt doctores, posse clericos, ac proinde etiam episcopos, de quibus non apparet specialis difficultas, pugnare suis manibus immediate, occidere, mutilare, et ducere exercitum, ac præesse iis qui machinas, vel tormenta bellica dirigunt, nec incurrere ullam irregularitatem, quoties bellum necessarium est ad defensionem propriæ vitæ et personæ, vel patriæ et boni communis, videantur Suarez tom. *de censuris*, disp. XLVII. sect. 6. num. 1. et 2. Coninch. *de fide, spe, et charitate*, disp. XXXI. dub. VI. num. 91. Molina tract. II. *de Just. et jure*, disput. CVIII. et tract. III. disp. 73. Lorca *de charitat.* sect. III. disp. 51. Addunt aliqui, idem procedere posse aliquando in bello justo aggressivo, quando id necessarium esset ad obtinendam victoriam, a qua pax, salus innocentium, et bonum Ecclesiæ dependet, ita Molina locis citatis, et Coninch. dicto dub. VI. num. 91. tunc enim clericus, qui alias justo titulo aderat bello non pugnaturus, nec exercitum ducturus, cum videat ad eum statum esse reductum, videtur jam non aggredi sed defendere se, vel causam publicam. Extra has vero causas clericus in sacris non

potest propria manu pugnare, vel exercitum ducere, aut machinis præesse. Quod idem dicunt de habente et retinente beneficium ecclesiasticum, etiamsi non sit in sacris, Suarez num. 7. Coninch. num. 87. Molina dicta disput. CVIII. sub. fin. Lezana tom. III. verb. *bellum*, num. 20. et alii, quos afferunt. Cum ergo episcopus etiam si non sit consecratus, nec in sacris, habet tamen beneficium ecclesiasticum, et quidem præstantissimum, non videtur posse ducere exercitum etiam in bello justo, sicut nec potest pugnare propria manu, nisi id faciat de licentia summi Pontificis, vel in casibus supra assignatis.

2 Difficultas tamen specialis erat, quia ille, de quo quærebatur, habuerat a summo Pontifice privilegium, quo dispensabatur, ut posset etiamsi fieret episcopus, gaudere, et uti omnibus gratiis, privilegiis, et indultis certi ordinis militaris, et habere in illo vocem activam et passivam, quamvis ejus habitum non susciperet, nec in eo professionem emitteret ; imo de facto habitum suscepit et professionem emisit. Cum ergo milites illius ordinis possint pugnare, et exercitum ducere ; hoc etiam poterit ille episcopus. Dixi tamen, eam dispensationem ad casum nostrum non extendi : neque enim mens summi Pontificis fuit dispensare in legibus episcoporum, sed in legibus illius ordinis militaris, ut posset ejus privilegiis, et indultis frui, et capax esset electionis activæ et passivæ, quamvis nec professionem fecisset, nec habitum suscepisset, aut gestaret : non tamen dispensavit, ut quamvis esset episcopus, non servaret leges episcopis impositas. Imo, si res attente expendatur, gerere arma, et pugnare non est computandum inter privilegia illius ordinis, cum ea omnia facere possint alii, qui ex eo ordine non sunt, sed potius sunt onera militibus illius ordinis imposita. Cui ergo conceditur frui privilegiis illius ordinis, etiam habitu non suscepto, non censetur per hoc concedi, quod possit pugnare in bello, quamvis episcopus sit, sicut pugnant milites illius ordinis : nam illi non pugnant ex privilegio, sed ex obligatione. Et de facto videmus cardinales aliquot professionem emittere in ordine S. Joannis Jerosolymitani, ut aliquam ejus ordinis commendam pinguem, vel prioratum habeant, et fruuntur quidem privilegiis illius ordinis, non tamen obligantur ad militandum in classe marina illius religionis, prout tenentur alii omnes facere per aliquot annos, antequam ullam commendam obtinere possint : quæ exemptio non est exclusio ab aliquo privilegio, sed potius novum privilegium, ut possint frui privilegiis et emolumentis ordinis, non subeundo ejus onera. Nec ullus putavit eos cardinales, qui professionem emiserunt in eo ordine, posse per seipsos pugnare sine nova summi Pontificis licentia.

Consului ergo, ut si ad bonum publi- 3
cum expedire judicetur, petatur licentia et dispensatio specialis a summo Pontifice, qui imprimis facile concedet, quod aliquando in functione aliqua publica, et solemni possit procedere armatus, sicut de facto id habent episcopi aliqui ob annexum principatum, vel statum temporalem in aliquibus locis, in quibus ex antiqua consuetudine, et concessione ita fieri solet. Difficilius concedetur, quod ducat exercitum, vel pugnet per seipsum. Si tamen bonum religionis et Ecclesiæ utilitas id poscat, credebam concedi posse, ut in bello contra infideles, vel hæreticos, id sine peccato vel metu irregularitatis fieri possit. Hoc enim Pontifices antiqui, et moderni concesserunt sæpius multis cardinalibus, quos legatos et vicarios suos destinarunt ad gerenda bella contra rebelles Ecclesiæ, quorum exempla passim in annalibus ecclesiasticis inveniuntur.

## DUBIUM XV.

*An posset summus Pontifex creare episcopum titularem eum, qui non habebat doctrinam, quæ pro episcopis petitur a Tridentino ?*

1 Verba concilii Tridentini sess. XXII. c. 2. *de reformat.* sunt hæc : « Quicumque posthac ad ecclesias cathedrales erit assumendus, is non solum natalibus, ætate, moribus, et vita, ac aliis, quæ a sacris canonibus requiruntur, plene sit præditus, verum etiam in sacro ordine antea, saltem sex mensium spatio, constitutus, quarum rerum instructio, si ejus notitia nulla, aut recens in curia fuerit, a sedis Apostolicæ legatis, seu nuntiis provinciarum, aut ejus ordinario, eoque deficiente, a vicinioribus ordinariis sumatur. Scientia vero præter hæc ejusmodi polleat, ut muneris sibi injungendi necessitati possit satisfacere. Ideoque antea in universitate studiorum magister, sive doctor, aut licentiatus in sacra theologia, vel jure canonico merito sit promotus, aut publico alicujus Academiæ testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur. Quod si regularis fuerit, a superioribus suæ religionis similem fidem habeat. » Hæc ibi. Cum ergo ageretur de promovendo ad episcopatum titularem regulari quodam sanguinis splendore inter principes Europæ familias recensendo, qui tamen eum doctrinæ gradum plane non habebat, hæsitavit summus Pontifex, an posset licite ad eam dignitatem designari.

2 Obstabat imprimis locus ille Tridentini, in quo generaliter de omnibus episcopis sermo esse videtur, sine distinctione episcopi titularis ab aliis episcopis : deinde, quia episcopus titularis, licet de facto non habeat subditos, quia in civitate sui tituli omnes sunt infideles ; re tamen ipsa jus habet ad exercendam jurisdictionem in illos, si fideles fiant, vel in alios fideles, qui illuc de novo venerint, imo in litteris suæ bullæ admoneri dicuntur a summo Pontifice, ut quamprimum eis liceat, ad suam diœcesim se transferant, ut suum episcopale munus exerceant. In ipsa etiam consecratione dicitur eis a consecrante, sicut aliis episcopis, *Accipe Evangelium, et vade, prædica populo tibi commisso,* etc. Unde procul dubio, quamdiu non renuntiant titulo, astricti sunt vinculo spirituali ecclesiæ sibi assignatæ, nec transferuntur postea ad aliam ecclesiam in partibus fidelium, nisi prius Pontifex eos absolvat a vinculo prioris ecclesiæ, cujus titulum habebant, ad quibus videri possunt ultra alios P. Vasquez III. tomo. in tertiam partem, disp. 241. cap. 1. nu. 6. et seqq. et Petrus Bullus in *æconomia Canonica*, classe III. c. 2. §. 4. Et quidem, quamvis P. Suarez, disp. XI. *de fide*, sect. 1. num. 18. dicat, episcopos titulares, per se loquendo, non esse necesse, quod vocentur ad concilia, quia carent jurisdictione episcopali, et ita esse in usu ; ipse tamen fatetur, posse sine dubio vocari, et habere suffragia : alii tamen simpliciter et absolute fatentur, eos jus habere veniendi ad concilia, Jacobatius *de Concil.* lib. II. art. 2. et Azor. part. II. lib. V. cap. 11. q. 4.

3 Denique pro hac parte non parum me movebat, quod, in rigore loquendo, episcopus titularis, eo ipso quod titulum accipit et ecclesiæ præficitur, videtur esse approbatus ad audiendas confessiones. Nam concilium Tridentinum sess. XXIII. cap. 25. solum petit ad hanc indoneitatem, quod vel parochiale beneficium habeat, vel ab episcopo medio examine, vel alias, si idoneus judicetur, approbationem obtineat. Nomine autem *beneficii parochialis* in hoc loco omnes intelligunt comprehendi etiam episcopatum, nec facile apparet, cur non comprehendantur episcopi titulares, quandiu titulum vel ecclesiam non renuntiant. Ratio enim

eadem est de illis, ac aliis parochis, quos ideo Concilium noluit alia approbatione indigere, quia quando parochi sunt facti, judicati jam sunt idonei ad audiendas confessiones suarum ovium, quæ ratio cum proportione procedit in episcopo titulari. Si enim civitatis illa, cujus episcopus nominatur, quæ nunc est infidelium, recuperaretur interim a fidelibus, ille idem esset eorum episcopus, et absque nova approbatione posset eorum confessiones audire ; jam ergo judicatus est idoneus ex parte sua ad audiendas confessiones : quare ille, qui facultatem haberet eligendi sibi confessarium approbatum, videtur quod posset eligere hunc episcopum titularem, sicut eligere potest quemcumque parochum illius loci, aut diœcesis. Hinc ergo oriebatur ratio dubitandi in casu nostro, in quo non constabat de idoneitate, et doctrina sufficienti illius personæ ad audiendas confessiones ; quare non videbatur eligi posse ad episcopatum titularem, per cujus collationem eo ipso censeretur approbatus ad audiendas confessiones omnium, quicumque possent eligere confessarium approbatum.

4 Omitto obligationem generalem eligendi digniores ad prælaturas, et dignitates ecclesiasticas, de qua dixi late tom. II. *de Just.* disput. xxxv. sect. 2. cui obligationi non videtur fieri satis, dum omissis tot aliis viris doctis eligitur ad episcopatum homo clare indoctus, hoc, inquam, scienter omitto, quia hæc electio, neque est in præjudicium Ecclesiæ, cum nulla sit ecclesia, cui præesse debeat, nec ullæ animæ quarum debeat curam genere. Nec etiam est in præjudicium aliorum digniorum, qui prætermittuntur : nam electio hujus, nullius alterius dignioris electionem impedit ; sunt enim tot alii tituli similes vacantes in partibus infidelium, ut quemcumque alium digniorem velit Papa in episcopum titularem eligere, numquam timeri possit, quod ob defectum tituli vacantis illum alium digniorem non eligat. Cessant ergo in hoc casu rationes, quæ obligant ad electionem dignioris.

Pro contraria tamen parte multæ ra- 5
tiones occurrebant, quibus suaderi poterat Pontifex ad hanc personam eligendam : nempe splendor familiæ illustrissimæ, et de ipso Pontifice non parum bene meritæ, ob quæ moraliter fieri non poterat, ut maneret in communi regularium vita sine multis privilegiis, et exemptionibus, quæ religosam observantiam non parum lædere poterant, et perturbare pacem internam, cum inæqualitas ipsa inter sodales redderet illum odiosum, et offendere sæpe posset fraternam charitatem cum scandalo domi, et foris, et ipsius ordinis dedecore, cui malo obviari moraliter non poterat, nisi illum honesto titulo extrahendo a communi regularium vita, quam si intra monasterium non teneret, prout moraliter teneri non poterat, majori sane et religionis et disciplinæ detrimento id fieret, quam si in statu episcopali commoda aliqua, et pompam honestam haberet, quæ episcopum religiosum non dedeceret.

Ad ea autem, quæ in contrarium op- 6
ponebantur, videbatur facile posse responderi. Ad id enim, quod primo loco afferebatur de doctrina ad episcopatum requisita, non video in praxi eumdem doctrinæ gradum requiri ad episcopatum mere titularem, qui requiritur ad alios jurisdictionem habentes. Nam cum Romæ ex decretis pontificiis nemo ad episcopatum ullum in Italia, vel in Sicilia proponi possit nisi prævio rigoroso examine, quo coram summo Pontifice, et multis cardinalibus, ac aliis doctoribus circa doctrinam examinetur : id tamen circa episcopos titulares non observatur. Nec ex natura rei apparet, cur tanta doctrina exigatur in eo, de quo non est moralis spes, quod aliquam jurisdictionem debeat unquam exercere, vel ullam animarum curam gerere ; regula enim generalis est, eam litteraturam, et doctrinam in singulis beneficiariis requiri, quæ necessaria est ad officio, quod

illi beneficio annexum est, satisfaciendum, ut cum aliis docet Filiucius in *Appendice*, tr. XLI. c. v. q. 8. n. 34. Ad episcopatum ergo mere titularem, in quo nulla jurisdictio exercetur in foro externo, vel interno, sufficit ex natura rei doctrina necesseria ad Pontificalia exercenda, in quo solum episcopi titulares solent adjuvare alios episcopos. Quare, in rigore loquendo, doctrina sufficiens ad ordinem sacerdotalem, videtur etiam sufficiens ad episcopatum titularem. Multo enim majoris momenti esse videtur consecratio eucharistiæ, quod est dignissimum et supremum omnium sacramentorum, quam consecratio altaris, vel alia similia, quæ solent episcopo titulari committi, præsertim cum in his assistat ei semper cæremoniarum magister, a quo, si forte erraret, corrigi facile potest : qua assistentia in missæ privatæ celebratione caret. Qui ergo tantum habet doctrinæ, ut approbetur ad missam quotidie celebrandam, prout ille, de quo agitur, approbatus erat, et celebrabat ; facilius videtur posse cum eo doctrinæ gradu approbari ad reliqua munera episcopalia celebranda, quæ jurisdictionem non involvunt.

7 Quod vero opponebatur, episcopum titularem vere habere jurisdictionem in ecclesia sibi commissa, quandiu titulo non renuntiat, posseque illam ibi exercere, si adsint subditi : hoc, inquam, reduci potest ad quæstionem de nomine. Quare aliqui dicunt, illum habere quidem jurisdictionem habitu, non actu, quod est dicere, habere potentiam ad habendam jurisdictionem, si habeat subditos, quorum defectu eam actu non habet. Hic autem modus habendi subditos non videtur considerandus ad doctrinam majorem exigendam, cum non sit morale periculum erroris committendi in usu jurisdictionis, quando non est spes moralis, quod talis usus ponendus sit : nam, ut recte consideravit loquens de episcopo titulari Azor. ubi supra dicto cap. XI. q. 4. « Quemadmodum parochialis ecclesia, quæ habitu tantum, et non actu populum, et curam habet, in jure pro parochiali non habetur : sic episcopi titulares duntaxat, quia titulum tantum habent, non diœcesim sibi subjectam, pro episcopis quod attinet ad jurisdictionem, non habentur in jure. » Hæc ille. Ex quibus inferri videtur, quod sicut ad beneficium quod non habet curam animarum actu, sed habitu, eo quod non habeat actu populum, non requiritur doctrina, quanta et qualis desideratur in parocho habente actu curam animarum ; ita in episcopo titulari non habente actu diœcesim, et jurisdictionem non debet peti doctrina necessaria episcopo jurisdictionem, et diœcesim non solum habitu, sed actu habeti.

Quod vero additur de jure, quod habet 8
episcopus titularis suffragii ferendi in concilio generali, multi id negant, et quidem usus videtur esse, quod non vocentur, nisi Papa aliquem specialiter voluerit vocari : et in serie episcoporum, qui interfuerunt concilio Tridentino, quæ habetur post idem concilium, non invenio nomina ullorum episcoporum titularium. Quare ex hac parte non apparet periculum morale dandi jus suffragii in concilio episcopo minus idoneo, præsertim, cum hoc tempore non facile possit occurrere proxime occasio convocandi concilium generale. Nec etiam omnes episcopi, qui ibi intersunt, possint per seipsos examinare dogmata fidei, sed auditis theologis, et eorum sententiis decernunt, cum magna ex parte ipsi episcopi theologi nont sint. Ad alia vero negotia tractanda, quæ spectant ad meram gubernationem, fortasse non erat minus aptus ille, de quo agebatur, quam alii multi episcopi habentes diœceses, propter notitiam rerum humanarum, quam in variis Europæ provinciis comparaverat. Sed revera nullum erat periculum, quod ad concilium generale vocaretur.

Denique difficultati illi ex insufficientia 9
doctrinæ necessariæ ad audiendas con-

fessiones, ad quas tamen audiendas videbatur declarari idoneus, et approbari eo ipso quod fiat episcopus titularis, occurri poterat: nam imprimis dubitari poterat, an episcopatus mere titularis comprehendatur in decreto Tridentini, in quo declarantur idonei ad confessiones audiendas, qui habent beneficium parochiale. Sicut enim non censetur in jure beneficium parochiale illud, quod habitu tantum et non actu populum et curam habet, ut paulo ante vidimus, ita dici posset, non intelligi sub eo nomine episcopatum mere titularem, qui habitu et non actu subditos et jurisdictionem habet. Quidquid tamen sit de hoc, poterat huic periculo occurri prohibendo illi, ne etiam factus episcopus titularis, audiret confessiones aliquorum, nisi prius ad eas audiendas examinaretur et approbaretur. Hoc enim modo non posset jam eligi in confessarium etiam ab iis qui possent sibi eligere quemlibet confessarium approbatum.

10 Propter has rationes dubius hæsit summus Pontifex et jussit, rem totam diligenter et attente disputari et examinari a doctissimis theologis, et prælatis coram eminentissimo quodam cardinali, qui omnes post longum et diligens examen, ac disputationem in eam convenere sententiam, ut summus Pontifex, si vellet, eum promoveret ad episcopatum titularem : tribus tamen conditionibus observatis. Prima, ut vocato ad se episcoporum examinatore, ejus conscientiam graviter oneraret, eique imponeret, ut diligenti examine adhibito, videret an ille de quo agebatur, eam doctrinam haberet quæ sufficeret ad exercenda pontificalia. Secunda conditio erat, ut idem Pontifex eum suspenderet seu inhabilitaret ad audiendas confessiones, donec specialiter ad hoc munus examinaretur et approbaretur. Tertia denique erat, ut acceptaretur oblatio, qua offerebatur capitale pecuniæ sufficiens ad fundandos reditus annuos perpetuos 300. aureorum, qui pro missionibus ad convertendos infideles deserviant; quæ omnes conditiones approbante, et jubente ipso Pontifice, observatæ sunt. Potuisset autem fortasse alicui hæc ultima conditio difficultatem ingerere, ne in ea aliqua simoniæ species lateret, si pro pecunia ad pios usus oblata concederetur dignitas episcopalis, quæ spiritualis est, in qua quidem simonia Pontifex dispensare non posset, nec simoniæ labem auferre, quia esset juris divini, cum dignitas episcopalis de jure divino sit invendibilis : nec posset Pontifex in hoc casu separare temporale a spirituali, ut facit in aliis beneficiis, quando admittit resignationes beneficiorum cum pensionibus, vel etiam cum obligatione redimendi pensiones pecunia numerata præsenti, quia in casu nostro nullum prorsus erat emolumentum temporale in episcopatu qui confertur, nec ulli reditus, vel fructus, sed mera dignitas et titulus episcopalis. Quare quidquid temporale ab episcopo exigeretur, vel acciperetur, videretur id totum exigi pro solo titulo, et dignitate episcopali, quæ invendibilis est.

Hoc tamen facile solvi potest exemplo 11
compositionis pecuniariæ, quæ exigitur a petente dispensationem ad matrimonium cum consanguinea, vel cum affine contrahendum, quæ dispensatio est mere actus jurisdictionis spiritualis, et de jure divino invendibilis. Quare compositio illa pecuniaria non petitur, ut pretium dispensationis, sed ut conditio ad justificandam causam concessionis, seu dispensationis. Quid enim magis spirituale et invendibile quam indulgentiæ : quæ tamen passim in jubilæo solemni concedi solent sub conditione iis, qui jejunaverint tribus diebus, et eleemosynas dederint. Et in bulla Cruciatæ conceduntur multæ indulgentiæ, et facultates ad absolutionem obtinendam a casibus reservatis, et alia privilegia spiritualia, quæ omnia conceduntur sub conditione dandæ certæ eleemosynæ ad subsidium belli contra infideles gerendi, non quod indulgentiæ

et facultates vendantur pro illa pecunia, absit ; sed quia eleemosyna, et opus illud pium est conditio, et causa justificans dispensationes et concessiones in jubilæo, vel Cruciata contentas, quæ sine causa sufficienti concedi licite non possunt. Idem ergo in casu nostro fieri potuit, in quo fundatio illorum redituum non erat ullo modo pretium episcopalis dignitatis, sed opus pium in Dei honorem et religionis augmentum, quod fundatorem ipsum magis dignum reddebat illius ecclesiastici honoris accipiendi. Sicut qui propriis expensis erigit beneficium ecclesiasticum, eique perpetuos reditus assignat, dignus fit, ut ei jus patronatus concedatur, et potestas præsentandi beneficiarios, quoties beneficium illud vacaverit, quæ potestas procul dubio spiritualis est, et invendibilis, nec Pontifex illam vendit, sed ut alliciantur laici ad dotandas ecclesias, et erigenda beneficia, vult illis jus patronatus concedere, et facultatem præsentandi. Idem ergo ob similem rationem potuit facere in casu nostro, in quo, dixi, nullum redundabat Ecclesiæ præjudicium ex ordinatione ejusmodi episcopi titularis.

## DUBIUM XVI.

*An, et quomodo consentire posset episcopus, ut abbatia quædam separaretur ab ejus dignitate episcopali ?*

1 Episcopus quidam habebat incorporatam suæ dignitati episcopali abbatiam cujusdam monasterii, et ejus proventus, cum onere alendi monachos, et erogandi sumptus necessarios ad cultum divinum ibidem sustinendum. Desiderabant monachi habere abbatem monachum ex ipsis, atque adeo, quod separaretur abbatia ab episcopatu. Episcopus non repugnabat, sed libenter onus illud gubernandi monachos a se abjiciebat ; quæsivit tamen, an posset consensum præstare, et an id coram Deo expediret ; item qualem tunc, et quantam redituum portionem pro abbatis, et monasterii alimentis deberet assignare, cujus portionis separatio consequenter facienda erat a mensa episcopali : supponebatur autem, id totum non propria auctoritate, sed summi Pontificis consensu faciendum esse.

Dixi, inprimis regulariter, et communiter loquendo, magis expedire, quod monachi a prælato monacho regerentur, qui sub eadem regula et disciplina militans, multo melius eam notam habebit, et verbo pariter ac exemplo poterit subditos ad perfectionem, et regularem observantiam dirigere : idcirco beneficia regularia conferri non posse, nisi religiosis illius ordinis, statutum est in concilio Trident. sess. XIV. cap. 10. quo loco sacra congregatio concilii de hoc interrogata respondit die 12. Decembr. ann. 1585. posse quidem ordinarios collatores conferre portiones monachales, et canonicales, et similia simplicia beneficia regularibus provideri consueta non solum ejus ordinis professis, sed etiam sæcularibus, qui habitum suscipere et professionem emittere omnino teneantur. Abbatias tamen, et beneficia administrationem habentia, nonnisi professis, juxta canones per ordinarios inferiores conferri posse ; imo apud aliquos, si eligatur in abbatem hujus monasterii monachus ejusdem quidem ordinis, sed professus in alio monasterio, necesse est, quod prius huic secundo monasterio aliquandiu hæreat, et professionem novam illic emittat, antequam abbas ibi sit, ut ex cap. *Abbate, de verb. signific.* colligit Panorm. ibi num. 4. Tanti referre existimatum fuit, quod monachi regerentur ab abbate, qui omnino monachus ejusdem omnino professionis esset. Et quidem merito, quia melius notam habebit regulæ obligationem, quam abbas vel prælatus sæcularis : et melius sciet remedia opportuna applicare morbis religiosis. Adde, si a sæculari abbate regantur, occasionem 2

magnam dari monachis vagandi, et adeundi frequenter ad palatium episcopi, a quo in omnibus ut ab abbate dependent, et ad quem in omnibus debent recurrere. Datur etiam iis occasio ambitionis non solum apud episcopum, sed apud ejus ministros et domesticos, quos facile precibus et muneribus sollicitabunt, ut per ipsos obtineant ab episcopo, quæ desiderant : quæ pestis est religiosæ et monasticæ disciplinæ. Expedit ergo ad bonum regimen monachorum, quod abbatem habeant regularem ex eorum gremio, a quo regantur, nisi in casu aliquo raro, in quo adeo dissoluti essent monachorum mores, ut sub abbate proprio timendum merito esset, ne majorem peccandi licentiam sibi acciperent, quam si ab episcopo, tanquam ab abbate dirigi, et coerceri possent ; quod rarissimum esset, et tunc expediret fortasse magis religiosum illum cœtum extinguere, quam sub religionis nomine ejusmodi licentiam, et morum relaxationem sustinere.

3 Addidi, separationem illam utilem esse posse, ad vitandum fomitem, et segetem assiduam quærelarum et litium ; experientia enim constat, quandiu non taxatur id quod abbas sæcularis dare debeat pro victu monachorum, et pro cultu divino, ac expensis ecclesiæ ; semper monachos de abbate conqueri, quod debito suo non satisfaciat ; e contra vero abbatem conqueri de monachis, quod nimis laute vivere velint, nec possit eorum importunis petitionibus satisfieri. Unde abbates commendatarii jam fere ad certam summam obligationem illam reduci curarunt ; imo et vidi aliquando datam fuisse illis ex pacto pecuniam ad monasterium alio loco ædificandum, ne ibi remanentes possent saltem circa habitationem, et ejus reparationem lites quotidianas movere ; hanc ob causam, cum olim indivisæ fuissent partes redituum pro episcopo, pro capitulo, pro fabrica ecclesiæ, et pauperibus : postea tamen experientia docuit hanc totius massæ indivisionem seminarium esse perpetuum querelarum et litium, quasi non bene singulis portiones suæ distribuerentur : ideoque semel divisio facta fuit, et portiones singulis assignatæ, quo pacto controversiæ cessarunt, nunquam alioquin cessaturæ : quod multo magis in casu nostro timeri potest, cum monachis semper odiosum sit, quod facultates sui monasterii a sæcularibus administrentur, a quibus dependere debeant in suarum necessitatum sublevatione, quibus quidquid subtrahetur, in majorem episcopi utilitatem cedere debeat. Hoc autem aliter impediri non potest nisi taxando semel id, quod monachis dari debet, et quod ab ipsis suo commodo, vel damno administrandum erit.

Qualis autem, et quanta ejusmodi portio assignanda sit, quæstio magis est facti, quam juris ; debet enim prudenter considerari, qui, et quanti sumptus fieri soleant in victu, et vestitu monachorum, et in culto divino, in ædium, et fabricæ reparatione, et aliis omnibus, ad quæ abbas solet, et debet contribuere. Ad quos omnes sumptus assignari debent reditus sufficientes, et bona stabilia, quæ eos reditus afferant, debent ad hunc finem separari, et monachis consignari, ut ab ipsis deinceps tamquam propria administrentur. Debent autem, meo judicio, ejusmodi bona ad eum finem eligi, quæ magis securos proventus habeant, et minus sint periculis exposita, tam quoad reditus annuos, quam quoad capitale, et substantiam bonorum : imo electio, et optio videtur ipsis monachis competere, ut intra eam summam eligant sibi ea bona stabilia, quæ magis secura esse existimabunt. Ratio autem est, quia nunc episcopus primo loco tenetur providere monachis, et monasterio in iis omnibus, nec potest sibi retinere, nisi id quod post eas expensas superest. Fiunt ergo ii sumptus semper ex reditibus magis certis, cum omnes abbatiæ reditus obligati sint ad eos sumptus integre solvendos. Æquitas ergo postulat, ut si certa bona stabilia ad hunc finem separantur et de-

putantur, ea sint quæ magis securos reditus promittere possint : imo, si justitiæ rigor servandus sit, putarem, plus aliquid in hac separatione designandum pro monachis, quam sit illud quod episcopus solebat singulis annis illis dare; ponamus enim quod episcopus, v. g. dabat illis 1000. aureos ad victum, et alias expensas : hos tamen ita dabat, ut si major pars prædiorum abbatiæ sterilis eo anno fuisset, adhuc ex parte alia, quæ fructus tulisset, sumptus illi semper solvendi essent. Hanc autem securitatem, separatione bonorum facta, monachi amittunt, quia pro anno quo bona illa stabilia ipsis assignata sterilia fuerint, non accipient suas expensas ex aliis bonis, quæ apud episcopum remanserunt. Hoc autem periculum, quod certe ob varios casus, et eventus periculum magnum est, debet aliquomodo compensari ; nec id aliter fieri posse videtur, nisi augendo capitale et reditus, ita ut hic excessus ordinarius suppleat defectum extraordinarium, qui timeri potest. Hæc autem omnia fieri non possunt, ut dixi, nisi interveniente consensu, et approbatione summi Pontificis, ad quam petendam præcedere debet consensus monachorum et episcopi qui stantibus prædictis conditionibus, prudenter et juste illum præstare potest.

## DUBIUM XVII.

*In quo respondetur ad duo quæsita circa officia propria sanctorum ecclesiæ Palentinæ.*

1 Quæsitum fuit primo ex parte capituli ecclesiæ Palentinæ in Hispania, an possent recitare in tota diœcesi officium de illo sancto, cujus corpus vel reliquia insignis esset in aliqua ecclesia ejusdem diœcesis? Videbatur affirmative respondendum, propter speciale privilegium Hispanæ ecclesiæ concessum a Gregor XIII. in bulla edita anno 1573. quæ incipit, *Pastoralis officii*, et refertur integra in codice officiorum sanctorum Hispanorum, et ex parte affertur apud Quarantam in *summa Bullarii*, verb. *Divinum officium*, et apud Lezan. tom. I cap. XII. num. 34. cum enim S. Pius V. concessisset ecclesiis Hispaniæ, ut possent celebrare officia propria sanctorum illius provinciæ ; quæ concessio ita universalis poterat confusionem afferre, propter nimiam sanctorum multitudinem, qua officia feriarum fere omnino impediri poterant ; ideo Gregorius ejusmodi concessionem ita declaravit : « unamquamque Hispaniæ ecclesiam eorum tantum sanctorum, qui in Breviario non sunt descripti, officia propria celebrare posse, qui vel illius diœcesis sunt naturales, vel ejus ecclesiæ, vel diœcesis sunt patroni, vel eorum corpora, seu notabiles reliquiæ in ea ecclesia, seu diœcesi requiescunt : de aliis vero sanctis, etiamsi sint naturales, vel patroni alterius diœcesis, etiamsi illorum corpora, vel notabiles reliquiæ in aliqua ecclesia alterius diœcesis requiescant, non celebretur officium proprium, sed servetur ordo breviarii Romani, » etc. In quibus verbis videtur clare contineri concessio generalis, ut omnes ecclesiæ unius diœcesis possint celebrare, et recitare officium illius sancti, cujus corpus vel insignis reliquia conservatur in aliqua ecclesia ejusdem diœcesis. Et in hoc sensu videtur hanc concessionem intellexisse, et illam praxim approbasse Ægid. Trul. libr. I. *in Decalog.* cap. VII. dub. 14. num. 14. et Castr. Pal. tom. II. tractat. VII. *de orat.* disputat. II. punct. 2. num. 10. qui universaliter loquuntur de quolibet sancto, cujus corpus sit in ea diœcesi.

Contrarium tamen supponere, et docere videntur alii doctores, qui solum in ea ecclesia, ubi corpus vel insignis reliquia habetur, concedunt posse fieri officium illius sancti, quod quidem, secluso illo privilegio, et extra Hispaniam cer- 2

tissimum est, ut cum aliis docent Gavant. *in rub. Breviarii*, sect. III. cap. v. n. 5. Barbos. *de offic. Paroch.* cap. x. num. 7. et Novar. *in Lucerna.* verb. *Officium*, num. 7. Sed ipsimet etiam doctores Hispani eam restrictionem in Hispania procedere fatentur, nec posse officium ad totam diœcesim extendi, ut fatetur novissime Antón. de Quintanad. *singularium* tr. VII. sing. 27. num. 2. et 3. et fundantur omnes in decreto sacræ congregationis rituum, quod jussu Urbani VIII. appositum fuit in editione novissima breviarii Romani, ubi inter alia hoc etiam apponitur : « Insuper vetuit et prohibuit celebrari per totam civitatem, vel diœcesim, etiam de cujuscumque ordinarii auctoritate missam, vel festum cum officio de sancto, eo quod in loco adsit ecclesia parochialis, vel regularis, vel abbatialis, aut aliqua reliquia, sed tantum in ipsius sancti ecclesia titulari, seu ubi asservatur insignis reliquia, et non alibi. »

3 Hoc tamen decretum, ut verum fatear, non caret solutione, vel interpretatione in casu nostro. Fatemur enim, de jure communi ita esse observandum, et secluso privilegio sedis Apostolicæ, cujusmodi privilegia in eo decreto non videntur revocari, cum in eo nulla sit clausula derogatoria, vel revocatoria privilegiorum : lex autem generalis sine ea clausula expressa non tollit etiam tacite privilegia etiam non contenta in corpore juris, ut ex cap. 1. *de constit.* in 6. cum communi doctorum probat Suarez libr. VIII. *de legib.* cap. 39. num. 2. Imo ex contextu totius decreti colligi videtur, illud totum tendere ad declarandum, quod episcopi, vel prælati inferiores non possunt ullo prætextu, qualis esset, quod sanctus sit naturalis, vel quod ejus corpus intra diœcesim requiescat, introducere ejus officium sine licentia speciali sedis Apostolicæ, vel approbatione sacræ congregationis Rituum. Ideo enim decretum sic incipit : « Sacra Rituum congregatio declaravit, et decrevit, non potuisse post Bullam Pii V. de breviario Romano, neque posse locorum ordinarios, tam sæculares, quam regulares, addere Kalendariis, etiam propriis sanctorum officia, nisi ea dumtaxat quæ breviarii Romani rubricis, vel sacræ rituum congregationis, seu sedis Apostolicæ licentia conceduntur : neque propria auctoritate, quovis prætextu mutare ritum, qui habetur in Kalendario Romano, seu rubricis breviarii, in altiorem ritum : neque extendere concessa officia de loco ad locum, » et postea additur : « De sanctis episcopis locorum, martyribus, civibus, et aliis festis, de quibus in Kalendario Romano, seu rubricis breviarii nihil habetur, uti etiam de beatis nondum canonizatis, nihil propria auctoritate constituatur, sed omnino consulatur sacra rituum congregatio. » Vides, totum decretum esse, ne ea fiant propria auctoritate, vel sine licentia sedis Apostolicæ, aut sacræ rituum congregationis. Cum ergo pro ecclesiis Hispaniæ præcesserit bulla, et licentia sedis Apostolicæ, non erit hic usus ullo modo contra hoc novissimum decretum. Ex hoc ergo capite non videtur negandum, quod ecclesiæ Hispaniæ possint adhuc iudulto illo Gregorii XIII. uti, et recitare officium in tota diœcesi de Sanctis, quorum reliquiæ insignes, vel corpora sint in eadem diœcesi, prout in aliquorum sanctorum officio testatur Quintanadvennas dicto tractat. VII. singul. 27. numer. 4. usum esse in ecclesia Hispalensi : quamvis ipse num. 3. fateatur, in ecclesia Toletana contrarium observari.

Ego quidem, stando in verbis dictæ 4
bullæ Gregor. XIII. et decreti novissimi congregationis rituum supra relati, distinguendum putarem inter sanctos, qui naturales fuerunt regni Hispaniæ, et inter illos, qui non sunt naturales, sed alienigenæ ; quorum tamen corpora, vel reliquiæ insignes in Hispania asservantur. Nam Gregor. XIII. in prædicta bulla, dum concedit officium pro toto diœcesi, videtur solum loqui de sanctis na-

turalibus, et Hispanis ; de his enim solis locutus fuerat Pius V. quando in universum eorum officia pro tota Hispania videbatur concessisse ; quod quia nimium erat propter eorum sanctorum multitudinem, ideo Greg. XIII. declaravit, solum intelligi respective, ut in qualibet diœcesi fieri posset officium eorum sanctorum, qui vel naturales illius diœcesis sunt, vel ejus patroni, vel quorum in ea diœcesi reliquia insignis habeatur, nimirum si sancti illi sint Hispani ; de iis enim solis locutus fuerat Pius V. cujus concessionem declarare, vel moderari voluit ibi Gregorius, qui noluit, singulas ecclesias Hispaniæ posse recitare officium de omnibus sanctis Hispanis, sed singulas de iis sanctis Hispanis, qui vel naturales essent ejus diœcesis, vel quorum ibi reliquiæ insignes habeantur. Porro non fuisse ibi Gregorium locutum de sanctis alienigenis, quorum corpora sunt in Hispania, constare videtur aperte ex eadem bulla, ubi paulo post idem Pontifex addit aliam concessionem, his verbis : « Idem concedimus, quod quælibet ecclesia, et monasterium Hispaniæ habens aliquas reliquias insignes, puta caput, brachium, vel crus alicujus sancti, etiam alienigenæ, non existentis in Breviario, vel de quo in dicto Breviario fit tantum commemoratio, possit illius festivitatem celebrare, et officium duplex facere, » etc. Ubi aperte distinguit sanctos alienigenas a sanctis Hispanis, et de sancto alienigena, cujus insignis reliquia habetur, concedit officium duplex illi soli ecclesiæ, vel monasterio, ubi habetur reliquia : quod certe frustra concederetur, si jam concessum esset in verbis præcedentibus officium pro tota illa diœcesi. Fatendum ergo est, concessionem præcedentem fuisse pro solis sanctis Hispanis, hanc vero secundam loqui de alienigenis, sed cum limitatione ad ecclesiam ubi reliquia habetur. Si autem sanctus non sit alienigena, sed Hispanus, credibile est ex vi bullæ Gregorii XIII. posse fieri in tota diœcesi, in qua habetur reliquia insignis, officium saltem semiduplex ; dico, *ex vi Bullæ*, quia oportet attendere ad usum singulorum locorum, qui ostendit, an et quomodo concessio illa in singulis locis acceptata fuerit : sicut etiam considerandum erit, an sacra congregatio rituum ejusmodi Gregorii concessionem revocaverit aliquando etiam pro Hispania : nam Quintanadvennas dicto sing. xxvii. num. 3. affert aliquas congregationis declarationes contrarias dictæ concessioni, nempe in Calagur. 1. Sept. 1612. et in Conchensi 12. Martii 1618. quæ utique videntur de ecclesiis Hispanis egisse, et hæc dicta sunt ad 1. quæsitum.

Secundo ab eodem capitulo quærebatur, an approbandum videretur, quod in sua ecclesia Palentina die 21. Octobris officium fieri soleat duplex sanctarum Ursulæ, et sociarum ejus, propter caput unius ex illis, quod ibi asservatur, et rursus die sequenti fiat etiam Officium duplex S. Cordulæ, quæ fuit una ex sociis S. Ursulæ, cujus etiam caput ibidem habetur ? Ratio autem dubitandi erat, quia quamvis S. Cordula passa fuerit die sequenti, Ecclesia tamen videtur eas omnes simul die præcedenti celebrare. 5

Dixi tamen, inprimis diligenter examinandum, an vere illud sit caput S. Cordulæ ; audio enim Mediolanenses affirmare, quod apud ipsos sit, imo ut cardinalis Baronius in notis ad martyrologium die 22. Octob. approbare videtur historiam de translatione S. Cordulæ contentam in vita Alberti Magni part. 2. ca. 9. Si tamen sufficienter constaret de veritate, et identitate illius reliquiæ, crederem posse in ecclesia Palentina, ubi habetur, fieri seorsim officium duplex de ea, die 22. Octob. postridie festi S. Ursulæ, et sociarum, cum ipsa non cum aliis, sed die sequenti passa sit. Fateor Ecclesiam aliquando conjungere eadem die in officio eos martyres, qui diversis diebus mortui sunt. Sic enim celebrat die 18. Julii festum S. Symphorosæ, et ejus filiorum, cum tamen Symphorosa 6

non eadem die cum filiis, sed die præcedenti fuerit occisa. Sic 9. Januar. S. Julianus celebratur, et conjungitur cum multis sociis, qui non eadem die mortui sunt. Similiter die 22. Sept. celebrat omnes socios S. Mauritii, qui tamen non omnes eadem die obierunt. Idem die 28. Febr. conjungit in martyrologio omnes illos, qui Alexandriæ sese devoverunt, ut peste infectis ministrarent, et in eo ministerio obierunt, quos certum est, non omnes eadem die obiisse. Sic etiam die 24. Jun. collocantur simul plurimi sancti martyres, qui Romæ sub Nerone imperatore successive necati sunt, et alibi sæpe idem facit. Aliquando tamen separat in cultu eos, qui diversis diebus mortui sunt, licet in martyrio socii fuerint : ut de facto separat S. Felicitatem a suis filiis, S. Romanum a S. Laurentio, et alios similes, quod idem facit in S. Cordula, cujus martyrium legit in Martyrologio die sequenti, postquam lectum fuerat martyrium S. Ursulæ, et ejus sociarum. Voluit ergo, quod in officio divino separarentur : nam lectio martyrologii, quæ in choro ad Primam quotidie recitatur, pars est officii divini : et constat ex rubrica II. ejusdem martyrologii, debere legi sanctorum memoriam die præcedenti eorum festum : quare, cum Ecclesia recitet in choro martyrium S. Cordulæ die 21. Octob. eo ipso vult, quod de ipsa officium fiat, ubi id faciendum sit die sequenti, quæ est 22. ejusdem mensis. Unde non videntur reprobanda, sed potius omnino retinenda illa consuetudo recitandi officium S. Cordulæ die 22. seorsim ab ejus sociis, cum hoc sit juxta mentem ecclesiæ Romanæ, quæ eo modo, quo recitat officium S. Cordulæ, recitat seorsim, et die diversa, dum in choro ad Primam legit ejus martyrium die sequenti, postquam legerat martyrium S. Ursulæ, et sociarum.

## DUBIUM XVIII.

*An expediat episcopum taxare missæ stipendium, ita ut majus accipi non possit, nec dari.*

Episcopus quidam zelo ductus omnem avaritiæ speciem a sacerdotibus tollere desiderans, eductum promulgavit, quo pro data sibi a sacrosancta synodo Tridentino potestate, atque ut Apostolicæ sedis super hac re delegatus ad tollendos abusus circa missæ sacrificium introductos, omnibus sacerdotibus sæcularibus, et regularibus districte prohibuit, ne quis sub quovis prætextu, aut quæsito colore, neque directe, neque indirecte poscat in posterum, vel recipiat pro qualibet missa quocumque festo, vel feriali die celebranda majorem eleemosynam, vel stipendium supra taxam ab eodem episcopo ibidem præscriptam, sub pœna suspensionis a divinis ipso facto incurrenda, et addita obligatione restituendi totum excessum iis, qui dedissent. Rursus largientibus eleemosynas, vel stipendia prohibuit, ne supra taxam darent, vel offerrent sub pœna excommunicationis latæ sententiæ eidem episcopo reservatæ. Si vero dantes non essent singulares personæ, sed communitates, congregationes, confraternitates, etc. sub pœna interdicti etiam ipso facto incurrendi. Putabat autem episcopus, sed id totum prohibere posse etiam sub censuris, ex potestate sibi tradita in concilio Tridentino sess. XXII. in decreto de observandis et evitandis in celebratione missæ, ubi statuitur, ut episcopus procedat, etiam ut delegatus sedis Apostolicæ ad prohibenda omnia, quæ a tanti sacrificii dignitate aliena sunt, et nominatim circa avaritiam sacerdotum, et cujusvis generis mercedum conditiones, et pacta, necnon importunas atque illibe-

rales eleemosynarum exactiones, potius quam postulationes, aliaque hujusmodi. Dubitatum ergo fuit, an virtute horum verborum potuerit episcopus ita rigide procedere etiam contra sponte et liberaliter dantes, et contra accipientes a sponte et liberaliter dantibus ?

2 Dixi primo, non videre posse taxari eamdem eleemosynam pro omnibus, et singulis missis in universum : nam in primis, si missa solemniter cantanda sit, non est rationabile, quod non detur major eleemosyna, quam soleat dari, quando sine cantu simplex, et privata missa recitatur, ut docent Suarez tom. III. in III. part. disp. 88. sect. 4. Bonacina *de Sacram.* disp. IV. qu. ultim. punct. 8. num. 13. Lezan. tom. IV. verb. *Missa*, n. 23, et alii, quos afferunt. Nec Dian. part. II. tractat. *de celebratione Missarum*, result. 9. quem Lezana pro contraria sententia affert, id negat ; non enim loquitur de missa cantata, sed de missa in die festivo dicenda, pro qua negat ratione diei festivi posse accipi duplicatum stipendium, quia id dicit prohibitum jam esse in decretis sacræ congregationis Concilii. Sed revera in iis decretis neque hoc prohibetur, sed solum quod sacerdos, qui accepit stipendia, ut duas missas celebraret, velit unica missa satisfacere. Aliud vero est, si detur ei duplicatum stipendium, ut in die festivo, vel cum solemnitate, et cantu unam missam celebret ; de quo casu sacra congregatio nihil decrevit.

3 Deinde potest augeri stipendium, et eleemosyna, si missa celebranda imponatur tempore, vel loco magis incommodo, ut si debeat summo mane ire ad celebrandum, vel e contra expectare post meridiem, vel ire ad locum valde distantem, præsertim cum æstu, vel imbre, ut similia incommoda pati, quæ omnia rationabiliter majus stipendium merentur, ut dixi disp. XI. *de Eucharistia*, sect. 1. num. 11. non ergo potest unum et idem stipendium præscribi, ita ut nunquam etiam positis gravioribus circumstantiis extrinsecis possit augeri.

Dixi secundo, potuisse episcopum finem 4
intentum corrigendi abusus obtinere indirecte, absque eo quod veniret ad rigidam prohibitionem pinguioris eleemosynæ ullo casu dandæ, vel accipiendæ : si enim ex sacerdotum avaritia abusus irrepserant, eo quod ii majorem eleemosynam peterent, et extorquerent ; poterat episcopus lege sua justum et rationabile missarum manualium stipendium taxare ; qua taxatione posita, excessus jure ipso esset injustus, et restitutioni obnoxius. Nam, licet stipendium illud non sit in rigore pretium missæ, quæ invendibilis est ; imitatur tamen rerum pretia, et ideo debetur ex justitia ad sustentationem totalem, vel saltem partialem sacerdotis, ut dixi loco citato *de Eucharistia*, et me etiam citato explicat Pelliz. *in manuali Regular.* tom. I. tract. V. cap. 9. num. 56. Quare, sicut in aliis rebus pretium lege taxatum est pretium justum, quod excedere venditori non licet ; sic postquam stipendium missæ manualis lege publica taxatum est, illud erit justum stipendium, atque adeo non poterit sacerdos sine injustitia majus stipendium exigere, imo tenebitur postea restituere totum excessum ei qui dedit, utpote injuste acceptum : sicut venditor in foro conscientiæ debet restituere id totum, quod supra justum pretium accepit.

Dixi denique tertio, episcopum non 5
debuisse ita generaliter prohibere sacerdotibus, ne unquam pinguius stipendium vel eleemosynam acciperent, etiam a sponte dantibus, et multo minus debuit prohibere petentibus missas, ne illud sponte darent. Imo ea etiam prohibitione posita, parum efficax esset, si ipsi revera vellent sponte dare ; possent enim ipsi saltem post missam celebratam, dicere sacerdoti, se illum excessum non dare in stipendium missæ, sed ex devotione gratis omnino illum donare : quare sacerdotes possent illum accipere, cum non acciperent pinguius stipendium, sed donum

gratis datum, quod ipsis prohibitum non erat. Sicut dici etiam solet, quod licet alii canonici non possint canonico non assistenti in chro remittere singuli partem, quæ ad illos pertinet de ejus distributione ; postquam tamen inter ipsos præsentes distributa fuit, possunt singuli donare suam partem illi, qui choro abfuit, dummodo id non fiat in fraudem legis, nec pactum præcesserit, sed ex amicitia singuli donent, ut cum aliis docet Thom. Sanch. lib. II. *consil.* cap. II. dub. 109. quia donare non est remittere. Sic ergo prohibita solutione stipendii, non prohibetur donatio ex amicitia, vel devotione, quare posset qui missam petit, non obstante edicto episcopi, dicere : Ego do ibi unum solum Julium pro stipendio missæ, sed rursus dono tibi ex devotione alios duos Julios ex mera liberalitate, et hoc modo redderetur inefficax prohibitio quoad eam partem.

6 Porro, non debuisse episcopum ita universaliter prohibere excessum voluntarium stipendii, probari potest ex usu laudabili fidelium, qui ex majori devotione erga res sacras, et ex majori reverentia erga sacerdotes, solent instituere capellanias, vel missas perpetuas, assignando pro singulis missis tres, vel quatuor, aut plures Julios, ut capellanus magis decenter et honorifice vivat, qui usus ab omnibus approbatur. Cur ergo in missis manualibus damnandus est, qui ex iisdem pietatis et religionis motivis velit pinguius stipendium sacerdoti elargiri ? præsertim cum in ejusmodi eleemosynis attendi etiam soleat dignitas dantis eleemosynam, et turpe sibi putet princeps et indecorum, si in danda eleemosyna servet eamdem regulam et mensuram, quam homo plebeius et pauper. Et quidem mirum esset, quod princeps, vel nobilis vir duplo, vel quadruplo majus stipendium solvat famulo suo, quam soleat solvere homo plebeius : sacerdoti vero, cujus ministerio utitur, ut per ipsum sacrificium Deo offerat, non possit majus stipendium dare, quam homo ex infima plebe dare soleat. Merito ergo Pellizarius dicto tr. V. cap. IX. sect. 3. num. 56. dicit, taxationem stipendii in missis, sicut non cogit sacerdotem, ne minus accipiat, si velit, ita non impedire dantes illud, ne majus et pinguius dare possint, si velint.

Ad summum ergo potuisset episcopus 7
prohibere, ne sacerdotes plus exigant, aut accipiant præcedente pacto, vel exactione explicita vel implicita, directa vel indirecta : hæc enim redolent et præ se ferunt speciem avaritiæ ex parte sacerdotum, atque adeo prohiberi possent ab episcopo, sicut alii abusus et consuetudines, quæ circa missæ sacrificum indecentiam aliquam continent, ut statuitur in dicto decreto concilii Tridentini. Quod vero fideles ex mera pietate et majore devotione sponte largiantur majorem eleemosynam, et stipendium sacerdoti illud non exigenti, nullam continet irreverentiam et indecentiam circa missas, sed maximam reverentiam, et pietatem. Quare non apparet, quomodo virtute præfati decreti concilii Tridentini, id possit episcopus prohibere. Sicut nec prohiberi potest in universum, ne testator jubeat dare religiosis, vel clericis ejus funus comitantibus duplo majorem eleemosynam, quam communiter in aliis funeribus dari soleat : vel plures et majores cereos dari ecclesiæ, in qua sepelitur, quam dari soleant ; hæc enim omnia nullam indecentiam, aut irreverentiam continent, sed signa sunt pietatis et reverentiæ, ut constat.

## DUBIUM XIX.

*Utrum archidiaconus dispensatus a summo Pontifice in defectu ætatis, possit habere votum in capitulo ?*

Nobilis quidam juvenis provisus fuit a 1
summo Pontifice de archidiaconatu ec-

clesiæ cathedralis, quæ non erat prima dignitas post pontificalem, et simul dispensatus fuit in defectu ætatis requisitæ, his verbis : « Nos tibi etc. archidiaconatum prædictum cum omnibus juribus, et pertinentiis suis, Apostolica auctoritate conferimus, et de illo etiam providemus, decernentes, etc. non obstantibus constitutionibus Apostolicis, dictæque ecclesiæ etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus contrariis quibuscumque. Nos enim tecum, etiamsi non sis in ætate legitima ad sacros ordines suscipiendos constitutus, nihilominus ut archidiaconatum prædictum ex nunc recipere, et quoad vixeris, retinere libere, et licite valeas, constitutionibus, et ordinationibus, statutis, et consuetudinibus supradictis, etc. de speciali gratia derogamus, etc. Volumus tamen, ut ordinem, quem ætas postulaverit, scilicet subdiaconatus, diaconatus, et presbyteratus, suscipe tenearis. » Dubitatum ergo fuit, an positus jam in possessione archidiaconatus, nondum tamen suscepto ordine sacro, posset virtute prædictæ dispensationis habere vocem in capitulo ?

2 Videbatur affirmative respondendum, propter illa verba generalia, *Archidiaconatum prædictum quod omnibus juribus, et pertinentiis suis*, nam inter alia quæ archidiacono competunt ratione suæ dignitatis, unum est de Ecclesiæ consuetudine, ut ad ipsum spectet absente decano, convocare capitulum, et in eo proponere, et resolutiones accipere, idque eum præstare posse, etiamsi non sit in sacris, cum iste sit actus jurisdictionis, qui competit archidiacono, etiam in sacris non constituto, et ad decanum non spectat ratione ordinis, sed antiquitatis et superioritatis, respondit olim sacra congregatio Concilii, ut habetur in ejus declarationibus impressis super c. IV. *de reform.* sess. XXII. Unde multo magis accedente dispensatione sedis Apostolicæ, ut possit habere archidiaconatum cum omnibus juribus, et pertinentiis suis.

Adhuc tamen videtur, dispensationem 3
illam non sufficere, ut vocem habeat in capitulo, quandiu in sacris non fuerit. Est enim doctrina satis communis apud omnes, dispensationem esse odiosam, atque adeo stricte interpretandam, ita quidem, ut non sit omnino inutilis et frustratoria (aliquid enim debet operari) sed ita ut habito aliquo effectu non extendatur ad alia, quæ in ea non explicantur, de qua regula ultra alios videri potest Gonzal. *super regul. Cancellariæ gloss.* 15. num. 29. ubi affert verba regul. 50. Cancellariæ, quibus dicitur : « Dispensatio non venit sub quacumque signatura in quavis gratia, nisi totaliter gratia effectum hujusmodi dispensationis concernat, vel alias nisi conferat, vel operatur, » de quo etiam videri potest Thom. Sanchez, alios referens lib. VI. *de matrim.* disp. I. num. 3. et 20. ubi exemplum affert illius, qui dispensatus est ne resideat in beneficio, neque enim ideo dispensatus est, ut fructus percipiat, qui absentibus dari non solent, et num. 21. addit, dispensationem non extendi ad annexa sepabilia, quoties id super quo principaliter dispensatur, potest sortiri effectum, licet non ita plene et facile, sicut si esset dispensatus etiam super antecedenti et consequenti. In casu autem nostro sunt duo separabilia, habere archidiaconatum sine ætate ad eum requisita, et habere vocem in capitulo sine ordine sacro : quare dispensatio potest sortiri suum effectum quoad primum, quamvis non extendatur ad secundum, quod in dispensatione non fuit explicatum. Nec est simile, quando aliquis habens canonicatum dispensatur ut fiat subdiaconus ante ætatem requisitam ad hunc ordinem, quo casu consequenter poterit habere vocem in capitulo, quam ideo solum non habebat, quia non erat in sacris ; quare dispensatus ad ordinem, et eo suscepto, potest sine alia dispensatione habere vocem in capitulo, ut cum aliis docet idem Sanchez ibi num. 23. At in casu nostro sunt duo impedimenta di-

versa. Primum est defectus ætatis ad dignitatem illam habendam. Secundum est defectus ordinis sacri ad habendam vocem in capitulo. Primum habetur ex Tridentino sess. XXIV. cap. 12. *de ref.* Secundum vero ex eodem Tridentino sess. XXII. cap. 4. *de reformatione*. In primo ergo impedimento fuit dispensatum, in casu nostro, quæ dispensatio non debet extendi ad secundum, de quo in rescripto nihil dicitur, et quod bene potest remanere, etiamsi primum ablatum sit, cum sint effectus omnino separabiles.

4 Nec obstant verba illa rescripti, quibus dicitur, dari archidiaconatum *cum omnibus, juribus, et pertinentiis suis*, etc. Responderi enim potest, illa verba habere suum effectum, quamvis ante ordinem sacrum non habeatur vox in capitulo : nam jus archidiaconi, vel canonici non est habere semper vocem in capitulo, sed habere illam quando fuerit in sacris : datur ergo in casu nostro archidiaconatus oratori cum omnibus juribus suis, quorum unum est habere vocem in capitulo quando fuerit in sacris. Sicut etiam inter jura cardinalatus unum est habere vocem activam in electione summi Pontificis, quando saltem in ordine diaconatus fuerit : quod jus cardinali, quando fit cardinalis : non tamen potest habere vocem activam in electione summi Pontificis, nisi fuerit promotus ad ordinem dictum diaconatus ; quia hoc solum est jus, quod accipit cum cardinalatu, nempe ad vocem activam, si habuerit ordinem sacrum saltem diaconatus. Similiter ergo in casu nostro conceditur archidiaconatus cum juribus suis, quorum unum est habere vocem in capitulo, quando fuerit in sacris, quo pacto verificantur verba illa concessionis, præsertim cum dispensatio sit stricte interpretanda, ut diximus, et satis sit, si in aliquo sensu proprio verificatur.

5 Nec etiam obstant verba illa rescripti, *non obstantibus constitutionibus Apostolicis*, etc. quia in primis ejusmodi clausula derogatoria non inducit dispensationem, nisi ex aliis claris verbis id constet, ut cum aliis notat Gonzales dicta *gloss.* XV. num. 32. Deinde, quia ejusmodi derogatio generalis, quamvis tollat obstantias perpetuas, non tamen tollit temporales, ut ex Rota, et aliis notat idem Gonzales gloss. XXI. nu. 30. impedimentum autem in casu nostro ad vocem in capitulo non erat perpetuum, sed temporale, donec adveniente ætate susciperet ordinem sacrum, quem quidem brevi intervallo accipere poterat, nempe post annum a concessione præbendæ, cum tunc temporis narraverit se inchoasse 21. ætatis annum. Denique ex ipsis verbis derogationis constare videtur, non derogasse Pontificem constitutionibus contrariis ad effectus habendi vocem in capitulo sine ordine sacro, sed ad effectus obtinendi archidiaconatum ante ætatem legitimam ; post verba enim illa, *non obstantibus*, etc. *contrariis quibuscumque*, statim immediate addit : « Nos enim tecum, etiamsi non sis in ætate legitima ad sacros ordines suscipiendos constitutus, nihilominus, ut archidiaconatum prædictum ex nunc recipere, et quoad vixeris retinere libere, et licite valeas, constitutionibus et ordinationibus, statutis et consuetudinibus supradictis, etc. de speciali gratia derogamus, » quæ verba satis aperte limitant derogationem, ut solum intelligatur ad effectus accipiendi et retinendi archidiaconatum, non ad effectum vocis in capitulo sine ordine sacro, qui effectus, ut dixi, separabilis est ad adeptione, et retentione archidiaconatus, et ideo dispensatio et derogatio odiosa non videtur ad illum effectum extendenda.

## DUBIUM XX.

*An possit episcopus prohibere, ne regulares concionentur in suis ecclesiis diebus quadragesinæ, quibus eadem hora habetur concio in ecclesia collegiata ejusdem loci?*

1 Prohibuit id de facto quidam episcopus, et procedere volebat contra regulares non obedientes: qui fortasse intentionem suam fundare poterat, primo in verbis concilii Tridentini sess. XXIV. c. 4. *de reformat.* ubi prohibetur, « ne ullus sæcularis sive regularis, etiam in ecclesiis suorum ordinum, contradicente episcopo, prædicare præsumat, » nam in casu nostro episcopus expresse contradicebat, ne illis diebus, vel horis prædicarent. Secundo fundari poterat in verbis Gregorii XV. in constitutione *de exemptorum privileg.* edita anno 1622. ubi habetur, quod episcopus tanquam sedis Apostolicæ delegatus habeat auctoritatem coercendi, ac puniendi quoscumque exemptos, tam sæculares quam regulares, qui in alienis ecclesiis, aut quæ suorum ordinum non sunt, absque episcopi licentia, et in ecclesiis suis, aut suorum ordinum, non petita illius benedictione, aut ipso contradicente, prædicare prædicare præsumpserint. Poterant ergo puniri ab episcopo in casu nostro, qui ipso contradicente, iis diebus, et horis prædicabant. Denique confirmari potest ex declaratione sacræ Congregationis, quam ex Gravento *in Manuali episcoporum*, verb. *Concio sacra*, refert Lezana to. II. verb. *concionari*, num. 13. qua dicitur posse prohiberi ab episcopo concionem non solitam extra cathedralem tempore adventus, et quadragesimæ. Nam in casu proposito episcopus allegabat, non fuisse solitum, ut extra collegiatam iis diebus conciones haberentur.

2 Contra hanc tamen episcopi prohibitionem videtur in primis obstare, quod habetur in Clement. *Dudum, de sepulturis*, in qua solum prohibentur regulares prædicare in suis ecclesiis illa hora, quo episcopus prædicare in suis ecclesiis illa hora, qua episcopus prædicare voluerit, vel coram se solemniter prædicari. Unde multi dicunt, semel petita benedictione episcopi, non posse prædicatores regulares prohiberi ab episcopo, ne in ecclesia sui ordinis concionentur; sed posse eos etiam episcopo contradicente prædicare, ita Miranda, Barbosa, et Peyrynus, quos affert et sequitur Diana part. IV. tract. II. *de Regularium*, resolut. 58. qui addit, ratione scandali, practice loquendo, debere regularem, prohibente episcopo, a prædicatione abstinere.

3 Afferunt etiam aliqui ad hoc probandum Breve quoddam Urbani VIII. datum 30. Januarii 1629. ubi habetur: « Quod dicitur, regulares non posse verbum Dei prædicare sine episcopi licentia, id locum sibi vendicat in his tantum ecclesiis, quæ sui ordinis non sunt; cum in aliis ecclesiis sui ordinis sufficiat episcopi benedictio petita, licet non obtenta: ita tamen, ut, si episcopus non modo benedictionem simpliciter non concesserit, verum etiam regularibus prohibuerit, quo minus prædicent, tunc illo contradicente, in sui quidem ordinis ecclesiis liceat illis prædicare, quemadmodum sacri concilii Tridentini decretis salubriter cautum est, » quæ eadem fere verba refert Lezana to. III. verb. *concionari*, nu. 7. ex Novario, et aliis tanquam declarationem datam a sacra Congregatione 20. Januarii 1629. Ego tamen utrobique credo errorem litteræ subrepsisse, ut observavit bene Pellizzarius *in Manual. Regul.* tom. II. tract. VIII. *de privilegiis*, cap. IV. sect. 1. quæst. 3. num. 4. qui monet, in originali illius Brevis additam esse particulam non, et dici, non liceat illis prædicare, quemadmodum sacri concilii Tridentini, etc. ut testantur ii,

qui originales Brevis viderunt. Et quidem ex contextu verborum id satis constat. Primo ex illis verbis, *ita tamen* nam adversativa *tamen*, significat exceptionem oppositam verbis præcedentibus, quibus dictum fuerat, sufficere benedictionem petitam, et non obtentam : excipitur tamen statim casus, quo episcopus non solum benedictionem non concesserit, sed etiam expresse prohibuerit, in quo sensu cohæret bene tota littera, quæ alias non cohæret. Secundo, quia dicitur, id esse juxta id quod in concilio Tridentino salubriter cautum est : constat autem in concilio Tridentino sess. XXIV. c. IV. *de reform.* prohiberi, *ne ullus sæcularis, sive regularis, etiam in ecclesiis suorum ordinum, contradicente episcopo, prædicare præsumat.* Quomodo ergo poterat decretum Concilii ab Urbano VIII. allegari, ut etiam contradicente episcopo, posset regularis in ecclesia sui Ordinis prædicare ?

4 Melius afferri posset pro hac parte declaratio quædam sacræ Congregationis facta 5. Junii 1590. in hæc verba : « Non debent impediri regulares, quo minus in quadragesima concionem habeant in suis ecclesiis, etiamsi non fuerit consuetudo. » quam declarationem refert Gavantus in *Euchyrid. episcoporum*, verb. *Regularium jura sub episcopis*, nu. 55. ex ipso eamdem refert Pellizzarius ubi supra num. 5. quæ videtur continere casum nostrum in propriis terminis. Nec videtur obstare illa alia declaratio, quam ex eodem Gavanto supra retulimus, in qua dicitur posse episcopum prohibere concionem non solitam extra cathedralem tempore adventus, et quadragesimæ : nam in primis ibi non agitur de regularibus concionantibus in propriis ecclesiis, qui, ut magis privilegiati, debuissent exprimi nominatim. Deinde, quia ibi sermo erat de concursu in concione cum cathredali, in quo concio est magis privilegiata propter præsentiam episcopi, qui potest prohibere, ut supra vidimus, ne ipso prædicante, vel faciente coram se solemniter prædicari, alibi prædicetur : nostro autem casu concursus erat solum cum ecclesiis collegiatis, in quibus concio habebatur.

Sed, ut verum fatear, semper restat 5
difficultas ex verbis Tridentini, quibus generaliter negatur posse regulares etiam in propria ecclesia prædicare, contradicente episcopo. Scio, aliquos apud Dianam part. VII. tract. XII. resolt. 24. explicare verba illa Concilii, de casu, quo episcopus vult prædicare, vel coram se prædicari. Sed certe verba Concilii sunt universalia, ut legenti constat. Video etiam, posse aliquem respondere, ibi non agi de prohibitione ipsius concionis, sed de prohibitione facta alicui in particulari, ne ipse concionetur. Aliud enim est, quod episcopus prohibeat alicui regulari, ne prædicet, quod Concilium voluit posse fieri ab episcopo, qui propter vitam vel doctrinam minus decentem, poterit prohibere alicui munus concionandi. Aliud vero est, quod prohibeat universaliter, ne ullus in tali loco concionetur, quod videtur esse contra facultates concionandi regularibus a summis Pontificibus concessas, de quo casu non videtur agi in prædicto loco concilii Tridentini. Sed tamen hanc responsionem non admitteret P. Suarez, qui tom. IV. *de Religione*, tract. X. lib. IX. c. I. nu. 30. supponit, quamvis alia jura deessent, ex vi illorum verborum Tridentini, posse episcopum prohibere ne ipso prædicante, vel faciente coram se solemniter prædicari, regulares etiam in propriis ecclesiis concionentur ; quia jam in eo casu prædicarent episcopo prohibente, quod universaliter a Tridentino prohibetur. Supponit ergo, prohibitionem illam generalem concionis tali loco et hora faciendæ comprehendi sub illa regula universali contenta in concilio Tridentino, nolente regulares concionari in propriis ecclesiis nisi petita ab episcopo benedictione, et ipso episcopo non contradicente.

Possent fortasse hæc omnia concordari 6
juxta ejusdem Concilii mentem, distin-

guendo duplex debitum, quod in diversis personis considerari potest. Unum est ex parte ipsorum regularium, qui concionari volunt : alterum est ex parte episcopi, qui contradicit. Et quidem regulares ipsi videntur non posse, contradicente episcopo, adhuc concionari ; id enim significant verba Tridentini, et verba etiam Urbani VIII. supra relata, qui in hoc sensu explicat mentem Tridentini : et indecens sane esset et scandalum generaret, quod regulares, contradicente episcopo concionarentur, nec posset fructus ex tali concione sperari, sed merito timeri possent jurgia, et detrimenta spiritualia, ut in simili dixit Suarez dicto c. 1. num. 9. de religioso cui episcopus injuste negat licentiam necessariam ad prædicandum, quem quidem dixit debere adhuc a concione abstinere, donec licentiam obtineat. Si autem sermo sit de ipso episcopo, requiritur quidem causa justa, ut contradicat religiosis volentibus in propriis ecclesiis prædicare : quæ cusa non videtur sufficiens esse in casu nostro, præsertim in concursu, non cum cathedrali, sed cum collegiata : unde non mirum, quod sacra Congregatio ejusmodi causam non approbaverit. Quamvis ergo ipsi regulares abstinere debeant a concione contradicente episcopo ; possunt tamen ab ejusmodi contradictione reclamare coram sacra Congregatione, ad quam spectat monere episcopum, prout sæpe fecit, ut ab ejusmodi prohibitione et contradictione desistat. Atque ita omnia debito ordine fiunt, servata reverentia episcopis debita, et ablata scandali occasione, quod ex inobedientia et resistentia regularium orietur ; et cohibita etiam episcoporum licentia, dum per eorum superiores monentur, et coguntur ad indebitis prohibitionibus et contradictionibus desistere, quo pacto, ni fallor, omnia juxta Tridentini mentem concordari possunt.

## DUBIUM XXI.

*An episcopus possit procedere ad taxam contributionis pro seminario faciendam cum tribus solis deputatis, renuente clero quartum eligere ?*

Ut seminarium clericorum juxta decretum S. concilii Tridentini in unaquaque diœcesi erigatur, decrevit idem Concilium sess. XXIII. c. 18. *de reformatione*, ut episcopus statuat, et taxet portionem ex fructibus singulorum beneficiorum detrahendam pro expensis seminarii, cum consilio tamen duorum de capitulo, quorum alter ab episcopo, alter ab ipso capitulo eligatur, itemque duorum de clero civitatis, quorum alterius electio ad episcopum, alterius vero ad clerum pertineat. Cum ergo juxta tenorem hujus decreti tres jam electi essent, qui episcopo assisterent, et desideraretur electio quarti deputati qui a clero eligendus erat, clerus noluit ad ejus electionem devenire. Unde episcopus dubitavit, an sine quarto deputato, et cum solis tribus jam rite electis posset procedere ad taxationem contributionis designandam. Ratio autem dubitandi esse poterat, quia ex verbis Concilii videtur requiri pro substantia horum actuum, quod fiant cum consilio illorum quatuor deputatorum. Unde congregatio Concilii 13. Januarii 1594, respondit, unionem ab episcopo factam seminario absque consilio quatuor deputatorum, juxta præscriptum concilii Tridentini, non esse validam, prout habetur in declarationibus Congregationis impressis. Idem ergo dici deberet a fortiori de taxatione contributionis faciendæ, pro qua idem concilium magis clare, et expresse requirit consilium quatuor deputatorum. Vereri ergo poterat episcopus, ne si cum consilio solum trium deputatorum procederet, argueretur de 1

nullitate contra taxationem factam, non servata forma concilii Tridentini.

2 His tamen non obstantibus, sacra congregatio concilii Tridentini die 28. Novembris 1648. respondit, et decrevit, ut episcopus præfixo termino competenti, si non sequeretur electio quarti deputati, ipse cum tribus jam electis procederet ad taxam juxta præscriptum Concilii faciendam; quod quidem merito responsum fuit, quia alioquin esset in potestate cleri impedire taxam, et contributionem faciendam, non veniendo scilicet unquam ad electionem quarti deputati; atque ita fraudaretur intentio Concilii subveniendi seminario ex contributione communi ad alimenta necessaria pro ejus alumnis.

3 Ratio autem esse potest, quia episcopus in primis ex vi Concilii, licet teneatur adhibere in consilium illos deputatos, et cum eorum consilio decernere; non tamen tenetur eorum consilium sequi, ut sæpe declaravit sacra congregatio, ut constat ex verbis Tridentini, ubi dicitur *de consilio*, seu *cum consilio*, quæ formula regulariter non inducit obligationem sequendi, sed solum audiendi consilium, ut observant communiter doctores, et in terminis nostri casus notavit Gonzalez *in regul.* 8. *Cancellar.* gloss. XLVI. num. 73. Regula autem generalis est, ut quando quis debet exquirere, et audire consilium alterius ad aliquem actum faciendum, debeat quidem opportune eum monere, et expectare tempore debito et competenti, ut consiliarius respondere possit. Si tamen consiliarius differat plus debito, vel nolit consilium dare, potest procedi ad actum, ipsius consilio non expectato, ut colligitur ex c. *cum in veteri*, 52. *de elect.* et docent Abbas ibi num. 8. Butrius num. 7. et 8. Bartolus, Lambertinus, et alii, quos refert et sequitur idem Gonzalez d. glos. XLVI. num. 59. et 60. Cum ergo in casu nostro episcopus in prædicta taxa facienda debeat exquirere consilium capituli, et cleri, ad quem finem capitulum debet deputare unum ex ipso capitulo, et clerus alium de ipso clero: debet utique episcopus opportune admonere clerum, ut deputet illum, cujus consilium nomine cleri audiendum sit. Si autem debito tempore elapso clerus nolit deputare; poterit utique episcopus ad actum procedere cum aliis consiliariis deputatis: idem enim est, quod clerus nolit consilium dare, ac quod nolit deputare illum, qui nomine cleri consiliarius sit, atque adeo procedet regula supra posita, quod debeat tempus opportunum, et sufficiens assignari ad electionem consiliarii a clero faciendam, quo tempore elapso si clerus nolit consiliarium deputare, episcopus satisfecisse censebitur suo debito petendi consilium a clero, et eo deficiente, procedere poterit ad actum sine timore invaliditatis: quæ fuit responsio prudentissima eminentissimorum patrum sacræ Congregationis.

## DUBIUM XXII.

*An clericus transiens ad armatam militiam perdat pensionem, quam ex dispensatione retinere poterat in statu matrimonii, et sine habitu clericali?*

N. Clericus minorum ordinum, cui 1
reservata fuerat pensio ecclesiastica, dispensationem postea obtinuit, ut posset eamdem pensionem retinere etiam sine habitu clericali, et in statu matrimonii. Sed tamen idem N. transiit etiam ad armatam malitiam: quæsivit episcopus, an non obstante dicta dispensatione, amiserit ipso facto pensionem quam habebat?

Duo videbantur contineri in hoc quæ- 2
sito. Primum, an dispensatio obtenta extenderetur etiam ad hunc casum. Secundum, an, si revera non extendebatur, censeretur ipso facto extincta pensio, absque alia declaratione, vel monitione. Ad primum dixi, dispensationem illam non extendi ad casum hunc; quotiescumque

enim intercedunt plura impedimenta provenientia ex diversis prohibitionibus, et legibus, requiruntur dispensationes in iis omnibus, vel certe una dispensatio, quæ omnes illas prohibitiones comprehendat sub aliqua ratione generica, et universali, ut colligunt doctores ex ea. *pastoralis, de privilegiis*, et ex c. II. *de filiis Presbyterorum* : l. 6. Geminian. Franch. Rota, et alii, quos congerunt, et sequuntur Gonzalez *in regul.* VIII. *Cancell.* glos. XIII. nu. 97. et Lotterius *de re beneficiaria* tom. I. lib. I. qu. 11. num 192. Constat autem, ad pensionem ecclesiasticam habendam et retinendam, aliud esse impedimentum, si matrimonium contrahatur ; aliud, si deseratur habitus clericalis et tonsura ; aliud vero si pensionarius transeat ad militiam armatam : hoc enim ultimum, tanquam impedimentum diversum enumerant doctores quos afferunt et sequuntur Gonzalez ubi supra *gloss.* XV. num. 54. Lotterius tom. II. lib. III. q. 26. num 87. et 88. Azor. II. part. l. VIII. ca. 10. quæ. 4. Castro Palao tom. II. tr. XIII. *de beneficiis* disput. I. punct. 11. §. 10. num. 9. Cum ergo dispensatio solum fuerit facta ad retinendam pensionem in statu matrimonii, vel sine habitu clericali, non debet extendi ad casum assumptæ militiæ armatæ, qui est casus diversus, et quidem multo gravior et difficilior, cum multo minus deceat clericum militiam exercere, quam uxorem ducere, vel habitu laico incedere : quare ad retinendan pensionem eo etiam casu, necessaria esset expressa illius mentio, ut constat ex dictis.

3 Major esse posset difficultas circa secundum punctam, an scilicet assumpta militia armata, ipso facto extincta esset pensio, an vero prærequiratur legitima monitio, ut pensionario non parente, et militiam deserente, extingui posset? Aliqui enim ex allegatis doctoribus significare videntur, et supponere, quod ipso facto pensio extinguatur, quos affert et sequitur Gonzalez dicta *gloss.* XV. nu. 54. Et quidem doctores eodem modo loqui videntur de clerico uxorem ducente, et de illo qui miles fit, ut constat ex gloss. in cap. *qualiter*, verb. *quadriennium*, et in cap. ultimo, verb. *redierint*, *de Clericis residentibus* ; quare in utroque loco dicitur, vacare ipso facto beneficia ; et quidem de casu matrimonii contracti omnes supponunt ipse facto vacare, et ubi primum constat de matrimonio contracto, posse beneficia ut vacantia aliis conferri.

Alii tamen volunt clericum militem 4
factum monendum esse, antequam pensione ecclesiastica privetur, ut militiam deserat, et ad statum clericalem redeat, ita tenet Azor. II. part. l. VIII. cap. quæ 4. Gigas *de pensionib.* qu. 55. Et castro Palao ubi supra dicto nu. 9. et aliquo modo favet Lotterius dicto l. III. qu. XXVI. num. 90. et seqq. favet etiam Thesaurus *in praxi Ecclesiastica* part. II. verb. *habitus*, cap. 1. §. limita 4. ubi etiam stante bulla Sixti V. procedens sine habitu et tonsura privatur ipso facto omnibus pensionibus ; indicat tamen probabile esse, quod id non habeat locum in foro conscientiæ non præcedente monitione et contumacia. Denique idem videtur colligi ex cap. quicumque XXIII. quæ. 8. ubi sic dicitur : « Quicumque ex clero esse videntur, arma militaria non sumant, nec armati incedant : sed professionis suæ vocabulum religiosis moribus, et religioso habitu præbeant. Quod si contempserint, tamquam sacrorum canonum contemptores, et ecclesiasticæ sanctitatis profanatores, proprii gradus amissione mulctentur, quia non possunt simul Deo, et sæculo militare. » Videtur ergo requiri monitio, ut reperiatur contemptus ; imo et videtur requiri sententia, cum sine illa mulctari non possint.

Ego quidem magnam videor mihi dif- 5
ferentiam agnoscere inter matrimonium, et militiam, cum matrimonium afferat statum firmum et perpetuum, qualem non affert militia, quæ aliquando assumi potest ad aliquod breve tempus, vel du-

rante aliqua brevi expeditione, cum animo redeundi statim ad vitam domesticam et inermem. Unde quamvis facto matrimonio, eo ipso et ante omnem monitionem et sententiam vacent beneficia, et extinguantur pensiones : id tamen non videtur iu universum verum, saltem in foro conscientiæ, quando aliquis militiam profitetur. S, v. g. ipse conscius sibi sit animi et intentionis deserendi cito militiam, et deponendi arma. Videtur enim vacatio beneficiorum, et extinctio pensionum fundari in præsumptione, qua miles præsumitur deserere omnino statum clericalem, et assumere statum omnino incompatibilem : ut colligitur ex gloss. in d. cap. *qualiter*, verb. *Quadriennium*, de Clericis non residentibus, ubi dicitur : « quamdiu non renuntiat. clericus semper est : et licet vagetur, non habet ecclesiam pro derelicto, nisi contrahat contrariam negotiationem, ut si fiat miles, vel si contrahat matrimonium. » Et rursus gloss. in dicto cap. fin verb. *redierent*, eodem titul. ubi dicitur : « super hoc tamen distingue, quia aut habet ecclesiam pro derelicto, aut non. Si habet eam pro derelicto, puta, quia contraxit matrimonium, vel factus est miles, vel joculator : cum de hoc constiterit, episcopus statim postest ecclesiam illam alii conferre, etc. vel si recepit aliam ecclesiam habentem curam animarum, cum prius talem haberet, etc. si vero non habet eam pro derelicto, monendus est. » Totum ergo reducitur ad præsumptionem relinquendi statum clericalem : quod idem in casu nostro applicari potest ad præsumptionem relinquendi statum togatum, et assumendi statum militarem : quare in foro conscientiæ standum erit conscientiæ et confessioni ipsius pensionarii. In foro etiam conscientiæ credo, quod is, ad quem pertinet pensionem solvere, si ei constet pensionarium factum militem, possit interim eam non solvere ; quia licet id non sufficiat ad agendum, videtur sufficere ad excipiendum, quamdiu pensionarius non probat de retento animo redeundi quamprimum ad priorem statum, et relinquendi militiam. Quod a simili probari potest ; quia quamvis aliqui dicant, pensionarium in foro conscientiæ non privari sua pensione ipso facto ante declarationem et monitionem, licet in habitu laico, sine tonsura incedat : adhuc tamen dicunt, beneficiatum posse eam pensionem non solvere, quando incipit pensionarius publice sine habitu incedere, ut notavit Thesaurus *in praxi Ecclesiastica*, part. II. verb. *habitus* c. 1. in fine, ex Garzia part. VII. c. 1. num. 19. Ergo eodem modo dicendum erit de assumente militiam armatam ; contra ipsum enim stare videtur præsumptio, quod mutaverit statum et amplexus fuerit statim incompatibilem cum pensione : quare ipsi videtur incumbere onus probandi, se nonnisi ad breve tempus, aut ex necessaria causa militiam assumpsisse, quod dum non probat, poterit bona conscientia pensio ei a beneficiato negari. Denique in foro externo judex, ut caute procedat, deberet prius monere et citare pensionarium, antequam pensionem extinctam declaret. Potest enim multa pensionarius allegare ad excusandam suam actionem, ut in ordine ad vacationem beneficii ob relictum habitum clericalem, et assumptas vestes laicas, monuit Lotterius dicto lib. III. qu. 26. a num. 90. usque ad finem. Unde in casu nostri dubii eminentissimi Patres sacræ congregationis Concilii putarunt, monendum esse secreto episcopum, ut præmitteret monitionem, antequam ad declarandam extinctam pensionem ob assumptam malitiam armatam juridice procederet.

## DUBIUM XXIII.

*An tertius addendus adjunctis capitularibus, quando ipsi non concordant cum episcopo, debeat esse ex eodem capitulo ?*

1 Concilium Tridentium sess. xxv. c. 6. *de reform.* statuit, ut in capitulis exemptis initio cujuslibet anni capitulum eligat duos ex capitulo, de quorum consilio et assensu episcopus, quando extra visitationem procedit, tam in formando processu, quam in cæteris actibus contra aliquem ex capitularibus, procedere teneatur : utriusque autem adjuncti unum solum sit votum. « Quod si ambo ab episcopo discordes in aliquo actu, seu interlocutorio, vel definitiva sententia fuerint, tunc intra sex dierum spatium cum episcopo tertium eligant : et, si in electione tertii etiam discordent, ad viciniorem episcopum electio devolvatur ; et juxta eam partem, cum qua tertius conveniet, articulus, in quo erat discordia, terminetur, » etc. Dubitatum sæpe fuit, an discordantibus adjunctis ab episcopo, tertius debeat necessario ex eodem capitulo eligi, an vero possit eligi aliquis, qui de capitulo non sit ?

2 Sententia affirmans, posse quemlibet eligi etiam extra capitulum, multis argumentis probari videbatur. Primo, quia si Concilium voluisset tertium esse omnino de capitulo, utique id expressisset, prout expressit in verbis proxime præcedentibus, duos illos adjunctos debere esse de capitulo ; postea vero, quando de tertio loquitur, eam particulam omisit, et solum dixit, quod intra sex dies *cum episcopo tertium eligant.* Cum ergo ibi non apposuerit in tertio eligendo eamdem qualitatem, non debet præsumi coarctata electio passiva ad solos capitulares ; hac enim de causa responsum fuit, posse deputari vicarium capitularem, qui non sit de capitulo, quia non reperitur cautum quod sit de capitulo, ut notarunt Garzia *de benefic.* part. v. cap. 7. num. 13. Meroll. *oper. moral.* to. III. disp. vii. cap. 7. num. 187. Vulp. *in prax. Episcopo* c. xliv. num. 25. et alii quos affert Diana part. VIII. tr. iv. resol. 57. ergo idem erit in casu nostro. Præsertim cum lex nova correctoria juris communis debeat restringi potius quam ampliari : qualis procul dubio est lex illa, cum de jure communi nemo sit exemptus in criminalibus a jurisdictione et judicio sui episcopi : quare exemptio canonicorum, ut non possint in criminalibus a solo episcopo judicari, sed cum adjunctis, debet omnino stricte explicari, quantum verborum proprietas pati possit, ut quam minimum episcopi jurisdictio lædatur, quæ fundatur in jure communi, ut constat.

Secundo, quia qualitas illa, *de Capitulo*, apposita in præcedentibus, non censetur repetita in subsequentibus, juxta doctrinam Baldi *consil.* 123. num. 3. libr. v. dicentis, quod quoties sequentia discrepant a præcedentibus in ratione, intelligitur nova forma data, non superior repetita. Constat autem diversitas magna, quæ est inter electionem adjunctorum, et inter electionem tertii, si hic etiam deberet esse de capitulo ; quando enim duo adjuncti sunt de capitulo, utrique unum solum est votum, nec uterque potest prævalere voto episcopi, vel ejus vicarii. In casu autem discordiæ, si tertius debeat esse de capitulo, jam capitulum prævalet episcopo, cum sint tres de capitulo, quibus cedere debet votum episcopi, atque ideo non servaretur æqualitas, quam concilium Tridentinum intendisse videtur in hoc negotio et quæ servatur quidem, quando duo adjuncti sunt de capitulo : non servatur autem, si addatur tertius de eodem capitulo, cujus judicio res tota terminanda sit. 3

Unde arguitur tertio, quia, quando tertius in aliqua causa eligendus est, neu- 4

tri parti debet esse suspectus, ut colligitur ex l. *item si unus* 19. §. fin in ultimis verbis, ff. *de receptis arbitris*, et magis in terminis nostri dubii in c. *cum R. Canonicus*, *de officio delegati*, et Canonistæ id tradunt communiter in cap. *suspicionis*, eod. tit. et in cap. *innotuit*, *de arbitris*. Est autem quilibet canonicus suspectus in causis alterius sui canonici, ex dicto textu in c. *cum R. Canonicus*, et ibi glossa, et aliis, quibus adde Alvarum Pelagium *de planctu Ecclesiæ* lib. II. c. 26. vers. 9. Riccium decis. 179. par. 1. Et quidem in casu nostro canonici non paterentur, quod eligeretur, in tertium cicarius, vel alius minister episcopi ; ergo nec episcopus arctari debet, ut eligat unum ex canonicis, qui semper suspectus censetur, ut favere velit suo canonico, et sodali.

5 His tamen non obstantibus, contraria sententia tenenda videtur, et dicendum, illum tertium debere esse ex eodem capitulo, sicut alios adjunctos, quod in primis colligi videtur ex contextu verborum Concilii, ubi, postquam dictum est, debere eligi duos ex capitulo, qui simul cum episcopo cognoscant de criminibus capitularium ; subditur immediate, si ii non concordent cum episcopo, debere a capitulo cum episcopo tertium eligi, etc. ubi particula *tertium*, videtur omnino relativa, sicut particula *alium*, atque adeo afferre, et repræsentare omnes qualitates positas in aliis duobus præcedentibus : de quo videri possunt Alex. lib. II. *Consil.* 204. num. 4. Barbosa *de diction.* dictione 26. n. 3 Surd. *consil.* 21. num. 14. et quidem communis omnium sensus hic esse videtur, ut similes clausulæ ita intelligantur. Si, v. gr. dicatur : Petatur consilium a duobus religiosis, et in casu discordiæ, petatur etiam a tertio, etc. vel si dicatur : Assumantur duo milites, et, si necesse fuerit, addatur tertius, etc. omnes intelligent tertium debere esse etiam religiosum, vel militem. Cum ergo Concilium dicat, eligendos esse duos capitulares, qui cum episcopo judicent, et iis ab episcopo dissentibus, eligendum tertium, subintelligi debet, *tertium capitularem* ; alioquin non esset tertius in illo genere, sed primus in alio genere diverso. Sensus ergo planus et sincerus illorum verborum est, quod ultra duos capitulares electos, eligatur alius tertius capitularis ex eodem genere personarum.

Confirmatur primo ex regula generali, 6
quod additamentum debet semper simile esse iis quibus additur ; de quo videri potest Barbosa *axiomate*, 13. nu. 1. et *axiomate* 34. num. 1. Ergo tertius additus duobus præcedentibus, debet habere eamdem naturam, et qualitates. Confirmatur secundo ex alia regula etiam communi, quod subrogatum debet sapere id in cujus locum subrogatur, ut notant communiter doctores ex l. *si eum* §. *qui injuriarum*, ff. *si quis caut.* l. *legatum sub conditione*, ff. *de adimendis legatis*, et in terminis judicis subrogati Alex. *Consil.* 20. quod incipit, *In causa appellationis*, n. 9. in fin. lib. IV. *et consil.* 88. n. 3. vers. *præterea*, lib. VII. et faciunt notata per Gratianum *in addit ad decis. Marchiæ* 157. nu. 12. et videri potest Barbosa *de axiom. jur.* axioma. 213. num. 1. Videtur autem tertius in casu nostro subrogari in defectum duorum discordantium, vel certe non parum imitatur naturam, et conditiones subrogationis.

Secundo principaliter probari potest 7
(et simul hoc deservit ad solvenda argumenta contraria) quia in casu nostro non est minor ratio, ut tertius debere esse ex capitulo, quam ut alii duo de eodem capitulo eligerentur. Nam in primis indecens esset, ut canonici, qui antea exempti fuerant, etiam ab ipsius episcopi judicio, non soli capitulo subderentur sed etiam judicio alterius clerici privati, qui necessario deberet esse in gradu inferiori : cum nullus sit clericus, per se loquendo, qui canonicis cathedralis ecclesiæ par sit ; nam ipsi post episcopum habent primum locum, et præcedunt totum

clerum : indecens ergo esset quod dissentientibus adjunctis ab episcopo, eligeretur in judicem clericus inferioris conditionis ; et quidem in judicem talem, cujus solius judicio res omnino terminanda esset, nam, ut habetur ex Tridentino ibi, in quamcumque partem tertius ille inclinet, illud habendum est pro sententia legitima. Non potuit ergo Concilii mens hæc esse, ut tertius eligeretur ex classe inferiori, et quod canonicus reus debeat judicari a suo inferiori.

8 Rursus hoc ipsum confirmari potest ex eo quod, si delictum, de quo agitur, sit commune totius capituli, tunc episcopus non debet assumere adjunctos extra capitulum, sed tota causæ cognitio devolvitur ad solum episcopum, ut declaravit sacra congregatio concilii Tridentini, et habetur in declarationibus impressis in illo c. 6. his verbis : « Propositum fuit, an ad episcopum, vel ad alium superiorem pertineat facultas procedendi contra capitulares, quando universum capitulum deliquit ? Item dato quod ad episcopum pertineat, an de consilio, et assensu duorum ex capitulo procedere teneatur juxta hoc caput ? Ad æas duas dubitationes sacra congregatio cardinalium concilii Tridentini interpretum sic respondendum censuit : nempe, quoad primum, hujusmodi facultatem procedendi competere ad episcopum etiam absque adjunctis, quando totum capitulum deliquit : modo delictum non sit in personam episcopi, vel in contemptum ejus, vel ubi episcopus habeat interesse ; tunc enim ea facultas contra capitulares procedendi devolvitur ad proximum superiorum. Ad secundum vero respondit, episcopum de consilio, et assensu duorum ex capitulo procedere non teneri. » Ex qua responsione constat, quam longe distet a mente Concilii, quod capitulares in causis criminalibus judicentur ab inferioribus, cum maluerit, quando omnes capitulares deliquerunt, reduci judicium ad solum episcopum, quam dari illi adjunctos ordinis inferioris. Quando vero episcopus esset suspectus, quia delictum fuerat contra ipsum, voluit recurri omnino ad alium superiorem, ut nullo casu capitulares ab inferioribus judicarentur.

Denique hoc ipsum ex solutione argumentorum contrariæ partis magis confirmabitur, et declarabitur. Ad primum enim constat ex dictis, mentem Concilii fuisse, ut tertius esset etiam de capitulo, qui eam conditionem explicuit, in duobus adjunctis, et repetita censetur in tertio, quem dicit addendum, cum sit particula relativa, et repræsentet qualitates proxime declaratas, ut supra vidimus. Nec obstat, posse capitulum deputare, Sede vacante, vicarium, qui non sit de gremio capituli, eo quod Tridentinum sess. XXIV. c. 16. *de reform.* non dixerit debere esse de capitulo ; fateor enim, in eo casu non requiri, quod sit de capitulo, quia neque ex verbis præcedentibus id colligi poterat ; prout in casu nostro colligitur ex verbis proxime præcedentibus, in quibus duo primi dicuntur eligendi de capitulo, quibus cum postea dicatur addendus tertius, intelligitur cum eadem qualitate implicite repetita, ut vidimus. 9

Illud vero, quod in eodem argumento addebatur, correctionem legum priorum esse vitandam, atque ideo hæc Concilii verba explicanda esse, ut minimum lædatur jurisdictio episcopalis, quæ fundatur in jure antiquo, hoc, inquam, retorqueri maxime potest contra arguentes ; si enim res hæc attente perpendatur, constabit, illud Tridentini magis fuisse promulgatum ad corrigendum jus antiquum circa exemptiones capitularium, quam circa potestatem episcoporum ; nam jus, quod extabat ante illud Tridentini decretum, non erat, quod episcopi cognoscerent de criminibus canonicorum, sed potius quod hi essent exempti a jurisdictione episcopi, et subderentur solum judicio capituli. Pro quo adverte, totum illud decretum non habere locum in iis capitulis, in quibus 10

episcopi poterant de jure, vel consuetudine de criminibus capitularium judicare ; quoad hæc enim capitula nihil prorsus voluit Tridentinum episcopis demere, sed addere illis jurisdictionem cum adjunctis in iis capitulis, quæ ab episcopi jurisdictione exempta erant. Si ergo lex hæc nova correctoria est, corrigit quidem jura antiqua, quæcumque illa essent, quæ capitularium exemptionibus favebant. Quare, si correctio legum priorum vitanda est, et lex nova in eo sensu intelligenda, in quo minus corrigat legem priorem, consequens potius esset, ut verba Tridentini in eo decreto in dubio ita intelligi debeant, ut minus recedatur a lege anteriori eximente capitulares a judicio aliorum, præterquam ipsius capituli.

11 Adde, si non solum attendamus ad leges proxime anteriores, quæ concilium Tridentinum præcesserunt, et favebant exemptioni capitularium, sed ad leges antiquiores et vetustiores ; has etiam reperiri faventes exemptioni canonicorum, ut non debeant ab inferioribus judicari, sed ab episcopo cum capitulo, ut habetur ex concilio Carthag. IV. c. 23. et Hispal. II. c. 6. relatis in c. penult. et ult. 15. q. 7. in quorum primo dicitur : « Episcopus nullius causam audiat sine consensu clericorum, alioquin irrita erit sententia episcopi, nisi clericorum præsentia confirmetur. » In secundo autem additur ratio his verbis : « Episcopus sacerdotibus, ac ministris solus honorem dare potest, auferre solus non potest, » et paulo post : « Qui profecto nec ab uno damnari, nec uno judicante poterunt honoris sui privilegiis exui : sed præsentati synodali judicio, quod canon de illis præceperit, definiri, » in quo etiam sensu loqui videtur Alexander III in c. 1. de *excessibus prælatorum*, ubi episcopis prohibet, ne presbyteros sine judicio capituli suspendere, vel eorum ecclesias interdicto subjicere attentent, ubi gloss. verb. *Capituli*, dicit, requiri consensum capituli, prout etiam illud, *judicium Capituli*, explicuit Felinus in ap. *irrefragabili*, sub num. 3. vers. *sed dic, quod imo, de offic. Ordinarii*, et videri possunt Lotterius *de re beneficiali* lib. I. qu. v. num. 60. et seqq. Barbosa *de Canonic.* c. 25. num. 1. Lud. a Sevaria in tract. *de adjunctis* qu. 1. a. n. 19. usque ad 47. Si ergo legum antiquiorum correctio vitanda est in interpretatione legis novæ, debemus in eo magis sensu decretum Tridentini intelligere, ut minus derogetur juri antiquo, quo canonici judicari non poterant sine judicio ipsius capituli. Certum est autem, magis recedi ab hoc antiquo jure, si decisio causæ deferatur ad judicium clerici non capitularis, quam si tertius adjunctus debeat esse de corpore capituli, quo casu jam videtur capitulum ipsum per unum de capitulo de causa tota cognoscere.

Ad secundum argumentum similiter 12 respondetur, non esse rationem specialem in electione tertii, ob quam ille non debeat esse de capitulo, sicut de aliis duobus explicuerat Tridentinum. Fateor, concilium intendisse æqualitatem constituere, et ideo duobus adjunctis dedisse unicum votum, et quod utrique æquivaleret episcopus. In casu autem discordiæ curavit idem concilium servare æqualitatem, quantum fieri poterat ; et ideo voluit, quod tertius eligeretur quidem de capitulo, sed qui esset gratus episcopo, sine cujus consensu electio tertii non possit subsistere : qui episcopi consensus non requiritur ad electionem aliorum duorum adjunctorum, sed eliguntur a capitulo indepenter ab episcopo : tertius autem debet esse gratus episcopo, et ab eo simul cum capitulo nominari. Præsumitur autem, semper in capitulo reperiri aliquem, de cujus integritate episcopus confidere possit, quod si capitulum hunc noluerit, recurritur ad superiorem, a quo cogetur capitulum in electionem illam consentire, si persona apta et idonea æstimabitur.

Unde ad tertium argumentum respon- 13 detur non esse universaliter verum, quod

omnes capitulares sint suspecti, quando agitur de aliquo canonico puniendo : nam certum est, sede vacante, totam jurisdictionem residere penes capitulum, a quo, vel ab ejus vicario capitulari canonici delinquentes judicantur et puniuntur. Idemque servatur in omnibus ordinibus religiosis exemptis, in quibus capitulum generale, vel provinciale cognoscit de criminibus religiosorum sine interventu episcopi. Nec obstat textus in cap. *cum R. Canonicus, de offic. delegati.* nam ibi in primis non agebatur de puniendo canonico, sed laico quodam ad instantiam canonici, vel de lite civili inter illos. Et quidem, quamvis concedamus judicem canonicum esse suspectum laico litiganti cum alio canonico, quia judex debet esse indifferens utrique parti : aliud tamen est, quando agitur de corrigendo canonico, in cujus correctione habet interesse totum capitulum, cujus interest bonum nomen, et integritas morum in suis capitularibus ; quare merito præsumi potest zelus capituli ad correctionem necessariam, præsertim interveniente episcopo cum suffragio æquali, et potente episcopo in casu dicordiæ eligere capitularem tertium zelo flagrantem, cujus electio, si rationabilis sit, approbabitur a superiore, casu quo capitulum nollet consentire.

14 Merito ergo sacra congregatio concilii Tridentini sæpius de hoc dubio interrogata, et auditis partibus, respondit, tertium eligi debere ex eodem capitulo, ita responsum fuit semel in Palentina, et bis in Conchensi, postquam a procuratoribus utriusque partis acriter disputatum, et informatum fuerat: quare non videtur amplius ab hac sententia recedendum.

## DUBIUM XXIV.

*An episcopus possit deputare confessarium extraordinarium in parochiis unitis abbatiæ regulari?*

In quadam diœcesi episcopus in synodo 1
diœcesana constitutionem edidit, qua ut obviaret periculo reticendi aliqua peccata in confessione, in iis præsertim locis, ubi unus est parochus, qui solus omnium confessiones audit, inter alia dixit: » Mandamus vicariis foraneis, ut semel saltem in anno invisant parochias sibi subjectas, et ipsi per se, vel alium sacerdotem a nobis approbatum tanquam confessores extraordinarii audiant confessiones singulorum illius parochiæ, monito prius populo, ut singuli parati accedere valeant, et concordato tempore cum illo parocho, ne res improvisa haud patiatur sortiri effectum, quem attendimus. Et pro illa vice concedimus illi confessario facultatem absolvendi a casibus reservatis cruce non signatis per tres dies, et plures si tanto tempore perseveraverit in audiendis confessionibus illius populi. »

Erant autem intra illam diœcesim ali- 2
quæ ecclesiæ parochiales unitæ cuidam monasterio cujusdam ordinis monachalis, quarum cura exercebatur vel per monachos, vel per sacerdotes sæculares ad nutum abbatis monasterii deputatos, et ab episcopo approbandos juxta præscriptum concilii Tridentini sess. c. 11. de Regularibus. Unde abbas monasterii conquestus est, quod inferretur sibi præjudicium, si episcopus ultra approbationem vellet etiam sibi assumere nominationem confessarii extraordinarii pro illis oppidis, in quibus confessarius ordinarius, seu parochus ab abbate nominari debet, ab episcopo autem solum debet approbari. Videtur autem abbati favere

in primis decretum Tridentini dict. cap. XI, quo statuitur, ut in ecclesiis parochialibus unitis monasterio regularium parochus, seu vicarius nominari debeat a prælato regulari, approbari vero ab episcopo, in cujus diœcesi parochiæ sunt. Si ergo ad abbatem spectat nominare confessarium ordinarium illius parochiæ, ad eumdem spectabit nominare confessarium extraordinarium, qui similiter ab episcopo approbetur. Quod maxime confirmatur ex bulla S. Pii V. quæ incipit, *Ad exequendum,* et habetur in bullario t. I. et c. 46. inter bullas S. Pii V. ubi expresse habetur ad prælatos regulares spectare deputationem vicarii, qui curam animarum exercet in ejusmodi ecclesiis unitis monasterio regularium, ad episcopum vero spectare approbationem illius, quem regulares nominaverint. Notandum autem est, prædictam constitutionem S. Pii V. emanasse post publicationem concilii Tridentini, ut advertit Gonzalez *in regul.* VIII. *Cancell.* gloss. 5. §. 0. n. 52. qui n. 79. addit, hanc constitutionem non esse revocatam per bullam Gregorii XIII. datam Kal. Martii anno 1.

3 Confirmatur item ex bulla 18. Gregorii XV. in qua licet regulares exercentes curam animarum, circa hoc exercitium, et administrationem sacramentorum subjiciantur omnimodæ jurisdictioni episcoporum: ibi tamen §. 5. declaratur, quod in monasteriis monialium subditis prælatis regularibus, ad hos spectat nominare confessarios ordinarios, et extraordinarios, ab episcopo tamen approbandos. Similiter ergo in illis parochiis unitis monasterio, ad eumdem abbatem, ad quem spectat nominare sacerdotem habentem curam ordinariam animarum, spectabit etiam nominare habentem curam extraordinariam, seu confessarium extraordinarium, ab episcopo tamen approbandum et instituendum.

4 Denique videtur facere pro eodem abbate, quod, licet episcopus possit visitare illas parochias, et corrigere in iis, quæ spectant ad curam animarum; debet tamen per se ipsum visitare, si possit, et non per vicarium maxime foraneum, ut refert, et probat Strozz. *de offic. Vicarii.* Imo in rigore in casu nostro vicarius foraneus non videtur deputari ab episcopo ad visitandum, sed ad ipsum exercitium curæ animarum, quod est audire confessiones; quare videtur episcopi potestatem excedere. Et quidem pro abbate respondit sacra congregatio concilii Tridentini in quadam Regiensi 18. Julli 1648. ab abbate deputandum confessarium extraordinarium, et ab episcopo approbandum.

Hanc tamen responsionem ego non 5
ita intelligo, ut episcopus non possit alicui sacerdoti dare facultatem audiendi confessiones incolarum in illis ecclesiis; quamvis enim ecclesiæ illæ sint unitæ monasterio, et parochi debeant ab abbate nominari: hoc tamen non facit, quod episcopus non possit in illis etiam ecclesiis, et eorum oppidorum incolis sacramenta ministrare, cum id absolute possit in omnibus parochiis suæ diœcesis. Posset ergo sine proprii parochi præsentia, episcopus assistere matrimonio aliquorum in illa parochia, posset illorum confessiones audire, eosque a peccatis sibi reservatis absolvere, a quibus parochus proprius sine speciali episcopi licentia absolvere non posset; quare ad hæc, et similia posset episcopus dare licentiam aliis sacerdotibus, qui, si ab episcopo sint approbati, et habeant ab eo licentiam audiendi confessiones in illa ecclesia, non video quomodo possent a parocho, vel ab abbate impediri, sicut nec episcopus ipse impediri posset, ne ibi confessiones audiat suorum subditorum. In quo est differentia a confessario extraordinario deputato ad audiendas confessiones monialium: quando enim hæ sunt exemptæ, episcopus non potest dare jurisdictionem confessario ad eas confessiones, sed solum debet illum approbare, et prælatus regularis confert jurisdictionem, quia moniales sunt ejus

subditæ, et exemptæ ab episcopi jurisdictione. At vero incolæ illius oppidi sunt subditi, et oves ipsius episcopi, qui potest illos per se, vel per alios absolvere, quamvis cura animarum sit unita monasterio, ad quod spectat per monachos, vel sæculares cum approbatione episcopi illam exercere. Non ergo intendit congregatio negare episcopo facultatem delegandi confessarios, qui in tota diœcesi, atque adeo etiam in illo oppido possint audire confessiones ; sed quia agi videbatur de designando confessario speciali extraordinario pro illa ecclesia, qui quasi ex officio esset coadjutor parochi quoad curam animarum, quæ cura ibi exerceri debet per monachos, vel per sæcularem ab ipsis deputatum, videbatur monachis præjudicari, si non ipsi, sed episcopus deputaret alium ad hanc curam etiam ad tempus, et hoc solum præcavere intendit sacra congregatio in præfata responsione.

## DUBIUM XXV.

*An potuerit episcopus prohibere regularibus, ne in ecclesiis sæcularibus missas celebrent ?*

1 Episcopus certis de causis prohibuit parochis, ne in suis ecclesiis permitterent missas celebrari a regularibus, nisi ii ab episcopo licentiam haberent : postea vero in synodo diœcesana declaravit, id intelligi solum de iis missis, ad quas in iis ecclesiis celebrandas regulares pacto ob certum stipendium sese obligarunt. Motus autem fuit episcopus eo fine, ut rixarum materiam inter regulares, et sæculares sacerdotes impediret ; cum enim multi essent sacerdotes sæculares pauperes, non debebant cum eorum incommodo admitti regulares ad partem stipendii, quod pro missis in eorum ecclesiis celebrandis fideles contribuere vellent, præsertim, quia hac occasione regulares sine socio plerumque extra conventum vagabantur, non sine aliorum scandalo, ac proprias ecclesias destituebant, cum incommodo fidelium vicinorum, qui in iis non inveniebant missas, quas possent pro sua devotione audire, et ut diebus festivis præcepto satisfacerent.

Dubitatum fuit, an hæc prohibitio 2
præjudicaret libertati, et immunitati regularium, qui videntur facultatem habere ubique libere celebrandi. Dixi, in rigore non præjudicare, quia facultas celebrandi non dat jus cogendi dominum, ut eo invito, possint regulares in ejus domo celebrare. Possunt itaque celebrare vel in suis locis, vel etiam in alienis, permittentibus loci dominis ; semper enim præsupponuntur termini habiles in ejusmodi facultatibus. Quare dum habent religiosi facultatem celebrandi in privatis etiam oratoriis approbatis ab ordinario, semper subintelligitur, si dominus illius domus, in qua est oratorium, non contradixerit. Alioquin possent regulares irruere manu armata, ut invito etiam domino portas aperirent et missam celebrarent, quod nemo concedet. Cum ergo ecclesiæ sæculares sint sub dominio, vel libera administratione cleri sæcularis ; non videntur habere regulares jus, ut clero sæculari invito, possint adhuc in ejusmodi alienis ecclesiis celebrare. Quare episcopus, qui est supremus parochus in tota diœcesi, non infert regularibus injuriam, si nolit suas ecclesias regularibus ad celebrandum commodare, nisi specialem ad hoc licentiam ab eo obtineant ; unusquisque enim est dominus suæ domus, et potest ejus usum aliis concedere vel negare. Fateor, non posse episcopum prohibere, ne religiosi ingrediantur ecclesias sæculares ad audienda ibi divina officia, et orandum, quia hoc esset excludere illos a beneficio communi totius populi, et quia locus ille quoad hæc omnia communis est, et omnes habent jus illuc ad

hæc omnia ingrediendi. Quoad celebrandum vero, vel canenda divina officia, non est locus omnibus communis, sed subest illis, a quibus legitime regitur et possidetur : quare quoad hæc potest episcopus, vel clerus admittere et rejicere quos voluerit.

3 Quod videtur manifeste probari argumento a contrario ; quia ipsi religiosi non tenentur admittere in suis ecclesiis ad celebrandum omnes clericos sæculares, qui ibi celebrare voluerint : nec possent parochi jure conqueri, quod a regularibus non permittantur, quoties volunt, in eorum ecclesiis celebrare. Imo Pius V. in bulla edita in favorem mendicantium, quæ est 41. in II. to. Bullarii inter bulla Pii V. §. 2. n. 25. declarat, et mandat omnibus Ordinariis, « ne mortuorum officia agere rectores parochialium in ecclesiis ipsorum fratrum contra illorum voluntatem permittant, » quam partem non fuisse revocatam, sed potius ita fuisse sæpe a S. Congregatione decisum, testantur Peregrin. II. part. *sui Compendii*, tit. *Sepultura*, in scholio §. 3. Laurent. de Peyrinis tom. I. *privileg. Minim.* in constit. II. Julii §. 21 n. 57. et Lezana tom. I. cap. XII. num. 38. et tom. II. cap. I. num. 47. et tom. III. verb. *defunctus*, num. 6. Esset ergo odiosa inæqualitas, si quod clerici sæculares non possent in ecclesia regulari facere sine regularium licentia, id possent regulares in ecclesia sæculari sine clericorum consensu, imo ipsis repugnantibus et contradicentibus. Denique hoc ipsum sacra concilii Tridentini congregatio decrevit, et respondit in favorem episcoporum anno 1648.

4 Solum posset objici in favorem regularium bulla illa proxime relata Pii V. edita in favorem mendicantium, ubi §. 2. num. 8. dicitur, quod « Fratribus mendicantibus non solum prohiberi non possit, ne missas, et alia divina officia faciant in eorum ecclesiis, verum etiam in quibuscunque aliis, ubi celebrari missas solitum est, etiam ipsis non vocatis, seu ad id requisitis, celebrare valeant. » Ad hoc vero facilis esset responsio, dicendo, bullam illam Pii V. reductam fuisse postea ad terminos juris communis, et concilii Tridentini a Gregorio XIII. in bulla, quæ incipit, *In tanta*, et est 9. inter bullas Gregorii tom. II. Bullarii. Quare cum de jure communi non possent cogi parochi ad admittendos regulares volentes in eorum ecclesiis celebrare, non poterunt etiam nunc ad id compelli ex vi prædictæ bullæ. Verum ibi fortasse non est sermo de casu nostro, sed quia parochi prætendebant regulares non posse celebrare pro mortuis, vel facere eorum officia in propriis vel aliorum ecclesiis, nisi ipso parocho vocato ; decernitur, posse non solum in ecclesiis propriis, sed in aliis non vocato parocho : quare hoc ultimum videtur intelligendum suppositis terminis habilibus, hoc est, si ii ad quos illæ aliæ ecclesiæ spectant, non contradicant sed consentiant : ut si esset ecclesia regularis alterius ordinis, vel Hospitale, aut alius locus, ubi solent divina celebrari, et cujus administratores id gratum habeant. Aliud vero est cogere parochum, ut in propria ecclesia sinat regulares divina celebrare, quod esset nimis violentum, neque unquam capitulum ecclesiæ cathedralis permitteret, ut regulares venirent ad suam ecclesiam, ad celebrandum solemniter, vel cantandum divinum officium, nisi quando ad id vocantur in casu speciali, ut in exequiis regum, quo casu solet singulis religionibus una capella designari, ut ibi pro anima defuncti canant solemniter missam, et officium defunctorum.

## DUBIUM XXVI.

*An sufficiant conjecturæ de mente testatoris, ut capellanus teneatur celebrare per se ipsum, quando testator id satis non expressit.*

1 Testator dixit, et jussit, « ut capellani deinceps canonice instituantur, et infra annum a die institutionis, et pacificæ possessionis in presbyteros se faciant promoveri, et personaliter resideant, quinque missas qualibet hebdomada ad dictum altare celebrent, etc. nisi legitimo impedimento fuerint occupati : quo casu celebrare per alium facere sint astricti, alioquin pro defectu cujuslibet missæ 12. denarios parisienses monetæ Flandriæ, fabricæ, et mensæ pauperum dictæ ecclesiæ parochiali dare teneantur. Nec supersedere poterit idem capellanus, qui erit pro tempore per mensem de celebrando, vel celebrare faciendo missas hujusmodi mediante solutione dictorum 12. denariorum, etc. nisi infirmitate notabili detentus fuerit, et salva honestate. » De facto tamen a tempore immemorabili, nullus capellanus per se ipsum resedit, vel missas per se ipsum celebravit, sed per substitutos. Quæsitum fuit, an id licite fieri potuerit, et deinceps permitti vel fieri possit.

2 Videbatur negative respondendum, quia, licet testator non fuerit usus illis verbis formalibus, *Volo ut per se ipsos celebrent ;* usus tamen videtur æquipollentibus : cum autem agitur solum de indaganda mente, et voluntate testatoris, parum refert quod his vel illis verbis usus fuerit, si tamen de ejus mente satis constat. Porro in casu nostro testatorem mentem suam satis explicuisse, probari videtur in primis ex illis verbis, « quinque missas qualibet hebdomada ad dictum altare celebrent, etc. nisi legitimo impedimento fuerint occupati ; quo casu per alium celebrare facere sint astricti ; » exceptio enim juxta communem doctrinam firmat regulam in contrarium. Cum ergo excipiatur casus solus legitimi impedimenti, quo possit per alium celebrare, restat regula universalis, ut cessante legitimo impedimento debeat celebrare per se ipsum. Secundo hoc idem colligitur ex obligatione accipiendi presbyteratum intra annum a die institutionis et pacificæ possessionis ; si enim sufficit facere missas per alios celebrare, quid refert quod habeat vel non habeat presbyteratum ipse capellanus ?

3 Nec satisfacies, si dicas nomine *Presbyteri* non semper debere intelligi sacerdotem, ut in his terminis firmavit Rota coram Mantica decis. 139. num. 2. et in fortioribus terminis idem respondit sacra congregatio Concilii in Ariminensi 17. Maii 1636. ubi mandabatur eligi unum presbyterum bonum, qui continuo celebret missas, etc. Atque idem tenuit Rota in Maceratensi beneficii 15. Januar. 1640. coram Merlino colum. 6. vers. *non obstant verba, eligant unum presbyterum,*. Hæc. inquam, non satisfaciunt in casu nostro : non enim solum petitur presbyter, sed jubetur, ut suscipiat presbyteratum intra annum : quod non potest intelligi de statu clericali, quia ante institutionem et possessionem debeat esse clericus, ut constat ; debet ergo intelligi de ordine sacerdotali, pro quo frequentius stat nomen *Presbyteri*, præsertim in sermone Latino, in quo testamentum nostrum loquitur : licet in idiomate vulgari Italico vox *Prete*, latius soleat usurpari, et extendi ad omnes clericos, cujuscumque ordinis sint.

4 Tertio videtur probari ex verbis illis, et *personaliter resideant*, nam residentia personalis non frustra exigitur, sed propter officium personale, quod in casu præsenti non est aliud, nisi celebrandi, cum nullum aliud onus capellano imponatur. Si ergo posset pro libito substituere alium ad missas celebrandas, non

apparet, ad quid deberet personaliter residere. Denique non obstat observantia contraria subsecuta etiam ab immemorabili, quia hæc solum attenditur in dubiis, non vero quando constat de voluntate testatoris, cui præjudicare non potest observantia contraria, ut observavit Rota apud Manticam dec. 67. num. 2. et 3. et Lotterius *de re beneficiaria*, l. III. quæst. XXVII. n. 14.

5 Sunt tamen pro contraria parte non pauca, vel levia argumenta, quæ suadent, non obligari prædictum capellanum ad celebrandum per se ipsum, sed satisfacere, si alium sacerdotem substituat, qui pro ipso celebret ; est enim regula generalis, quam sæpe canonizavit rota Romana, quod id sufficiat, quoties in fundatione non exprimitur, quod debeat celebrare *per ipsum*, ut ex Lapo *allegatione* 36. quæ incipit, *Utrum absque dispensatione*, decrevit Rota coram Mantica dec. 129. num. 4. et dict. dec. 67. nu. 1. et prius decisum fuerat ab eadem Rota in Romana capellaniæ 23. Januar. 1589. coram Hieronymo Pamphilio ; latius in dicta Maceratensi beneficii 15. Januar. 1640. coram Merlino colum. 3. vers. *habens Capellaniam*, et colum. 4. ubi aderant verba, *eligant unum presbyterum*, et colum. 7. vers. eo demum. de quo videri etiam potest Lotter. dict. ca. 27. nu. 13.

6 Hunc eumdem sensum habuit sacra congregatio concilii, quæ sæpe respondit, posse capellanum per alium celebrare, nisi in fundatione addita fuerint verba illa, *per seipsum*. Ita in Tudertina anno 1572. ubi dictum fuit : « Sacra Congregatio censuit, si in fundatione beneficii, seu capellaniæ simplicis non fuerit expressum, quod conferatur sacerdoti, et quod obtinens celebret per se ipsum missas, non dici sacerdotalem, et posse conferre majori 14. annorum, licet non sit sacerdos, » quod sæpe alias responsum fuit ; et quidem in terminis magis strictis, ut in Romana Capellaniæ 23. Novemb. 1641. ubi verba institutionis erant hæc, *Doveranno essi Capellani nell' Altare privilegiato celebrare dui messe*, videbatur enim illa dictio *essi*, quod Latine sonat *ipsi*, æquipollere verbis illis, *per se ipsos*, cum sit verbum personalissimum ad oculum, ut per Gratianum in tract. *de dictionibus*, dict. 103. qui alios cumulat : et tamen sacra congreg. Concilii « dubio bis mature discusso respondit, hujusmodi capellanos, ut supra deputatos, non teneri per se ipsos missas celebrare, cum non sit expressum, *per se ipsos*. » Item in quadam Ariminensi 17. Maji 1636. ubi mandabatur « eligi presbyterum bonum, qui continuo celebret missas super altare S. Petri, etc. et ipso presbytero defuncto aut si dum viveret, nollet celebrare, alius presbyter eligeretur. » Et tamen Congregatio censuit, sic electum non teneri per se ipsum celebrare, quia non dictum erat, *per se ipsum*.

Unde nec videntur obstare verba illa, 7
*personaliter resideant*, quia hoc non videntur obligare ad celebrandum per se ipsum, quamdiu non dictum est, *per se ipsos*, prout in aliis similibus videtur intellexisse eadem sacra congregatio, præsertim in Romana 18. Martii 1634. ubi verba fundationis erant : « Capellanus celebret quolibet die Dominico, Mercurii, et Sabbati ; et omnibus diebus, quibus missæ canonicales, et communes celebrantur, et horis canonicis interesse debeat, nec non intercedere processionaliter in omnibus processionibus, » et in Aretina 10. Apr. 1746. in qua mandabatur celebratio missarum, et quod diebus festis, et Dominicis, ac certis aliis personaliter interesset missis cantatis, et vesperis, et tamen quia non dicebatur *per se ipsos*, dictum fuit, posse per alium celebrare.

Quod confirmari potest primo ex ver- 8
bis sequentibus, quibus dicitur, *Alioquin pro defectu cujuslibet Missæ* 12. *denarios fabricæ, etc. dare teneantur*, ex quibus colligi videtur residentiam, quæ petitur in hoc casu, non esse continuam, sed

causativam, quam late explicant doctores cum Butrio in cap. fin. n. 6. vers. in 3. casu, *de Clerico non residente*, Gratian. discept. forens. qui alios allegat discept. 133. num. 25. et Gonzalez *in regul. cancel.* gloss. 15. num. 21. et seqq. qui residentiam causativam dicit esse, « solum respectu privationis fructuum, ita quod, licet non residendo privetur fructibus, titulo tamen privari non possit, » quod etiam firmavit Rota dec. 551. coram Cavalerio sub n. 4. in fine, ubi erant verba, *debeant continuo residere*, juncto num. 6. ubi allegantur decisiones concordantes. Item in dec. 489. n. 2. post medium, cum seq. par. III. in recent. et in decis. 255. num. 2. par. IV. in eisdem, et in Segobien. Capell. 13. Januar. 1623. coram Ubaldo, ubi erant verba, *Capellani debeant manere, et residere*, et in aliis. Sicut etiam in eamdem sententiam respondit sacra Congregatio in Ragusina 18. Novemb. 1628. et sæpe alias.

9 Confirmatur secundo ex verbis ultimis, in quibus testator magis suam mentem explicuit, dicens, quod « si Capellanus per mensem non celebraverit nec per se, nec per alium, non censeatur satisfacere solvendo dictos 12. denarios pro singulis missis prætermissis, nisi infirmitate notabili detentus fuerit, et salva debita honestate, » in quibus verbis videtur ampliare facultatem capellani, ut celebret per se, vel per alium, *non obstet infirmitas, vel debita honestas*, quæ verba prima facie videntur repugnare verbis præcedentibus, in quibus obligaverat sacerdotem ad celebrandum per alium, quando ipse esset legitime impeditus. Quare, ne dicamus testatorem sibi contrarium fuisse intra pauca verba, conjicienda est ejus mens ex omnibus illis verbis, quod scilicet desiderarit capellanum per se ipsum celebrare, si commode possit. Noluit tamen celebrationem vacare, quando ipse non posset commode celebrare, sed voluit tunc per alium celebrari, et ad hoc obligavit sub pœna solvendi 12. denarios pro singulis missis : si autem negligentia illa celebrandi per se, vel per alium protraheretur per mensem, noluit satisfieri solutione illorum 12. denariorum. Quare videtur voluisse, quod in eo casu posset procedi ad privationem capellaniæ : et hæc videtur fuisse intentio testatoris. Voluit ergo primo loco, ne ulla occasione, vel impedimento intermitteretur celebratio missarum, et ad hoc apposuit pœnam, 12. denariorum pro singulis vicibus, et post mensem voluit ulterius procedi ad privationem capellaniæ, nisi infirmitas, vel honestatis debitum excusaret, qua excusatione interveniente, contentus fuit pœna ordinaria 12. denariorum. Desideravit etiam, quod capellanus per se ipsum celebraret, si posset, et ut facilius posset, voluit etiam promoveri ad sacerdotium intra annum. Noluit tamen præcise ad hoc obligare, nec id exprimere, sed solum id, de quo magis curabat, nempe, quod omnino faceret per alium celebrare, quoties per se ipsum non celebraret, quod quidem semel, et iterum expressit. Hanc vero fuisse ejus mentem, fit satis verisimile ex observantia ab immemorabili consecuta, quod capellani per se ipsos non celebrarent, quod quidem patroni, et alii, quorum intererat, non ita facile permisissent, si constaret de expressa voluntate contraria testatoris : quare ad minus videtur dubitatum fuisse de testatoris mente, propter verba non satis clara : et tunc attendi maxime debet ad observantiam præsertim immemorabilem, ut habetur in dicta decis. 129. coram Mantica num. 1. et sub. num. 3. et in fortioribus Rota decis. 256. in fine, part. 2. divers. quæ affert concordantes, et colligitur ex cap. *cum dilectus*, de consuetudine, et l. *si de interpellatione*. ff. de legib. Cum ergo ex iis maneat aliquomodo dubia mens testatoris, videtur succedere regula, quod capellanus non sit obligandus ad celebrandum per se ipsum, nisi id testator expresserit.

Hæc sunt, quæ pro utraque parte 10

afferri possunt, et satis anticipitem reddebant resolutionem : quare consulenda visa fuit sacra congregatio Concilii, in qua, cum ter hoc dubium proponeretur, et diligenter discuteretur, tandem congregatio 29. Maji 1649. post longam, et accuratam disputationem in eam sententiam venit, quod in casu proposito capellanus non esset obligandus ad celebrandum per se ipsum, dum per alios satisfacere vellet.

11 Unde ad fundamenta in contrarium adducta, possumus ex supradictis respondere. Ad primum fatemur, verba illa, *ad dictum altare celebrent, nisi legitimo impedimento fuerint accupati*, sonare obligationem celebrandi per se ipsos, et illam probarent, nisi modificationem acciperent ex verbis immediate sequentibus, *alioquin pro defectu cujuslibet missæ*, etc. quibus pœna statuitur, quoties nec per se, nec per alium celebrat, et alia pœna gravior, si per mensem id fiat, nisi infirmitas, vel honestas excuset. Ex limitatione enim utriusque pœnæ ad casum solum, quo nec per se, nec per alium celebret, relinquitur ad minus dubia intentio testatoris circa obligationem præcisam imponendam ad celebrandum per se ipsum, ut paulo ante dicebamus. Quare videntur ea verba interpretationem recipere, ut significent debitum decentiæ, et desiderium testatoris, qui quando obligationem voluit imponere, clarioribus verbis usus est in immediate sequentibus, dicens, *quo casu per alium celebrare facere sint astricti : alioquin pro defectu*, etc.

12 Ad secundum fateor, testatorem voluisse, quod capellani fierent sacerdotes intra annum, ut possent per se ipsos celebrare, quod ipse magis desiderabat : noluit tamen ad hoc præcise, et expresse obligare. Magis enim desiderabat, ne missarum celebratio intermitteretur, quod periculum, ut omnino præcaveret, noluit ita stricte prohibere celebrationem per alium, timens fortasse, nc si id omnino prohiberet, capellanus ægrotans, vel legitime impeditus, posset hoc prætextu missæ celebrationem omnino omittere. Ideo ut hoc periculum vitaret, voluit benignior esse circa obligationem celebrandi per alium, quia minus malum id reputabat, quam si omnino missæ celebratio omitteretur. Ex obligatione ergo accipiendi presbyteratum non arguitur clare obligatio celebrandi per se ipsum, cum potuerit id præcipi, ut dixi, ad hoc, ut capellanus magis promptus esset ad celebrandum per se ipsum.

Ad tertium denique responderi potest, 13
verba illa, *et personaliter resideant*, non posse afferre majus onus, quam verbum *celebrent*. cum non impositum sit capellanis onus assistendi choro, vel officiis divinis, sed solum celebrandi. Quare cum ex sequentibus verbis colligatur, non fuisse præcisum onus celebrandi per se ipsos, sed vel per se, vel per alios, ut vidimus, eodem modo debet intelligi residentia, præsertim cum ex verbis subsequentibus appareat, illam non fuisse residentiam præcisam, sed causativam, nempe sub pœna solvendi 12. denarios, quoties nec per se, nec per alium celebratum fuerit, nec excogitari possit in hoc casu aliud genus residentiæ, nisi quatenus necessaria sit ad celebrandum eo modo, quo celebratio imponitur. Si tamen aliquis velit, testatorum obligasse præcise capellanum ad residendum, ut facilius posset celebrare per seipsum ; sicut ob eamdem rationem videtur eum obligasse ad suscipiendum sacerdotium intra annum, ut posset per se ipsum celebrare, quamvis noluerit præcise obligare ad celebrandum per se ipsum, ut supra vidimus ; non erit de hoc multum contendendum, cum tamen possit satisfacere celebrando per alium, prout diximus, sacram Congregationem novissime declarasse.

# LIBER SEXTUS.

CONTINENS DUBIA AD VARIAS MATERIAS SPECTANTIA.

## DUBIUM I.

*An maneat reservatum summo Pontifici votum castitatis, postquam dispensatio obtenta fuit ad effectum contrahendi matrimonium ?*

1 Casus frequenter contingit, solet enim is, qui votum castitatis emisit, petere apud sacram pœnitentiariam dispensationem, ut possit matrimonium contrahere, ob varias causas, quæ ad id obtinendum allegari solent : dispensatio autem, vel commutatio solet concedi ad effectum solum contrahendi matrimonium, ita ut quoad reliqua maneat voti vinculum, imo cum clausula expressa, ut si conjux moriatur, ille, qui votum emiserat, *debeat postea cœlebs manere, utpote eodem voto obligatus*, ut advertit Thomas Sanchez lib. VIII. *de matrim.* disp. XXXI. nu. 2. et in *compendio privilegiorum Societatis*, vèrb. *dispensatio*, §. 9. ubi habebatur facultas, qua ex vivæ vocis oraculo, et ex commissione provincialis poterant confessarii Societatis dispensare cum suis pœnitentibus ad petendum debitum, quando post votum simplex castitatis matrimonium contraxerant, et additum expresse fuit, ne id faciant, nisi *monita pœnitente, ut si conjugi supervivat, votum servet ;* quia nimirum dispensatio est ad casum specialem, manente adhuc voti vinculo quoad reliqua. Dubium ergo erat, an postquam votum non manet integrum, sed dispensatum et ablatum quoad sui partem, maneat adhuc reservatum soli summo Pontifici, an vero maneat in tali statu, ut possit per commutationem vel dispensationem tolli ab iis, qui possunt vota non reservata commutare, vel dispensare.

Ratio dubitandi erat, quia regula ge- 2
neralis esse videtur, quod quoties materia voti deficit quoad aliquid a materia integra voti reservati, votum illud non censetur reservatum, ut cum aliis docet late Sanchez lib. IV. *in Decalog.* cap. 40. num. 42. et sequentibus. Unde doctores communiter inferunt, non esse reservatum votum castitatis conjugalis, nec votum castitatis temporalis, nempe per aliquot annos, nec votum non petendi debitum, nec votum non ineundi matrimonium, nec votum non fornicandi, quia horum votorum materia deficit a materia integra voti castitatis : in hoc autem statu videtur remanere votum illud castitatis post dispensationem concessam ad matrimonium ; jam enim vovens non manet obligatus ad castitatem integram, sed solum ad castitatem conjugalem, et ad abstinendum a secundis nuptiis. Reductum est ergo votum ad eum statum, in quo fuisset, si a principio non fuisset factum votum castitatis omnimodæ, sed solum votum castitatis conjugalis, et abstinendi a secundo conjugio, quod sane votum non fuisset reservatum ex defectu materiæ integræ : qui ergo reducit votum castitatis ad votum castitatis conjugalis, et abstinendi a secundis nuptiis, eo ipso videtur auferre reservantem, cum reducat votum ad statum, in quo si ab initio conceptum fuisset, non fuisset ullo modo votum reservatum.

Confirmarique potest, et explicari ex 3
doctrina quam idem Sanchez ibi nu. 46. et lib. VIII. *de matrim.* disp. IX. nu. 20. et alii, quos in utroque loco affert, tradunt et probant, posse ab aliis commutari vel dispensari materiam non reservatam, in quam auctoritate summi Pontificis votum reservatum commutatum

fuit, v. gr. si votum castitatis commutatum fuit a Pontifice in jejunia et alia opera pia, posse postea per dispensationem, vel commutationem tolli hanc obligationem a potente commutare, vel dispensare vota non reservata, quia per priorem dispensationem, vel commutationem obligatio prior circa materiam reservatam transiit in obligationem circa materiam non reservatam, nec detulit secum reservationem. Idem ergo dicendum videtur in casu nostro, in quo per dispensationem obligatio circa castitatem integram, quæ erat materia reservata, transiit in obligationem circa castitatem incompletam, quæ est materia non reservata : non ergo remanet reservatio, ablata obligatione circa materiam reservatam.

4 His tamen non obstantibus, dixi, manere adhuc votum illud reservatum summo Pontifici, quod quidem supponere videntur doctores pro comperto, quamvis id in particulari non disputent ; loquuntur enim de obligatione illa remanente, quasi de obligatione, quam nemo alius a summo Pontifice tollere possit. Unde, quando doctores communiter dicunt, posse episcopum dispensare in voto castitatis ad contrahendum matrimonium, quando non est recursus ad summum Pontificem, et est periculum ingens in mora, declarant, id ita esse intelligendum, ut solum dispensetur ad id quod præsens necessitas exigit, atque ideo dicunt non posse episcopum dispensare, ut soluto postea illo matrimonio, possit ille aliud matrimonium contrahere, vel etiam ut durante eo matrimonio, fornicatio non sit contra votum ; quia, cum sola necessitas urgens hanc dispensandi potestatem episcopo tribuat, eatenus solum potestas solum extendetur, quatenus necessitas postulat. Ita cum aliis P. Suarez, quem affert et sequitur Thomas Sanchez lib. IV. *in Dec.* c. XL. nu. 40. qui idem docuerat lib. VIII. *de matrimonio*, disp. IX. num. 26. quod etiam docent Basilius Pontius lib. VIII. *de matrim.* cap. IX. num. 1. Silvester, Navarrus, Reginaldus, Layman, et Bonacina, quos affert et sequitur Lezana to. IV. *quæstionum regul.* verb. *votum pro Regularibus*, num. 12. Hæc autem doctrina subsistere non posset, si per priorem dispensationem reservatio tota tolleretur : nam, postquam episcopus semel dispensavit ob periculum ingens, ad contrahendum statim matrimonium, jam non manet obligatio ad totam integram materiam voti castitatis, sed ad partem illius : poterit ergo rursus episcopus, vel alius habens facultatem dispensandi in votis non reservatis, dispensare in obligatione voti remanente, vel illam commutare, cum jam illam inveniat absque reservatione. Male ergo prædicti auctores advertunt, non posse episcopum ob necessitatem, et periculum imminens dispensare, nisi ad illum solum effectum ad quem necessitas urget, non vero quoad reliqua, ad quæ non urget necessitas, et quæ intra materiam voti præcedentis comprehendebatur ; imo enim debuissent dicere, episcopum non posse directe, et ex primaria intentione dispensare, nisi quoad contrahendum illud matrimonium, ad quod necessitas urget : consequenter tamen, et secundario posse postea in tota voti materia dispensare, eo quod propter ablationem obligationis quoad unam partem remanserit jam materia voti incompleta, atque ideo non reservata, sed subdita dispensationi et commutationi episcopi, et aliorum, sicut alia omnia vota non reservata ; quod tamen longe abest a sensu doctorum, quos attulimus, qui expresse dicunt, non posse episcopum dispensare quoad secundum matrimonium, nisi postea alia nova necessitas occurrat similis priori, ratione cujus, et propter periculum in mora, possit, sicut dispensavit prima vice, ita etiam secunda vice propter simile periculum dispensare. Supponunt ergo, etiam posita prima dispensatione, remansisse

votum reservatum, sicut antea, ad reliquam partem materiæ promissæ, ad quam non se extendebat reservatio. Idem ergo dicere debent in casu nostro, quando Papa dispensat solum ad effectum contrahendi unum matrimonium, et cum clausula, quod maneat obligatio voti quoad reliqua. Quod enim dispensatio fiat a summo Pontifice, vel ab episcopo, parum videtur referre quoad hoc. Primo, quia episcopus in illo casu non videtur propria auctoritate dispensare, sed auctoritate Papæ, qui præsumitur propter necessitatem, et periculum tunc ei suas vices committere, ut expresse notavit Sanchez dicto lib. IV. *in Decalog.* c. 40. num. 40. dicens, quod in eo casu necessitatis et periculi episcopus *dispensat nomine Papæ ex interpretativa ejus voluntate.* Unde postea cap. XLIII. nu. 7. dicit regulares habentes facultatem dispensandi in votis reservatis episcopo, non posse dispensare in voto castitatis ad contrahendum matrimonium, quando episcopus ob necessitatem et periculum potest dispensare, quia in eo casu sunt vota illa vere reservata Papæ, et ideo casus ille non censetur episcopalis et ordinario episcoporum juri subjectus ; sed per accidens potest episcopus in eo dispensare ex quadam benigna voluntatis reservantis interpretatione. Tunc ergo reservatio etiam tollitur ab ipso Papa, vel ex ejus voluntate, sicut quando ad eumdem effectum dispensatur a majori Pœnitentiario. Secundo, quia, etiamsi daremus dispensationem tunc dari ab episcopo propria auctoritate, id parum refert ad nostrum propositum : nam, quomodocumque id fiat, obligatio voti præcedentis non manet integra, sed diminuta quoad partem. Si ergo hæc diminutio ex parte materiæ non facit quod obligatio remanens non maneat reservata Papæ, ut supponunt aperte illi doctores ; non apparet cur non maneat etiam reservata, quando ipse Papa dispensat ad effectum solum contrahendi unum matrimonium, cum non magis perseveret obligatio voti integra in primo casu, quam in secundo.

Ratio denique a priori, ex qua solvi etiam potest ratio dubitandi in contrarium proposita, ea videtur esse, quod in his casibus votum castitatis integræ præcedens non commutatur in votum castitatis incompletæ, nec una obligatio succedit, vel subrogatur loco alterius, prout fit, quando votum castitatis commutatur in alia opera pia. Sed, si res attente consideretur, votum idem præcedens permanet quoad sui partem : sicut enim ejus materia erat divisibilis, ita erat divisibilis ejus obligatio in plures obligationes partiales, ex quibus illa obligatio, quæ prohibebat hoc primum matrimonium, ablata est per dispensationem, et commutata in obligationem novam ad alia opera pia ; quare hæc nova obligatio non est reservata, juxta probabilem aliquorum sententiam supra relatam, quia hæc non est ad castitatem, sed ad alia opera pia. Illa autem alia pars obligationis præcedentis prohibens secundum matrimonium, et alia omnia, quæ castitati adversantur præter primum conjugium, non est obligatio nova, sed est eadem omnino quæ antea erat, quæ nunquam fuit ablata, sed eadem perseverat sicut erat prius. Cum ergo a sui initio fuerit reservata, non mirum quod perseveret cum eadem qualitate et reservatione, cum qua genita fuit : nam reservatio ita affecit votum illud, ut omnes et singulas ejus partes affecerit ; quare non solum totum votum per modum totius, sed singulæ ejus partes reservatæ fuerunt, quam rationem videtur mihi breviter insinuasse Basilius Pontius loco supra cit. dicens : « In talibus autem casibus non concedit episcopus simpliciter, et absolute dispensationem auferendo obligationem voti, sed tantum ex parte quoad illum finem, et effectum. » Quod idem dicere potuit de Papa dispensante expresse solum quoad illum effectum contrahendi semel matrimonium ; in neutro enim casu tollitur obli-

gatio voti, nisi quoad sui partem, quoad alias vero eadem prorsus obligatio, et idem votum perseverat, quod erat antea.

Confirmari potest primo hæc ratio exemplo excommunicationis reservatæ, a qua ille, qui in articulo mortis absolvitur, debet, si convaluerit, præsentare se quamprimum possit, prælato superiori, cui reservata erat excommunicatio, alioquin in eamdem excommunicationem reincidit, ut decernitur in cap. *eos, qui, de sentent. excommun.* lib. VI. quo casu si ille qui convaluit, non satisfaciat debito suo, relabitur quidem in excommunicationem, non simpliciter, sed reservatam sicut erat prior, cujus rationem eam esse diximus disp. xx. *de panit.* sect. 10. nu. 212. et seqq. quia excommunicatio illa juris, licet videatur esse diversa a priori; moraliter tamen et fictione juris non est diversa, sed eadem in specie et in individuo, quæ fuerat prius, et revixit; atque ideo retinet eamdem reservationem quam antea habebat, licet fortasse non semper reddat excommunicatum non toleratum atque vitandum, sicut antea reddebat, ut ibid. explicui num. 216. Hoc autem multo magis locum habet in casu nostro, in quo non quidem fictione juris, et solum moraliter, sed vere et realiter perseverat eadem obligatio, et idem numero votum præcedens, obligans ad partem materiæ promissæ, atque adeo remanere debet cum sua reservatione, quam habebat; quia, ut diximus, non commutatur votum præcedens in hoc aliud votum minus, sed extinguitur pars prioris voti, remanente alia parte ejusdem voti, quæ pars omnino intacta fuit, et ideo hæc pars retinet eamdem naturam, et qualitatem quas ab initio habebat.

6 Confirmari potest secundo alio exemplo ordinum militarium, cum quorum equitibus, cum antea ad integram castitatem obligarentur, dispensatum fuit, ut solum ad castitatem conjugalem obligarentur; quam dispensationem aliqui putant factam fuisse non solum pro illis, qui deinceps professionem emitterent, sed etiam pro iis, qui jam professi erant. Sed, quidquid fuerit de facto, loquendo tamen de possibili, negari non potest quin summus Pontifex, interveniente justa causa, utrosque potuerit comprehendere, ut notavit P. Suarez to. III *de Relig.* lib. IX. c. 26. nu. 9. quo casu dispensatio non cadebat supra totam materiam voti castitatis religiosæ, sed supra partem illius, ita ut idem votum præcedens remaneret, et obligaret quoad alias partes, in quibus non fuerat dispensatum. Manebat autem votum cum eadem reservatione et indispensabilitate quam antea habuerat, cum esset adhuc votum annexum statui, atque adeo tale, ut nemo, nisi summus Pontifex, posset illud dispensare, vel commutare.

Hæc autem ad minus probant, posse 7
summum Pontificem, quando dispensat in voto simplici castitatis in ordine solum ad contrahendum unum matrimonium, relinquere idem omnino votum in ordine ad omnem aliam materiam castitatis quam comprehendebat, intactum, et cum eadem omnino reservatione, quam habebat; quia, ut optime explicuit idem Suarez dicto cap. 26. num. 8. votum castitatis, sive simplex sit, sive etiam solemne, non est indivisibile, sed divisibile ex parte objecti, et ideo potest non in totum, sed pro majori vel minori parte auferri pro arbitrio dispensantis, juxta exigentiam causæ, cui dandum est id solum, quod ad consulendum illi necessitati sufficit. Porro de facto hanc esse mentem summi Pontificis, quando dispensat in voto simplici castitatis, cum clausula expressa ad effectum contrahendi matrimonii, et *ita ut si conjugi superstes fuerit, debeat cœlebs remanere;* nimirum tunc non auferre reservationem voti quoad reliquos effectus remanentis, colligi videtur aperte tum ex modo dispensandi, quo Pontifex explicat se quoad illum solum effectum auferre voti obligationem; quoad alios vero velle quod illa omnino inviolata perse-

veret : tum etiam ex sensu omnium fidelium, qui ejusmodi dispensationibus obtentis ad usum quoad aliquem effectum determinatum, nunquam credidérunt auferri reservationem voti remanentis quoad alios effectus. Nam, si aliquis post votum castitatis contrahat matrimonium, potest ab episcopo dispensari ad petendum debitum, imo et poterant etiam dispensare multi ex religiosis mendicantibus antequam revocarentur facultates vivæ vocis oraculo illis concessæ : nemo tamen cogitavit, quod posita illa dispensatione episcopi, vel confessarii ad petendum debitum, votum castitatis non maneret reservatum, sed posset jam commutari, vel dispensari a quolibet potente commutare vel dispensare vota non reservata : quod tamen concedendum fuisset, si ratio in contrarium adducta subsisteret ; posita enim dispensatione ad petendum debitum, non videtur jam manere votum integrum castitatis, sed diminutum, et in tali statu et limitatione ex parte materiæ, in qua si ab initio conceptum fuisset, non fuisset votum reservatum, quia non fuisset votum castitatis simpliciter et absolute, sed cum limitatione. Non ergo debet attendi ad statum in quo nunc est, sed in quo emissum fuit, ut judicetur esse vel non esse reservatum ; quia nimirum mens Pontificis dispensantis hæc est, ut votum maneat quoad reliqua idem ipsum quod erat antea ; et cum eisdem qualitatibus, quod maxime significant verba illa, quæ apponi solent in commissione dispensandi ad discretum confessarium directa, quæ refert Sanch. dicto l. VIII. *de matrim.* disp. IV. nu. 2. nam in fine commissionis iterum pœnitens admonendus dicitur de voti perseverentia, his verbis : « Quod si iterum contraxerit et consummaverit matrimonium, aut unquam extra matrimonium fornicatus fuerit, sciat se contra hujusmodi votum facturum. » Ubi notanda sunt verba illa, *contra hujusmodi votum ;* nempe contra illud idem, cujus dispensatio petebatur, et concedebatur quoad aliquem usum ; contra illud enim et non contra aliud novum, in quod illud prius commutatum sit, peccat qui secundum matrimonium contrahit, vel extra illud fornicatur, quia illud idem votum perseverat ex intentione summi Pontificis, de qua non videtur practice dubitandum.

## DUBIUM II.

*De legato relicto sub conditione prolis legitimæ, an sit solvendum quando dubitatur de valore matrimonii ?*

Titius metu gravi mortis injuste ad eum finem incusso contraxit matrimonium cum Berta, et cum ea per annos quindecim cohabitavit. Postea audiens, matrimonium illud ex causa metus non fuisse validum, ab ea discessit et duxit aliam, ex qua etiam filium masculum suscepit. Utraque mortua, relictum fuit illi legatum sub conditione, si filium masculum legitimum haberet. Dubitatum fuit, an ei deberetur hoc legatum, cum filius natus esset ex secunda uxore, quam duxerat vivente prima, cum qua per tot annos cohabitaverat postquam metus cessaverat, atque adeo per cohabitationem et copulam videbatur jam matrimonium fuisse revalidatum, atque ideo filium postea ex secunda conjuge non fuisse legitimum sed spurium ? Hoc autem totum quærebatur solum pro foro conscientiæ ; injecerant enim Titio scrupulum ne legatum reciperet. 1

Dixi, posse satis tuta conscientia illud exigere, et recipere, quia in primis, si Titius toto illo tempore ignoravit invaliditatem prioris matrimonii a metu inductam, cohabitatio illa diuturna non potuit sufficere ad novum matrimonii valorem, ut supponit ut certum, Thomas Sanchez lib. IV. *de matrim.* disp. XVIII. nu. 5. nam tota illa cohabitatio, et co- 2

pula ipsa procedebat ex errore circa valorem matrimonii contracti, qui error impedit consensum legitimum ad matrimonii valorem requisitum.

3 Secundo, quia etiamsi Titius invaliditatem matrimonii cognovisset, et voluisset affectu maritali ad Bertam accedere; verior tamen sententia tenet, non potuisse matrimonium, quod ab initio fuerat invalidum, revalidari per novum consensum nisi adhibita iterum parochi et testium præsentia : quam sententiam multis relatis optime defendit Basilius Pontius l. V. *de matrim.* cap. 6. nu. 6. et sequentibus, ubi probat, eam esse ex mente sacræ congregationis cardinalium interpretum concilii Tridentini, eamque a sacra Rota, et Pœnitentiaria acceptari. Quare cum Titius nunquam consensum revalidarit coram parocho et testibus, potuit jure optimo matrimonium illud primum invalidum reputare.

4 Tertio, quia etiamsi potuisset revera absque porocho et testibus consensum valide renovare, atque ita de facto fecisset; si tamen postea ex doctorum horum consilio judicasset, non fuisse sufficienter revalidatum, atque ita bona fide secundum matrimonium celebrasset, non tamen clandestine, sed præmissis præmittendis et coram parocho et testibus; hoc sufficeret ut filius ex eo secundo matrimonio genitus reputaretur et esset legitimus, cui ad legitimitatem sufficit bona fides parentum, etiamsi ob aliquod impedimentum matrimonium inter parentes reperiatur postea non fuisse validum, ut constat ex cap. *cum inter,* cap. *quod nobis,* juncta gloss. cap. *ex tenore, qui filii sint legitimi,* et tradunt communiter doctores, quos congerit et sequitur Basilius Pontius l. XI. *de matrim.* c. 8. nu. 2. et Sanchez lib. VIII. *de matrim.* disp. XXXIV. nu. 46. Si ergo Titius bona fide secundum matrimonium iniit, putans primum fuisse invalidum, et solemnitates debitas in facie Ecclesiæ observavit, hoc sufficit ut filius ex eo matrimonio susceptus legitimus sit, quamvis revera primum matrimonium validum fuisset.

Quarto denique, etiamsi Titius mala fide secundum matrimonium contraxisset, si tamen ejus secunda uxor contraxit, putans eum esse solutum, et non clandestine sed coram parocho et testibus, et præmissis denuntiationibus, id sufficeret ut filius legitimus esset, cum ad eum effectum sufficiat bona fides in altero ex parentibus, ut constat ex juribus et doctoribus allegatis. Cum ergo legatum non requirat aliam conditionem, nisi quod Titius aliquem filium legitimum habuerit, fatendum est purificari, si quidem filius ille ex tot capitibus legitimus est, ut de ejus legitimitate dubitari non possit, quamvis fortasse hæres dubium magnificaverit, ut se a legati solutione si posset, liberum redderet.

## DUBIUM III.

*Utrum bulla Gregorii XIII. contra dantes et accipientes pro rebus gratiæ, vel justitiæ, locum habeat contra dantes, et accipientes in tribunalibus laicis status ecclesiastici?*

Suppono, Gregorium XIII. in sua bulla edita anno 1574. quæ incipit, *Ab ipso Pontificatus,* inhærendo decreto Bonifacii VIII. quod continetur in Extravaganti I. *de sentent. excommunicat.* inter Extravagantes communes, gravissimas pœnas et censuras edidisse contra dantes, vel accipientes, aut promittentes pro justitia, sive gratia apud sedem Apostolicam obtinenda, quæ bulla ad litteram habetur apud Navarrum t. III. in fine, ubi commentarium longum ejusdem bullæ habetur sub tit. *de datis, et promissis pro justitia, vel gratia obtinendis;* et nunc etiam habetur eadem Bulla in *Bullario communi,* t. II. et est 24. inter bullas ejusdem Gregorii. Navarrus autem in di-

cto commentario num. 29. observat, pœnas illas esse contra dantes, promittentes, vel accipientes pro gratia, vel justitia apud sedem Apostolicam obtinenda. Nomine autem *Sedis Apostolicæ* intelligi quæ pertinent ad tribunal summi Pontificis, quatenus summus Pontifex est, non quatenus est rex, vel dominus temporalis sui territorii et status ecclesiastici, in quo exercet etiam jurisdictionem temporalem ; in causis enim, vel negotiis quæ pertinent ad potestatem Papæ, quatenus est princeps temporalis, quamvis peccaret qui daret vel promitteret ad obtinendam gratiam vel justitiam ; non tamen incurreret pœnas illius bullæ, quæ solum sunt contra id facientes pro obtinenda gratia, vel justitia apud sedem Apostolicam, quod in sensu formali intelligit Navarrus, hoc est, quatenus sedes Apostolica est.

Contra hanc tamen Navarri doctrinam non leviter dubitatum est, an eo locum habere jam possit, postquam Clemens VIII. in sua bulla edita anno 1592. quæ incipit, *Pro commissa nobis*, et est bulla 10. ejusdem Clementis in III. to. *Bullarii communis*, prohibitiones et pœnas dictæ bullæ Gregorii XIII. extendit ad omnia tribunalia etiam laica, atque etiam extra curiam, in toto statu ecclesiastico. Verba Clementis in ea bulla §. 22. sunt hæc : « sed et constitutiones piæ memoriæ Bonifacii VIII. et Gregorii XIII. Romanorum pontificum prædecessorum nostrorum contra paciscentes, dantes, aut recipientes quicquam parvum, vel magnum, pro gratia, vel justitia pro se, vel aliis obtinenda, et contra complices, vel dantes in præmissis auxilium, consilium, vel favorem, cum omnibus in eis contentis pœnis, censuris et extensionibus, quæ supradictis aggravatæ et additæ, non autem per eas imminutæ aut immutatæ censeantur ; harum serie approbamus et innovamus, ac ad omnes superius expressas personas etiam speciali nota dignas, quæ contra ultimo dictas constitutiones, in quibusvis casibus per eas expressis, dando, recipiendo, promittendo, paciscendo, consentiendo, aut permittendo non solum apud sedem Apostolicam, sed in quibusvis tribunalibus, et eorum quibuscunque judicibus etiam laicis almæ urbis, tam in Romana curia, quam extra eam, in quibuslibet temporali ditioni nostræ mediate, vel immediate subjectis, provinciis, civitatibus, oppidis, terris, et locis deliquerint, per easdem præsentes extendimus, et ampliamus, pœnis aliis a jure, vel per alias constitutiones Apostolicas, aut propria locorum statuta, vel consuetudines, contra personas aliquod præmissorum committentes, vel omittentes, forsan decretis, vel inflictis, nihilominus in suo robore permansuris. » Horum itaque verborum vigore aliqui plane dicunt, doctrinam illam Navarri locum jam non habere, sed constitutionem et pœnas Gregorii XIII. procedere in quibuscunque causis et negotiis, in quibus gratia vel justitia in quolibet tribunali, vel apud quemlibet judicem in statu ecclesiastico modis illis prohibitis obtineatur, ita docet Bonacina to. III. *de censuris particularibus*, disp. II. qu. 3. puncto 32. n. 4.

Alii tamen communiter, non ita uni- 3
versaliter verba illa Clementis intellexerunt, sed solum juxta subjectam materiam ; ita ut bullam et pœnas Gregorii et Bonifacii extenderint ad eos, qui de bonis communitatum status ecclesiastici dant, vel accipiunt, vel promittunt pro gratia vel justitia obtinenda, non solum apud sedem Apostolicam, et in Urbe, sed etiam in quolibet tribunali, et apud quemlibet judicem in toto statu ecclesiastico. Tota enim illa bulla edita fuit ad hoc solum, ut bona civitatum communia, et oppidorum status Pontificii non dispergerentur, et diminuerentur largitionibus et expensis immoderatis, quas administratores eorum bonorum communium passim facere solebant cum maximo detrimento communitatum, ut constat et procemio ejusdem bullæ, juxta quod tota bulla intelligenda est. Sic enim

præfatus Clemens : « Pro commissa nobis a Domino sanctæ Romanæ ecclesiæ, eique etiam in temporalibus subjectarum civitatum, et populorum tutela, paternaque erga nostros subditos charitate, præcipuo studio tenemur providere, ut ad eos pertinentia bona, ea qua decet, fide et cura, utiliter et provide administrentur, præsertim vero tollantur pravi abusus, qui in publicum et commune damnum paulatim irrepunt. Ex quibus et hactenus gravi ære alieno communia illorum bona oppressa, vel ab ipso nostri Pontificatus initio comperimus, et malum hoc, nisi celeriter opportuna remedia adhibeantur, quotidie in deterius prolabi videmus. Dum enim pauci sua privata commoda et lucra quærunt, atque illicitis modis, quod prave ambiunt aut concupiscunt, consequi affectant, potentiorum aut vulgi gratiam vanis assentationibus aucupantur, suas denique cupiditates explere satagunt, nulla utilitatis publicæ ratione habita, ærarium ipsarum civitatum et locorum exhauriunt, gravi ære alieno implicant, inanibus pompis et ostentationibus dilapidant. Quibus malis atque incommodis (quantum nostra vigilantia atque auctoritate eniti possumus) occurrere cupientes, hac nostra perpetuo valitura constitutione statuimus, et ordinamus, » etc. et prosequitur multa remedia adhibens, quibus et pœnis etiam additis, et cautionibus, administratores bonorum communium intra debitos limites contineantur. Postea vero dicto §. 22. addit verba supra relata extendendo ad hunc casum etiam extra curiam pœnas a Bonifacio VIII. et Gregorio XIII. statutas : nimirum, ut eas incurrant, qui actiones ab illis Pontificibus prohibitas, circa hanc etiam materiam admiserint. In quo sensu explicatur ille §. in summario illius ad marginem addito, in quo postquam in præcedenti summario marginali dictum fuerat, *contravenientes in prædictis pœnas hic descriptas incurrunt :* de iisdem delinquentibus circa pona communia civitatum, et locorum additur : *contra quos extenditur Bonifacii VIII. constitutio* I. *et Gregorii XIII. constitutio* XXIV. non ergo fit hæc extensio contra alios, sed contra eosdem, de quibus tota hæc Clementis constitutio in superioribus egerat. Eodem modo, et in eodem sensu prædicta verba intellexit Flavius Cherubinus *in Compendio Bullarii,* ubi prædicta verba Clementis dicto §. 22. ita in compendio refert. « Constitutionem Bonifacii VIII. et Gregorii XIII. contra dantes, aut aliquid recipientes pro habenda gratia, vel justitia contra prædictos extendit : » nempe in contravenientes, et male administrantes bona civitatum et communitatum, de quibus immediate ante locutus fuerat. In eodem sensu prædicta verba Clementis explicuit P. Thesaurus *in praxi ecclesiastica* : part. II. ver. *munera* §. 7. ubi ita dictam extensionem refert ; « Præterea addit Clemens §. 22. quod si dictæ erogationes factæ, vel promissæ fuerint pro gratia, vel justitia pro se vel aliis obtinenda ; tunc tam dantes quam accipientes vel promittentes et dantes ad id auxilium, consilium, vel favorem incurrunt in excommunicationem et pœnas omnes latas in Extravag. I *de sent. excommunicat.* et in Bulla Gregorii decimitertii *de datis, et promissis,* de quibus dixi verb. *simonia,* cap. 15. et procedit contra dantes parvum, vel magnum, ut in dicta Bulla Clementis VIII. » Hucusque Thesaurus, quod antea dixerat Fillicius, tr. XV. n. 242. in eodem sensu extensionem illam Clementis intellexerat. Et mihi quidem fere certum est, Clementem de aliis non cogitasse : quorsum enim, dum totus erat in providendo communitatibus, et eorum bonis saltasset extra chorum, et repente pœnas adeo exorbitantes extenderet ad omnes dantes vel accipientes pro qualibet gratia temporali, vel justitia cuilibet judici laico vel ministro tribunalis ? Denique idem Bonacina loco supra cit. fatetur, probabilem esse hanc interpretationem, nec ego adhuc ullum alium vidi, qui de ea dubitaret. Post hæc tamen scripta invenio apud

Dianam part. VII. tr. IV. resolut. 3. afferri P. Leonem de censuris, intelligentem bullam Clementis in sensu universali. Sed ipse Diana ibi magis nostræ sententiæ adhærere videtur.

## DUBIUM IV.

*In quo aliqua observantur circa bullam proxime citatam Gregorii XIII. de datis, et promissis, ubi quando ignorantia ab ejus pœnis excuset.*

Quia dubio præcedenti mentionem fecimus constitutionis Gregorii XIII. de datis et promissis, cujus rigorem Navarrus operæ pretium duxit temperare adhibito docto commentario, et tamen adhuc aliquibus durus videtur ille sermo, et quem nonnullorum praxis probat fortasse ab illis ignorari, opportunum putavi aliqua observatu digna breviter indicare, quæ sparsim apud aliquot auctores reperiuntur, et in casus contingentia, quæ frequens est, apud illos videri possunt.

Et in primis, quia bulla illa et pœnæ in ea statutæ a multis hodie ignorantur, habenda est præ oculis doctrina, quam cum aliis probat late Thomas Sanchez lib. IX. *de matrimon.* disp. XXXII. n. 17. 18 et 31. ubi docet, non incurri censuras, nec alias pœnas ecclesiasticas sine aliarum legum notitia, vel ignorantia crassa, supina, vel etiam affectata. Unde multi excusari fortasse possunt a pœnis dictæ bullæ propter ignorantiam illius, vel invincibilem, vel vincibilem, non tamen supinam, crassam, vel affectatam.

Secundo advertendum est, Gregorium in ea bulla extendere pœnas primo ad eos, qui cupiditate improbi quæstus potentiorum suffragationibus adnixi, hujusmodi negotiorum expeditiones hac illac conquirentes turpissime nundinantur. Secundo ad eos, qui quos gratia præstare arbitrantur, donis, pollicitationibusque ambiunt. Tertio ad eos, qui se eorumdem operam, atque industriam pretio et muneribus quæsisse affingunt. Ad hæc autem non extenduntur pœnæ illæ, nisi cum addito, nempe ad eos qui hæc facinora committere audent. Est autem doctrina satis trita, quam cum aliis tuetur idem Thomas Sanchez dicta disp. XXXIII. n. 37. et 39. quod quoties lex loquitur contra *audentes* aliquid facere, excusat etiam ignorantia crassa, et supina, dum non sit affectata, vel ingens temeritas, quæ scientiæ æquiparatur.

Tertio adverto, aliquos excusare a simonia (et consequenter idem dicent de pœnis prædictæ bullæ) eum, qui non pro beneficio, vel gratia, aut re spirituali promittit vel dat, sed pro labore et industria illius, qui gratiæ assecutionem negotiatur, vel procurat. Imo addunt, quamvis id quod pro dicto labore datur, excedat ejus valorem, non esse simoniam, sed injustitiam in accipiente vel exigente ; quia non datur vel promittitur pro re spirituali, sed pro labore qui est aliquid temporale. Quare purgari poterit injustitiæ labor, si dans vel promittens velit gratis donare excessum illum. Ita cum aliquibus docuit Diana part. II. tr. II. *miscell.* resolut. 37. vel 39. et part. III. tr. II. resol. 64. Postea tamen part. VI. tract. VII. resol. 42. re magis considerata, dixit, quamvis eam sententiam olim speculative probabilem existimaverit, in praxi tamen non esse amplectendam, quod quidem merito dixit : est enim practice et moraliter impossibile, quod impetraturo mihi beneficium promittam 200. scuta pro labore qui valeat solum 10. et quod non dem vel promittam 190. pro beneficio obtinendo, sed pro solo labore, præsertim quando nolo illa dare, posito toto labore, sed obtento beneficio. Nec minus impossibile est, quod velim illum excessum dare gratis, cum antecedat pactum dandi illa 200. obtento beneficio, quod pactum repugnat essentialiter donationi gratuitæ futuræ. Si velis ergo tuta conscientia procedere, debes aperte 4

protestari, te pro labore velle dare 10. sive beneficium obtineatur, sive non obtineatur. Te tamen scire, quid deceat hominem gratum, imo habere animum donandi benefactori 200. ad id tamen nolle te tunc obligare, quia scis ultra peccatum gravissimum et censuras, gratiam ipsam fore irritam et nullius valoris. Hæc si non solis verbis, sed sincere et ex corde dicantur, et intelligantur, non incurris pœnas, nec labem simoniæ, quamvis postea ex gratitudine, et absque pacto, vel ohligatione præcedente, dones 200. tuo procuratori. Sed cave, ne in foro externo judea possit de te præsumere simoniam, vel pactum, quam præsumptionem non ita facile purgabis.

5 His ergo breviter prænotatis, difficultas non levis esse potest, an ignorantes eam bullam ignorantia etiam inculpabili, contrahant adhuc invaliditatem gratiæ obtentæ, quæ in eadem bulla transgressoribus imponitur. Potest autem casus hic dupliciter occurrere. Primo ita ut omnes tam dantes, seu promittentes quam accipientes cum ignorantia culpabili et bona fide concurrerint. Secundo, ut alter illorum bona fide et cum ignorantia, alter vero mala fide et scienter operatus sit. Dicemus in primis de primo casu, et postea de secundo.

6 Non credo defuturos, qui dicant, adhuc in eo primo casu impetrationem gratiæ esse invalidam, neque ab hoc effectu excusare posse ignorantiam etiam inculpabilem : dicunt enim, irritationem actus non esse proprie pœnam, atque contrahi posse etiam ab invincibiliter ignorantibus. Pro hac sententia affert aliquos P. Thesaurus *in praxi Ecclesiastica*, part I. c. xxxv. qu. 1. respons. 4. Et quidem in casu fere simili, nempe quando simonia materialiter solum et inculpabiliter commissa fuit, idem videtur tenere de invaliditate actus Lessius lib. II. *de Justitia*, cap. xxxv. dub. 25. num. 142. ubi hæc habet : « Petes secundo, quid si per ignorantiam inculpatam simonia sit commissa ? Respondeo, si ab aliis te ignorante, tua causa simonia commissa est, non incurris quidem pœnam excommunicationis, efficeris tamen inhabilis ad idem beneficium, ita ut absque dispensatione non possit tibi illa vice conferri : idque in pœnam illorum qui simoniace te promovere voluerunt : ut patet ex c. *nobis fuit*, et c. *sicut tuis*, juncta glossa *de simonia*. Quod si illi laborassent ignorantia inculpata, tunc neque inhabilis efficereris, quia nulla culpa commissa est, ob quam illa inhabilitas est constituta. Unde posset illud beneficium tibi secundo conferri absque ulla dispensatione. Idem videtur dicendum, si contractus simoniacus ab ipso beneficiario per ignorantiam celebratus sit : in utroque tamen casu beneficium resignari debet, nisi secundo conferatur, quia prior collatio irrita fuit, utpote per contractum irritum facta. » Hæc Lessius, qui videtur supponere, contractum esse invalidum, etiam nulla intercedente culpa vel malitia formali simoniæ. Potest autem confirmari ex illo exemplo : nam minus excusat ignorantia juris, quam ignorantia facti, ut habetur in regula, *ignorantia facti*, de reg. jur. in VI. Cum ergo non possit quis retinere beneficium, quando, ipso omnino ignorante, intercessit simonia inter collatorem et alium tertium : minus subsistet collatio, quando ipsemet beneficiarius simoniam commisit, quamvis ob ignorantiam juris a culpa formali simoniæ excusatus fuerit.

Verum alii aliter loqui videntur vel in genere, vel etiam in casibus specialibus non dissimilibus. Nam in primis Thom. Sanchez lib. IX. *de matr.* disp. xxxii. n. 18. universaliter docet, *annullationem actus, quando non est ob defectum solemnitatis : sed in delinquentis pœnam non incurri ab ignaris*, quod etiam docet l. III. disp. xvii. n. 9 et 11. idem cum aliis quos affert, tenet P. Thesaurus ubi supra §. *unde sequitur*, dicens irritationem actus, quando lata est a jure in pœnam seu odium delicti, seu transgres-

sionis, non ligare ignorantes legem prohibentem et irritantem, seu cum bona fide operantes; sed tamen hic Auctor in particulari videtur magis explicare suam mentem postea par. II. verb. *simonia*, c. 2. ubi relata nullitate collationis beneficii interveniente simonia, addit : « Neque a tali nullitate et obligatione dimittendi excusat ignorantia etiam invincibilis, seu bona fides, » et relatis aliis doctoribus addit rationem ex S. Thoma 2. 2. q. 100. art. ult. ad 3. eam esse « quia hæc non est privatio pœnalis juris quæsiti, sed obligatio restituendi nulliter et injuste acceptum ob defectum consensus Ecclesiæ, et ob irritationem actus acquisitionis ab initio, ex qua prima acquisitio impeditur, si non sit gratuita. Postea vero c. 15. in fine, dicit, invalidationem gratiæ non incurri ab habentibus ignorantiam inculpabilem, nisi solum in simonia super beneficiis : quare in aliis casibus contentis in dicta bulla Gregorii XIII. si non sit simonia in rebus beneficialibus, non incurri ab operantibus cum ignorantia invincibili, quia irritatio gratiæ in illa bulla contenta est mera pœna.

8 Ego quidem in hoc dubio libenter distinguerem, ut supra dicebam ; nam vel omnes immunes fuerunt a culpa, tam dantes et promittentes, quam accipientes et acceptantes : vel aliqui inculpabiliter operati sunt propter ignorantiam, alii tamen culpabiliter. In primo casu difficile mihi semper visum est, quod irritatio gratiæ contrahatur, cum hæc videatur esse proprie pœna in odium delicti statuta : quod tamen delictum nemo commisit, cum supponamus, neminem prorsus ea in parte peccasse. Et quidem de irritatione gratiæ statuta in bulla Gregorii XIII. jam id concedit P. Thesaurus in loco proxime citato : contendit tamen incurri in materia beneficiali, in qua nullitas collationis non est mera pœna delicti, sed provenit ex defectu consensus Ecclesiæ : quare ad hunc effectum sufficit simonia materialis, quamvis non fuerit formalis ob ignorantiam inculpabilem. Pro quo afferuntur aliqui alii auctores ; sed pro eorum intelligentia advertendum est, plerosque illorum loqui in casu diverso, nempe quando simonia non est commissa ab accipiente beneficium, sed ipso ignorante, ab alio tertio ejus amico vel cognato : quo casu, re postea cognita, debet beneficium dimittere, ut habetur in c. *sicut tuis, de simonia;* qui casus, ut dixi, est valde diversus : nam ibi intercessit vera et formalis simonia, et delictum quod Ecclesia punire voluit, etiam cum detrimento innocentis, ne ille qui deliquit fructum ex delicto obtineat, nempe permanentiam beneficii in persona cui ipse eam simoniace procuravit : de hoc autem casu loquitur S. Thomas dicto art. ult. Sicut etiam P. Suarez t. I. *de Religione*, lib. IV. *de simonia* c. 57. num. 27. et seqq. quem affert pro se Thesaurus ubi supra, sed immerito, quia semper Suarez in toto illo discursu supponit, peccatum simoniæ ab aliquo fuisse commissum : unde n. 38. dicit, hunc effectum annullationis ob simoniam etiam ignorante beneficiario commissam, haberi non solum ex jure antiquo, sed etiam ex jure novo in *Extravaganti* II. *de simonia*, in qua universaliter annullantur collationes et nominationes, etc. quas contigerit simoniaca labe fieri : qualis procul dubio est illa, de qua agitur, in qua tertius peccatum simoniæ commisit. Non ergo loquitur ibi Suarez de casu, quo a nemine prorsus simoniaca labes contracta fuit, nec hujus casus in toto illo discursu meminit. Nec magis favet illi sententiæ Thomas Sanchez lib. II. *consil.* c. III. dub. 115. n. 1. quem eo loco citat P. Thesaurus ubi supra, nam ibi nec verbum ullum est, quod ad hoc spectari possit. Magis apparenter posset afferri idem Sanchez eodem c. III. dub. 120. n. 24. ubi postquam dixerat posse episcopum cum illo qui ignoranter accepit beneficium simplex per simoniam, et cognita simonia sponte renuntiat, dispensare, ut idem beneficium habeat : ad-

dit hæc verba : « Nota primo, quod dum loquimur de beneficio habito simoniace ignoranter, non intelligimus quando ipsemet beneficiarius commisit simoniam, ignorans esse talem, sed quando alii commiserunt simoniam, ipso ignorante. Sic enim loquitur c. penul. *de elect.* et omnes Doctores citati : » in quibus verbis videtur significare, quod in casu nostro episcopus non potest dispensare; atque adeo tunc incurri multo magis inhabilitatem, quando ab alio tertio commissa fuit simonia. Verum nec eo loco Sanchez id dixit, sed omisit casum nostrum, testans se non loqui de illo, sed solum quando simonia ab aliis commissa fuit. Quid autem juris sit, quando ab ipsomet beneficiario ignoranter committitur, ipse non explicuit, fortasse quia distinctione opus erat, et aliud dicendum esset, si omnes inculpabiliter operati sunt : aliud si solus qui beneficium accepit, excusatus fuit propter ignorantiam inculpabilem, qui est casus diversus ut postea videbimus. Nunc autem loquimur, quando nemo prorsus labem simoniæ contraxit, quia omnes bona fide processerunt : quo casu durum videtur pœnam nullitatis collationis agnoscere, quando a nemine simoniæ peccatum commissum fuit. Denique minus ad rem affertur ab aliquibus pro contraria sententia Castro Palao to. II. tr. xii. disp. 2. pun. 33. num. n. ubi dicit, eos solos excludi a beneficio regulæ de triennali, qui beneficia simoniace scienter sunt ingressi, non vero eos qui ignoranter : supponit ergo collationem fuisse invalidam, etiam quando non ignoranter operati sunt, alioquin non indigerent beneficio triennalis possessionis. Sed hic Auctor loquitur, sicut et alii, de illis quibus ignorantibus, simonia ab aliis commissa est, ut legenti constabit : quo casu jam diximus puniri simoniacum etiam in persona innocentis, qui vel invalide acquirit beneficium, vel certe, cognita simonia, debet illud dimittere et renuntiare, juxta varias doctorum sententias. Nos autem loquimur, quando omnes innocentes sunt, quia omnes bona fide contraxerunt, quo casu nemo videtur puniendus, cum nemo prorsus peccaverit.

Ratio denique a priori sumi potest ex 9
fundamento contrario, quia nimirum sicut excommunicatio, et aliæ pœnæ, sic etiam nullitas collationis simoniacæ videtur pœna non ex defectu solemnitatis, aut formæ requisitæ, sed in odium delicti, et ad coercendos homines ab ejusmodi detestabili labe contrahenda; hæc enim annullatio collationis habetur ex *Extravaganti, Cum detestabile, de simonia*, in qua non potuit clarioribus verbis Paulus II. protestari, se illam tanquam meram pœnam simoniacæ labis statuere, et in ejus odium, ac punitionem. Sic enim incipit : Cum detestabile scelus simoniacæ pravitatis, tam divinorum, quam sacrorum canonum auctoritas abhorreat, atque damnet : nos considerantes, quod plus pœnarum gravitas, quam Dei timor arcere solet a voluntate peccandi, ac summis desideriis affectantes, ut hoc pestiferum vitium, non ex usu solum, sed etiam ex mentibus hominum saltem propter pœnarum metum penitus evellatur » etc. et revocatis pœnis aliis a suis prædecessoribus statutis, addit invalidatem electionis, nominationis, et confirmationis simoniacæ, illarum scilicet, *quas simoniaca contigerit labe fieri*. Non ergo aliarum, quæ sine tali labe, aut ullo peccato fiant, lex enim odiosa non debet extendi ad ea quæ in illius verbis non comprehenduntur.

Rationem hanc tradidit optime P. Suarez lib. V. *de legibus* c. xxii. n. 3. ubi universaliter docet, « quando irritatio tantum in pœnam imposita est, per ignorantiam, vel aliam similem causam, quæ a culpa excusat, impediri ; » et adductis pro hac conclusione aliis doctoribus, probat, « quia cessante causa, cessat effectus, sed in præsenti casu culpa est causa per se et adæquata talis irritationis, quia hoc modo est causa pœnæ, et illa irritatio pœna quædam est, ut supponitur ; 10

ergo. Unde confirmatur ex generali principio, quod ignorantia excusans culpam, excusat etiam pœnam, quod supra traditum est, et probatum ; sed non est minor ratio in hac pœna irritationis actus, ut cessare debeat, cessante culpa, quam in aliis : ergo idem in illa dicendum est. » Hæc Suarez, qui affert ad hoc optimum exemplum his verbis : « Et potest, inquit, hoc confirmari ex his, quæ diximus l. IV. *de orat.* c. xxx. n. 17. scilicet, eum, qui ex oblivione naturali omittit divinum officium, facere fructus suos, non obstante lege pœnali irritante acquisitionem fructuum, contra non recitantes lata, quia per illam oblivionem cessat culpa, et consequenter etiam pœna ; ergo idem dicendum erit in omnibus similibus. » Postea vero objicit sibi exemplum illius, qui accepit beneficium, ignorans simoniam ab alio commissam, et tamen collatio est irrita. Ad quod respondet his verbis : « Respondetur illud esse speciale, quia fuit in illa lege expressum in detestationem illius delicti. Addo etiam, ibi semper intervenire aliquam culpam, vel collatoris, vel alicujus tertii, quæ sufficit ad sustinendam illam pœnam, etiamsi recipiens excusetur : nam ad punitionem alterius, ipse etiam per accidens patitur. » Vides, quomodo P. Suarez agnoscat irritationem collationis beneficii simoniacæ esse pœnam, atque adeo non incurri si nullius prorsus culpa intercesserit, et quidem ex verbis *Extravagantis* supra relatis id videtur manifeste constare, cum ad nihil aliud Pontifex ibi talem irritationem inducat, nisi ad puniendos ea labe et scelere infectos, et ut timore pœnæ alii omnes deterreantur, quando Dei timore non terrentur.

11 Majus est dubium in secundo casu supra indicato, quando scilicet accipiens beneficium propter ignorantiam excusatur culpa, et a peccato simoniæ : collator tamen eam bene animadvertit, et amore lucri peccavit : quo casu non est dubium, quod collator incurrerit excommunicationem et alias pœnas personales, quamvis qui beneficium bona fide accepit ab iis sit liber, quia bona fides eum a culpa et ab ejusmodi pœnis reddidit immunem. Dubium autem est de pœna reali irritationis collationis, quæ indivisibilis est, et non potest quoad delinquentem habere locum, quin etiam redundet in innocentem. Si enim collatio valida sit, ne innocens sine culpa puniatur, manebit delinquens impunitus, et fructum, ac emolumentum ex propria nequitia reportabit.

Porro in prædicto casu non reddi collationem invalidam, probari potest. Primo, quia quando pœna indivisibilis est, nec potest quoad delinquentem subsistere, quin etiam socius innocens puniatur, debet potius prævalere innocentia unius et impedire effectum pœnæ, ne puniatur innocens, quamvis per accidens, qui peccavit liber remaneat. Ad quod deservire potest exemplum, quod affert, et cum aliis probat Thom. Sanchez lib. VIII. *de matrim.* disp. xxv. num. 30. et 31. quando alter solus ex contrahentibus contraxit matrimonium, sciens adesse impedimentum irritans, alter vero id nesciebat : quo casu dicunt non incurri pœnam Trident. sess. xxiv. ca. 5. *de matrim.* ubi dicitur : « Si quis intra gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere præsumpserit, separetur, et spe dispensationis consequendæ careat : idque in eo multo magis locum habeat, qui non tantum matrimonium contrahere, sed et consummare ausus fuerit : » hanc, inquam, pœnam carendi spe dispensationis, dicunt non incurri, quando alter ex illis bona fide contraxit, licet alter scienter contraxerit, ne innocens ob alterius scelus plectatur. Idem ergo dicendum erit in casu nostro de pœna invaliditatis collationis, quæ si locum habeat, plectetur innocens ob delictum solius socii, qui mala fide simoniam commisit, a cujus malitia alter ob inculpabilem ignorantiam excusatur. 12

Secundo probari hoc ipsum potest, 13

quia quamvis, ut supra diximus, debeat dimittere beneficium, qui bona fide illud accepit ignorans simoniam, quam eam ob causam alius tertius cum collatore commisit : quia in eo casu specialiter ita Ecclesia disposuit, sine qua speciali dispositione non posset innocens plecti ob alienam culpam, ut fatetur Suarez lib. V. *de legib.* ca. XXII. num. 3. In aliis casibus, in quibus lex id specialiter non statuerit, standum erit regulæ generali, quod innocens propter scelus alterius pœnam non sustineat. Casu autem noster videtur esse diversus, cum in casu nostro simonia non sit commissa inter alios duos, sed ab ipsomet collatore et recipiente beneficium, qui tamen ignorantia inculpabili excusatur a labe simoniæ.

14 Contra hoc tamen semper urgere videtur, quod in casu nostro vere commissa fuit simonia, et ejus labe infectus fuit qui beneficium contulit vel resignavit. Quamvis autem ab ea labe fuerit immunis, qui beneficium accepit propter ignorantiam inculpabilem ; Ecclesia tamen tanto odio simoniæ crimen prosequitur, ut a quocumque admissum sit, impunitum illud non relinquat : ad quod deservit casus ille in jure expressus, quando simonia ab alio tertio commissa est, ignorante illo, qui beneficium accipit : quo tamen casu collatio beneficii non subsistit, ut constat ex ca. *nobis*, ca. *sicut tuis*, et aliis, *de simonia*, in quibus vel casus est idem cum nostro, vel certe ratio prohibitionis non est dissimilis, sed eadem omnino, nempe turpitudo criminis simoniæ, cujus labe infectam collationem noluit Ecclesia subsistere, quamvis accipiens beneficium immunis a culpa reperiatur, quæ ratio eadem est in nostro casu : quod enim peccatum simoniæ committatur a parentibus beneficiarii, vel ab ipso collatore, aut resignante, parum videtur referre : imo magis proxime, ut ita dicam, infici videtur collatio, quando ipsemet collator, aut resignans contrahit labem simoniæ, quam quando parentes provisi, vel amici eam contrahunt ; qui magis extrinsece et remote concurrunt ad ipsam collationem. Unde videtur omnino in hoc casu locum habere regula et doctrina communis, quam cum communi sententia docet et probat Suar. lib. V. *de legib.* c. III. num. 19. et seqq. nimirum, quod, quidquid sit, an lex pœnalis extendi debeat ad casum similem, in quo similis ratio procedit, debet tamen extendi, quando non similis sed eadem ratio adæquata invenitur, quod in casu nostro maxime locum habere videtur, qui solum materialiter differre videtur a casu in illis juribus explicato : quare casus ille ibi videtur solum in exemplum adductus, et quia de illo solum tunc consulebantur Pontifices : doctrina tamen formalis illarum Decretalium esse videtur generalis, nempe collationem beneficii non subsistere, quando simoniaca labe infecta est, quamvis beneficium accipiens non peccaverit, sive id sit, quia ipse ignoravit simoniam ab aliis ipso inscio commissam, sive quia ipse etiam materialiter ad eam concurrens ignoravit prohibitionem et culpam quam alius non ignoravit, et ideo revera collatio peccato simoniæ infecta fuit : quæ est tota ratio illius legis, atque ideo ego neque in foro conscientiæ liberarem ab obligatione dimittendi beneficium eum, qui hoc modo illud obtinuit, nisi in foro conscientiæ dispensationem impetraret. An vero ex promissione ficta, vel non acceptata, incurrantur prædictæ pœnæ, videri possunt auctores : quos affert Diana part. VII. tractat IV. resol. 4. et 5.

## DUBIUM V.

*Utrum privilegia concessa Indis prosint iis, qui nati sunt ex patre Hispano, et matre Inda, vel e contra ?*

1 Supponuntur nonnulla privilegia concessa Indis a summis Pontificibus, qui ut Christianos illos novos in religione Christiana confirmarent, et eorum imbecillitati compatientes, dispensarunt cum iis in aliquibus Ecclesiæ præceptis, de quibus videri potest Emmanuel Rodriq. tom. II. *qu. regul.* qu. 99. art. 5. quo supposito, quæsitum fuit, an ejusmodi privilegia extenderentur etiam ad illos, qui sunt geniti ex patre Hispano et matre Inda, vel ex patre Indo et matre Hispana, qui vulgari sermone ibi vocantur *Mestizi*, hoc est ex sanguine Hispano et Indico. Et quidem pro parte negante aliqui afferebant P. Thom. Sanchez, qui lib. VIII. *de matrim.* disp. XXIV. num. 35. cum Veracruz observat, privilegium Pauli III. qui dispensavit cum Indis, ut in tertio et quarto gradu possint matrimonio conjungi, non debere intelligi nisi de solis Indis neophytis novi orbis. Inde tamen nihil pro una vel altera parte nostræ quæstionis colligi potest : fatemur enim concessionem illam, et alias similes intelligi pro solis Indis : sed quæstio est qui debeant hoc Indorum nomine intelligi, an soli puri et utroque parente Indi, an etiam misti, et qui ex uno solo parente Indo nati sunt ?

2 Ego tamen sub distinctione respondi. Possumus enim loqui de concessione illa ad contrahendum matrimonium in tertio, et quarto gradu, vel de aliis etiam concessionibus et dispensationibus in aliis præceptis, v. g. jejunii, dierum festivorum, et similium. Quod ergo attinet ad matrimonia in tertio, et quarto gradu, videtur esse peculiaris ratio, ut comprehendat non solum puros Indos, sed etiam mistos, propter concessionem alteram superadditam Gregorii, quam ex Fr. Joanne Baptist. *in Advertentiis Confess.* I. part. in tabula verb. *Mestizos*, refert D. Joannes de Solorzano tom. II. *de Indiarum jure, et gubernatione* lib. I. ca. XXVIII. n. 50. et seqq. qui dicunt die Septembris anno 1591. Gregorium XIV. (quamvis ibi dicatur Gregorius XIII. fortasse ex errore typographi, nam eo anno non sedebat Gregorius XIII. sed XIV.) suo peculiari Brevi declarasse, quoad hunc effectum, ut dispensari posset cum Indis ad contrahendum in tertio, et quarto gradu, ab iis quibus facultas concessa fuerat, hos etiam mistos intelligendos fore nomine Indorum, seu neophytorum, quas quidem bullas ego non vidi : invenio tamen discrimen in iis auctoribus, qui referunt has concessiones : nam apud Solorzanum, et Joann. Bapt. supra adductos, non dicitur Paulum III. dispensasse in iis gradibus, sed solum concessisse facultatem aliquibus religiosis, ut possent cum Indis in iis gradibus dispensare. Alii vero referunt, ipsummet Pontificem universaliter dispensasse et abstulisse pro Indis impedimentum tertii et quarti gradus : ita refert Emman. Rodriguez dicta qu. XCIX. art. 5. et eodem modo ex Veracruz I. parte *Speculi* art. XLIV. conclus 3. eam concessionem refert Thom. Sanchez dicto lib. VIII. *de matr.* disp. XXIV. num. 35. Utcumque se res habeat, stante concessione Gregorii XIV. et extensione supra adducta, certum erit eam gratiam extendi etiam ad Indos mistos, cum summus Pontifex de facto eam voluerit extendi.

3 Magis dubitari posset de iis, qui nati sunt ex patre Hispano et matre non pure Inda, sed mista, vel e contra ex patre misto, et matre Hispana, qui vulgo appellari solent *Quarterones*, eo quod quartam solum sanguinis partem ex Indis habeant : an ii etiam frui possint facultate illa Indis concessa, et ad mis-

tos, seu *Mestizos* a Gregorio XIV. extensa? Et quidem puto non comprehendi eo indulto: quia ejusmodi homines nonnisi large dicuntur *Mestizos;* ut constat ex schedula regia expedita anno 1587. quam refert idem Solorzano dicto tom. II. lib. III. c. 20. num. 4. cum enim injunctum esset episcopis a rege, ne *Mestizos* ad ordines promoverent, explicuit rex Philippus II. hoc de *Mestizis* intelligi debere stricte, atque adeo de illis solis, qui ex Indo puro et Hispana, vel ex Hispano et Inda pura nati sunt. Quare idem dicendum videtur de dispensatione ad matrimonium in tertio et quarto gradu *Mestizis* concessa: nam dispensatio etiam debet stricte intelligi, ut de omni dispensatione docent communiter doctores, quos congerit et sequitur Thomas Sanchez lib. VIII. *de matr.* disp. VI. num. 3. et seqq. et Basilius Pontius *de matrim.* lib. VIII. ca. XXI. num. 2. Ratio autem esse potest, quia illi quibus tres partes sunt sanguinis Hispani, et sola quarta pars sanguinis Indici, simpliciter et absolute sunt Hispani, et non reputantur amplius Indi, parum enim pro nihilo reputatur: quare neque in prohibitionibus, neque in dispensationibus debent cum Indis communicare.

Hinc autem colligi jam potest, quid sentiendum sit de aliis concessionibus et dispensationibus quoad alia præcepta Ecclesiæ, quæ pro Indis factæ sunt: dixi enim eas non extendi ad mistos, seu *Mestizos*. Ratio autem est, quia, ut paulo ante dicebam, et fatentur doctores omnes, dispensatio est stricti juris, et in sensu stricto interpretanda est: quare non de Indis largo modo, quales sunt misti, sed de puris debet intelligi, nisi Pontifex ad mistos extenderit illam de matrimonio in tertio et quarto gradu consanguinitatis. Et quidem certum videtur, si aliquis dispensatus esset a solutione gabellæ invenditione equorum, non manere liberum a solvenda gabella, si vendat mulos, qui tamen nati sunt ex asino et equa, sicut e contra gabella imposita vendenti mulos non deberetur a vendente equos, vel asinos, ex quibus muli per mistionem seminum generantur. Denique, si ii *Mestizi* gaudent privilegiis propriis Indorum propter matrem Indam, deberent etiam gaudere privilegiis propriis Hispanorum propter patrem Hispanum: unde melioris essent conditionis quam puri Indi et puri Hispani, quia utrorumque privilegiis potirentur, quod quam sit absurdum, facile patet. Præsertim, cum plerumque ejusmodi homines misti, seu *Mestizi* nonnisi ex adulterio, vel alio illicito concubitu nascantur, ut observavit Solorzano dicto lib. III. ca. XX. nu. 6. qui saltem ex hoc capite deterioris conditionis esse deberent, quam Indi, vel Hispani, qui ex legitimo matrimonio nascuntur.

Hac tamen occasione rursus quæri potest, quid dicendum sit de filiis natis ex patre Indo et matre mista, seu *Mestiza*, an ii gaudere possint concessionibus pro Indis factis? Et quidem certum est, si essent filii ex patre Hispano et matre Mestiza, non posse gaudere dispensationibus factis pro Indis, cum multo minus participent de Indis, quam *Mestizi*, imo nec sub *Mestizis* comprehendantur, atque ideo nec fruantur dispensatione Pauli III. ad contrahendum in tertio et in quarto gradu, ut paulo ante diximus. Loquendo vero de casu contrario, quando pater est Indus et mater *Mestiza*, crederem quoad omnes ejusmodi dispensationes et privilegia, debere eos pro Indis reputari. Tunc enim filius ex quatuor partibus unam solam haberet sanguinis Hispani, tres vero sanguinis Indici, quæ omnino prævalere deberent, ut Indus reputaretur. Nam sicut vinum cum modica aqua miscetur, quamvis non sit vinum omnino purum, reputatur tamen moraliter pro vino, atque ideo in ordine ad valorem consecrationis non refert, quod sit purum vel mistum exiguæ parti aquæ, quia hæc duo vina pro eodem moraliter reputantur: sic Indus purus cui nihil sanguinis

Hispani admistus est, et ille cui parum sanguinis Hispani miscetur, non videntur moraliter differre, et uterque simpliciter, et absolute reputatur Indus. Quod etiam in physicis fortasse locum habet: nam quamvis mulus non sit equus nec asinus, ut dicebamus; si tamen mulus generare posset, et ex ipso equa conciperet, filius rediret multum ad naturam et speciem equi, et in tantum de ejus proprietatibus participaret, ut fere esset equus, et moraliter pro equo reputaretur. Sicut e contra, si asina ex mulo conciperet, filius rediret ad naturam et speciem asini, et moraliter pro asino reputaretur, licet parum aliquid ab aliis asinis differret. Cum ergo simus in materia morali, non deberet attendi illa parva differentia, sed filius Indi et *Mestizæ* reputaretur moraliter pro Indo, atque adeo concessionibus et privilegiis Indorum potiri deberet.

6 Unde obiter infero, aliter dicendum fuisse, si filius Indi et Hispanæ, hoc est mistus seu *Mestizus* generaret filium ex alia femina mista, seu *Mestiza*, filia nempe Indi Hispanæ; tunc enim filius esset proprie *Mestizus*, sicut ejus parentes; non enim plus vel minus participaret de sanguine Indico, vel Hispano, quam ejus parentes. Quare sicut parentes, ita et ipse gauderet indulto contrahendi matrimonium in tertio et quarto gradu, quod pro *Mestizis* etiam concessum esse dicebamus. Non tamen posset frui aliis privilegiis et dispensationibus concesis pro Indis, quibus *Mestizos*, diximus gaudere non posse. Ad quod explicandum est optimum exemplum supra adductum: si enim mulus generare posset, certe ex mulo et mula nasceretur alius mulus ejusdem omnino rationis et conditionis, ac singuli ejus parentes, et rursus filii hujus si cum mula coiret, essent proprie muli, et sic in infinitum, quia non esset unde ad equi vel asini naturam, vel ad aliam speciem transferrentur. Sic erge filii *Mestizi*, et *Mestizæ*, et eorum filii in infinitum, semper essent proprie *Mestizi*, sicut primi eorum parentes, quia non esset unde magis rediret ad sanguinem Hispanum, vel Indicum, atque adeo pro veris et propriis *Mestizis* semper reputarentur in ordine ad participanda, vel non participanda Indorum privilegia.

## DUBIUM VI.

*An posset summus Pontifex de potestate absoluta delegare jurisdictionem spiritualem homini non baptizato?*

Negabant aliqui, quia Papa non potest 1
non baptizatis præcipere, cum non sint ejus subditi, nisi forte in temporalibus, si sint ejus subditi temporales, quia degunt in statu temporali Ecclesiæ. Hoc tamen fundamentum non videtur efficax, quia non videtur argui bene a potestate delegandi ad potestatem præcipiendi; potest enim princeps delegare jurisdictionem alicui, qui non est ejus subditus, dum tamen subditi ejus sint illi in quos jurisdictio conceditur. Sic passim princeps sæcularis dat jurisdictionem homini ecclesiastico in personas sæculares, cum tamen ecclesiasticus non sit subditus principis sæcularis. Sic prælatus regularis potest dare jurisdictionem confessario sæculari, ut audiat confessiones suorum subditorum regularium, et in aliis similibus. Ratio autem est, quia communicans jurisdictionem non exercet jurisdictionem in eum cui communicat illam, sed in eos super quos communicatur jurisdictio. Ex hoc ergo capite non repugnaret Pontificem dare non baptizato jurisdictionem spiritualem in baptizatos.

Eamdem sententiam negativam docet 2
P. Suarez disp. II. *de censuris*, sect. III. nu. 8. et 12. qui tamen id solum probat ex usu et traditione perpetua Ecclesiæ, quæ jus divinum declarasse videtur. Eamdem sententiam tenent Filliucius

tract. XI. ca. II. quæsito 7. Bonacina disp. I. *de censuris* qu. I. punct. 2. num. 3. eo quod baptismus sicuti est janua sacramentorum, ita sit janua ecclesiasticæ jurisdictionis. Neutrum tamen argumentum videtur rem convincere : non primum de usu et traditione perpetua ; quia non minor est traditio et usus non communicandi jurisdictionem spiritualem feminis, ut fatetur idem Suarez d. sect. 3. ubi dicit, nunquam ab ullo Pontifice ejusmodi jurisdictionem concessam esse ulli feminæ ; et tamen ibidem ipse Suarez fatetur, fortasse non repugnare quod summus Pontifex valide eam possit concedere. Non ergo arguitur efficaciter a negatione actus ad carentiam potentiæ, quia sicut ob indecentiam potuit de facto nunquam concedi feminæ, potuit ob similem indecentiam nunquam concedi non baptizato.

Neque etiam videtur omnino efficax secundum fundamentum, hoc enim est, quod inquirimus, an sicut baptismus est janua necessaria ad alia sacramenta, sic etiam sit janua necessaria ad jurisdictionem spiritualem habendam. Nam, sicut professio religiosa videtur esse janua ad participanda omnia jura et privilegia ordinis ; et tamen summus Pontifex imo et prælatus regularis potest delegare alicui clerico sæculari jurisdictionem spiritualem supra suos subditos regulares, ut supra dicebam : cur non poterit Papa dare jurisdictionem ecclesiasticam supra baptizatos alicui non baptizato, et qui nondum fuerit ingressus Ecclesiam per ejus januam, quæ est baptismus ? Hoc enim non est gaudere pascuis ipsius Ecclesiæ, qualia sunt sacramenta, sed exercere nomine proprii pastoris jurisdictionem supra subditos, et oves ejusdem pastoris.

Ego in primis, ut a minus dubiis incipiam, non dubito quin possit summus Pontifex cogere suo præcepto fideles, atque etiam sub censuris, ut faciant quod illis aliquis nondum baptizatus præcipiat in tali, vel tali materia. Nam totum hoc fieri posset nullam prorsus dando illi non baptizato jurisdictionem supra baptizatos, sed solum designando res ab eo injunctas, ut materiam præcepti impositi ab ipso Pontifice, quod quidem multis adductis exemplis explicui, et probavi disp. VII. *de Sacramentis in genere*, sect. II. nu. 30. Sic enim confessarius potest imponere pœnitentiam obligando pœnitentem, ut faciat illud opus pœnale quod ejus mater ei designaverit, quo casu mater non accipit jurisdictionem fori sacramentalis ad imponendam pœnitentiam, sed designat opus quod si a filio non fiat, non peccat contra præceptum matris, sed confessarii qui illud opus præcepit. Sic ergo Papa posset etiam sub excommunicatione præcipere fidelibus, ut facerent id quod eis injungeret talis homo non baptizatus : quo casu violantes hoc præceptum incurrerent excommunicationem, non quidem impositam ab illo non baptizato, sed ab ipso summo Pontifice, qui non dedit jurisdictionem spiritualem non baptizato, sed commisit ei designationem operis ab ipso Pontifice sub excommunicatione præcepti. Et in hoc non videtur esse posse difficultas, sed solum an possit Pontifex dare illi non baptizato jurisdictionem spiritualem, et potestatem etiam ad excommunicandum, v. g. et alios actus jurisdictionis exercendos qui characterem non requirant.

Pro utraque parte afferri possunt argumenta : et quidem pro parte negativa ultra illa, quæ retulimus, ponderari potest, quod, licet theologi de hoc communiter non loquantur, videntur tamen supponere incapacitatem hanc hominis non baptizati esse de jure divino ; quando enim disputant an sit de fide hunc hominem, qui pro tempore præest Ecclesiæ, esse verum Papam, opponere solent, quod si hoc esset de fide, esset etiam de fide eum esse baptizatum, nam sine baptismo non potest esse Papa. Ad quam difficultatem communiter respondent admittendo id quod objectio sup-

ponit, nempe non posse esse verum Papam qui non est baptizatus, et consequenter concedunt esse etiam omnino certum, hunc hominem esse baptizatum, quia baptismus includitur vel supponitur essentialiter ad ejus pontificatum, qui est de fide, ita Suarez disp. x. *de fide*, sect. 5. nu. 7. Hurtado *de fide*, disp. xxxiv. sect. 3. §. 46. et alii, quos adduxi, et secutus sum disp. 1. *de fide*, sect. 13. §. 5. num. 326. et 330. Supponunt ergo omnes, non esse capacem jurisdictionis spiritualis supra fideles eum qui non est baptizatus, si enim non esset incapax de jure divino, non facile apparet cur non posset esse valida electio non baptizati in summum Pontificem. Nam, quamvis non posset consecrari sacerdos, vel episcopus antequam baptizaretur, atque ita sine baptismo non posset habere potestatem ordinis, videtur tamen quod posset habere potestatem jurisdictionis, quam procul dubio habet ille, qui canonice eligitur in summum Pontificem, quamvis adhuc non sit sacerdos vel episcopus consecratus. Si ergo hanc potestatem jurisdictionis habere non potest, qui eligeretur, si non esset baptizatus, fatendum erit, id provenire ex incapacitate, quam de jure divino habet non baptizatus ad jurisdictionem spiritualem, vel ecclesiasticam.

6 Unde posset secundo hoc ipsum probari, quia si non baptizatus capax esset jurisdictionis spiritualis delegatæ, non apparet facile, cur non posset summus Pontifex eidem conferre jurisdictionem etiam ordinariam, cum non sit minor nec debilior jurisdictio delegata, quam ordinaria, sed potius aliquando sit major et debeat prævalere. Sicut ergo posset non baptizatus fieri a summo Pontifice legatus a latere, ita etiam posset ab eodem fieri parochus, episcopus, vel archiepiscopus, non quidem quoad potestatem ordinis, cum non posset esse sacerdos, vel habere characterem episcopalem ante baptismum ; bene tamen quoad potestatem jurisdictionis, qualem potest habere et exercere parochus, et episcopus antequam consecretur in sacerdotem, vel in episcopum. Hoc autem ex terminis videtur afferre secum repugnantiam et absurditatem, ut is, qui adhuc non est intra Ecclesiam, sit pastor in Ecclesia, quales sunt parochi vel episcopi.

Ad hæc tamen posset adhuc utcumque 7
responderi negando sequelam utriusque argumenti. Magis enim videtur repugnare, quod ante baptismum sit aliquis Papa, episcopus, vel parochus, quam quod ex mera delegatione et nomine alterius habeat jurisdictionem in subditos delegantis : nam qui habet jurisdictionem ordinariam in Ecclesia, est pastor fidelium, atque ideo pertinet intrinsece ad hierarchiam ecclesiasticam, quæ constituitur intrinsece ex diversis gradibus subordinatis inter se : quare non potest, qui non est intra Ecclesiam, habere gradum hierarchicum, qui pertinet intrinsece ad ipsam Ecclesiam ut pars intrinseca illius. Nec potest concipi, quod Papa, qui est caput Ecclesiæ, non sit pars ipsius Ecclesiæ : nam caput ex natura sua necessario est pars corporis illius cujus est caput, quod idem cum proportione dici potest de aliis prælatis inferioribus ; singuli enim sunt capita suarum ecclesiarum, atque adeo debent pertinere intrinsece ad ecclesiam, quam cum aliis membris intrinsece ad ecclesiam, quam cum aliis membris intrinsece constituunt et componunt. Adde, si Papa non esset baptizatus, quamvis male sentiret de fide catholica, non posset a tota Ecclesia judicari et condemnari ut deponeretur, nam in casu hæresis et contumaciæ debet præcedere judicium Ecclesiæ in concilio universali, ut juridice convincatur et declaretur hæreticus, qua condemnatione posita ipso facto cadit a Pontificatu, ut cum aliis docet Suarez disput. x. *de fide*, sect. 6. n. 7. et sequentibus. Si autem Papa non esset baptizatus, non facile apparet, quomodo Ecclesia posset de illo qui foris est, et non est subditus Ecclesiæ, judicare, vel eum condemnare, quod

etiam procedit de aliis episcopis qui non essent baptizati, ii enim licet possent a summo Pontifice ob sua crimina privari et spoliari jurisdictione ecclesiastica, non tamen apparet quomodo possent ab illo puniri, cum non sint ejus subditi. Hoc autem ipsum maximum esset absurdum, quod pastores inferiores non possent coerceri et puniri a supremo pastore Ecclesiæ, si delinquerent : quare non videtur possibilis talis ordo pastorum, qui nondum Ecclesiam ingressi, Ecclesiam tanquam veri pastores regere et gubernare possent.

8 Hæc autem omnia non ita videntur in jurisdictione mere delegata procedere : ii enim, quibus ex sola delegatione competeret, non essent proprie pastores, nec deberent pertinere ad constituendum intrinsece corpus Ecclesiæ, ut partes illius, sed essent quasi instrumenta extrinseca pastoris delegantis, cujus nomine et virtute sola operarentur. Sicut si aliquis sacerdos sæcularis haberet a prælatis regularibus jurisdictionem delegatam in suos subditos regulares, non ideo pertineret intrinsece ad ipsum ordinem regularem tanquam pars illius, nec esset regularium pastor, proprie loquendo, sed esset merum instrumentum prælati regularis, cujus nomine et virtute operaretur, quamvis ab eo puniri non posset, si delinqueret, sed solum spoliari jurisdictione delegata, revocata delegatione.

9 Ideo Ugolinus *de censuris* tabul. 1. cap. 2. §. 9. dubitat, an summo Pontifici neganda sit hæc potestas delegandi jurisdictionem spiritualem homini non baptizato ? Quod rursus confirmari posset ex eo, quod non videtur minus repugnare jurisdictio ecclesiastica feminæ quam catechumeno, cum ipse sexus videatur naturaliter repugnare. Et tamen multi fatentur posse summum Pontificem de potestate absoluta ejusmodi jurisdictionem feminæ delegare, ut cum Paludano, Soto, Navarro, et aliis concedit Suarez disp. 11. *de censuris* sect. 3. num. 7. Certum etiam videtur posse summum Pontificem hanc jurisdictionem mero laico committere, ut cum communi doctorum concedit idem Suarez ibi num. 12. et canonistæ communiter, quos more suo congerit Solorzano tom. 11. *de Indiarum gubernatione*, lib. III. cap. 11. nu. 44. et seqq. usque ad num. 51. Ego tamen non dubito, quod esto valide id faceret Papa ut jurisdictionem spiritualem non baptizato delegaret, licite tamen non faceret, sicut si feminæ ejusmodi jurisdictionem communicaret, fatetur Suarez d. n. 7. quamvis id valide faceret, non tamen licite propter indecentiam quam secum afferret : quod a fortiori in casu nostro dicendum esset propter majorem indecentiam, et usum perpetuum contrarium magis certum, et propter majora inconvenientia quæ res illa posset afferre. Si enim Paulus Apostolus adeo ægre ferebat, quod fideles recurrerent ad judices ethnicos, etiam in causis civilibus : quid diceret, si pro causis spiritualibus ad eos recurrere cogerentur ? Denique an id valide fieri posset, sicut Ugolinus supra adductus dubitavit, ego etiam fateor, me adhuc dubitare, nec pro alterutra parte firmum aliquod fundamentum invenire.

## DUBIUM VII.

*An possit aliquis per contractum se alteri obligare ad eos actus, ad quos lege, vel præcepto humano obligari non posset ? Ubi, an prælatus ex voto obedientiæ possit præcipere actus internos ?*

Ratio dubitandi esse potuit ex doctrina 1
communi, quam tradunt Thomas Sanchez lib. VI. *in Decalog.* cap. 11. num. 6. Rodriguez tom. III. *qu. regular.* quæst. 19. art. 2. Lezana tom. I. c. IV. num. 5. Azor. Portel. et alii, quos affert et se-

quitur Pellizzarius in *Manuali regular.* tr. IV. c. IV. sect. 3. n. 93. qui dicunt, prælatos regulares non posse etiam ex voto obedientiæ præcipere subditis actus mere internos : quare non videntur agnoscere obligationem voti in materia ad quam lex humana extendi non posset, quales sunt actus mere interni.

Dixi tamen, negari non posse in genere loquendo, multo magis extendi posse obligationem ex promissione, vel contractu humano, quam ex mera lege vel præcepto superioris : nam lex humana, vel etiam ipse summus Pontifex non potest aliquem obligare ad statum religiosum, ut cum communi supponit Sanchez d. c. II. num. 22. et tamen potest quis non solum Deo se ad hoc per votum obligare, sed etiam homini per promisssionem acceptatam, vel per contractum, ut fatetur idem Sanchez lib. III. *in Decalog.* cap. XV. nu. 11. et sequentibus. Item quamvis lex humana non possit præcipere aut prohibere actus mere internos : certum tamen videtur eos posse esse materiam justitiæ et injustitiæ inter homines : nam judicium temerarium est actus mere internus, et tamen continet malitiam gravem contra justitiam, ut constat, quia aufert apud judicantem famam proximi, quæ fama est aliquid intra hominum mentes existens, nempe bona existimatio de aliquo, ad quam bonam existimationem internam habet jus quilibet, quamdiu non est fundamentum sufficiens ad sinistram opinionem de ipso concipiendam. Sicut ergo jure ipso naturæ potest quis habere jus ad actus internos alterius, et pati injuriam proprie dictam, si illi actus interni negentur : cur non poterit etiam ex contractu acquirere jus ad alios actus internos, ita ut sine injuria negari non possint ? Quod enim de iis actibus, vel eorum carentia constare non possit exterius, non impedit quod possint esse materia justitiæ, ut constat clare in exemplo adducto judicii temerarii, quod est contra justitiam, licet exterius non possit de ipso constare, nec ab humano judice puniri. Denique ad hoc ipsum deservire potest exemplum confessionis sacramentalis, quam quidem Ecclesia præcipere non potest ita, ut obliget pœnitentem ad confitenda sacramentaliter iterum eadem peccata, quæ jam semel confessus est, et a quibus fuit sacramentaliter et directe absolutus a confessario habente legitimam potestatem, ut probavi disp. XV. *de Pœnitent.* sect. 6. num. 93. Potest tamen aliquis per contractum explicite vel implicite obligare semetipsum ad secundam eorumdem peccatorum confessionem, ut probavi eodem loco num. 15.

3 Ratio autem a priori horum omnium est major potestas quam quilibet habet in actus proprios, quam in alienos, ratione cujus facilius potest se sponte sua ad aliqua obligare, ad quæ a prælatis vel legislatoribus humanis obligari non posset. Sic enim potest aliquis se in servum vendere, vel etiam pretio accepto ad remigandum in triremibus se obligare : ad quorum neutrum posset a superiore aut Principe cogi, nisi in pœnam gravissimorum criminum. Similiter non potest præcepto cogi ad matrimonium ineundum : potest tamen ex promissione ad id obligari, vel ex injuria feminæ illata quam aliter non possit resarcire. Vides, quanto plus possit homo respectu sui, quam superior humanus respectu subditorum.

4 Dubium ergo non videtur esse loquendo de possibili : sed posset esse difficultas, an de facto religiosus per votum obedientiæ obliget se ad obediendum prælato imperanti etiam actus internos, vel alia quæ secluso voto, non posset lex humana vel superior humanus imponere. Tota autem difficultas reduci videtur ad actus mere internos : nam de actibus externis omnes supponunt posse prælatum præcipere subdito regulari omnia illæ, quæ sunt secundum regulam, in quibus multa procul dubio sunt, ad quæ, seclusa professione et votis religiosis,

non posset superior humanus lege, vel præcepto subditos obligare : et quidem P. Suarez tom. III. *de Relig.* lib. x. c. 9. n. 5. et 9. et Layman lib. IV. tract. v. cap. 9. num. 4. ita dicunt possibile votum obedientiæ religiosæ extendi posse ad actus internos, ut satis indicent, credibile esse quod de facto in aliquibus religionibus hæc sit intentio voventis, qualem uterque significat esse Societatem Jesu ; ad hoc enim totum videtur extendi perfectum non solum sacrificium sed holocaustum, quo se religiosus vult Deo offerre, nihil prorsus retinendo sui ipsius, sicut in holocausto tota victima consumebatur. Alii tamen, quos supra attulimus, universaliter loquuntur et negant communiter posse prælatum etiam ex vi voti præcipere subditis actus mere internos. Quamvis enim perfectio obedientiæ inclinet ad obediendum etiam in his, et sequendum consilium et dictamen prælati, sicut etiam perfectus obediens non expectat præceptum, sed sufficit illi manifestari sibi voluntatem prælati : loquendo tamen de rigorosa obligatione præcepti, non putant extendi posse ad ejusmodi actus mere internos : quia tota hæc subordinatio, quantacumque est, non excedit limites subordinationis humanæ et visibilis.

5 Ego quidem jam dixi, loquendo de possibili, non esse contra, vel supra naturam voti, quod aliquis se Deo per votum obliget ad faciendum id, quod confessarius, vel prælatus illi dixerit, maxime, si id sit expediens ad animæ salutem : nam sicut potest se voto obligare ad orandum mentaliter, ad examen suæ conscientiæ, et ad alios actus bonos internos : cur non poterit se voto obligare ad hos, vel similes actus faciendos quando prælatus eos injunxerit ? Loquendo tamen de facto, non puto recedendum a communi sententia, nec facile mihi persuadebo hanc esse in ulla religione voventis intentionem, ut se obliget sub peccato gravi ad obediendum circa actus mere internos ex vi voti religiosæ obedientiæ : non nego enim posse aliquem ex privata devotione se peculiari voto ad id etiam obligare : illud tamen non erit votum religiosæ obedientiæ, hoc est, constituens professionem religiosam, sed votum peculiare talis personæ ex ejus peculiari devotione profectum.

Moveor primo, quia promissio obedientiæ alicui superiori humano facta, sive ex voto sive ex juramento, sive ex promissione, nusquam alibi significat plusquam obedientiam externam, qualis inter homines esse solet : nam in primis eisdem verbis electus in episcopum, antequam consecretur, promittit cum juramento in manibus consecrantis obedientiam summo Pontifici, ut habetur in pontificali Romano. Item presbyteri omnes, quando sacerdotes fiunt, episcopo interroganti : *Promittis mihi, et successoribus meis, vel Ordinario tuo reverentiam, et obedientiam ?* respondent, *Promitto.* Cardinales etiam, antequam capellum cardinalitium accipiant, cum juramento dicunt, *Promitto, et juro, me ab hac hora deinceps, quamdiu vixero, fidelem, et obedientem B. Petro, sanctæque Apostolicæ Romanæ ecclesiæ, ac Sanctissimo D. Nostro N. Papæ, ejusque successoribus canonice, legitimeque electis futurum, etc.* Denique, ut alia innumera exempla omittam, quæ passim occurrunt, omnes, qui fidei professionem emittunt juxta formulam communem a Pio IV. præscriptam proferunt verba illa ibi contenta : *Romanoque pontifici B. Petri Apostolorum principis successori, ac Jesu Christi vicario, veram obedientiam spondeo, ac juro,* et in fine addunt : *Ego idem spondeo, voveo, et juro,* etc. imo et scholares in academiis nobilioribus, qualis est Salmantina, debent initio cujuslibet anni sub juramento promittere obedientiam rectori ejusdem universitatis, in quibus et aliis similibus formulis nemo dixerit, promitti obedientiam etiam ad actus mere internos. Cum ergo eisdem verbis religiosi promittunt

obedientiam suis prælatis, non debent intelligi de alia obedientia, nisi externa, proportionata tamen statui quem profitentur, atque ideo quæ ad plura, et difficiliora extendi possit ob majorem perfectionem regulæ quam profitentur.

Unde sumi potest ratio a priori, quia nimirum ejusmodi obedientia, quæ voto vel juramento, aut promissione solet promitti, semper esse solet in ordine ad illum qui est caput alicujus communitatis humanæ, quam regit et gubernat : quare tota illa obedientia quæ promittitur, videtur ordinari et referri ad gubernationem illius capitis, et in ordine ad illa quæ ut caput et gubernator illius communitatis præcipere potest. Cum ergo omnis gubernatio humana, qua regitur humana communitas, non transcendat limites gubernationis externæ ; est enim regimen visibile quo visibiliter connectitur caput visibile cum membris visibilibus ad conflandum unum corpus visibile perfectum in suo genere : hinc fit, eam solam obedientiam a subditis exigi et promitti, quæ ad hanc visibilem gubernationem communitatis visibilis deserviat : nec de alia intelligere possunt homines, quando obedientiam exigunt vel promittunt, nisi de ea obedientia quam leges omnes et legislatores intelligere semper consueverunt.

Adde, potestatem præcipiendi in superiore connexam esse debere cum potestate puniendi transgressores legis, vel præcepti, ut dixit Arist. x. *Ethic.* c. 5. Non potest autem superior punire transgressorem legis vel præcepti circa actus mere internos, cum, per se loquendo, transgressio illa constare non possit nec probari : non datur ergo prælato regulari per votum obedientiæ potestas præcipiendi ejusmodi actus mere internos. Pro cujus explicatione adverto, me non negare, posse subditum, si velit, obligare se voto ad actus internos, quos ei prælatus consuluerit vel præscripserit faciendos : in hoc enim sensu, loquendo de possibili, dixi id fieri posse. Hoc tamen in rigore non esset dare prælato potestatem præcipiendi, aut jurisdictionem supra subditum ad eos actus ; sed esset sola obligatio voti, quod fieret Deo, et obligaret voventes ad eos actus faciendos, quoties prælatus eos consuleret vel præscriberet : non tamen oriretur obligatio ex præcepto superioris. Sic de facto professi Societatis voto simplici se obligant Deo, ut si aliquando præcepto summi Pontificis fiant episcopi, debeant in iis quæ spectant ad suam salutem, et rectam muneris sui administrationem, non dedignari audire consilia quæ Generalis Societatis eis suggesserit, imo ea amplecti si meliora esse judicaverint. Per hoc tamen nullam prorsus potestatem tribuunt Generali præcipiendi eis, ut expresse declaravit S. Ignatius in constitutionibus ejusdem Societatis, sed soli Deo se obligant, nullo modo se in ea materia subdentes potestati Generalis. Sic in casu nostro non ob incapacitatem personæ, sicut in casu illo, sed ob incapacitatem materiæ, votum illud fieret soli Deo, nec ullam tribueret prælato potestatem aut jurisdictionem ad præcipiendum, vel jurisdictionem aut superioritatem exercendam. Cum ergo de facto votum obedientiæ, quod a religiosis in sua professione emittitur, sit correlativum ad præcepta, ad hoc enim fit ut prælatus possit ex vi voti præcipere, non videtur votum ex intentione voventis extendi, nisi ad eam materiam, in qua Prælatus uti possit præcepto, quam intentionem declarat satis praxis universalis : nunquam enim prælati regulares obligare volunt virtute voti, nisi præcipiendo in virtute obedientiæ, neque unquam dicunt, *Declaro hanc esse meam voluntatem*, sed expresse dicunt, *Præcipio tibi ;* hanc ergo solam ex voto potestatem in se agnoscunt, scilicet ad præcipiendum : quare ad id quod præcipere non possunt, non agnoscunt in se potestatem ad obligandos suos subditos ex voto obedientiæ religiosæ.

Unde posset ulterius aliquis non sine

fundamento existimare, non posse aliquam religionem facere, ut votum solemne obedientiæ, quod sui religiosi in professione emittunt, extendatur etiam ad obligandum circa actus mere internos. Possent quidem singuli religiosi ex sua devotione se voto privato obligare Deo, ut diximus, ad faciendos actus internos, quos prælatus ipsis consulet, vel significabit : non tamen possunt suo voto dare potestatem prælato ad eos actus præcipiendos. Cum ergo votum obedientiæ religiosæ sit ad hoc, ut professus subdatur prælato in ordine ad sui gubernationem in communitate religiosa visibili, videtur non posse dari tale votum vi cujus subdatur unus homo alteri in iis etiam in quibus unus homo alteri subdi non potest. Posset quidem Deus dare potestatem prælato ad præcipiendos actus mere internos, sicut ipse Deus potest eos præcipere, et sicut de facto confessarius ex delegatione Christi potest pœnitenti præcipere, et imponere ei pœnitentiam ad actus internos, ut cum aliis dixi disp. XII. *de Pœnitent.* sect. 2. num. 41. et disp. XXV. sect. 4. num. 67. illa tamen potestas non pertineret ad gubernationem sensibilem et visibilem, sed magis ad aliam superiorem propriam ipsius Christi, qui est caput invisibile totius Ecclesiæ : homines vero non possunt tale genus potestatis communicare aliis hominibus.

10 Dices, posse saltem unum hominem obligare se ex justitia alteri homini ad actus internos, prout initio hujus dubii concessimus : quare hoc modo poterit dare prælato potestatem ad præcipiendos actus internos quando voluerit uti jure justitiæ acquisito per promissionem acceptatam. Ad hoc tamen responderi potest, licet id de possibili non repugnet : hoc tamen longe esse de facto a mente promittentis obedientiam religiosam. Si enim obligati essent ex justitia ad opera quæ prælatus præcipit, maneret postea obligatus ad restitutionem, quicumque religiosus violat votum obedientiæ, quod tamen nemo unquam dixit, sed omnes condistinguunt etiam in religiosis peccata contra obedientiam a peccatis contra justitiam. Adde, quamvis aliqua religio vellet suos professos obligari hoc modo ex justitia ad actus internos ponendos prælato exigente : illud tamen votum sub hac formalitate non videri esse votum obedientiæ, sed votum justitiæ, quia obedientia respicit superiorem ut præcipientem : illa autem obligatio non respiceret formaliter prælatum ut superiorem et ut præcipientem, sed ut dominum exigentem id ad quod habet jus ex justitia. Vide, quæ dixi disp. III. *de Incarnatione,* sect. 4. num. 70. et seqq. ubi ostendi, dominum ut dominum non præcipere ; sed exigere quod suum est : eumdem tamen ut superiorem præcipere posse eadem opera. Petenti ergo ex solo titulo justitiæ non correspondet obedientia, sed actus justitiæ : superiora vero præcipienti titulo superioritatis correspondet obedientia. Si ergo prælatus regularis non posset ut superior præcipere actus mere internos, sed solum illos exigere a subdito tanquam debitos ex justitia : subditus exhibendo illos actus non obediret in rigore, sed solveret quod debet. Quare, cum professio religiosa non includat votum justitiæ sed obedientiæ, non potest aliqua religio facere quod votum obedientiæ comprehendat ea in quibus ponendis subditus formaliter non exercet actum obedientiæ, sed justitiæ. Hæc tamen subtiliora videntur quam materia moralis exigat, quam tractamus. Sufficiat nobis, de facto non videri hanc esse mentem professi, ut voto obedientiæ se obliget ad obediendum etiam in actibus mere internis.

Objici adhuc potest, quod de facto in 1
multis religionibus constitutiones approbatæ a sede Apostolica præcipere videntur actus mere internos, v. gr. attendere singulis diebus per horam, vel semihoram orationi mentali, examinare conscientiam semel aut bis in die, et alia hujusmodi quæ sunt opera mere interna.

Hoc tamen argumentum retorqueri potest; quia etiam regulæ missalis Romani videntur injungere sacerdotibus etiam sæcularibus, et nullo voto astrictis, aliquos actus mere internos. Sic enim in canone missæ post sumptum corpus Christi, ante sumptionem sanguinis jubetur, ut sacerdos *aliquantulum quiescat in meditatione sanctissimi Sacramenti*, quæ certe meditatio est actus mere internus. Et tamen secluso voto obedientiæ regularis, doctores non admittunt communiter leges ecclesiasticas ferri posse obligantes ad actus pure internos : omnes ergo respondere debemus supponentes doctrinam communem, quam late explicat et probat P. Suarez t. IV. *de Relig.* tr. X. lib. IV. cap. 13. num. 3. et cap. 15. nu. 16. nimirum duplicem esse obedientiam, alteram strictam quæ respicit voluntatem superioris etiam non volentis vel non potentis in illa materia obligare sub præcepto : et in hoc sensu non repugnat quod regula aliqua præscribat orationem mentalem, et quod prælatus eamdem aliquando injungat subditis, atque alios actus internos. Et in hoc etiam sensu votum obedientiæ potest dici holocaustum, quo totus homo offertur Deo nihil sibi sui retinendo. Et quidem quoad externa totus homo subjicitur obedientiæ rigorosæ, et præcepto superioris, quod sufficeret satis ad nomen holocausti : quando enim Deus præcepit Abrahæ, ut offerret illi in holocaustum filium suum Isaac, non præcepit, ut offerret etiam actus internos ipsius Isaac. Sed tamen in casu nostro ipsi etiam actus interni pertinent, ut diximus, aliquo modo ad hoc holocaustum, quatenus et ipsi possunt esse materia obedientiæ minus rigorosæ, nempe non obligantis sub rigoroso præcepto, sed dirigentis et regulantis actus subditi, quod sufficit ad exercendum actum virtutis obedientiæ circa illa opera, ut explicat Suarez loco citato, et alii communiter.

## DUBIUM VIII.

*Utrum possit aliquis votum emittere, non se obligando sub peccato, sed sub imperfectione?*

Suppono, posse aliquem voto suo velle se obligare, etiam in materia gravi, solum sub peccato veniali, quod licet neget P. Vasquez in 1. 2. disput. CLVIII. cap. 4. cum Soto, et Corduba, quos affert Suarez to. II. *de Relig.* tract. VI. lib. IV. *de obligatione voti,* cap. 4. num. 3. idem tamen Suarez ibi num. 7. et Thomas Sanchez lib. I. *de matrim.* disp. IX. num. 6. id concedunt, quod ego etiam concessi tom. II. *de Justit.* disput. XXII. sect. 4. num. 41. et seqq. ubi tamen adverti, illum non debere appellari simpliciter et absolute votum castitatis, vel obedientiæ, etc. sed imperfecte et secundum quid : atque ideo nullo modo sufficere ad professionem, vel ad constituendum statum religiosum. Sicut etiam in contractibus humanis non sufficeret voluntas illa obligandi se solum sub veniali ad constituendum non solum contractum matrimonii, sed neque sponsalia, nec alios contractus civiles, venditionis, locationis, mutui, et similes, quamvis in plerisque posset oriri obligatio personalis sub veniali ex contractu illo imperfecto, et diminuto, ut latius explicui loc. cit. 1

Hinc ergo procedit ratio dubitandi ad nostrum dubium; si enim semel conceditur posse ex voluntate voventis limitari, et temperari obligationem voti ita ut etiam in materia gravi transgressio non sit peccatum grave sed leve; cur non poterit ex eadem voluntate voventis rursus limitari, ut transgressio non sit peccatum mortale, nec etiam veniale, sed solum sit imperfectio? Quod adhuc explicari et urgeri magis potest, quia in

multis religionibus regulæ non obligant sub peccato mortali, aut veniali : et tamen negari non potest, quod earum transgressio sit imperfectio moralis ; cur ergo non poterit aliquis circa aliquam materiam consilii imponere sibi similem obligationem, ut transgressio contineat imperfectionem, qualem continet transgressio regulæ in ordine religioso.

3 Dixi, in primis illud non posse appellari votum, non solum stricte sed neque etiam in minus stricta significatione : non quidem stricte, quia, ut paulo ante dicebam, non est votum castitatis vel religionis simpliciter et absolute illud, quo quis se vellet obligare solum sub peccato veniali : multo ergo minus dicetur votum quo nec sub culpa veniali se quis velit obligare, unde neque etiam in latiori significatione dici poterit votum, cum non possit intelligi votum sine voluntate se obligandi, quæ voluntas est de essentia cujuscumque voti.

4 Dices, sufficere voluntatem se obligandi sub imperfectione ; jam enim adest aliqualis obligatio, cum non possit homo deficere sine nota imperfectionis. Sed contra hoc adhuc est, quod nec intelligi potest, quomodo se quis velit obligare ad imperfectionem ; imperfectio enim moralis, prout condistinguitur ab omni culpa mortali et veniali, non videtur esse aliud nisi carentia actus perfectioris quem homo posset tunc habere : hæc autem carentia non oritur ex promissione facta, sed ex objecto ipsius operationis omissæ. Ponamus enim, v. g. te obligare velle voto temetipsum ad dandum eras certam eleemosynam, non tamen sub peccato sed solum sub imperfectione. Adveniente occasione, non das eleemosynam : tunc fateor, si melius erat dare eleemosynam quam non dare, contrahi a te notam imperfectionis. Hoc autem non provenit ex voto facto, sed quia relicto objecto perfectiori, eligis minus perfectum quamvis alioquin licitum. Non ergo oritur imperfectio ex promissione vel obligatione, sed ex præstantia objecti quod ex se melius erat quam ejus oppositum. Si enim objectum ipsum ex se non esset melius quam oppositum non posset promissio facere quod esset melius, et quod ejus omissio esset imperfectio. Potest quidem promissio facere quod objectum quod de se erat licitum, fiat illicitum, prout matrimonium de se licitum fit illicitum voventi castitatem, quia promissio addit debitum quod fundat culpam contra virtutem religionis : non vero potest facere promissio quod objectum quod dese non est melius, sit melius, atque adeo refundat imperfectionem ejus omissio. Imperfectio ergo omittentis eleemosynam non provenit ex promissione, sed ex majori perfectione objecti omissi.

Dices adhuc, posse considerari novam causam imperfectionis majoris ex eo, quod post illam qualemcumque promissionem homo deficiat á fidelitate erga Deum, cui opus illud promiserat. Respondeo, supponi falsum, nempe quod voluerit homo obligare se Deo ex fidelitate : imo si id voluisset, peccasset mortaliter non stando promissis. Quamvis enim fidelitas erga homines obliget solum sub peccato veniali, secluso alio damno extrinsece ; erga Deum tamen obligat sub mortali ob infinitam Dei majestatem et reverentiam illi debitam, ut dixi tom. II. *de Justit.* disp. XXIII. sect. 6. num. 96. ubi addidi, id verum esse, etiamsi promittens exclusisset expresse omnem obligationem sub peccato, quæ ex promissione soleat alioquin oriri. Quod tamen intelligi debet, quando adhuc vellet efficaciter promittere, quia tunc non posset impedire obligationem gravem quæ ex promissione necessario oritur. Secus vero esset, si efficacius vellet non se obligare, ita ut potius vellet non promittere, quam se obligare ; tunc enim neque esset obligatio, neque etiam promissio ex fidelitate. Imo disp. III. *de Incarnatione*, sect. 8. num. 128. et 129. dixi in universum, obligationem voti non esse ex justitia sed ex religione et fidelitate erga Deum, quæ obligat gravi-

ter ad servandam fidem Deo datam. Non potest ergo fieri, quod homo ex fidelitate velit promittere Deo aliquid sub sola obligatione imperfectionis; si Deo data est vere fides, obligat reverentia Deo debita etiam sub reatu culpæ ad eam servandam.

6 Addo tamen ultimo, quamvis non videatur quis posse promissione sua se obligare Deo ad solam imperfectionem ex transgressione promissionis incurrendam : non videri tamen impossibile, quod alio modo posset sibi aliquis illud onus indirecte imponere. Pro quo adverto id, quod observavi tom. II. *de Justit.* disp. XXIII. sect. 1. num. 1. posse nos dupliciter cum Deo agere, nempe vel promittendo, vel solum proponendo et intimando etiam Deo nostrum propositum, sed sistendo adhuc intra terminos meri propositi, et absque ulla prorsus promissione. Neque enim propositum etiam intimatum alteri fit promissio : nam ut ibi latius explicui, promissio simplex qua quis vult non ex justitia, sed ex sola fidelitate se obligare, non obligat ex sola veracitate, hæc enim solum obligat ad conformanda verba cum mente loquentis : fidelitas vero qua promitto tibi me cras venturum domum tuam, obligat ad conformanda facta cum verbis, quia nimirum qui loquitur, petit fidem ab audientibus, quæ fides cessaret si loquens non deberet exprimere suam mentem; qui vero promittit, exigit a promissario fiduciam quæ etiam cessaret, si promittens posset non conformare facta cum dictis : ideo, sicut veracitas obligat ad conformitatem verborum cum mente; ita fidelitas obligat ad conformitatem dictorum cum factis, ut latius explicui loco cit. ubi similiter dixi, hanc obligationem fidelitatis non dari, quando aliquis non promittit, sed solum vult affirmare suum propositum præsens, et dicit : Ego habeo propositum veniendi cras ad te, et credo quod procul dubio id faciam : quo casu sola veracitas obligat ad conformanda verba cum mente, et ad id non asserendum, nisi de facto habeat nunc illud propositum, et credat quod revera ita cras fiet. Nec refert, quod illud manifestet illi de cujus utilitate agitur; adhuc enim posset ei non promittere, sed solum velle ei manifestare propriam intentionem et mentem; sic enim multa proponimus coram Deo, cui hæc eadem proposita manifestamus, nihil tamen promittentes, aut voventes, vel ullam obligationem etiam ex fidelitate nobis imponentes.

Dixi tamen illo num. 1. ex illo propo- 7
sito, licet non oriatur obligatio fidelitatis, negari tamen non posse, quod ex proposito, præsertim sæpius repetito et coram Deo facto, eique etiam absque voto aut promissione manifestato, nascatur titulus novus, ratione cujus, si deficias in bono proposito, incurras notam inconstantiæ et instabilitatis, quæ opponitur et perseverantiæ in bono : quam notam non incurreres si non proposuisses. Unde ad casum nostrum redeundo inferre jam possumus, quomodo absque promissione possit aliquis imponere sibi onus aliquid faciendi, vel omittendi sub periculo imperfectionis. Si enim firmiter coram Deo proponat, v. g. ingredi religionem, et hoc secum propositum in Dei conspectu sæpe repetat et confirmet, eo ipso necessario consequitur ut si postea sine nova causa urgente deficiat, non possit evadere notam inconstantiæ et instabilitatis, quæ in genere moris erit ad minus imperfectio non levis. Potuit ergo sine ulla promissione hanc quasi pœnam incurrendæ imperfectionis sibi imponere. Imo revera non est necesse quod intendat hanc quasi pœnam sibi imponere, sequitur enim ex natura rei, etiamsi ipse nihil de hoc cogitet. Nam posito illo proposito et deliberatione sæpius et cum deliberatione mature repetita et confirmata, necessario consequitur ex ipsa inconstantia et instabilitate imperfectio non levis : quare multo magis poterit explicite hoc ipsum intendere homo, quando suum propositum coram Deo confirmabat et dicere : *Ego firmissime hoc propono :*

*alioquin volo notam et imperfectionem inconstantiæ et instabilitatis incurrere.* Non tamen debet dici, quod ille votum emiserit obligando se ad solam imperfectionem ; illa enim nullo modo fuit promissio, aut votum, sed solum propositum firmiter stabilitum, cujus transgressio affert plerumque non solum imperfectionem communem ex carentia operis perfectioris, quod posset fieri, sed etiam magis specialem imperfectionem ex carentia constantiæ, et stabilitatis in proposito firmiter stabilito, et sæpius coram Deo confirmato.

## DUBIUM IX.

*Utrum qui pro debitore solvit, possit ab eo exigere non solum capitale, sed etiam fructus ?*

1 Antonius gravatus multo ære alieno, pro quo etiam ad interesse et fructus erat suis creditoribus obligatus, rogavit Franciscum, ut in se reciperet omnia illa debita, cui etiam se obligavit intra quatuor annos totam summam illi reddere, et interim solvere ei sex pro centum singulis annis. Itaque Franciscus assumpsit, et accollavit sibi omnia debita Antonii quoad capitale et interesse, acceptantibus creditoribus, et liberantibus Antonium : brevi autem tempore Franciscus partim industria, partim cum dispendio extinxit omnia illa debita, ut se a tot creditoribus et interesse currenti liberaret. Antonius prætendit, se jam non debere Francisco, nisi capitale post quadriennium solvendum, non vero fructus promissos sex pro centum singulis annis usque ad restitutionem capitalis, quia, cum Franciscus nullum jam interesse tempore sequenti solvat creditoribus, quibus jam capitale solvit, nullum habet titulum ad illud interesse ab Antonio exigendum, nisi ob ejus debita soluta, quod fuit quasi mutuum, atque adeo fructus temporis intermedii essent usurarii, cum revera Franciscus solvat, v. g. solum 6000. et exigeret postea ab Antonio 7449. computatis, quæ quasi fructus redduntur sex pro centum singulis annis illius quadriennii.

Interrogavit itaque Franciscus pro foro 2
conscientiæ, an ipse posset licite fructus illos exigere et recipere ? cui pro eodem foro, in quo ipsi soli rite examinato credendum erat, responsum est affirmative. Pro quo supponendum est, hos fructus non deberi Francisco pro interesse quod Antonius debebat suis creditoribus, et quod Antonius accollavit sibi : nam revera illud interesse non fuit solutum, sed debitum fuit extinctum, soluto capitali, antequam currere posset interesse illorum quatuor annorum, pro illo ergo interesse nihil posset Franciscus exigere, vel recipere, imo, in rigore loquendo, tota illa prima obligatio qua Antonius debebat interesse suis creditoribus, extincta fuit, quando Franciscus, consentientibus creditoribus, accollavit sibi omnia illa debita. Fuit enim novus contractus, quo Franciscus obligavit se ad capitale et ad interesse : ita tamen, ut prior obligatio Antonii omnino extingueretur. Pro hac autem obligatione, qua Franciscus illis creditoribus se adstrinxit, obligavit se et Antonius per novum contractum ad reddendum illi intra quadriennium summam totam, et interim solvendum interesse sex pro centum, quod interesse debetur Francisco ex vi hujus secundi contractus, quo se illi Antonius obligavit pro onere, quod Franciscus subibat accollandi in se debita Antonii, et eum liberandi, omnino extinguendo omnia jura creditorum adversus illum. Ad justificandum ergo hoc interesse non est considerandum, an Franciscus solverit interesse creditoribus, sed an pro obligatione quam subibat, et pro liberatione præstita Antonio, potuerit juste obligare Antonium ad solutionem non solum capitalis, sed etiam illorum

fructuum taxatorum, quamdiu non solveretur illo quadriennio.

3 Justificatio ergo hujus secundi contractus probari potest, primo ex æqualitate inter onus quod sibi assumpsit Franciscus, et inter pretium quod pro hoc onere promisit ei Antonius. Nam inprimis Franciscus obligavit se creditoribus ad solvendum illis totum capitale : idem assumpsit in se onus solvendi eis totum interesse, quod Antonius debebat solvere, quamdiu non redderetur illis capitale, quod quidem onus Antonius magno pretio redemisset, quia interesse magnum erat, et multo majus quam illa sex pro centum. Totum ergo hoc onus assumpsit in se Franciscus : et quidem pro onere solvendi capitale, voluit tantumdem sibi ab Antonio intra quadriennium restitui. Pro onere autem solvendi creditoribus interesse, quod Antonius habebat, et Franciscus illud totum in se assumebat, voluit aliquod aliud pretium : quod jure facere potuit, nam onus illud quod Antonius habebat, et liberatio ipsius a tali onere, res erat pretio digna : quare pro hoc onere et liberatione Antonii promissa est Francisco pecunia adæquans sex pro centum durante quadriennio : quæ pecunia non petitur a Francisco ut fructus capitalis ab ipso soluti et ab Antonio non redditi ; sed ut pretium obligationis qua Franciscus se obligat creditoribus ad solvendum interesse ab Antonio promissum, a qua obligatione, ut se aliquomodo Franciscus reddat indemnem, quia ipse exponit se periculo solvendi illud interesse creditoribus, vult Antonium vicissim ipsi obligatum manere ad reddendum ipsum indemnem, et reddendum ei hoc interesse. Quia vero interesse illud erat in graviori summa, reductum est in gratiam Antonii ad minorem, nempe ad sex pro centum : pro qua summa tanquam pro pretio obligationis, assumpsit in se Franciscus obligationem creditoribus solvendi interesse illud majus : in quo nulla apparet injustitia, imo beneficium in Antonium, qui pro minori summa liberatur ab obligatione solvendi majorem summam creditoribus, quam obligationem assumpsit in se Franciscus. Ipse autem postea propria industria, et dispendio liberavit se ab ea obligatione, quam contraxerat solvendi illud interesse majus creditoribus : non tamen ideo minus potest exigere ab Antonio pretium sibi promissum pro illa obligatione quam contraxerat, quæ obligatio digna erat, ut vidimus, illo et majori pretio. Non est ergo injustus hic contractus ex parte Francisci ob excessum pretii, cum libenter Antonius pro illo pretio redemerit se ab obligatione longe graviori. Neque etiam habet usuram implicitam quasi fructuum pecuniæ anticipate solutæ a Francisco, et nondum redditæ ab Antonio, quia fructus illi non sunt promissi Francisco ut fructus pecuniæ ab ipso antea solvendæ : sed ad reddendum illum indemnem ab obligatione sibi assumpta solvendi interesse creditoribus, et ut pretium illius obligationis. Neque enim Franciscus se obligavit ad statim solvendum creditoribus, sed solum assumpsit in se obligationem quam habebat Antonius solvendi capitale, et interim interesse, pro qua obligatione voluit Antonium sibi obligare ad capitale intra certum tempus, et interim ad fructus minores, sed certos, qui ex utriusque concordia taxati sunt pro interesse majori incerto, ad quod Franciscus se creditoribus obligabat : in quo nulla apparet usura, sed taxatio et reductio incerti majoris damni ad minus pretium, et lucrum certum.

Secundo probari, et declarari potes. 4
hoc ipsum ex doctrina, quam tradidi tom. II. *de Just.* disput. XXVIII. sect. 10t num. 134. ubi propositum fuit dubium de religioso, qui apud mercatorem campsorem fidejussit pro Petro, cui campsor dedit ad cambium certam summam : postea vero, quia idem campsor debebat eidem religioso aliam æqualem summam, loco solutionis cessit ei creditum illud contra Petrum tam quoad capitale, quam

quoad interesse, donec Petrus solveret: a quo cum religiosus postea peteret sortem et interesse, quale ab initio taxatum fuerat ; opponebat Petrus non posse religiosum exigere interesse ab illa die, qua campsor ei cesserat creditum illud, cum jam tunc extinctum esset debitum et satisfactum esset campsori, qui jam tunc pro solutione habebat sortem et interesse decursum : postea vero religiosus non poterat suo nomine exigere interesse, cum ipse non posset negotiari, nec illi lucrum cessaret ex dilata solutione sortis principalis. Dixi tamen, potuisse saltem valide campsorem ab initio pacisci cum Petropro lucro cessante, quamdiu sors non redderetur, taxando ab initio illud lucrum cessans, vel damnum emergens quod timeri poterat, et reducendo illud ad certam summam moderatam, quo casu campsor potuit postea totum hoc jus suum ad capitale, et ad lucrum cedere religioso, qui, licet in se non esset capax lucrandi ; poterat tamen titulo cessionis exigere lucrum, cujus campsor capax erat, quia sufficit capacitas in cedente, licet in cessionario non sit talis capacitas, quod aliis exemplis ibidem comprobavi. Ex hoc autem casu videtur posse argumentum desumi ad casum nostrum, in quo etiam creditores Antonii cesserunt jura omnia, quæ adversus illum habebant ad sortem, et ad interesse in favorem Francisci, cui cessioni ipse etiam Franciscus concensit, et postea totum illud ex utriusque consensu ad minorem summam reductum est. Nec apparet, cur sicut in primo casu cedens retinuit jus radicale, ratione cujus cessionarius religiosus potuerit exigere lucrum, cujus ipse non erat capax ; non potuerint etiam in casu nostro creditores cedentes retinere jus radicale, ratione cujus Franciscus cessionarius potuerit exigere lucrum quamdiu Antonius creditoribus non solveret.

5 Dices, non potuisse in casu nostro creditores retinere jus etiam radicale ad interesse, jam enim illis Antonius solvit capitale, siquidem loco solutionis fecit, quod Franciscus accollaret sibi illud debitum ; quod genus solutionis ipsi creditores acceptarunt. Postquam vero eis satisfactum est pro capitali, non potuerunt retinere jus aliquod ad interesse. Respondeo, creditores non acceptasse absolute pro solutione completa illam subrogationem Francisci, sed sub conditione, ita ut Antonius maneret adhuc obligatus ad solvendum Francisco id totum quod ipsis solvere debuisset. Quando ergo Franciscus accollavit sibi illud debitum, nondum satisfecit complete Antonius creditoribus, cum adhuc conditio completa non esset. Rursus, quando Franciscus solvit creditoribus, adhuc creditores retinere potuerunt jus radicale adversus Antonium, quia cesserunt Francisco jura sua ad capitale et ad interesse ; ergo non liberarunt absolute Antonium a sua obligatione, sed solum sub conditione, si ipse solveret Francisco totum id quod eis solvere debuisset. Quamdiu ergo Antonius non solvit cum effectu, semper remanet in creditoribus jus radicale, et in Francisco, ut eorum cessionario jus proximum ad capitale et interesse, quod creditoribus deberetur.

Denique ad tollendum omnem scrupu- 6
lum pro justificatione hujus contractus afferuntur rationes generales, quæ in hoc casu specialiter locum habuerunt, nempe damni emergentis, quod revera Franciscus incurrebat, vel prudenter timebat ex anticipata solutione a se facta, antequam ab Antonio debitum reciperet. Item periculum, cui se exponebat amittendi sortem, quod periculum fuisse verum, experientia comprobavit ; qui tituli communiter approbantur a theologis ad paciscendum ab initio de interesse proportionato ultra sortem sine labe usuræ. Cum ergo ageretur solum de foro conscientiæ in quo ipsi soli Francisco credendum erat, qui pro sua sola conscientia interrogabat ; merito illi responsum est, quod iis stantibus posset licite ultra capitale exigere interesse illius quadriennii, prout inter se antea convenerant.

## DUBIUM X.

*An in legato supellectilis sacræ comprehendatur planeta quæ nondum fuerat ad usum adhibita ?*

1 Cardinalis quidam in suo testamento ita scripsit : « Lego ecclesiæ mei tituli N. omnem sacram supellectilem mei sacelli ; hoc est, non solum omnes sacras vestes sacerdotis, et altaris, sed etiam cruces, candelabra argentea, et alia vasa, ac instrumenta, quæ a me in sacris mysteriis adhiberi solebant. » Reperta fuit tempore mortis planeta pretiosa una, vel plures, quæ adhuc ad usum non fuerant adhibitæ. Quæsitum fuit, an in eo legato comprehenderentur ? Videbantur non comprehendi, propter verba illa testatoris, *quæ a me in sacris mysteriis adhiberi solebant*. Non ergo legavit quæ adhuc adhibita non fuerant.

2 Dixi, totam quæstionem reduci ad hoc, an verba illa referri debeant ad omnia præcedentia, an vero solum ad ultima, nempe ad *cruces*, *candelabra*, etc. quæ est quæstio celebris apud juristas, quando clausula ultima referri debeat ad omnia præcedentia, vel solum ad immediata et proxima. Et quidem solet regula generalis assignari, quod clausula in fine posita referri debeat ad omnia præcedentia ; quod probari solet ex l. *talis scriptura*, §. fin. ff. *de legatis* I. ubi Ulpianus de clausula a testatore addita, sic ait : « Hanc autem scripturam non ad præcedentia sola legata, sed et ad universa, quæ testamento ascripta sunt, extendi, Gallus, Aquilius, Officius, Trebatius responderunt : idque verum est, » atque ideo hanc regulam aliis adductis, probat Thomas Sanchez lib. III. *de matrimon.* disp. VII. num. 17. Debent ergo verba illa testatoris ad totam supellectilem sacram referri, atque adeo limitare legatum ad ea solum, quæ jam ad usum adhibita fuerant.

3 In contrarium tamen est doctrina etiam communis juristarum, qui supradictam regulam limitant, ut non habeat locum, quando non procedit eadem ratio in omnibus præcedentibus, sed diversa ; tunc enim clausula in fine, vel in principio posita non debet referri ad omnia præcedentia, vel subsequentia, sed ad illa solum in quibus ratio peculiaris invenitur, nisi contrarium constet de mente testatoris, vel legislatoris, quam limitationem probant Decius, Navarrus, Bartolus, Jason, Alciatus, Menochius, et alii, quos affert, et sequitur idem Sanchez lib. VI. *de matrim.* disp. XXII. nu. 18. in respons. ad confirmationem tertii argumenti, et lib. VIII. disp. XVI. num. 11. et lib. X. disp. XVI. nu. 15. in fine.

4 Hæc ergo doctrina videtur posse cum magno fundamento applicari ad casum nostrum, in quo diversa erat ratio de crucibus, candelabris, et vasibus argenteis : hujusmodi enim poterant multa alia inveniri in domo illius cardinalis, quæ non erant ad usum solum sacelli destinata : nam erant multa alia candelabra argentea, multæ etiam aliæ cruces in oratoriis, seu genuflexoriis privatis juxta lectum, vel in cameris secretis ad orationem privatam : multi etiam urceoli et bacilia : quare merito testator limitavit legatum harum rerum ad ea solum, quæ ab ipso in sacris mysteriis adhiberi solebant, quæ ratio non procedebat in vestibus sacris sacerdotis, vel altaris, sed solum deservire poterant sacello et sacrificio, nec alio fine fiebant, sed eo ipso deputabantur pro servitio sacelli. In iis ergo nullam limitationem apposuit, imo quando de illis loquitur, apposuit signum universale, dicens, *non solum omnes sacras vestes sacerdotis, et altaris ;* statim vero quando de aliis rebus argenteis loquitur, addidit particulam limitantem, dicens : *sed etiam cruces, candelabra argentea, et alia vasa, ac instrumenta, quæ a me in sacris mysteriis adhiberi solebant,*

quasi diceret : quamvis hoc legato includi velim omnia quæ ad vestes sacras pertinent ; alia tamen, quæ argentea vasa vel instrumenta sunt, non intelligo omnia, sed ea quæ adhiberi solent a me in sacro ministerio quia in his poterat esse controversia propter alia ejusdem generis, quæ reperiri poterant, non deservientia ad sacras functiones. Et quamvis quoad calices et patenas sacras non esset periculum ; potuerunt tamen hæc sub ea clausula limitante comprehendi, quia idem erat dicere, *lego omnes calices, et patenas*, ac dicere : *lego vasa sacra, quæ adhiberi solent ad mysteria sacra,* omnia enim illa adhiberi solebant ; illa ergo appositio illius signi universalis, *omnes*, in vestibus, et omissio illius in candelabris et aliis, satis indicant animum testatoris fuisse, quod limitatio subsequens referretur solum ad res posterioris, non ad res prioris generis.

5 Confirmatur primo ex alia doctrina multorum, qui hanc regulam statuunt, ut quando unica est clausula in dispositione, verba limitantia vel ampliantia referri debeant ad omnia, secus quando sunt duæ clausulæ, de qua regula videri potest Thomas Sanch. lib. VII. *de matrim.* disp. 108. nu. 3. Videtur autem testator in casu nostro duas clausulas distinxisse : primam ibi, *non solum omnes sacras vestes* :secundam vero ibi, *sed etiam cruces*, etc. quare limitatio subsequens ad secundam solum clausulam, non ad primam referenda erit. Videatur Decius *consil.* 92. ubi, licet velit clausulam in fine positam referri ad omnia, fatetur tamen id non procedere, quando in legato sunt duæ clausulæ. Videri etiam possunt cardinalis Tuschus to. v. littera L. conclus. 21. num. 14. et Philippus Corneus tom. IV. *consiliorum*, cons. 218. ubi affert casum nostro fere similem, et in favorem legatarii resolvit.

6 Denique confirmari potest, quia licet regula generalis sit, quod in legatis interpretatio stricte facienda sit, ut hæres minus gravari judicetur, in dubio enim pro ipso hærede qui possidet, interpretandum est ; id tamen fallit in legato pio, in quo in ejus favorem interpretatio magis benigna facienda est, ut cum aliis observat cardinalis Tuschus ubi supra conclus. 58. ubi alios refert. In nostro ergo casu, in quo hæres non erat causa pia, sed consanguinei, et legatarius erat locus pius, nempe ecclesia titularis, in favorem potius legatarii verba illa, etiamsi dubia essent, interpretari debemus, quod multo magis locum habet in hac materia, cum agatur de veste sacra pertinente ad capellam cardinalis, de quibus vestibus sacris non solet dari licentia testandi, nisi cum clausula, ut de iis disponant in favorem alicujus ecclesiæ, vel loci pii : quæ clausula non scio an apposita fuerit in indulto testandi illius cardinalis. Scio, hodie a Sanctissimo D. N. Innocentio X. apponi, et mihi ab ipso appositam esse : et merito, cum omnino non deceat, ejusmodi res sacras ad manus hæredum laicorum devolvi : quare præsumi non potest, cardinalem illum voluisse planetas illas a legato excipere, ut ad dominium profanum laicorum devenirent.

## DUBIUM XI.

*An nomine pecuniæ numeratæ veniat massa argenti rudis ?*

Locus pius contendebat, se ex legato 1
habere jus ad plura bona, quæ testator quidam in India occidentali ei reliquerat. Negabant hæredes, et tandem ventum est ad concordiam, ut locus pius renuntiaret juri suo, et hæredes cederent *pecuniæ solum numeratæ ;* quam locus pius acceperat de bonis testatoris, reliqua vero reddere deberet hæredibus. Dubitarunt superiores loci pii, an deberent etiam hæredibus reddere glebas aliquot

argenteas, quas locus pius inter alia testatoris bona habuerat.

2 Dixi, debere reddi totum illud argentum hæredibus, nisi aliud ex usu illius provinciæ præsumi possit. Ratio est, quia si alicui legetur argentum, non debetur ei pecunia argentea, quæ relicta est a testatore, sed solum aliud argentum condistinctum a pecunia, ut habetur in l. *Quintus Mutius*, ff. *de auro, et argento legatis*, ubi Ulpianus §. 1. ita loquitur: « An cui argentum omne legatum est, ei nummi quoque legati esse videantur, quæritur. Et ego puro, non contineri. Non facile enim quisquam argenti numero nummos computat. » Hinc autem a fortiori probari potest nostra responsio, quia facilius credi potest, quod nomine *argenti* intelligantur etiam pecuniæ argenteæ, cum et ipsæ vere sint argentum, quam quod nomine *pecuniæ* intelligatur massa argenti rudis, quæ vere pecunia non est : si ergo jureconsultus reputat parum credibile, quod testator nomine *argenti* intellexerit nummos argenteos, multo minus credi poterit, quod hæredes nomine *pecuniæ*, cui soli cederunt, intellexerint massam rudis argenti, præsertim in summa tanti valoris.

3 Porro glebas illas argenti, seu marcos non esse vere pecuniam, probari facile potest, quia pecunia constituitur formaliter in esse pecuniæ per sigillum principis impressum, a quo habet valorem legalem monetæ, ratione cujus obligantur subditi, et creditores ad eam acceptandam in commercio civili : qui tamen non tenentur acceptare argentum rude, et non sigillatum signo illo proprio monetæ currentis : non est ergo vere et proprie pecunia, sed solum æquivalenter et virtualiter, quatenus facile ad monetam et pecuniam reduci potest.

4 Secundo hoc ipsum probari potest ex addito illo *numeratæ* : nam hæredes expresse dixerunt, se cedere in favorem loci pii *pecuniæ solum numeratæ*, quam ex bonis testatoris accepisset. Quamvis autem vocabulum *pecuniæ* unde usurpatum potuisset in latiori significatione usurpari, ut comprehenderet pecuniam impropriam, qualis est massa argenti ; voces tamen illæ, *pecuniæ numeratæ*, habent strictissimam significationem, ut ex Alciato observat Joann. Calvinus jurista in suo Lexic. juris, verb. *pecunia numerata*. Ratio autem esse potest, quia numerari non solet, nisi pecunia sigillata, et moneta usualis, quæ nec solvitur nec accipitur, nisi præcedente numeratione. Unde stante bulla S. Pii V. *de censibus*, in qua statuitur quod census non nisi pecunia numerata præsenti constitui possit ; sicut non sufficiunt merces loco pecuniæ, sic nec massa argenti ad constituendum censum, ut adductis doctorum sententiis notavimus tom. II. *de Justitia*, disput. XXVII. sect. 5. num. 82. et seqq. Cum ergo hæredes in casu nostro de sola pecunia numerata locuti sint, non intenderunt sub eo nomine argenti massam comprehendere.

Tertio denique probari potest, quia, 5
licet in testamentis verba possint aliquando in benigniori significatione intelligi, quia ex benignitate et liberalitate testatoris procedunt : in contractibus tamen onerosis singulis contrahentes proferre præsumuntur verba in sensu magis favorabili proferenti ; quia unusquisque præsumitur se quam minimum possit, velle obligare, juxta regulam vulgarem desumptam ex l. *quidquid adstringendæ*, 99. ff. *de verbor. obligationibus*, ubi glossa verb. *secundum promissorem*, eam regulam exemplis exornat. Cum ergo in casu nostro verba illa, *pecuniæ solum numeratæ*, prolata fuerint ab hæredibus, debent in eorum favorem explicari in magis benigno sensu, ut solum se voluerint obligare ad cedendum pecuniæ, quæ proprie et in rigore sit pecunia, non quæ solum virtualiter sit talis, qualis est massa argenti.

Dixi tamen, *nisi aliud ex usu illius provinciæ præsumi posset ;* quia in primis vocabula juxta usum regionis, et populi sensum interpretanda sunt : quare,

si ibi nomine *pecuniæ* argentum etiam non laboratum, sed rude, intelligi soleret, idque etiam nomine *pecuniæ numeratæ*, eodem modo in hoc casu deberent intelligi verba illa. Rursus, si massa etiam argenti usurpari ibi soleret loco monetæ, atque haberet jam suum legitimum valorem, juxta quem in solutionibus et commerciis cogi possent creditores ad eam accipiendam : jam tunc videretur posse comprehendi nomine *pecuniæ numeratæ ;* habent enim, ni fallor, illæ glebæ argenti sigillum publicum singulis impressum, quo videtur fides publica fieri de singulorum pondere et valore ; quare aliquo modo videntur participare conditionem monetarum et pecuniarum. Vereor tamen, ne sit alius finis sigillum illud imprimendi ; invenio enim apud Solorzanum to. II. *de Indiarum gubernatione*, lib. v. cap. unico, num. 23. regium signum, sive stigma solere ibi ejusmodi metallis imprimi, ut domini possint libere uti metallis illis, nam signum illud ostendit, quod jam satisfecerint regiæ cameræ, solvendo quintam partem fisco debitam. Potest etiam signum illud imprimi, ut constet de legitimo pondere illius massæ, vel ob alias rationes, absque eo quod intendatur dare qualitatem monetæ. Si autem neque est moneta, neque in illa regione sub nomine *pecuniæ numeratæ* intelligi solet massa argenti, non video, quomodo locus pius ex illa sola cessione pecuniæ numeratæ, quam fecerunt hæredes, possint licite retinere massas argenti, quas apud se habebant de bonis testatoris.

## DUBIUM XII.

*De censu solvendo, secuta mutatione monetæ, et deficiente etiam ex parte hypotheca.*

Petrus ecclesiasticus sæcularis vendidit censum loco regulari 600. librarum Genuensium annuarum, quem censum imposuit super fundo quodam, et super aliquibus locis montium, quæ Romæ in montibus habebat. Hæ autem 600. libræ faciebant tunc 120. scuta. Postea idem Petrus professionem religiosam fecit, reservata sibi ad tempus cura et administratione mera suæ hæreditatis ; quam alteri conventui ejusdem ordinis reliquerat. Dum ergo hæreditatem suam administraret, vendidit ob evidentem utilitatem loca montium Romana, quæ dicto censui specialiter subjacebant. Mortuo Petro, illi, ad quos spectat administratio hæreditatis ab eo relictæ, nolunt amplius solvere integra illa 120. scuta annua, loco regulari, qui censum emerat sed solum 100. imo ex his etiam volunt demere tertiam partem. 1

Eorum fundamenta duo sunt. Primum est, quia deficiente hypotheca totaliter, deficit census ; ergo deficiente ex parte hypotheca, debet ex parte deficere etiam census. Cum ergo loca montium Romana alienata fuerint, et transierint ad alios possessores, ab iis debet exigi pro rata census annuus, quia loca montium debuerunt ad ipsos cum suo onere reali transire. Cum ergo loca montium sint tertia pars totius hypothecæ specialis, quam census habuit, debet tertia pars fructuum census cum illis montibus transire, vel extingui. 2

Dixi tamen, ex hoc capite non videri excusandum hæredem Petri a solutione integra 600. librarum annuarum, primo, quia juxta sententiam probabi- 3

lem creditor potest petere a singulis, inter quos postea dividitur res censui subjecta, et ab illo quem maluerit, exigere pensionem integram, ut docent Molina to. II. *de Justitia*, disp. 391. nu. 3. Lessius, et Navarrus, quos attuli to. II. *de Justitia, et jure*, disp. xxvii. sect. 6. §. 4. nu. 106. Deinde, quia etiam retenta contraria aliorum sententia, adhuc in casu nostro erit actio adversus Petrum venditorem census, et ejus hæredes, nam vel Petrus vendidit illa loca montium aliis, vel extinxit recepto pretio, quod dederat. Si extinxit, debebat subrogare aliam hypothecam loco illorum, et servare indemnem emptorem census : quare ex hoc saltem capite tenebitur nunc ad resarciendum hoc domnum, et solvendos reditus integros ; si vero non extinxit, sed vendidit loca montium aliis, tenebitur illis ad minus de evictione, si loca montium transierunt cum illo onere reali. Cum ergo in casu nostro uterque locus pius, et qui emit censum, et hæres venditoris, sit locus regularis sub eodem generali, ad quem pertinet administratio bonorum utriusque, fatendum videtur, quod licet de rigore juris emptor census deberet recurrere ad possessores illorum locorum montium, si forte vendita fuerunt. et illi postea recurrere ad hæredes venditoris, qui tenentur de evictione : Generalis tamen, qui scit obligationem sui subditi, qui est hæres venditoris, debet vitare hunc circuitum, et servare indemnes emptores locorum montium, extinguendo partem illam census pro rata locorum montium ex pretio pro illis accepto, ad quod tenebatur Petrus venditor ; et interim solvere partem illam redituum correspondentem locis montium, ut illorum emptores servet indemnes.

4 Opponunt primo, Petrum, quando alienavit vel extinxit loca montium, fuisse jam professum, atque ideo jam non fuisse dominum, nec debitorem census, sed merum administratorem : quare non videtur procedere regula, quod venditor census alienans vel extinguens bona hypothecata, debet subrogare alia bona in eorum locum. Respondeo, Petrum fuisse tunc administratorem ex voluntate et nominatione ejusdem Petri, antequam esset professus ; quo tempore nominans se administratorem pro tempore sequenti, eo ipso voluit ratas habere obligationes et onera omnia, quæ consequerentur ad omnes contractus quos ipse postea in ea administratione celebraret, sicut si eos ante professionem celebrasset : quare regula illa habebit locum, cum tota illa obligatio fundetur in voluntate ejusdem Petri, quando non erat professus, sed dominus absolutus et liber illorum bonorum.

Opponunt secundo, quod Petrus jam 5
professus alienavit illa loca montium cum licentia ipsius generalis ; qui cum esset superior etiam illius loci pii qui emerat censum, eo ipso videtur nomine illius præbuisse consensum ad alienationem illorum locorum, non obstante præjudicio quod debebat sequi de diminutione fructuum census quoad illam partem. Respondeo, Generalem nec intendisse nec potuisse velle dare licentiam, nisi quatenus præcise requirebatur, et petebatur ad alienanda loca montium (quam licentiam poterat tunc dare ante prohibitionem factam a sacra congregatione concilii Tridentini) non vero ad præjudicandum juri illius loci religiosi, qui prædictum censum emerat. Si enim Generalis sciret illa loca montium esse pothecata tali loco pio, et censui subjecta, non potuisset dare licentiam ad alienandum, nisi vel monitis emptoribus de onere affixo, vel subrogando aliam hypothecam loco illius, quia non poterat cedere juri hypothecæ quam habebat emptor census, nisi hoc esset in evidentem ejusdem utilitatem, quæ non erat, sed evidens damnum et diminutio census empti quoad tertiam partem sine ulla prorsus utilitate, vel compensatione. Dum ergo Generalis hoc ignoravit, non debet ullo modo præsumi, quod impli-

cite consenserit præjudicio emptoris census, sed potius, quod voluerit implicite subrogare aliam hypothecam, vel certe obligare hæredes venditoris ad conservandum omnino indemnem dominum census, cui loca illa montium erant specialiter subjecta.

6 Cessante ergo hoc motivo ad diminuendos fructus census, veniamus ad alterum, quod majorem videtur præferre difficultatem. Dicunt ergo, quamvis initio solverentur 120. scuta annua, quibus tunc æquivalebant 600. libræ annuæ assignatæ pro annua pensione: nunc tamen solvenda esse solum 100. scuta, quibus solis nunc æquivalent 600. libræ. Pro quo sciendum est, libram Genuensem esse monetam non usualem, sed imaginariam continentem 20. solidos, sicut ducatum Hispanum continet 11. regales: et sicut in Hispania, quamvis nulla sit moneta, quæ æquivaleat 11. regalibus, vel sit ducatum; reditus tamen censuum, et aliæ pensiones designantur per ducata: ita Genuæ nominantur libræ in pensionibus, et aliis contractibus, quamvis nulla sit talis moneta, sed solum contineat 20. solidos. Ipsi tamen solidi, qui libram componunt, passi fuerunt tempore sequenti mutationem intrinsecam, eo quod cusi fuerint solidi paulatim deteriores in sua substantia, quare solidi moderni componentes 600. libras æquivalent quoad perfectionem intrinsecam solidis antiquis componentibus solas libras 500. Hinc ergo oritur difficultas, quia hæredes Petri dicunt, se satisfacere solvendo libras 600. nominatas in contractu: cum autem 600. libræ hodiernæ propter deteriorationem solidorum æquivaleant solis 100. scutis, dicunt, se satisfacere solvendo 100. scuta, cum tamen antea propter perfectionem majorem solidorum oporteret dare 120. scuta pro solvendis 600. libris annuis, quæ ex contractu debebantur. Ex adverso vero emptor census prætendit sibi solvenda esse 120. scuta, quæ æquivalent 600. libris antiquis, ipse enim debet exigere libras, quales tunc erant, non alias, quæ solo nomine conveniant cum illis, et differant quoad substantiam et bonitatem intrinsecam.

Unde quoad hoc etiam punctum respondi in favorem emptoris census, quia regula generalis est, ut quando valor intrinsecus pecuniæ decrescit ob deteriorationem intrinsecam ipsius pecuniæ, creditores, sive creditum proveniat ex mutuo, sive ex censu, sive ex quocumque alio contractu, recipere et exigere possint a debitoribus solutionem juxta valorem, quem monetæ habebant tempore contractus, quæ regula colligitur ex c. *olim,* et cap. *cum Canonicis, de censibus;* et late eam explicant et probant Barbosa *in Collectan. Decretalium*, super illos textus, et P. Layman l. III. sect. v. tract. III. part. 1. c. 5. nu. 10. et 16. et latius nu. 25. Et quidem ipsemet senatus Genuensis lege publica statuit, ut debita antiqua in moneta meliori et antiqua, vel in pluribus modernis monetis adæquantibus valorem intrinsecum antiquarum solverentur. Cum ergo census de quo agitur, impositus fuerit ante secutam mutationem et deteriorationem monetæ, debet omnino solvi in moneta antiqua, vel multiplicato numero modernarum usque ad valorem et æstimationem, quam hodie habent monetæ antiquæ. 7

Objiciebat debitor primo, legem illam factam a Senatu promanasse a potestate sæculari, atque ideo non potuisse obligare ecclesiasticos, quales erant debitores census. Hoc tamen parum urget, quia in primis, seclusa etiam lege positiva, lex naturalis obligaret ad observandum contractum juxta mentem contrahentium: nec lex positiva aliud fecit, nisi explicare obligationem naturalem, et mentem contrahentium, qui utique præsumuntur intellexisse de pecunia illa, quæ et qualis tunc in usu erat, non de alia intrinsece deteriori, quæ supervenire poterat. Deinde, quia lex civilis justa, communis et universalis, quæ fer- 8

tur in publicam omnium utilitatem, non minus observari debet ab ecclesiasticis, qui sunt pars illius reipublicæ et communitatis, ut cum communi doctorum probat late P. Suarez lib. III. *de legib.* c. 34. quæ doctrina maxime locum habet in hac lege, quæ tota ordinatur ad bonum commune, nec minus utilis est ecclesiasticis, quam laicis et sæcularibus. Adde, videri, quod lex illa statuerit valorem legitimum monetæ : nam eo ipso quod prohibet, debita antiqua solvi in moneta moderna, nisi hæc multiplicetur, videtur consequenter jubere, quod libra ex solidis modernis non valeat, quantum libra ex solidis veteribus. Siquidem jubet, quod in solutione non æquivaleat libra moderna libræ antiquæ. Valor autem monetæ, imo et mercium lege publica statutus obligat procul dubio ecclesiasticos. Unde, cum census, de quo agitur, fuerit emptus ante deteriorationem solidorum, atque adeo comprehendatur sub debitis antiquis, quæ lex statuit debere solvi in libris antiquis ; fatendum videtur, quod emptor census possit reditus ejus exigere juxta computum librarum antiquarum et earum æstimationem præsentem.

## DUBIUM XIII.

*De pœna a testatore imposita, an obliget hæredem hæredis ?*

Testator gravavit hæredem his verbis : « Jubeo, quod hæres infrascriptus debeat facere celebrare per 60. annos missas 60. singulis annis in tali ecclesia : si vero per tres annos continuos id omiserit, lego tali confraternitati 200. scuta, ut id faciat in perpetuum. » Postea vero post alia legata instituit hæredem Titium, qui, dum vixit, id omnino observavit. Titio mortuo successerunt tres hæredes : quorum unus negligens fuit in observanda pro rata suæ partis voluntate primi testatoris. Quæsitum fuit, an transacto triennio cum illa omissione, incurrerit pœnam, et debeat pro rata solvere legatum confraternitati ?

Respondi breviter, hæredes Titii succedere singulos pro rata in onere faciendi celebrare illas Missas 60. per annos ; probabile tamen esse non obligari ad pœnas dandi confraternitati 200. scuta, vel ejus partem pro rata ob negligentiam triennalem, sed in utroque foro satisfacere faciendo celebrare missas omissas, et simul alias correspondentes annis subsequentibus. Prior pars probatur, quia hæres, sicut repræsentat defunctum in jure activo, ita eum repræsentat in juribus passivis, seu debitis, quæ non minus juxta vires hæreditatis debent solvi pro rata ab hærede, quam a defuncto, ut cum communi docet Thomas Sanch. lib. IV. *in Decalog.* c. xv. num. 4. ubi bene probat, in ejusmodi obligationibus dividuis non teneri singulos hæredes in solidum ad totum, sed solum ad partem pro rata partis hæreditatis, et hoc etiamsi alii cohæredes non solvant suam partem, undecumque id proveniat ; in nostro autem casu obligatio ex parte objecti erat omnino dividua, cum 60. missæ possent commode distribui inter tres hæredes Titii, ita ut singulis incumberet onus 20. missarum in anno, si pro partibus æqualibus successerant in hæreditate. 2

Posterior vero pars probari potest ex verbis testatoris, qui legatum confraternitati relinquit solum casu, *quo hæres infrascriptus* per tres annos continuos omitteret celebrationem illarum missarum annuarum. Postea vero solum Titium nominavit hæredem, nec explicite, nec implicite locutus fuit postea de hæredibus Titii, nec voluit per fideicommissum transmitti sua bona ad alios post Titium. Solus ergo Titius intelligi debet nomine *hæredis infrascripti*, quo omittente per triennium celebrationem missarum, legatum relictum fuit confraternitati. Regula enim generalis est, ut di- 3

ctio illa, *infrascriptus*, limitet ad hæredem, qui constare potest ex ipso testamento : et quamvis *hæredum* nomine possent venire omnes, qui utcumque mediate vel immediate testatori succedunt, quando tamen sermo est de hærede infrascripto, limitatur ad illum solum quem testator in eodum testamento designarit: de qua regula videri possunt ultra alios Barbosa in tract. *de dictionibus*, in dict. *Infrascriptus*, et Cardinalis Tuschus littera D. in verb. *Dictio*, conclusione 260. Cum ergo testator legatum reliquerit confraternitati tunc solum, quando hæres infrascriptus omitteret per triennium continuum celebrationem missarum, non purificatur conditio, nec debetur legatum, quando hæres hæredis omisit pro rata suæ portionis satisfacere.

4 Dices, ex hac doctrina sequi contra primam partem nostræ responsionis. Si enim nomine hæredis infrascripti non veniunt hæredes mediati, sed sola persona in eodem testamento nominanda ; ergo hæredes Titii non obligantur ad onera missarum prosequenda ; nam testator ad missarum celebrationem obligavit solum hæredem infrascriptum, quo nomine Titius solus venire debet, vel fatendum erit, in tota illa clausula comprehendi dobere hæredes etiam Titii futuros.

5 Respondetur negando sequelam. Ratio est, quia obligatio ad onera missarum transit cum ipsa hæreditate te Titii ad ejus hæredes, etiamsi testator primus de hoc non cogitaverit; neque enim potest hæreditas Titii non ferre secum omnia onera, et obligationes reales quas habebat Titius, ut supra vidimus, et notavimus etiam primo tomo *de Justitia*, disp. vi. sect. 5. nu. 60. Unde eo ipso quod Titius sit hæres institutus, nempe obligatus ad onera imposita, et per consequens ejus hæredes, qui personam Titii repræsentant debent subire easdem obligationes. Alia vero ratio videtur de legato relicto confraternitati : quod quidem fuit conditionale, atque adeo non debetur nisi conditione in toto rigore posita : conditio autem erat : si Titius per triennium continuum omitteret missarum celebrationem ; quæ conditio nunquam posita fuit, nec Titius unquam defuit suæ obligationi ; quare legatum non potuit transire in absolutum.

Confirmatur primo, quia licet aliqui 6 doceant verba testatoris esse late interpretanda in favorem ultimæ voluntatis, quos affert Thomas Sanchez lib. IV. *in Decalog.* ca. xv. num. 46. ipse tamen cum aliis id explicat, quando interpretatio redundat in favorem hæredis, secus quando est in favorem legatarii, et contra hæredem, ut colligitur ex l. *nummis* 73. ff. *de legatis* 3. et l. *apud Julianum* §. *Seio* et l. *si ita scriptum*, in fine, ff. *de legatis* 1. Ratio autem est, quia testator censetur velle quam mininum possit gravare hæredem, quem semper plus diligit quam legatarios, quod etiam in legatis piis locum habere, docet idem Sanch. l. c. Unde conditio illa in nostro casu debet in sensu proprio verborum intelligi de omissione ab ipso Titio ponenda, non de casu quo alii præter Titium omitterent.

Confirmatur secundo, quia si Titius 7 gravatus fuisset a testatore, ut iret ejus nomine ad domum Lauretanam, vel nisi iret, solveret 100. aureos xenodochio : mortuo Titio, antequam iret Lauretum, ejus hæres teneretur quidem ad onus reale, nempe ad solvendos 100. aureos, non tamen teneretur ad onus personale peregrinationis Lauretanæ, imo nec satisfaceret eundo, quia peregrinatio non fuit ei imposita, sed soli Titio, ut in simili docet idem Sanch. dicto cap. xv. num. 31. quando defunctus votum fecerat peregrinationis, vel erogandi pecuniam disjunctim ; si enim moriatur non peracta peregrinatione, hæres obligatur determinate ad partem realem pecuniæ erogandæ, nec potest peregrinationem eligere, quæ erat personalis, et solum defunctum respiciebat. Sicut ergo hæres res non succedit in onere personali defuncti, sed in solo reali ; sic nec succedet

hæres Titii in pœna ob omissionem personalem Titii, quando Titius non omisit: quia disjunctim in casu notro a testatore volitum erat celebratio annuarum missarum, vel legatum confraternitati solvendum, si Titius per triennium omitteret. Cum ergo numquam Titius omiserit, non datur locus legato, quod non debetur, nisi in casu, quo Titius partem suam non expleverit. Hæc pro hujus partis probabilitate dicta sint, quam tamen nolo probabiliorem asserere : video enim, pro parte etiam contraria afferri posse argumenta non levia ad probandum, hæredes successisse in onere missarum cum eadem pœna legati solvendi. Nunc tamen solum respondimus in favorem hæredum, quorum unus scire volebat, an probabiliter posset excusari a pœna incursa pro rata suæ portionis ?

## DUBIUM XIV.

*De venditione vini facti communis per admistionem.*

Seius administrator rerum Titii pretio ab ipso Titio ad hoc conductus miscuit 200. mensuras vini æque boni cum 300. aliis Titii in cella vinaria, et in doliis ejusdem Titii. Postea pretio bono currenti cogitans de prædio sibi emendo vendidit 200. mensuras vini : habuit tamen vel tunc, vel postea (hoc enim ex facti narratione non satis constabat) hanc mentem, ut si postea vini pretium crescceret, illa prima venditio intelligeretur facta de parte solius Titii : si vero e contra pretium decresceret intelligeretur facta solum de parte sua ; quæsitum fuit, an decrescente postea pretio vini, possit Seius retinere sibi totum pretium primæ venditionis ?

Respondi, de hac materia mistionis pauca reperiri apud nostros theologos. Ego latius egi tom. I. *de Justitia*, disp. VI. sect. 13. nu. 159. et seqq. Ex doctrina autem ibi tradita, præsertim nu. 173. et 174. dixi, in casu proposito Seium triplicem potuisse habere intentionem diversam. Primo enim potuit velle vendere solam suam partem : ejus intentionis indicium esse potest, quod vendidit ut emeret sibi prædium. Et tunc quidem licite vendidit suam solam partem, quia, licet per admistionem factam ex consensu utriusque domini vinum totum fiat commune utrique, prout in hoc casu factum videtur, quia Seius nomine suo, et nomine Titii, cujus procurator erat, mistionem fecit : per intentionem tamen illam videtur jam Seius separasse, et designasse partem suam seorsim a parte Titii. Quare peccavit postea Seius post venditionem eo animo factam mutando intentionem ; quia revera vendiderat jam partem suam, et non poterat in præjudicium Titii revocare quod jam factum fuerat. Hoc tamen peccatum fuit solum secundum affectum, non secundum effectum, quia non potuit Seius facere, quod venditio jam facta non fuisset facta suo solo nomine, sed nomine Titii. Debet ergo Seius pœnitere de hoc peccato secundæ intentionis iniquæ, et retinere pretium totum primæ venditionis, quæ legitima fuit, nec revocari postea potuit

Secunda intentio, quam Seius potuit habere tempore venditionis, esse poterat, si tunc voluit eo animo vendere 200. mensuras vini, ut si pretium vini postea decresceret, venditio censeretur facta de suo vino ; si vero pretium cresceret, venditio illa censeretur facta de vino Titii. Hæc autem intentio procul dubio erat iniqua et injusta, cum vellet Seius totum damnum, et periculum transferre in Titium, et totum commodum et utile ad seipsum, quod inprimis erat contra leges, et debitum bonæ administrationis, qua ipse administrare debebat res Titii bona fide ejus commoda procurando. Erat etiam illa intentio contra leges venditionis, qua vendebat vinum, et ejus dominium transferebat in emptores. 3

Debebat enim tempore venditionis, et pretii accepti dominium a venditore in emptorem transferri : quare non poterat manere suspensa persona venditoris dependens a conditione futura incrementi, vel decrementi pretii futuri ; interim enim a quo venditum esset vinum, et translatum dominium ? Debuit ergo Seius velle tunc determinate vendere suo nomine, vel nomine Titii, vel utriusque. Cum igitur voluntas et intentio illa fuerit injusta, debet postea Seius eam corrigere, et reducere ad eum statum, ut Titius non maneat damnificatus. Hoc autem fiet ratificando eam venditionem tamquam factam communi nomine utriusque ; hoc enim modo fiet, ut commodum, atque incommodum, lucrum, et periculum commune fuerit utrique socio. Quare Seius non poterit sibi ex pretio vini venditi retinere, nisi duas quintas partes, et aliæ tres quintæ pertinebunt ad Titium.

4 Tertia denique intentio Seii in actu venditionis esse potuit, si voluit vendere vinum communi nomine utriusque : et idem dicendum videtur, si nihil cogitavit, sed data illa opportunitate vendendi, voluit vendere vinum illud in eo statu, in quo reperiebatur, in quo erat factum procul dubio commune, propter mistionem, ut supra vidimus. Posita autem hac intentione, nihil refert quod post venditionem factam et perfectam, habuerit novam intentionem, et voluerit quod venditio facta fuerit suo solo nomine, si pretium decresceret, vel facta fuerit nomine solius Titii, si pretium cresceret. Hæc enim intentio subsequens non potuit præjudicare venditioni factæ, et perfectæ nomine utriusque. Peccavit quidem Seius postea habendo hanc secundam intentionem injustam ; peccavit tamen peccato injustitiæ effectivæ, non affectivæ, quia per eam voluntatem nullum nocumentum Titio afferre potuit cum effectu, sed solum in affectu : debet ergo pœnitentiam de hoc affectu agere, et pretium dividere pro rata, ut dictum est, ita ut duæ quintæ partes ad ipsum pertineant, et reliquæ tres quintæ partes ad Titium.

## DUBIUM XV.

*De valore, vel invaliditate cujusdam census.*

Titius per procuratorem emit prædium 1
a Sempronio pretio 1000. aureorum, quos eidem solvit, eadem vero hora, in eodem loco, coram eodem notario, et testibus Sempronius emit a Titio eodem pretio, et pecunia eadem præsenti, censum aureorum 60. annuorum, qui census constitutus fuit super eodem prædio, et super aliis locis montium, quæ habebat idem Titius, cujus census reditus solvit Titius per 60. annos, post quos dubitatum fuit de valore illius census.

Contra census valorem esse quod di- 2
citur in l. *qui sic solvit* 55. ff. *de solutionibus*, ubi ita respondet Ulpianus : « Qui sic solvit, ut recuperetur, non liberatur : quemadmodum non alienantur nummi, qui sic dantur, ut accipiantur, » quod idem in re ipsa respondisse videtur Julianus in l. *si tibi pecuniam*, 20. ff. *de rebus creditis si certum petatur ;* ubi ita scribit : « Si tibi pecuniam donassem, ut mihi eamdem crederes, an credita fieret? Dixi, in hujusmodi propositionibus non propriis verbis nos uti. Nam talem contractum neque donationem esse, neque pecuniam creditam : donationem non esse, quia non ea mente pecunia daretur, ut omnimodo penes accipientem maneret ; creditam non esse, quia exolvendi causa magis daretur, quam alterius obligandi. Igitur, si is, qui pecuniam hac conditione accepit, ut mihi in creditum daret, acceptam dederit, non fore creditam ; magis enim meum accepisse intelligi debeo. » Hæc ibi, in quibus ratio a priori significatur, quia scilicet qui

dat cum obligatione, quam accipienti imponit expendendi pecuniam in certum usum, non dat absolute, nec transfert omnino in accipientem dominium illius pecuniæ ; dominus enim absolute non est, nisi qui potest disponere de re sua in quoslibet usus, quam potestatem tunc non habet pecuniam accipiens cum sola facultate expendendi in certum usum. Quia ergo in casu nostro Sempronius vendens Titio prædium, et statim reddens idem pretium eidem Titio ad constituendum censum, præsumitur ex condicto accepisse pretium cum illa conditione, et obligatione reddendi pecuniam statim Titio, censetur pariter non accepisse dominium plenum illius pecuniæ, atque adeo non potusise illa pecunia emere censum, qui ex Bulla S. Pii V. non potest valide constitui, nisi pecunia numerata præsenti, quæ solvatur ab emptore, quæ conditio in præsenti videtur defuisse ; neque enim Sempronius reipsa dedisse videtur pecuniam, quæ non erat sua, vero et absoluto dominio, pro censu, sed potius voluisse dato prædio, habere loco illius censum super ipso prædio, et super locis montium : quare non videtur fuisse rigorosa emptio, sed permutatio, quæ juxta Bullam S. Pii V. non permittitur in nova census constitutione, sed debet esse vera emptio soluto pretio in pecunia numerata præsenti.

Respondi, valorem census pendere ex intentione contrahentium : quare, si res ageretur in foro externo et judiciali, difficilior esset fortasse responsio, propter varietatem sententiarum, et placita jurisperitorum ad præsumendam bonam, vel malam contrahentium mentem ; quia tamen interrogatio fiebat solum pro foro conscientiæ, in quo credi debet interroganti : ego dixi, me respondere soli Titio interroganti pro conscientia sua ; quando enim Sempronius scire vellet suam obligationem, ipse poterat pro se interrogare. Titio igitur quærenti, an ipse posset fructus annuos illius census exigere ? respondi, posse, si quando emit prædium, non præcessit pactum, quo obligasset Sempronium ad non retinendum pretium prædii, sed reddendum ei statim pro emptione, et constitutione novi census, vel quo Sempronius ipsum Titium obligasset ad vendendum censum eodem pretio recepto supra idem prædium, et loca montium. Si enim ejusmodi pactum præcessit, et correspectibilitas, ac dependentia inter utrumque contractum, census non videtur validus, ubi obligat Bulla S. Pii V. propter rationem supradictam, cum Sempronius non emerit censum in rigore loquendo cum pecunia numerata sua, sed vel pro prædio, quod dedit Titio pro censu constituendo super ipso prædio, et locis montium, vel certe pro pecunia, cujus dominium liberum non habebat, sed ligatum ad illum solum usum emendi censum : quare servata non fuit conditio a S. Pio V. requisita, ut in simili propter eamdem rationem dixi to. II. *de Justitia*, disp. XXVII. sect. 5. n. 90. quando creditor emit censum a debitore, cum eo tamen pacto, ut debitor illa pecunia debeat statim emptori solvere debitum antiquum. Quo etiam casu dixi deesse conditionem a S. Pio V. requisitam, quia tunc revera pecunia numerata non ponitur in plena potestate et dominio venditoris.

Si vero pactum illud non antecessit, 4
nec inclusum fuit in emptione prædii, sed contractus emptionis factus fuit omnino independens a censu sequenti, et pretium prædii positum fuit in plena et libera potestate Sempronii, qui postea absque ulla obligatione voluit eadem pecunia emere censum a Titio, non apparet aliquid, unde census in foro conscientiæ invalidus, aut illicitus censendus sit. Imo idem dicendum erit, quamvis contrahentes hanc intentionem ab initio haberent, et de hoc tractassent, dum tamen ad secundum contractum non se obligarent, sed primum contractum emptionis prædii liberum celebrarent, relinquendo

liberum utrumque contrahentem ad contractum census postea faciendum, vel non faciendum. Intentio enim sola etiam exterius prodita, dum manet intra terminos meræ intentionis, non alterat primum contractum, loquendo in foro conscientiæ, in quo cessat præsumptio fraudis, quando constat de veritate ; hac enim ratione communis sentia excusat in foro conscientiæ a peccato usuræ, et ab omni culpa, loquendo ex natura rei, et seclusa legis prohibitione, mercatorem qui vendit pretio justo summo, sed credito, merces suas Titio, qui statim, quia pecunia præsenti indiget, vendit eidem venditori easdem merces pretio justo infimo in pecunia præsenti : dum tamen prima venditio fiat sine ulla pacto explicito, quo Titius obligetur ad vendendas merces illas eidem venditori pretio minori : et hoc dicunt procedere etiam, quando mercator sperabat, Titium venditurum ipsi statim easdem merces pretio infimo, quia Titius id ei significaverat, dum tamen nulla intercedat obligatio explicata, vel implicita ad secundam venditionem, de quo, et de auctorum mente dixi latius tom. II. *de Justitia*, disp. XVI. sect. 3. §. 2. num. 205. et seqq.

5 Est autem hæc doctrina ex mente jurisconsultorum, quorum verba supra retulimus, qui tunc solum dicunt non transire pecuniam in dominium accipientis, nec fieri donationem, vel creditum, quando data fuit cum pacto, seu conditione et obligatione, ut iterum danti redderetur ; quare seclusa ea conditione et pacto, contrarium videntur supponere. Videtur etiam id omnino supponi a jurisconsulto Marcello in leg. *quis duo*, 67. ff. *de solutionibus*, ubi dicit, si Titius, v. g. debeat Caio 100. et solvat ei decem, quæ Caius Titio statim reddat, et Titius iterum Caio solvat, et toties eadem à Caio recepta, iterum, ac iterum eidem solvat, decies repetita solutione eorumdem decem, solvisse integre Titium omnia 100. quæ debebat, quod quidem verum non esset, nisi Caius, et Titius semper denuo dominium illorum reciperent et transferrent ; quia tamen nullum pactum, aut obligatio interveniebat reddendi eadem decem danti, ideo potuit esse vera donatio et solutio, ut notavit ibi glossa verb. *quod*, dicens ibi fuisse veram donationem ex parte creditoris quoties reddebat Caio 10. « Nec enim, inquit, creditor se obligavit ad reddendum : et sic non obstat lex *qui sic*, supra eodem, nam ibi ex pacto se astrinxerat ad reddendum, quod hic non fecit. » Vides, cessante pacto, non obstare animum reddendi, quo minus transferatur plene dominium pecuniæ traditæ. Ratio autem est clara, quia in casu nostro bulla S. Pii V. solum vult, quod census non constituatur, nisi emptor solvat pretium pecunia numerata præsenti. Hoc autem totum fecit Sempronius, qui jam pro prædio acceperat mille aureos, quorum jam erat plene dominus, cum eos acceperit absque ullo pacto et obligatione emendi censum, atque adeo poterat illos sibi retinere, et censum non emere, ut supponimus. Dum ergo eadem pecunia emit statim censum a Titio, vere emit cum pecunia numerata præsenti, et sua, atque adeo observat totum quod requiritur in prædicta bulla.

Contra hanc ultimam responsionis 6
partem videtur sentire Leonardus Duarenus *de censibus*, part. I. §. II. qu. 1. num. 28. ubi tangit hunc casum, et dicit præsumi invalidum, addit tamen, *quando contrahentes soliti erant usuras palliatas facere*. In quo etiam sensu procedere videtur rota Romana in decisione sub Penna, quæ est decisio 122. inter illas, quas idem Duarenus congerit II. tomo in fine illius operis, ubi Patres ponderarunt, quod contrahentes soliti erant palliare usuras. Et quidquid de hoc sit, longe diversa est quæstio, an præsumendus sit in foro externo contractus illicitus, de quo nos non agimus, sed an sit illicitus et invalidus, quando constat contractus illos seorsim factos esse sine

dependentia unius ab alio ; omnis enim præsumptio cessat, quando de veritate constat. Posset ergo judex in casu nostro ex simultate temporis, et aliis circumstantiis præsumere, Titium non solvisse pretium prædii, nisi obligando Sempronium, ut eodem pretio emeret statim censum ab ipso. Theologus tamen, quem Titius in foro conscientiæ consulit, et profitetur se nullo modo Sempronium obligasse ad hoc, sed liberum, eum reliquisse, ut pretium prædii sibi retineret, non debet respondere Titio juxta præsumptionem contrariam fori externi, cum Titius id non possit præsumere, qui contrarium verum esse scit, sed debet ei respondere pro ejus conscientia juxta ejus narrationem et confessionem. Nam revera valor illius census, et ejus justificatio pendet omnino ex eo, quod duo illi contractus facti fuerint sine dependentia unius ab altero, et sine obligatione Sempronio imposita emendi a Titio censum, quidquid sit, an de hoc ipso cogitaverint et tractaverint, dummodo obligatio nulla intervenerit.

## DUBIUM XVI.

*A quo sit resarciendum damnum illatum dominis prædiorum pro extruenda arce tempore belli ?*

Visum fuit, urgento bello oportere, ut ad tutelam construeretur, et muniretur arx nova in quodam loco : cumque periculum esset in mora, dux exercitus executioni mandavit cum magno dispendio eorum, qui prædia ibi possidebant, quorum pars fuit occupata ad fabricam, pars effossa ad eruendos lapides, et cæmenta : arbores etiam excissæ, ut ligna et trahes haberentur. Recurrunt prædiorum domini ad principem, dolentes suam jacturam : dubitavit Princeps, an juste exigerent id quod propter commune bonum in communi necessitate passi fuerant ?

Respondi, per se loquendo, obligationem esse resarciendi damnum dominis prædiorum, vel lignorum, et arborum juxta rationabilem taxationem : quæ compensatio fieri posset, vel solvendo illis pretium, vel eximendo eos ad tempus ab aliquibus tributis et oneribus, vel concesso eis aliquo privilegio æquivalenti, vel denique cogendo totum territorium, in cujus utilitatem ars extructa est, ad concedendas eis aliquas exemptiones, vel contribuendum ad valorem. Ratio autem est, quia licet bona singulorum civium deservire debeant in necessitate ad bonum publicum, et ad hoc potissimum deserviat dominium altum quod respublica habet super bonis singulorum : ad has tamen necessitates communes debent concurrere omnes illi, quos communis utilitas tangit. Non est enim æquum, ut pauci soli sentiant totum damnum, quando utilitas et interesse pertinet ad totam communitatem, sed lex justitiæ distributivæ exigit, ut onera distribuantur inter illos qui debent sentire commoda talium expensarum, ut notavi in simili, tom. *de Just.* disp. VI. sect. 6. n. 61. et significavit etiam P. Molina tom. I. *de Just.* disp. XLVII. circa medium. 2

Difficultas major erat, quia princeps excusabat se eo quod ministri, et duces belli excesserant mandatum expressum cædendo arbores, et alia damna inferendo contra principis voluntatem, et sine præcisa necessitate ; quare princeps non non videbatur teneri ad resarciendum damnum ab aliis contra ejus intentionem illatum, et quod ipse præcavere non poterat. Ad hoc respondi, ex duplici capite oriri posse obligationem restituendi juxta vulgarem regulam ; nempe ex injusta acceptione, et ex re accepta. Et quidem ex primo capite princeps, si omni caruit culpa, non potuit teneri ad resarcienda damna, cum ejusmodi obliga- 3

tio supponat peccatum, et quidem grave, si restitutio debet esse gravis. Imo et ipsi ministri ac duces exercitus, si bona fide et absque peccato, sive ex ignorantia invincibili, sive ex alio capite operati sunt, excusari possunt, saltem in foro conscientiæ ab onere restituendi propter eamdem rationem : ideo dixi supra, obligationem esse restituendi, per se loquendo, quia per accidens ratione ignorantiæ, vel ob aliam similem causam potest impediri hæc obligatio.

Si autem ministri illi non fuerunt immunes a culpa, tenebuntur ipsi hoc titulo injustæ acceptionis, seu læsionis ad resarcienda damna omnia, in quo non potest esse difficultas.

4 Ex altero autem capite, nempe ex re accepta, potest reperiri obligatio in principe, etiamsi absque ejus culpa damnum illatum sit. Certum enim est, etiam absque culpa præcedenti obligari ad restitutionem eum, apud quem res aliena in seipsa reperitur, vel in æquivalenti, quatenus scilicet ex illa factus est ditior. Si ergo in casu nostro extant partes agrorum alienorum occupatæ arce denuo extructa, partes illæ reddi debent, per se loquendo, sui dominis ; quia tamen id fieri non potest sine magno incommodo, et demoliendo arcem extructam, restitui debet pretium juxta rationabilem taxationem. Quod idem dicendum videtur de lignis, lapidibus, et cæmentis alienis ad ædificium acceptis ; hæc enim omnia extant, et obligant ad restitutionem ratione rei acceptæ. Imo, quamvis aliqua ex his jam non extarent, sed consumpta essent ad fabricam, vel ad alia commoda permanentia, obligatio esset restituendi, quatenus ex illis omnibus factus est hodie princeps, vel communitas locupletior, per quod illa omnia censentur æquivalenter permanere. Quare deveniendum tunc erit ad aliquem modum ex supra indicatis, ut compensetur dominis pro damno, quod singuli passi sunt. Neque enim patitur æquitas, ut cum damno paucorum princeps, vel communitas locupletior maneat ; sed debet damnum illud distribui etiam inter omnes, qui commodum ex illo damno sentiunt, ut dictum est.

## DUBIUM XVII.

*An pauper possit petere eleemosynam supra id, quo actu indiget ?*

Suppono, illum, qui ficta paupertate 1
eleemosynas congregat, peccare, quatenus per dolum et deceptionem extorquet pecuniam ab iis, qui seclusa deceptione, nullo modo darent ei ejusmodi eleemosynas. Sunt enim variæ doctorum sententiæ, an vere transferatur dominium in accipientem : quibusdam id affirmantibus ; quia error non est circa substantiam, sed circa qualitatem, quæ non reddit donationem irritam : et quia finis dantis est charitas Dei, qui finis semper obtinetur : aliis vero negantibus, quia objectum substantiale dantis eleemosynam est sublevatio miseriæ pauperis petentis, qui finis tunc deficit, atque adeo error est circa substantiam : quare dicunt obligari pauperem fictum ad restituendum totum, quod accepit, vel iis qui dederunt, vel si singuli modica dederunt, ad distribuendum id totum aliis veris pauperibus, quæ videtur esse voluntas præsumpta eorum, qui dederunt, circa quod etiam variæ sunt doctorum sententiæ, de quibus videri possunt P. Molina tom. I. *de Justitia*, tract. II. disp. 210. P. Vasquez in opusculo *de Eleemosyna*, c. III. dub. ult. Thomas Sanchez l. VII. *de matrim.* disp. XVIII. n. 24. et alii multi, quos congerit Dian. p. V. tract. VIII. resolut. 21. et 22. et p. VIII. tract. VI. resol. 109. Videnda etiam erit doctrina, quam ego tradidi tom. II. *de Justitia*, disp. XXII. sect. VII. n. 69 et 89. ubi probavi, donationes gratuitas in hoc differre a contractibus

onerosis, quod in donatione, vel promissione gratuita dolus, etiamsi non versetur circa substantiam, sed solum circa motivum donandi, vitiat donationem, vel promissionem. Unde non mirum, si paupertatis fictio impediat dominii translationem, cum motivum dandi eleemosynam huic pauperi, sit ejus paupertas, quam ille nequiter dolose fingit ad extorquendam eleemosynam.

2 Contra hanc communem doctrinam objici posset, quia ignorantia consequens in hoc differt ab ignorantia antecedenti, quod ignorantia antecedens causat involuntarium simpliciter, consequens vero causat voluntarium simpliciter, et involuntarium solum secundum quid, ut cum S. Thoma I. 2. q. VI. art. 8. docent communiter ibi theologi ; ideo enim omissio missæ est voluntaria illi, qui ignoravit esse diem festivum, quando potuit id scire et noluit, quia hæc ignorantia non est antecedens, sed consequens et volita, quamvis, si revera sciret præceptum audiret missam. Talis autem videtur esse ignorantia dantis eleemosynam pauperi ficto, non daturi, si sciret fictionem ; potuit enim examinare veritatem, vel fictionem paupertatis et noluit : fuit ergo ignorantia consequens, ac per consequens non reddit involuntarium simpliciter ad largitionem eleemosynæ, sed ad summum involuntarium secundum quid, quod non impedit valorem actus, et dominii translationem.

3 Responderi tamen potest, eo modo quo ibi datur ignorantia consequens, dari etiam voluntarium simpliciter, oporter enim distinguere in dante eleemosynam duas voluntates : alteram exercendi illam actionem externam, alteram transferendi dominium per illam actionem. Prima quidem est voluntas absoluta, et ideo illa actio exterior est voluntaria simpliciter, non obstante ignorantia, quia ipsa ignorantia est consequens et volita. Secunda vero voluntas potest esse conditionata transferendi dominium, si petens sit vere pauper ; quare deficiente conditione non transfertur : non quidem ex defectu scientiæ, sed ex defectu conditionis quam operans apposuit. Si autem voluntas transferendi dominium fuit etiam absoluta, transferretur etiamsi donans esset in ea dispositione, ut si sciret non esse pauperem, non daret, nisi vel lex impediat translationem dominii propter dolum, vel nisi dicamus deficere objectum illius voluntatis, quod est sublevatio pauperis : in quibus doctores non conveniunt, neque ad dubium præsens multum refert, sufficit enim hæc breviter indicasse.

Hoc ergo supposito, quærebatur primo, 4
an pauper, qui vere pauper est, possit petere supra id quo præcise indiget, an præcise id quo indiget ? Certum est autem apud omnes, divitem non posse sibi eleemosynas petere quibus non indiget, quia hoc esset et contra voluntatem dantis, et contra veros pauperes, quibus illæ eleemosynæ subtrahuntur, ut docent communiter Doctores, quos affert et sequitur Thomas Sanchez lib. VII. *in Decal.* cap. XXIV. n. 13. et seqq. Deinde puto, etiamsi nunc actu non indigeat ad suum victum, si tamen imminet necessitas proxima, ratione cujus indigebit necessariis, posse nunc petere ad sublevandam illam necessitatem : nam id, quod in proximo timetur, jam reputatur præsens, et exigit providentiam hodiernam ; ideo enim piger a Spiritu sancto ire jubetur ad formicam, quæ quidem quando victum præsentem habet, providet sibi ad instantem jam hyemem, quando victu indigebit, ne hyems eam inveniat imparatam. Si ergo pauper, quando opportunitas datur comparandi eleemosynas, potest ex iis sibi ad inopiam imminentem providere.

Unde poterit etiam eleemosynas petere, qui filias habet nubiles, quas commode dotare non potest, etiamsi non desint necessaria ad vitam suam, et filiarum utcumque sustentandam, ut ex Baldo quem affert, observat Diana p. II. tr. I. *miscell.* resol. 8. qui etiam ibi-

dem hoc ipsum docet de illo, cui incumbit onus matrem pauperem sustentandi. Sicut enim indiget pater, qui filios debet alere ; sic etiam dicitur egere filius, qui debet alere suos parentes.

5 Magis dubitari posset, an posset eleemosynas petere, qui sibi non indiget, habet tamen fratres vel sorores indigentes? Ego quidem id non damnarem, quia, quamvis Thomas Sanchez lib. IV. *in Decal.* c. xx. n. 30. et 32. dicat non obligari aliquem ad manendum in sæculo ob necessitatem sororum, imo debere ingredi religionem, quando ad ingrediendum voto se adstrinxit præfigendo tempus, nisi forte sorores ob paupertatem essent in periculo impudicitiæ, quo casu posset ad tempus ingressum differre, non tamen ob necessitatem fratrum : ipse tamen Sanchez lib. I. *in Decal.* c. xiv. n. 6. agnoscit in fratre divite obligationem legalem subveniendi fratribus pauperibus : incumbit ergo ei aliquo modo cura fratrum et sororum pauperum, et in universum cessare potest omnis scrupulus in casu nostro ex doctrina generali, quam cum Cajetano et Valentia tradit idem Sanchez lib. VII. *in Decal.* c. xxiv. n. 14. dicens, divites posse petere eleemosynas, quando eleemosynas illas, aut tantumdem de suis bonis erogant pauperibus. Si ergo dives potest petere eleemosynas ut illas det pauperi extraneo, quanto magis poterit ut subveniat fratri vel sorori indigenti? Hoc tamen limitarem primo, si ipse dives sit, et possit ex suis bonis fratri vel sorori subvenire. Cum enim at id teneatur debito legali, ad quod potest a judice compelli, ut dicebat Sanchez d. c. XIV. num. 6. non censetur frater esse pauper ; non est enim pauper qui jus petendi alimenta habet, ut cum Surdo *de alimentis* tit. VII. q. xxxvii. an 1. usque ad 11. docet idem Sanch. ibid. non ergo habet jus petendi eleemosynam pro fratre, qui eo casu pauper non est.

6 Secunda limitatio prædictæ doctrinæ esse potest, quando is, sibi non indiget et petit eleemosynam ut subveniat pauperi extraneo, illam accipit a dantibus ex motivo speciali necessitatis personalis ipsius personæ petentis, cui ob peculiarem amicitiam, consanguinitatem, vel connexionem particularem specialiter afficiuntur et compatiuntur, ac dolent quod talis persona indigeat, tunc enim adesse videtur dolus dans causam donationi ; quando vero talis sit animus dantis eleemosynam ex circumstantiis personarum et eleemosynæ quæ datur, arbitrio prudentis judicandum erit.

7 Quærebatur ulterius, an qui curam habet alicujus eremitorii, et petit pro ipso eleemosynas, possit vivere ex ipsis, et dare etiam suis consanguineis, vel aliis pauperibus extraneis ? Respondi dupliciter posse illum eremitam accipere curam illius loci. Primo, si ab iis ad quos pertinet ille locus, sive sit capitulum alicujus ecclesiæ, sive aliqua confraternitas, sive aliqui alii, constituatur ibi ut ex eleemosynis gubernet locum illum, et decenter teneat. Secundo, si ipse ex devotione peculiari locum illum construxerit, vel sibi elegerit ut ibi Deo inserviat. In primo casu videtur quasi locasse operas suas in servitium illius loci, et ad hoc contentum fuisse eleemosynis a se colligendis. Tunc autem servandæ erunt regulæ, quas latius examinavi t. II. *de Justitia*, disp. xxix. sect. 1. num. 3. et seqq. circa eos, qui conducunt licentiam petendi eleemosynas pro alia persona, quando, et quousque possint aliquid sibi lucrari. In utroque autem casu videtur posse sibi accipere, quod juxta suam conditionem et statum necesse est ad ejus alimenta, quia inter ea quæ necessaria sunt illi loco, unum est victus illius qui loco assistat, et curam ejus habeat. Reliqua expendenda sunt in servitium et bonum illius loci, ad quem finem petuntur et dantur. Si vero aliqua supersunt, non video cur non possint dari aliis pauperibus, sive cognatis sive extraneis. Nam, sicut illum qui non indigens petit, aliis pauperibus ea erogare

posse dicunt doctores, ut supra vidimus, imo et ad eum finem petere : cur non poterit eremita nomine loci pii petere ad eum finem, ut aliis pauperibus provideat de iis, quibus eremitorium non indiget ? Imo et religiosi ipsi, qui magis strictam mendicitatem profitentur, non ita sibi solis petunt, ut non habeant ex ipsis eleemosynis unde possint alios mendicos quotidie sublevare. Quod tamen intelligi debet cum ea limitatione quam doctores communiter adhibent, dicentes, id non intelligi, quando aliquis fingens propriam indigentiam, eleemosynam notabilem in magna supra solitum summa obtinuit, sed intelligi de eleemosynis minutis : alioquin ille qui dedit, censetur respexisse peculiariter ad sublevationem personalem petentis, et ad motivum illud quod proponebatur illius specialis necessitatis, vel devotionis erga talem personam, vel locum de quo videri possunt auctores supra citati.

## DUBIUM XVIII.

*De cessione debiti acerbi, an censeatur facta pro tota summa, an pro minori ?*

1 Conventus quidam regularium debebat fisco, seu cameræ regiæ 700. aureos, cum autem non haberet in promptu ad solvendum, et timeret vexationem a regiis ministris, cogitarunt de facienda compensatione, ostendendo se creditores regiæ cameræ æqualis summæ ex alio titulo. Ad hoc autem petierunt a religiosis alterius conventus ejusdem ordinis, qui creditores erant cameræ regiæ in ea summa, ut hoc creditum ipsis cederent, nam sperabant se obtenturos compensationem debitorum, quod quidem illi alii religiosi libenter fecerunt, atque eo libentius, quo sæpius tentata recuperatio sui crediti nunquam obtineri potuerat. Facta ergo cessio fuit hac conditione addita, ut si camera regia non acceptaret compensationem, seu contrapositionem debitorum, fieret retrocessio, seu dissolveretur prima cessio. Illis tamen, quibus cessio facta fuerat, procurantibus, camera regia acceptavit compensationem, et per contrapositionem debitorum liberati sunt a debito, quo cameræ tenebantur. Post aliquod tempus secundus conventus qui creditum cesserat, exigit a primo conventu solutionem sui debiti, cui secundus conventus opponit, se non debere totam summam integram 700. aureorum, sed dimidium, quia debitum illud acerbum difficilis omnino exactionis non pluris, sed nec tanti æstimaretur, si in foro venali propositum fuisset. Ad suam autem industriam, et gratiam apud cameræ ministros quam habebant, spectare si pro alio debito integre acceptatum fuit : quare non potuit habere animum acceptandi cessionem pro tota summa quam sonabat, cum ejusmodi credita nonnisi juxta dimidium soleant æstimari, ut fatetur Less. cap. xxi. dub. 9. et notavimus tom. II. *de Justitia*, disp. xxvi, sect. 7. §. 1. nu. 93.

Dixi tamen, dum non constat conventum fuisse de minori pretio, censendum esse pro tota summa cessionem factam fuisse : congruum tamen fore, si Generalis ordinis ad quem utraque pars recurrerat, et penes quem suprema bonorum administratio erat, remittat primo conventui partem aliquam, v. g. 100. aureos gratitudinis causa ob industriam positam ad recuperationem illius debiti, quod aliter difficillime potuisset a regia camera extorqueri. 2

Movebar primo ad hoc asserendum, quia, quamvis ejusmodi debita acerba minoris esse soleant pretii, et pro parte sui valoris vendantur ; adhuc qui venderet illa pro valore totius summæ, non excederet pretium illorum justum, ut supponit P. Molina to. II. *de Just.* disp. 310. n. 5. ubi fatetur, « non committi 3

usuram nec injustitiam, si tibi petenti a me mutuum, ego partem tibi dem in pecunia, partem in debito difficilis exactionis, obligando te ad reddendum postea totum in pecunia numerata, dum tamen tu non involuntarie suscipias partem mutui in ejusmodi debito, sed tua sponte, vel quia ipse modum habes illud debitum facile recuperandi, vel quia ex liberalitate, et gratitudine vis onus illud suscipere ob mutui beneficium: et hoc, quamvis ego offeram illud mutuum, et cedat in meum commodum. » Hæc Molina ibi, quæ vera non essent, si valor justus illius debiti non posset esse tota summa, jam enim mutuans non posset excusari ab injustitia, et usura, obligans mutuatarium ad reddendum supra valorem dati in mutuo. Fatendum ergo est, posse, si cessionarius velit, creditum illud dari pro valore totius summæ.

4 Unde fieri potest secundum argumentum, quia, quando creditum acerbum ceditur, aut venditur pro minori summa, debet explicari pretium, ut cedenti aut vendenti constet diminutio, et videat an ei expediat cum tanta diminutione vendere jus illud quod habet. Quando ergo emptor, aut cessionarius nihil dicit, præsumitur accipere pro tota summa, quia sperat se illud creditum recuperaturum, et in his circumstantiis utilis ei est talis emptio, prout revera in casu posito utilis erat cessionario, ut se a præsenti periculo liberaret, et angustiis in quas conjiciebatur, ut cameræ regiæ solveret.

5 Confirmatur primo, quia si habens illud creditum, dedisset illud suo creditori in solutionem alicujus debiti, et creditor illud acceptaret, nihil explicans de diminutione valoris, censeretur illud acceptasse pro valore integro totius summæ, sicut acceptantur librantiæ supra aliquos mercatores, quæ semper in solutionem acceptantur pro tota summa quam continent. Similiter ergo, dum cessionarius nihil expressit de diminutione pretii solvendi, intelligitur facta pro tota summa, quam creditum continebat.

Confirmatur secundo, quia venditio facta pro pretio incerto et indeterminato, non valet nisi forte convenerit de pretio taxando arbitrio tertii: nam, sicut non potest venditio fieri rei indeterminatæ, ita nec pro pretio non determinato, cum in neutro casu possit resultare obligatio nec actio, quæ debet esse ad petendum aliquid determinatum, saltem sub disjunctione. In nostro ergo casu, in quo contrahentes nihil dixerunt de pretii diminutione, consequens est ut vel non valide contraxerint, vel cessio intelligatur facta pro pretio determinato, nempe pro valore integro summæ contentæ in debito quod cedebatur. 6

Tertio, et efficacius probari potest eadem sententia tollendo dubium omne, quod remanere posset, quia nimirum ideo debita acerba, et difficilis exactionis emi possunt licite pretio minori, quia emptor imponit sibi periculum non recuperandi debitum, cui periculo se exponit, et ideo potest compensare sibi diminutione pretii. In casu autem nostro cessionarius nullum ejusmodi periculum subire voluit, acceptavit enim cessionem cum pacto retrocessionis, si regia camera nollet acceptare contrapositionem debitorum, quo casu adveniente, noluit obligari ad solvendum postea aliquid cedenti, sed voluit tunc satisfacere cedendo iterum idem creditum in favorem primi cedentis. Nullus ergo manebat titulus ad justificandam emptionem crediti minori pretio, fuisset enim contractus hoc modo factus: *Emo creditum* 700. *aureorum, quos si integre exegero a debitore, dabo tibi* 350. *si non exegero, restituam tibi tuum creditum*, quo nihil iniquius cogitari poterat: quare fatendum est, mentem contrahentium fuisse ut si camera regia acceptaret contrapositionem debitorum, cessionarius teneretur postea ad solvendum valorem integrum totius debiti, qui contractus adhuc erat utilissimus cessionario, qui eo modo evadebat angustias præsentes quibus a camera urgebatur, et habebat alium creditorem 7

magis benevolum, a quo dilationem solutionis per aliquot annos poterat sperare.

8 Unde fieri potest quartum argumentum : quia, licet ejusmodi debita propter difficilem exactionem minori pretio tunc vendi solerent ; id tamen erat : quando pro pecunia præsenti vendebantur, qui enim pecunia præsenti indigebat, ut præsenti necessitati consuleret, vendebat libenter debitum camerale 600. aureorum pro 400. vel etiam 300. præsentibus ; in nostro autem casu cedens non vendidit pro pecunia præsenti, sed credito : quare ex hoc capite non reddebat meliorem suam conditionem, imo eventus probavit, non minus difficilem fuisse illi exactionem debiti a cessionario, quam fuisset ab ipsa camera. Non potest ergo præsumi, quod in talibus circumstantiis vellet pretium etiam diminuere, præsertim cum camera non solvente, nec acceptante compensationem debitorum, redire deberet ut dicebamus, ad idem periculum, et resumere sibi idem creditum camerale.

9 Denique, cum constet de cessione et de ejus acceptatione, diminutio autem pretii sit aliquid facti, hæc deberet probari ab eo qui affirmat : nam quæ pertinent ad factum, non præsumuntur nisi probentur : itaque in rigore juris dixi totam summam 700. aureor. esse solvendam : ex congruentia tamen, et gratitudine decere, quod remitterentur centum ob industriam adhibitam, et occasionem datam recuperandi debitum, quod alioquin difficilis valde exactionis esse constabat.

## DUBIUM XIX.

*De deflorante consanguineam per vim, et cum spe conjugii.*

Titius nobilis adolescens Seiam virginem, non quidem æque nobilem, sed tamen nobilem, ad copulam sollicitavit, et insinuavit esse animum matrimonii futuri. Denique renitentem vi oppressam defloravit, non quidem multum resistentem, nec vociferantem, vocantem tamen servam, ut sibi auxilium præstaret. Ex hoc congressu Seia manet gravida, erat autem conjuncta Titio intra quartum gradum consanguinitatis. Titius commisso hoc scelere fugit, et petit ad quid in foro conscientiæ teneatur, cum et ejus cognati ægre ferant matrimonium cum Seia, et ipse, qui primogenitus non est, difficile possit eam in conjugio alere, aliunde vero non habet ad eam dotandam, nec aliter potest damnum illatum resarcire. 1

Videbatur Titius excusandus ab obligatione ducendi Seiam. Primo, quia, si promissio matrimonii præcessit (qualis tamen non colligitur ex facti narratione, sed solum insinuatio animi eam ducendi) sed esto fuerit vera promissio, ea non videtur fuisse a Seia acceptata, imo videtur refutata, cum semper restiterit sollicitationi Titii ; quare non videtur Titius ex promissione teneri, cum Seia non spe matrimonii, sed per vim deflorata fuerit. 2

Secundo, quia est sententia plurium doctorum, promissionem matrimonii factam consanguineæ non habere ullum valorem, nec vim aliquam obligandi promittentem ad petendam et procurandam dispensationem, quam opinionem tenent plures ex theologis et juristis, quos late congerit Th. Sanch. lib. V. *de matrim.* disp. v. num. 3. ubi eam probabilem esse fatetur, et nu. 7. addit, id 3

procedere, etiamsi spe matrimonii et ratione promissionis virgo defiorata fuerit, quia damnum illud alia via reparari potest.

4 Nec obstat textus in cap. 1. *de adulteriis*, ubi defiorans præcipitur defioratam ducere : nam textus ille non loquitur de casu, quo datur impedimentum matrimonii propter consanguinitatem, ut notat idem Sanch. lib. VIII. *de matrim.* disp. XXXVI, num. 12.

5 Tertio probari potest, quia seclusa obligatione promissionis, et attenta solum obligatione resultante ex injuria illata, non videtur posse Titius obligari ad ineundum matrimonium. Nam ille qui per vim vel dolum avertit aliquem a religione, vel extrahit ab illa, non obligatur ad se tradendum religioni loco illius, et in eo ordine profitendum, ut docet communis doctorum sententia, quos retuli et secutus tom. 1. *de Justit.* disp. IX. sect. 3. num. 30. ergo nec defiorator injustus tenebitur ad ducendam defioratam seclusa promissione. Neque enim minor libertas videtur requiri ad contrahendum matrimonium, præsertim cum uxore non divite, quam ad profitendam religionem.

6 Quarto potest ad hoc ipsum induci exemplum illius, qui occidit maritum, non tamen obligatur ad matrimonium contrahendum cum ejus uxore vidua, quamvis non possit aliter resarcire damnum quod ei intulit : ergo nec defiorator injustus, quamvis aliter non possit resarcire damnum feminæ defioratæ illatum, tenebitur illam in uxorem ducere ; eadem enim videtur esse in utroque casu ratio.

7 Quinto, qui per vim vel fraudem violat viduam honestæ conditionis, non obligatur ad matrimonium cum ea contrahendum, seclusa promissione, ut videntur sentire aliqui quos attuli tom. 1. *de Just.* disp. XII. sect. 2. nu. 33. ergo loquendo de jure naturæ, idem dicendum erit in casu nostro. Quod enim gravior injuria inferatur virgini quam viduæ, videtur esse differentia solum secundum magis et minus ; quare potest ex qualitate personæ et aliis capitibus crescere injuria, et damnum quod infertur alicui viduæ, ita ut superet injuriam, et damnum quod infertur alicui viduæ, ita ut superet injuriam, et damnum illatum alicui virgini ; quare de jure naturæ vel utramque, vel neutram ducere tenebitur.

Sexto, qui post votum castitatis pro- 8
misit virgini matrimonium, et sub ea spe eam defioravit, non tenetur illam ducere in uxorem, saltem si ipsa sciebat votum castitatis emissum, ut dicunt Lessius et Thom. Sanchez quos attuli dicta disp. XII. sect. 3. num. 50. Non minus autem, sed magis impedit matrimonium consanguinitas quam votum simplex ; ergo, cum femina in nostro casu sciret impedimentum consanguinitatis, non resultat obligatio in Titio ad eam ducendam in uxorem.

Iis tamen non obstantibus, dixi, Ti- 9
tium ex mea sententia obligationem habere ad ducendam Seiam, nisi conditionis disparitas tanta sit, ut cum tanto dispendio subeundo excusari possit a restitutione pro damno illato.

Doctrina hujus responsionis continetur 10
in principiis quæ latius tradidi et probavi to. 1. *de Just.* disp. XII. sect. 1. et 4. et imprimis, quod si excessus sit nimius, prudentis arbitrio, non sit obligandus, dixi ibi num. 18. quia regula generalis est, ut debitor etiam ex delicto non teneatur solvere, quando longe plus expendendum est ad restituendum debitum, quam sit valor illius : neque enim cogendus est ad solvendum cum tanto suo onere, sed potest differre donec sine tanto dispendio possit : vel, si non est spes quod possit, poterit quod justum est, expendere pro anima creditoris, ut cum aliis tradit Molina tom. III. *de Just.* tr. II. disp. 752. in fine, et tom. IV. disp. 102.

Quod vero, non interveniente illo ni- 11
mio excessu, et non potens alia via damnum illatum resarcire, debeat Titius

Seiam ducere in uxorem, dixi ibid. num. 11. et loquendo de defforante consanguineam, dixi sect. 4. per totam. Ratio vero efficax est, quia totum damnum quod Seiæ provenit ex defloratione, provenit ex injuria Titii ei violenter illata. Regula autem generalis est, ut injustus damnificator debeat resarcire totum damnum ei qui ab ipso injuste læsus fuit, hoc enim justitia maxime postulat, ut res ad æqualitatem reducantur, et singuli habeant totum id quod ante læsionem habebant. Si ergo propter impotentiam Titii non est alia via resarciendi Seiæ damnum quod passa est, nisi per nuptias cum defloratore : alioquin innupta manere cogetur, vel contra suam dignitatem indigne nubet ; non apparet cur Titius excusandus sit ab eo matrimonio, quod est medium unicum et necessarium ad reparandam injuriam gravissimam Seiæ illatam, quod magis constabit respondendo ad singula argumenta in contrarium adducta.

12 Ad primum ergo, et secundum dico, quidquid sit de veritate aut probabilitate illarum opinionum, nos non fundare obligationem Titii in promissione matrimonii, sed in injuria Seiæ illata, quæ secum affert de jure naturæ obligationem resarciendi, vel ducendo eam in uxorem, vel certe augendo taliter ejus dotem, ut possit non minus honeste nubere, quam si injuria non præcessisset. Quamvis ergo, seclusa promissione, non teneatur defloratior ad nuptias determinate, sed possit alterutrum eligere : quando tamen alterum extremum non est possibile, remanebit eadem obligatio ad illud quod possibile est, quod in casu nostro est solum matrimonium.

13 Quod autem matrimonium fieri non possit propter impedimentum consanguinitatis, non excusat Titium ab obligatione petendi et procurandi dispensationem, si sit spes eam obtinendi, ut dixi dicta sect. 4. nu. 54. quia qui tenetur ad damni reparationem, tenetur consequenter ad media necessaria adhibenda, ut cum Thom. Sanch. lib. VIII. *de matr.* disp. XXXVI. num. 12. ibid. probavi, et adduxi exemplum illius qui debet restituere famam a se injuste læsam. Si enim reparatio famæ multum referat, nec possit aliter fieri nisi mittendo ad hunc finem nuntium et litteras propriis expensis ; plane ad id totum tenetur qui injuste damnum intulit. Non ergo mirum, si obligemus Titium ad petendam dispensationem, quæ omnino necessaria est ad reparandum damnum gravissimum a se injuste et violenter illatum.

Ad tertium respondeo, esse diversam 14
rationem exempli in argumento adducti, quam reddidi d. disp. XII. num. 56. nam qui aliquem a religione avertit, si deberet seipsum pro ea tradere religioni, longe gravius onus subire cogeretur quam sit damnum religioni illatum, quam quidem privavit uno religioso, non tamen libertate, prout ipse se privare deberet perpetuo ad omnes actiones ; quare cum tanto excessu non tenetur in alio rerum genere satisfacere. In casu autem nostro stupprator injustus privavit feminam libertate nubendi alteri : non ergo mirum est, quando aliter resarcire non potest, si seipsum ei in virum tradat, quam ita ardenter amavit, et privet se libertate alteram ducendi, quod non est plus quam sit feminam illam ejus causa manere semper innuptam et sine honore.

Ad quartum similiter respondetur ne- 15
gando paritatem, propter eamdem rationem, quam ibid. num. 57. explicui. Vidua enim non privatur honore, cum eumdem possit in viduitate retinere, maxime si habeat filios ex viro occiso susceptos. Nec etiam privatur libertate nubendi cui voluerit : qua libertate privaretur occisor, si ad eam solam ducendam cogeretur, quod esset ei gravissimum onus, quod tamen stupratori violento non immerito imponitur, quando aliter resarcire non potest, cum non excedat damnum virgini defloratæ per violentiam et injuriam illatum.

Ad quintum responderi potest, eam- 16

dem cum debita proportione debere esse rationem de vidua. Si enim aliquis vim turpem intulisset viduæ honestæ, quæ grave ea de causa detrimentum pateretur in honore, et libertate nubendi, nec aliter resarciri posset, deberet utique qui vim intulit, eam ducere uxorem, nisi ex hoc longe majus onus ipse subiret, prout dictum est, quod cum aliis quos retuli, de vidua in casu simili dixi dicta disp. XII. num. 34. et 48.

17 Ad sextum denique in mea sententia facile respondetur : nam dicta disputat. XII. sect. 3. num. 41. et 50. dixi, sive femina notitiam habuisset voti, sive non habuisset, defloratorem obligari ad petendam voti dispensationem, quæ quidem eo casu facile obtineri potest. Si qui autem negaverint eam obligationem, respondebunt id esse quia prior promissio voti prævalet, et antiquior creditor præferri debet secundo creditori, qui in præjudicium primi non potuit jus ullum acquirere. Sed, ut verum fatear, illi doctores solum dicunt, non posse ob stuprum consequens ducere uxorem sine dispensatione voti ; non tamen dicunt, non teneri ad petendam dispensationem ratione injuriæ in stupro violento illatæ : quam obligationem nos asserimus in stupratore violento consanguineæ, quando aliter resarcire non potest, quia tenetur ad ponenda media necessaria ad reparandum damnum illatum, quorum mediorum unum est petitio dispensationis, quando hæc in iis casibus concedi consuevit.

## DUBIUM XX.

*Quomodo senatus, vel capitulum generale obligetur propriis legibus v. g. quando præcipit, ne congregetur, nisi in tali loco, vel ne agatur ibi de tali materia !*

Sermo est de senatu, vel congrega- 1
tione habente supremam potestatem ad condendas leges. Si enim habeant supra se alium superiorem, cujus nomine leges illæ fiant et promulgentur ; non est dubium quod non possint ab eodem senatu, vel congregatione postea revocari ; sed eisdem legibus obligabitur etiam quoad vim coactivam ipsemet senatus, vel congregatio, non solum divisim et singuli, sed collective, quia etiam collective subest potestati superiori, a qua leges illæ suam vim habent et vigorem. Loquimur ergo de senatu habente potestatem legislativam, in quem a populo translata est tota potestas, sicut transferri solet in regem, vel principem supremum. Unde sicut princeps supremus non obligatur suis legibus saltem quoad vim coactivam, sed solum quoad directivam, et potest illas suspendere vel etiam abrogare : idem videtur dicendum de senatu habente supremam potestatem ; quod licet singuli seorsim legibus subjiciantur quoad vim coactivam, totus tamen senatus collective sumptus non obligetur iis legibus, nisi quoad vim directivam. Atque idem cum proportione dicendum videtur de capitulo generali alicujus ordinis religiosi, in quo resideat suprema potestas regendi ordinem : atque ideo potest condere leges quæ obligent omnes et singulos, atque ipsum etiam prælatum generalem : Capitulum tamen collective sumptum non obligatur iis legibus, nisi quoad vim directivam, quippe quod potest leges illas revocare, suspendere et

abrogare, cum nemo in seipsum, vel in suum parem (quale erit aliud capitulum generale sequens) habere possit jurisdictionem, qua cogi possit et obligari.

In contrarium tamen esse videtur, quod solent ejusmodi senatus, vel congregationes, aut capitula edere interdum leges, quæ non ordinantur ad singulos, sed ad ipsum senatum, vel capitulum : possunt ergo iis legibus obligare, alioquin essent omnino inutiles, imo non essent leges, quarum proprius effectus est obligatio. Antecedens vero constat experientia, quia interdum decernunt, ne senatus, vel capitulum convocari possit, nisi in tali loco vel in tali tempore, vel in talibus circumstantiis : item ne ibi tractari possit de tali, vel tali materia, ne suffragia sint publica, vel etiam ne sint secreta, et alia ejusmodi quorum observantia spectat ad ipsum senatum, vel capitulum collective sumptum ; ergo collective etiam possunt suis legibus obligari. Quærebatur itaque a me, quid in hoc puncto sentirem ?

Dixi, imprimis certum videri, senatum habentem supremam potestatem legislativam, non magis nec aliter obligari suis legibus, quam obligentur suis alii principes supremi, ut pro certo supponit Suarez lib. III. *de legibus* c. 35. n. 1. Quod idem cum proportione dicendum est de capitulo generali, penes quod sit suprema potestas ordinis religiosi, ut cum aliis fatetur novissime Pelliz. to. II. *de Regul.* tr. IX. c. 8. n. 7. et ratio est clara, quia in his senatibus et capitulis procedit eadem ratio, quæ in aliis principibus supremis, quod nemo possit habere jurisdictionem et vim coactivam supra seipsum : quare solum obligari possunt ad eas leges servandas per vim directivam, sicut alii principes supremi ad suas leges servandas obligantur.

Unde rursus infertur, eumdem senatum, vel idem capitulum generale legitime congregatum posse leges a seipso, vel a senatu, aut capitulo præcedente factas suspendere, vel cassare, quia omnis res per quascumque causas nascitur per easdem dissolvi potest. Nec potuit habere majorem auctoritatem senatus, vel capitulum præcedens ad condendam legem, quam habeat senatus, vel capitulum subsequens ad eam dissolvendam. Hoc tamen intelligi debet, nisi ea lex per aliquam auctoritatem superiorem confirmata sit. In quo tamen advertendum est, capitulum generale regulare non posse revocare legem factam ab alio capitulo generali, quæ sit confirmata a Papa *ex certa scientia*, ut dicit cum aliis Pellizzar. ubi supr. d. t. IX. c. 8. num. 7. vel cum clausula, ut *quidquid in contrarium factum fuerit, irritum sit*, ut loquitur Suarez libr. VI. *de legibus* cap. 26. num. 24. secus vero dicendum de statutis confirmatis solum in forma communi ad majorem auctoritatem et approbationem, quia adhuc lex illa non fit Pontificia, nec extrahitur ex sua natura et conditione, ut cum Baldo, et Bartolo notat Suarez ibi num. 12. et Pellizzar. n. 71.

Dixi tamen, hanc potestatem habere quodlibet aliud capitulum generale subsequens *legitime congregatum* : si enim non sit legitime congregatum, id facere non poterit. Et in hoc sensu potest capitulum generale indirecte obligare sua lege capitulum subsequens, scilicet præscribendo formam, qua debeat legitime congregari, et qua non observata, non censeatur legitime congregatum ; non enim poterit capitulum subsequens dispensare pro illa vice, aut revocare illam legem, ita ut etiam sine illa forma possit tunc censeri legitimum. Ad hoc enim prærequitur, quod antea sit legitimum capitulum generale, alioquin nondum habet potestatem condendi, vel revocandi leges. Cum ergo non præsupponatur tale, illa forma non servata, non poterit dispensare, vel revocare legem pro illo casu. Poterit quidem, postquam est legitime congregatum, revocare illam legem ad casus futuros, quia jam supponitur habens parem potestatem cum capitulo

præcedenti : non potest tamen dispensare etiam pro illo casu, quia nondum est legitimum capitulum, et ideo non habet potestatem parem cum capitulo legitimo, a quo lex illa condita fuit. Quod cum proportione debita applicari etiam potest ad senatum sæcularem habentem supremam potestatem condendi, vel revocandi leges, cum eadem sit ratio. Denique hoc ipsum, si attente consideretur, reperitur in summo Pontifice, qui, cum habeat semper parem potestatem cum omnibus suis prædecessoribus, non potest eorum legibus obligari quoad vim coactivam ; imo potest eorum leges cassare et revocare. Adhuc tamen potest indirecte obligare successores eo modo, quo dicebamus, nempe præscribendo certam formam eorum electioni, qua non servata, electus non censeatur legitimus Pontifex, atque adeo non possit in eorum legibus dispensare. Sic præscripserunt formam, ut debeat eligi a duabus tertiis partibus Cardinalium præsentium, et novissime Gregor. XIV. præscripsit formam, ut regulariter fieri debeat electio per suffragia secreta, nisi in aliquibus casibus extraordinariis, quibus eligatur per compromissum, vel inspirationem et acclamationem communem omnium, nullo præcedente tractatu. In qua lege non possunt Cardinales, nec ipse electus dispensare pro illa vice, quia antequam servetur ea forma, nondum est Pontifex legitimus habens potestatem æqualem cum prædecessoribus. Idem ergo a fortiori dicendum erit de capitulo generali, quod possit hoc modo indirecte obligare suis legibus capitulum subsequens, impediendo ne sit capitulum legitimum, nisi servata tali forma ad congregandum capitulum præscripta. An vero ejusmodi leges fiant cum tanto rigore, impediendo legitimitatem et validitatem capituli sequentis, nisi forma servetur, pendet ex verbis quibus lex editur, quæ attente consideranda et ponderanda erunt.

6 Denique contingit, ut supra dicebatur, quod senatus, vel capitulum generale sua lege prohibeat, ne in senatu vel capitulo generali tractari possit de tali, vel tali materia. Sic Patres Societatis in congregatione generali sexta decreto XI. prohibuerunt, ne posset in congregationibus generalibus agi de mutandis in totum, vel in partem constitutionibus, nisi sub certis conditionibus, his verbis : « Ne liceat de iis, *scilicet constitutionibus immutandis*, in congregatione tractare, si quid unquam proponeretur, nisi ad plura medietate suffragia de eo tractanda statuatur. Ipsa vero deliberatio, et decretum non fiat nisi ad duas tertias partes. » Ejusmodi autem leges videndum est, quomodo obligare possint congregationes generales sequentes.

Dixi, ejusmodi leges utiles esse posse ad aliquos effectus. Primo, si fiant in aliquo senatu pleniori et superiori, et prohibeatur ne in senatu communi de aliqua materia agatur vel statuatur ; tunc enim senatus communis, qui inferior est senatu pleniori, obligabitur procul dubio ea lege, nec poterit illam revocare.

Secundum etiam erga congregationem 7
sequentem, habentem parem auctoritatem, plurimum habet ponderis deliberatio facta a congregatione præcedenti, præsertim si cum exhortatione vehementi facta fuit, petens a successoribus ne a mente suorum Patrum in re tanti ponderis, et tamdiu considerata ullo tempore recederent ; hanc ob causam societas Jesu in congregatione generali VII. decreto XI. cum quæreretur, an expediret, quod in congregationibus provincialibus decerneretur per suffragia secreta, et non publica (ut nunc fit) de cogenda, vel non cogenda congregatione generali, et omnes Patres enixe conspirarent in retinendo usu Societatis, et aliunde scirent se non posse condere legem adeo firmam quam successores non possent abrogare ; decretum suum concipi voluerunt, his verbis : » Censuerunt Patres omnes, nullo dissentiente, plurimis gravibusque ducti rationibus,

nullo modo concedendum, ut per suffragia secreta de cogenda, vel non cogenda generali congregatione res in provincialibus congregationibus transigatur. Optabatque congregatio universa, nullo unquam tempore Societatem ab hac sententia discedere : quod per secretorum suffragiorum concessionem gravissima merito damna universæ Societati inurenda sibi certo persuaderet, viamque sterni ad eam e veteri loco movendam, » in quibus verbis prudenter et docte illi Patres agnoscentes, se non posse legem condere quam ejus successores pares illis in potestate revocare non possent, obtestatione solum et exhortatione usi sunt, ut eos a lege revocanda continerent : quod, ut dixi, non parum efficax esse solet ut posteri a lege revocanda contineantur.

Tertio denique obligat lex illa singulos saltem in illa communitate : quare nemo poterit etiam in senatu, vel congregatione de materia illa prohibita agere, nisi antea senatus, vel congregatio cum illo dispenset ut agere possit ; lex enim, licet non obliget senatum collective sumptum, obligat singulos, et ideo oportet quod prius senatus collective auferat prohibitionem, quia ea non ablata peccaret contra legem et prohibitionem senator vel religiosus qui propria auctoritate legem transgrederetur. Loquendo tamen de senatu, vel congregatione collective sumpta, fatendum est quod, cum parem habeat auctoritatem cum eo qui legem condidit, possit in ea dispensare, vel eam suspendere aut revocare, ut sæpe dictum est.

## DUBIUM XXI.

*Utrum jurisdictio spiritualis possit accipi ex consensu partium, sicut accipitur de facta ex eo consensu jurisdictio civilis ?*

Respondi, quæsitum posse fieri de duplici jurisdictionis genere ; est enim quædam jurisdictio, quæ accipitur solum ex consensu partium, quæ ad vitandas lites compromittere solent, quod stabunt judicio alicujus viri prudentis, quem sibi arbitrum eligunt, quod quidem compromissum a lege non reprobatur, imo approbatur et fovetur, ut remedium opportuuum ad vitandas molestias fori judicialis, ut constat ex l. 1. et toto titulo ff. *de receptis arbitris.* Hæc autem vere et proprie non est jurisdictio, sed est obligatio quædam orta ex pacto litigantium qui se pacto mutuo obligant ad standum sententiæ talis arbitri, ut bene cum aliis notat P. Molina tom. VI. *de Just.* disp. VIII. et disp. XXX. num. 1. Et hæc est ratio, meo judicio, cur in causis criminalibus non possint partes compromittere in arbitrium, ut constat ex l. *non distinguemus*, 37. §. *Julianus,* ff. *de receptis arbitris,* quia nimirum nemo potest puniri pœna corporali, vel etiam infamia, nisi a magistratu, qui habet in ipsum veram jurisdictionem et superioritatem, qualem arbiter non habet, sed profert suum sensum, quo prolato, partes ex suo pacto obligantur ad standum compromisso. Altera ergo est vera et propria jurisdictio, quam habent principes acceptam a populo, vel alio justo titulo, et quam communicant judicibus et magistratibus inferioribus ad res civiles judicandas. Juxta quam distinctionem duplicis jurisdictionis ad propositum quæsitum respondendum est. 1

2 Si ergo sermo sit de jurisdictione primi generis, et impropria, quam arbitri accipiunt ab utraque parte compromittente ; dixi, non posse a partibus tribui jurisdictionem spiritualem, nisi ad eas causas et ad eas actiones spirituales, ad quas poterant se licite pacto oneroso obligare. Cum enim tota jurisdictio arbitri fundetur, ut diximus, in compromisso et pacto compromittentium ; nihil aliud erit quam obligatio partium ad res vel actiones spirituales præstandas. Quare, cum in materia beneficiali omnia pacta sint prohibita sub excommunicatione, et omnes similes obtentiones sint irritæ, invalida erunt omnia quæ ab ejusmodi arbitrio fierent. In aliis etiam materiis, et rebus spiritualibus illicite fit pactum de illis pro aliquo temporali. In iis vero materiis, in quibus licet spirituale pro spirituali pacisci (si quæ sunt) vel obligare se ad aliquid spirituale dandum, vel relinquendum, non video, cur non liceat promittere stare arbitrio alicujus tertii, quod esset in rigore constituere illum arbitrum in tali controversia.

3 Si vero sermo sit de jurisdictio secundi generis, quæ est vera et propria jurisdictio, certum est omnem jurisdictionem spiritualem veram et propriam collatam esse a Christo Domino privative B. Petro, et ejus successoribus, dependenter a quibus eam participant omnes alii prælati ecclesiastici, singuli in suo gradu et ordine. Non potest ergo a subditis conferri alicui ejusmodi jurisdictio : esset enim contra Christi ordinationem, qui noluit, in ullo reperiri de facto jurisdictionem spiritualem, nisi dependenter a primo capite, qui est summus Pontifex, et consequenter perturbaret totum ordinem hierarchicum ecclesiæ Christianæ, et subordinationem debitam ministrorum, donec reducantur ad primum caput, a quo omnes alii dependere debent.

Loquendo tamen de statu possibili naturæ puræ, vel etiam de statu legis naturæ, in quo erant homines post lapsum Adami, non videtur negandum, quod sicut jurisdictio civilis esset radicaliter et originaliter a Deo, immediate autem esset in ipsa communitate perfecta, a qua communicari posset vel uni personæ vel pluribus, per quas administraretur : ita dicendum idem esset cum proportione de jurisdictione spirituali, ut probat late Suarez omnino videndus lib. IV. *de legibus*, cap. II. num. 3. et sequentibus. Quid vero dicendum esset de tempore legis scriptæ in ordine ad populum Judaicum, qui ei legi subdebatur, tractat idem Suarez ibi nu. 6. et sequentibus, qui videri potest : est enim res magis obscura propter limitationem, qua potestas data fuit sacerdotibus Levitis, de quibus et de eorum summo Sacerdote, non satis constat qualem et quantam jurisdictionem et potestatem habuerint ad condendas leges in materiis spiritualibus. Loquendo itaque de possibili, potuit etiam Deus in illo populo non alligare jurisdictionem spiritualem uni familiæ, sed relinquere illam penes communitatem, a qua aliis communicaretur, sicut diximus factum esse in lege naturæ, et sicut tempore etiam legis scriptæ poterat apud eos Gentiles qui observabant legem naturæ, et religionem ac cultum unius veri Dei retinebant.

## DUBIUM XXII.

*An peregrinus incurrat excommunicationem latam ab episcopo illius loci, v. g. ob furtum ibi ab ipso commissum ?*

Titius advena et peregrinus, dum esset in civitate Placentina, furatus est centum aureos, quorum dominus ignorans furem, facto recursu ad episcopum ejusdem civitatis, obtinuit ejus edictum contra furem, quicumque esset, ut intra tot dies restitueret, alioquin termino

elapso, incurreret ipso facto excommunicationem. Quæsitum est, an Titius, etiamsi peregrinus esset, incurrere potuerit hanc excommunicationem ab alieno episcopo prolatam?

Suppono, esse quæstionem celebrem inter doctores, an peregrini obligenter legibus illius loci, in quo commorantur, quibusdam affirmantibus, quibusdam negantibus obligari, nisi in certis casibus quos excipiunt : de qua quæstione ultra alios videri possunt Suarez tom. I. de Relig. tract. II. lib. II. *de festis*, cap. XIV. et tom. *de legibus*, lib. III. cap. XXXIII. Thomas Sanchez lib. III. *de matrimon.* disp. XIX. Lessius lib. IV. cap. I. dub. VIII. n. 51. et alii, quos affert. Diana part. I. tract. X. resol. 15.

His suppositis, quærebatur, an supposita sententia eorum, qui dicunt peregrinos non obligari legibus loci, in quo reperiuntur, nisi in certis casibus, fatendum sit, Titium ligari potuisse censura episcopi illius loci lata contra eum qui talem pecuniam furatus esset, nisi intra certum terminum restitueretur? Videbatur enim, etiam supposita illa sententia, incurrisse censuram, quia regula generalis est, quod quilibet ratione delicti sortitur forum loci illius in quo delinquit : quare etiam contra advenas et peregrinos illac transeuntes procedit judex sæcularis, et punit eos pœna etiam capitali ob delicta ibi commissa. Contra hoc tamen ex adverso opponebatur, quia si præcise ratione delicti puniri ibi potest, hæc punitio pertinebit ad eum judicem ad quem pertinet cognoscere de illo delicto, qui est judex sæcularis. Supponimus enim, Titium esse merum laicum, et furtum non fuisse rei sacræ, nec de loco sacro : non ergo pertinet ad episcopum punire eum, qui nullo modo ejus subditus est. Potest quidem episcopus excommunicare incolas illius loci, si non restituunt, quæ furto acceperunt : id tamen facit, quatenus spectat ad eum procurare salutem spiritualem suarum ovium ; quæ cura respectu Titii, qui non est ejus ovis nec subditus, non videtur ad episcopum pertinere, atque adeo nullum habet titulum ad eum excommunicandum, quia, sicut sententia pastoris timenda est, ita non videtur timenda sententia ejus, qui non est pastor illius, contra quem talis sententia profertur.

Hæc pro utraque parte afferebantur. 4
Ego dixi, Titium non incurrisse excommunicationem, et hoc procedere, sive sequamur sententiam negantem peregrinos obligari legibus loci, in quo reperiuntur, sive sequamur sententiam contrariam id affirmantem ; nemo enim magis sententiam affirmantem sequitur quam P. Suarez, qui vult omnino, eos obligari legibus loci in quo reperiuntur : et tamen idem in tomo *de censuris*, disp. V. sect. v. an. 7. usque ad 15. late probat peregrinum non ligari sententia speciali, vel generali episcopi illius loci, quæ inferat excommunicationem, qui id probat ex ca. *a nobis*, I. *de sententia excommunicationis*, ubi Pontifex universaliter dicit, sententiam excommunicationis latam his verbis : *Quisquis furtum fecerit, excommunicatus sit ;* non comprehendere nisi subditos illius qui sententiam protulit. Ratio vero qua ipse Suarez utitur, videtur mihi satis efficax, quia nimirum debet esse differentia inter statutum et sententiam ; nam statuta respiciunt territorium ; sententia vero solum respicit personas subditas, ubicumque sint. Quare statuta sui domicilii non obligant subditum extra illud territorium degentem : sententia vero proprii pastoris obligat subditum etiam extra territorium commorantem. E contra vero statuta in sententia communi obligant etiam peregrinos, quia convenit eos conformari moribus et legibus loci ubi sunt : sententia vero excommunicationis non potest eos ibi obligare, nisi prius subditi sint sententiam proferentis ; sententia enim non facit subditum, sed debet illum invenire subditum, ut legitime proferatur : ille autem peregrinus ante sententiam non erat subditus

hujus episcopi, cum habeat alibi suum proprium pastorem et episcopum : non ergo potuit dirigi sententia illa ad hunc peregrinum non subditum proferenti sententiam.

Dices, fieri subditum ratione delicti, atque adeo posse peregrinum puniri ab episcopo hujus loci, cui ratione delicti ibi commissi subditus factus est. Hæc tamen responsio in hoc, ut bene indicat Suarez, locum non habet ; quia delictum immediatum ob quod fertur excommunicatio, est inobedientia et contumacia subditi non obedientis episcopo prohibenti furtum, vel præcipienti restitutionem : ad hanc autem inobedientiam et contumaciam necessario supponitur, quod episcopus potuerit illi præcipere restitutionem : cum autem supponamus episcopum non posse per sententiam (quidquid sit per statutum) præcipere subdito alterius diœcesis ob defectum subjectionis requisitæ, non potuit supponi delictum inobedientiæ et contumaciæ, quod immediate puniatur per excommunicationem. Quamvis autem furtum ipsum delictum sit contra legem naturæ ; per hoc tamen nullum statutum, vel lex ecclesiastica ipsius episcopi violata fuit : quare de peccato illo poterat cognoscere episcopus in ordine solum ad salutem animarum suorum subditorum, quorum curam spiritualem ex officio habere debet ; non tamen potest illos excommunicatione punire, nisi subsequatur inobedientia ad præceptum illis impositum restituendi ; quod præceptum peregrino imponere non potest, qui solum obligari potest ad summum legibus et statutis ipsius episcopi, non vero præceptis, aut sententia speciali vel generali, nisi præcesserit aliud delictum pertinens ad forum episcopi, ratione cujus factus sit ejus subditus. Non ergo restat titulus, ob quem Titius potuerit illa excommunicatione comprehendi, quæ prolata fuit, non per statutum, sed per sententiam generalem vel specialem episcopi cujus Titius subditus non erat.

Unde aliter dicendum esset, si delictum a Titio commissum, esset prohibitum lege ecclesiastica de jure communi canonico, vel lege Pontificia sub excommunicatione, et aliis pœnis a judice ecclesiastico infligendis ; tunc enim Titius ratione delicti ibi commissi sortiretur forum episcopi illius loci, in quo deliquit, et ab eo puniri posset : quia jam tunc præcederet verum delictum lege ecclesiastica prohibitum, et ratione illius fieret subditus judicis ecclesiastici illius territorii, in quo deliquit, quod concedi debet tam in opinione eorum, qui negant peregrinos obligari legibus propriis loci illius, quam in opinione eorum qui id concedunt. Utrique enim fatentur, peregrinos obligari legibus juris communis, atque adeo delinquere illas violando : quare ratione veri delicti debent pertinere ad forum judicis illius loci ; idque videmus in praxi observari, ut peregrini delinquentes in causis fidei judicentur et puniantur ab episcopo loci illius, in quo delictum committitur, et non remittuntur ad episcopum domicilii, ut cum aliis testantur Carena *de officio sanctæ Inquisitionis* part. I. tit. IV. n. 17. et Bordomis *in sancto Tribunali* cap. XL. q. VII. n. 9. quia jam tunc præcedit verum delictum, ratione cujus sortitur forum episcopi illius loci ; imo prævalet episcopus loci delicti episcopo domicilii, quia fortius et firmius radicatur et acquiritur jurisdictio ratione delicti, quam ratione domicilii, ut observant cum aliis prædicti doctores.

## DUBIUM XXIII.

*An licitum sit in dote pactum, ut restitui debeant totidem nummi aurei, stante fere certitudine, quod valor auri crescere debeat?*

1 Placentiæ dos hoc adhibito pacto consignata fuit in monetis aureis, ita ut maritus, vel ejus hæredes, quando dos restituenda esset, deberent reddere totidem scuta aurea quot acceperant. Erat autem fere certum, quod valor auri successive crescere deberet : quare mille scuta aurea, v. g. quæ tunc valebant 1500. scuta monetæ, postea tempore dotis restituendæ valitura essent 2000. scuta monetæ, vel certe multo plus, quam nunc valerent : quare stante hoc pacto, dos restituenda erat cum incremento notabili. Unde illicitum videri poterat pactum illud ex regula generali, quod in mutuo non possit apponi pactum reddendi pecunias ejusdem speciei, et in eadem mensura et numero, quando creditur tempore solutionis majorem futurum esse valorem illius pecuniæ ; nisi vel ratione lucri cessantis aut damni emergentis, vel nisi mutuans servaturus erat pecunias suas usque ad tempus illud majoris valoris, ut cum aliis dixi t. II. *de Justitia, et jure*, disp. XXV. sect. VII. n. 125. juncto n. 118 et seqq. quia, si hoc liceret, posset mutuans lucrari ex mutuo cum detrimento mutuatarii, quod esset licitam reddere usuram.

2 Respondi tamen cum aliis theologis doctissimis, qui consulti fuerunt, in casu proposito pactum fuisse licitum, nisi forte adesset in loco illo statutum aliquod prohibens in dotibus ejusmodi pacta. Ratio potissima erat differentia magna, quæ est inter dotem et mutuum : nam in mutuo ad ejus justitiam requiritur omnimoda æqualitas inter datum et acceptum, ne mutuatarius plus minusve reddat quam accepit : si enim mutuans plus recuperat, sine titulo ullo id accipit. In dote vero non requiritur hæc æqualitas : nam, licet dos detur viro ad alendam uxorem et sustinenda onera matrimonii : sæpe tamen dos ad hoc non sufficit, et tamen non fit injuria viro, qui sciens et volens subire voluit eo onera sine dote sufficienti. Imo aliquando ipse vir dotare solet uxorem, quod quidem ante contractum matrimonium fieri semper potest, ut cum communi docet Th. Sanch. l. VI. *de matr.* disp. VII. nu. 2. Aliquando etiam post contractum matrimonium id fieri potest, ut observat idem Sanch. ibi. n. 3. Et quidem sæpe summus Pontifex in dispensationibus imponit viro obligationem dotandi uxorem, antequam eam ducat, ut observat idem Sanch. l. VIII. *de matr.* disp. XXXV. n. 6. Sicut ergo potest maritus dare partem, vel totam etiam dotem uxori, poterit obligare se ad reddendam dotem cum majori volore quam accepisset : quia hoc totum in rigore non est aliud, quam augere ex suis bonis dotem uxoris, dum accepit 1500. scuta monetæ, et fatetur se debitorem 2000. scutorum, cum se obliget ad reddenda totidem scuta aurea, quæ eum valorem habebunt tempore solutionis, seu restitutionis dotis, quod confirmari potest ex alio statuto ejusdem civitatis Placentiæ, quo maritus obligatur, ut soluto matrimonio reddere debeat dotem cum auctario, nimirum addendo 30. pro singulis 100. quæ accepit ; ad quod augmentum se jure ipso maritus implicite obligat. Potest ergo explicite se obligare ad illud aliud augmentum incrementi valoris monetæ, quam accipit, quia quod lex potest facere per obligationem implicitam, videtur posse ipse facere per consensum et obligationem explicitam.

Solum posset obstare, quod hæc pro- 3
missio, quamvis non sit contra justitiam, videtur tamen esse contra legis prohibitionem, qua universaliter prohibentur

donationes irrevocabiles inter virum et uxorem, quæ prohibitio extenditur etiam ad donationes factas ante initium matrimonium, quando earum effectus non præcedit matrimonium, sed refertur ad tempus contracti matrimonii, ut cum aliis observat Th. Sanch. lib. VI. *de matr.* disp. VII. n. 2. ubi dicit, dotis constitutionem a viro factam ante contractum matrimonium, relatam tamen ad tempus quo matrimonium contractum sit, non subsistere. Talis autem videtur promissio hujus augmenti, cum non sit habitura effectum, nisi matrimonio secuto.

4 Ad hoc tamen responderi potest, quidquid sit, an referatur hæc promissio ad tempus subsequens, de quo dubitari potest, sed tamen non referri ad tempus stantis matrimonii, sed ad tempus matrimonii soluti, quo tempore dotis restitutio facienda est ; duo enim tempora solum considerari possunt in hac promissione. Unum est tempus quo promissio fit ; et hoc plane est ante initum matrimonium. Alterum est tempus quo ponenda est executio obligationis, et hoc est etiam tempus post solutum matrimonium, quando dos debet restitui uxori, vel ejus hæredibus. Neutrum autem tempus est constantis matrimonii, quare ex eo capite non potest impugnari promissionis valor, quia in hoc casu videtur potius locum habere alia regula, quam tradit idem Sanch. dicto lib. VI. disp. III. n. 8. quod scilicet validæ et irrevocabiles sunt donationes conjugum, quando referuntur in tempus soluti matrimonii, quia paria sunt facere tempore permisso, et in idem tempus referre, ex l. *in tempus*, ff. *de hæred. instit.* Adde, illas solum donationes prohiberi inter virum et uxorem quæ gratiosæ sunt, non quæ continent pactum onerosum, ut cum communi doctorum observat idem Sanch. dicto lib. VI. disp. v. n. 1. ubi ex eo probat, validum esse pactum quo ante initum matrimonium alter conjux renuntiat lucris futuris constante matrimonio in iis Provinciis, ubi ejusmodi lucra dividuntur inter utrumque conjugem : quia nimirum illa non est donatio, sed contractus onerosus, cum sit integrum cuilibet illorum non aliter velle matrimonium, nisi servatis certis conditionibus, quod idem in casu nostro procedit, cum sponsa nolit matrimonium contrahere, nisi hoc pacto et conditione adhibita, quod dos restituenda sit in totidem scutis aureis, etiamsi valor interim, prout creditur, augmentum habere debeat. Ad omne denique dubium tollendum et reddendam omnino firmam et irrevocabilem illam promissionem, dixi addi posse juramentum, quia, quamvis donationes inter conjuges revocabiles sint ; quando tamen juramento donantis confirmantur, manent firmæ et irrevocabiles, ut cum communi sententia probat bene idem Sanch. dicto lib. VI. disp. XI, num. 2. et seqq. et probari potest ex iis, quæ late diximus tom. II. *de Justitia, et jure*, disp. XXII. sect. VIII. num. 202. et seqq. ubi diximus, contractus qui secundum se essent validi, jure tamen humano facti sunt revocabiles et rescindibiles, manere firmos et irrevocabiles quando juramento confirmantur : talis autem est donatio inter conjuges, quæ ex natura quidem sua valida est, sed jure humano facta est revocabilis et rescindibilis a donatore ante mortem ; si ergo juramento confirmetur, amittet hanc totam revocabilitatem, quam jure humano sortiebatur. Vide quæ ibi late de hoc dicta a nobis sunt.

## DUBIUM XXIV.

*An tuti sint in conscientia parentes, qui dant dotem filiabus infra portionem legitimæ debitæ, et cogunt eas renuntiare legitimæ ?*

Supponendum est, de jure communi, 1
quamvis filia accipiens dotem a patre di-

cat, se contentam esse ea dote, et renuntiare paternæ hæreditati ; pactum tamen illud esse invalidum, et eo non obstante posse filiam postea petere complementum suæ legitimæ portionis, ut habetur ex l. *pactum dotale*, Cod. *de collationibus*, l. *si quando*, Cod. *de pactis*, et cap. *quamvis pactum*, *de pactis*, l. 6. et in hoc conveniunt doctores, quos afferunt, et sequuntur Molina to. I. *de Justitia, et jure*, tract. II. disp. CXLIX. et Th. Sanch. lib. IV. *consil.* cap. XXXIV. n. 5. Si tamen ejusmodi pactum juramento confirmetur, validum est, et in utroque foro debet observari, ut habetur in dicto cap. *quamvis pactum*, et tradunt doctores apud prædictos Molinam, et Sanch. locis citatis, qui Sanch. idem docuerat lib. IV. *de matr.* disp. IX. num. 13.

2 Hoc supposito, ad dubium in titulo propositum respondi primo, si filia coactione, vel fraude inducatur ad eam renuntiationem faciendam, parentes non esse tutos in conscientia, sed debere filiæ suam libertatem restituere, cum consensus vi, vel fraude extortus obliget semper ad restitutionem illum, qui vim vel dolum apposuit, videatur Sanch. lib. IV. *de matr.* dicta disp. IX. n. 13. ubi de nostro casu in terminis loquitur : qui addit, idem procedere, quando metus non est cadens in constantem virum, sed levis, et tamen injuste illatus, quod quidem in mea sententia intelligendum est cum distinctione, quam late explicui et probavi to. II. *de Justitia, et jure*, disp. XXII. sect. VII. num. 135. et seqq. ubi dixi, id verum esse, quoties metus injuste illatus fuit causa contractus ; causa, inquam, vel totalis, vel partialis, ita tamen, ut vel illo solo metu remanente, et ablatis aliis motivis, adhuc contractus fieret, vel saltem ablato metu, et remanentibus aliis motivis, quæ nunc proponuntur, contractus non fieret, nisi aliquod aliud motivum novum proponuntur, quod loco metus cessantis subrogaretur. Si enim metus ita partialiter movet, ut ille solus non sufficeret, et cessante metu adhuc contractus fieret propter alia motiva nunc proposita, non est cogendus metum inferens ad plenam restitutionem, vel rescissionem contractus, sed solum ad partem damni resarciendam majorem, vel minorem, juxta majorem, vel minorem influxum, quem metus habuit, secundum computum ibi a me adductum, ubi hæc omnia latius explicui ; et quando, et quomodo id locum habere possit in metu reverentiali : tunc nimirum, quando implicite continet metum mali injuste inferendi a persona, quam reveremur : et n. 142. dixi, idem cum proportione dicendum esse de dolo levi, quando fuit causa totalis vel partialis, quoad obligationem rescindendi contractum, vel restituendi solum quoad partem damni illati.

Si vero pactum, et renuntiatio confir- 3
mata fuit a filia cum juramento, debet quidem illud observare ob religionem juramenti, quia tamen injustitia præcessit ex parte parentis injuste cogentis, poterit filia petere prius a prælato relaxationem juramenti injuste ab ipsa extorti, et ea obtenta, nullam habet obligationem standi pacto, quod supponitur a coactione injusta taliter processisse, ut sine illa non fieret, de quo late videri potest Th. Sanch. lib. III. *in Decal.* cap. XII. et alii, quos retuli et secutus sum dicto tom. II. *de Justitia*, disp. XXII. sect. VIII. num. 187. et 195.

Restat tamen dubium, si filia non fuit 4
per coactionem injustam, vel dolum inducta ad eam renuntiationem faciendam : ignorabat tamen ejusmodi renuntiationem legibus irritari, et tamen dote præsenti contenta renuntiavit legitimæ paternæ, et renuntiationem juramento confirmavit, an ea solum ignorantia sufficiat ad impediendum valorem renuntiationis, atque adeo obtenta relaxatione juramenti a prælato ecclesiastico, possit tamen in foro conscientiæ non stare renuntiationi a se factæ. Sed revera hoc subterfugium raro prodesse poterit filiæ, si aliunde metus et dolus non intercessit, quia eo ipso

quod filia renuntiat juri quod habet ad legitimam, scire videtur, se habere aliquod jus, cui renuntiet, vel saltem dubitat an illud habeat, nam circa certo impossibilia non versantur contractus humani : quod autem nesciat hoc jus majus fundamentum habere in legibus irritantibus ejusmodi renuntiationem sine juramento factam, parum refert, cum habeat voluntatem efficacem abdicandi a se illud jus, undecumque proveniat, et ad hunc finem opponat jusjurandum ut prosit quantum prodesse potest a firmiorem abdicationem. Ex hoc ergo capite difficile liberari potest filia ob obligatione standi pacto quod juramento confirmavit.

An vero ejusmodi renuntiatio juramento confirmata excludat filiam, vel filium renuntiantem a successione, etiam quando pater intestatus decedit, videatur Sanch. lib. IV. *consil.* c. 1. dub. XXXIV. n. 25. An autem excludatur renuntians a successione mediata, v. g. si frater renuntiantis successit in bonis paternis, et postea ipse moriatur ab intestato, videatur idem Sanch. ibi. n. 28. et quid, si moriantur vivo parente, filii omnes, et filiæ qui extabant tempore factæ renuntiationis, vide ibi n. 31 et seqq. Denique, an hæc renuntiatio noceat non solum renuntianti, sed etiam ejus filiis, et descendentibus, vide eumdem ibi n. 39 et sequentibus.

FINIS

ALIQUOT RECENTIORES

# PONTIFICIÆ CONSTITUTIONES

AD MORALEM THEOLOGICAM SPECTANTES

ALIQUOT RECENTIORES

# PONTIFICIÆ CONSTITUTIONES

## AD MORALEM THEOLOGICAM SPECTANTES

---

SS. D N.

### BENEDICTI PAPÆ XIII

CONSTITUTIO

*Qua Litteræ Apostolicæ Gregorii XIV. excipientes quædam delicta circa ecclesiasticam immunitatem laicorum inquisitorum, non nulla insuper opportune præscribendo, confirmatur, et ampliatur.*

—

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex quo divina disponente elementia, ad supremum universi Christiani populi regimen assumpti fuimus, considerantes debitum, quo obstringebamur, ecclesiarum, sacrorumque locorum immunitatem sartam tectam, inviolatam ubique custodiendi inter graviores suscepti apostolici ministerii curas merito recenseri : diu, multumque rationes, ac media nobiscum expendere non omisimus, quibus ipsa immunitas in pristinum venerationis et reverentiæ locum restitui posset, ac in omnibus orbis catholici regionibus ita observaretur, quemadmodum prisca illa majorum nostrorum disciplina, et vetus canonicarum sanctionum norma præscripsit. Dum hæc sollicito animo revolveremus, in oculos primum incurrit celebris illa constitutio a fel. rec. Gregorio Papa XIV. prædecessore nostro edita, quæ incipit *Cum alias*, qua quidem constitutione idem Gregorius prædecessor pro pastorali zelo suo hunc ipsum in scopum intendens facultates, et indulta a quibusdam Romanis pontificibus, ac præsertim a S. Pio V. et Sixto etiam V. prædecessoribus itidem nostris, tunc suis, concessa aliquibus principibus, eorumque officialibus, et magistratibus extrahendi, ac abducendi ab ecclesiis, aliisque locis immunibus certorum criminum reos, et delinquentes, reformavit, moderatusque fuit, simul autem delictorum frequentiæ, unde publica tranquillitas maxime perturbatur, occurrere volens, ac impedire, quantum licebat, ne aliqua graviora a pravis hominibus patrarentur sub certa impunitatis spe, quam ex confugio ad loca immunia sibi parabant, nonnulla expressit, et explicavit crimina, et casus, in quibus laicos delinquentes ecclesiastica immunitate nequaquam gaudere voluit et decrevit ; ac insuper

judices constituit, qui in occurentibus casibus an delictum esset necne in eadem Gregoriana constitutione exceptum, cognoscere et declare deberent; certamque demum formam in extractione prædictorum delinquentium a locis immunibus observandam stabilivit, et inviolabiliter ab omnibus perpetuo observari mandavit, quemadmodum in prædicta constitutione Anno Incarnationis Dominicæ 1591. nono Kalend. Junii promulgata ulterius continetur.

Variæ de sensu constitutionis Gregorii XIV. sententiæ.

Quoniam vero post editam hujusmodi constitutionem ob varias doctorum eam interpretantium sententias, et variam itidem Curiarum ecclesiasticarum in illius executione praxim multiplices contentiones super vero, rectoque ejus sensu inter ecclesiastica, et sæcularia tribunalia exortæ fuerunt; quamplures Romani pontifices, ac præsertim piæ mem. Clemens IX. Clemens X. et Clemens XI. prædecessores similiter nostri, de præfatis contentionibus dilucida casuum exceptorum explicatione submovendis non semel, sicut accepimus, deliberarunt, facilioremque insuper eos probandi, et declarandi methodum, ut ejusdem Gregorii prædecessoris mens plenius executioni demandaretur, curiis ecclesiasticis præscribere cogitabant; sed ab aliis distracti curis, ac interim morte præventi, destinata perficere nequiverunt. Hinc igitur est, quod nos omnino expedire arbitrantes, ut ejusmodi controversiis finis aliquando imponatur, eorumdemque prædecessorum pio, atque salubri proposito inhærentes, motu proprio, ex certa scientia, ac matura deliberatione nostra, deque Apostolicæ potestatis plenitudine hac nostra perpetuo valitura constitutio, ne, in primis providam memorati Gregorii prædecessoris constitutionem cum omnibus et singulis in ea contentis, atque dispositis amplissime confirmamus, approbamus, et innovamus, et quatenus opus sit criminum in illa exceptorum reis, et delinquentibus immunitatem ecclesiasticam suffragarii nequaquam iterum, ac de novo decernimus, et declaramus. Præterea non absque gravi animi nostri dolore animadvertentes ob auctam, atque in dies invalescentem perversorum hominum malitiam sæpe, ac sæpius nonnulla alia gravia crimina perpetrari, quæ non minus quam illa in Gregoriana constitutione, ut præfertur, excepta, publicam quietem perturbant, proinde ad delinquentium audaciam, ac ejusmodi delictorum frequentiam, quantum fieri poterit, coercendam, pro Apostolici muneris nostri debito, ea, quæ inferius explicabuntur, statuenda censuimus.

Gregorii XIV. constitutio confirmatur.

Cum itaque prædicta Gregoriana constitutione cautum sit, ut publicis latronibus, viarumque grassatoribus, qui itinera frequentata, vel publicas statas obsident, aut viatores ex insidiis aggrediuntur, immunitas ecclesiastica minime suffragetur; non levis autem inter doctores emerserit controversia, an quis ex unico actu publicus latro, et grassator dici possit, vel plures ad id actus requirantur: Nos ejusmodi controversiam dirimere intendentes, unicam tantum grassationem in via publica, aut vicinali admissam sufficere ad hoc, ut quis publicus latro, et grassator dici valeat, dummodo tamen grassati mors aut membrorum mutilatio secuta fuerit, tenore præsentium definimus, et declaramus.

Unico pactu publicus latro dici potest, et ab ecclesiasticæ immunitatis beneficio excludi.

Insuper ab ecclesiasticæ immunitatis beneficio excludimus, atque repellimus, et pro exclusis atque repulsis haberi volumus, nedum eos qui homicidia aut mutilationes membrorum in ecclesiis, earumve cœmeteriis committere audent, quemadmodum in Gregoriana constitutione sancitum est: verum etiam eos, qui stantes in ecclesia, vel cœmeterio, interficiunt stantes extra ecclesiam, vel cœmeterium, aut ipsis membrum mutilant: necnon eos qui stantes extra ecclesiam aut cœmeterium, occidunt stantes intra ecclesiam vel cœmeterium, aut iis membrum mutilant: ac eos tandem qui confugientibus vim inferunt, atque ipsos ab ecclesia, aliove loco immuni violenter

Quatuor alii casus privationis immunitatis ecclesiasticæ.

extrahunt et abducunt : Declarantes in quatuor præmissis casibus ejusmodi reos non illius tantum ecclesiæ, quam violarunt, sed cujuscumque etiam alterius ecclesiæ immunitate gaudere nequaquam posse, aut debere.

praxis huic præsenti constitutioni contrariæ prohibentur.

Mandatarii in crimine assassinii, et mandantes.

Ad hæc in crimine assassinii non modo mandatarios, qui in ipsamet Gregoriana constitutione aperte excipiuntur, sed etiam mandantes, qui certum præmium aut mercedem, sive in pecunia, sive in aliis rebus tradiderint, aut promiserint, quamvis promissio nullum habuerit effectum, dummodo assassinium reipsa patratum fuerit, ab ecclesiasticæ immunitatis beneficio excludimus, ac pro exclusis perpetuo haberi volumus et mandamus.

Alii casus privationis immunitatis ecclesiasticæ.

Excludimus pariter et repellimus, atque privamus ejusdem immunitatis privilegio interficientes proximum suum animo præmeditato, ac deliberato : falsificantes litteras Apostolicas : ministros montis pietatis, vel alterius publici telonii, aut Banci pro depositis principis, privatarumque personarum destinati, furtum, aut falsitatem in prædictis locis committentes, cujus ratione arca pecuniaria ita minuatur, ut pœnæ ordinariæ locus sit : conflantes, adulterantes, vel tondentes quascumque monetas aureas, vel argenteas etiam principium exterorum quotiescumque in loco, aut provincia, ubi crimen admittitur, liberum habeant usum et commercium, vel ipsas monetas conflatas, adulteratas, aut detonsas scienter ita expendere, et erogare præsumentes, ut fraudis conscii, atque participes censeri possint : Illos demum, qui sub nomine curiæ sese introducunt in alias domos animo ibidem perpetrandi rapinas easque reipsa committunt cum homicidio, aut mutilatione membrorum alicujus ex domesticis earumdem ædium vel etiam extranei ; quem ibi forte reperiri contigerit, dummodo homicidium, vel membrorum mutilatio sequatur.

Omnes decorum sententiæ, aut tribunalium

Cæterum cum diuturna experientia compertum fuerit curias ecclesiasticas in casibus qui hactenus evenerunt, difficulter probare, et consequenter declarare potuisse delictum, pro quo quis ad ecclesiam confugerat, fuisse comprehensum in numero exceptorum propter variam earumdem curiarum praxim, et varias pariter opiniones doctorum, qui antedicti Gregorii prædecessoris mentem quoad norman ab ipso præscriptam, recipiendi probationes, et procedendi ad declarationem criminum exceptorum interpretari voluerunt : Statuimus, præcipimus, et mandamus nullam in hoc de cætero haberi rationem cujuscumque interpretationis ejusdem Gregorianæ constitutionis, quæ a quocumque doctore prodierit, neque praxis a quibuslibet curiis, aut tribunalibus invectæ, imo nec quarumcumque declarationum, quæ ab hujus almæ Urbis nostræ tribunalibus, sive etiam a congregatione venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium immunitati ecclesiasticæ præpositorum emanaverint, quatenus præsenti nostræ constitutioni adversentur ; sed in occurrentibus casibus normam hic a nobis præscribendam inviolabiliter ab omnibus observari volumus et sancimus.

Quotiescumque igitur curia ecclesiastica a curia sæculari fuerit requisita, ut laicum aliquem delinquentem e loco immuni extrahi, ac illi consignari faciat, eaque super delicti excepti qualitate, ac personæ extractæ subministrata, vel acquisita sint indicia, quæ ad capturam decernendam sufficere videantur ; tunc curia ecclesiastica ad ejusdem delinquentis extractionem ab ecclesia, aliisve locis immunibus, ope, ac medio suorum executorum, implorato etiam quatenus opus sit brachii sæcularis auxilio, et cum interventu personæ ecclesiasticæ ab episcopo deputandæ, procedere teneatur, extractumque ad suos carceres asportari, ac ibi sub tuta custodia detineri curet, et faciat. Ubi vero ex processu informativo desuper conficiendo constet de crimine excepto, ac insuper adversus eumdem extractum talia resultent indicia, ut

crimen ab eo fuisse patratum moraliter credi possit (quæ quidem indicia juxta regulas juris vocantur ultra torturam) eo tamdem casu præfatum extractum ministris, et officialibus curiæ sæcularis tradere, et consignare possit, ac debeat, exacta tamen, receptaque prius ab ipsis obligatione in forma juris validâ restituendi extractum ecclesiæ sub pœna excommunicationis latæ sententiæ nobis, ac pro tempore existenti Romano pontifici reservatæ, quatenus idem extractus indicia contra ipsum acquisita in suis defensionibus purget, ac diluat. Quod si ea minime purgaverit, et vere delinquens repertus fuerit, curiæ sæculari in ipsum tali casu, ut juris esse censuerit agere, atque procedere licet.

Præterea considerantes sæpe dictum Gregorium prædecessorem in sua constitutione optimo quidem jure sanxisse, ut soli episcopi, et non alii episcopo inferiores, etiamsi locorum ordinarii sint, aut nullius diœcesis, aut conservatores a sede Apostolica specialiter, vel generaliter deputati cognoscere, et declarare valeant an delicta, pro quibus inquisiti ad loca immunia confugerunt et in eis se receperunt, sint, necne de genere ac numero exceptorum : Nos providam ejusmodi dispositionem approbantes et confimantes, eique inhærentes, motu, scientia, ac potestatis plenitudine similibus tenore præsentium quibuscumque magistratibus, officialibus, et ministris sæcularibus, necnon quibusvis aliis personis cujuscumque gradus, et conditionis existant, etiamsi imperiali, regia, ducali, aut alia quavis mundana dignitate, aut auctoritate præfulgeant, districte interdicimus, ac inhibemus, ne hujusmodi causis, vel conficiendo processu, vel inquisitos extrahendo a locis immunibus, vel declarando crimina ab eis admissa esse de exceptis in Gregoriana, aut in præsenti nostra constitutione, ullo pacto se se ingerant aut immisceant. Quod si secus quidquam attentare præsumpserint, ex nunc omnia in contrariorum præmissorum gerenda irrita et inania, nulliusque roboris vel momenti perpetuo fore, ipsosque attentantes in censuras, et alias pœnas a sacris canonibus, et constitutionibus Apostolicis adversus eos qui jurisdictionem ecclesiasticam quoquo modo lædunt, ac violant, inflictas incurrere decernimus et declaramus : volentes, intendentes, ac expresse mandantes, quod omnimoda cognitio, atque judicium de criminibus in Gregoriana constitutione exceptis, et a nobis superius explicatis, tum etiam de aliis quæ in præsenti nostra constitutione adjicienda, et similiter excipienda duximus ; quemadmodum, ut præfertur, adjecimus et excepimus, ad episcopos tantum privative quoad omnes alios, perpetuo spectet, atque spectare debeat ; et donec ipsi in occurrentibus casibus declaraverint delictum esse de exceptis, et cætera omnia a nobis superius constituta adimpleverint, inquisitos ecclesiæ vel alterius loci sacri, ad quem confugerunt, immunitate gaudere tuto debere, ac in ea conservandos et manutenendos esse statuimus, præcipimus et mandamus.

Episcopi soli judices exceptionum.

Universos demum, et singulos venerabiles fratres nostros patriarchas, primates, archiepiscopos, et episcopos, quos hujus nostræ constitutionis executores deputamus, in visceribus Domini nostri Jesu Cnristi hortamur, et paterna charitate admonemus, ut quanti momenti sit hoc negotium, serio cogitantes, in occurrentibus casibus qualitatem testium et probationum pondus summo studio, ac vigilantia scrutentur, omnemque fraudem et dolum procul arceri satagant, quin etiam sacerdotali pectore, quotiescumque opus fuerit, iis omnibus obsistant, qui ejusdem præsentis constitutionis executionem ac observantiam quomodocumque temerario ausu impedire præsumerent. In reliquis porro casibus tam in hac nostra, quam in Gregoriana constitutione non exceptis memores quam acriter semper, et qua eximia, ac prorsus singulari animi fortitudine majores nostri

Admonitio ut fortiter privilegia ecclesiastica defendant.

pro ecclesiastica libertate, ac immunitate pugnaverint, nihil de illa imminui permittant, neque sacris juribus labem ullam irrogari patiantur, sed ea pari sane zelo, atque constantia tueri curent ab omni tamen tumultu, ac perturbatione cavendas, ne jactantiæ causa potius quam miserationis, et justitiæ titulo ecclesiastica privilegia asserere velle videantur.

Decernentes easdem præsentes litteras, et in eis contenta quæcumque semper valida, firma, et efficacia existere ac fore, suosque integros atque plenarios effectus ubique sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis ad quos spectat, et pro tempore spectabit quomodolibet in futurum inviolabiliter et inconcusse observari ; sicque et non aliter in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales etiam de latere legatos, et Apostolicæ sedis nuntios, aliosve quoslibet quavis præeminentia, et potestate fungentes, ac functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, ac auctoritate, judicari et definiri debere, ac irritum et inane si quid secus super his, a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus quibuscumque cancellariæ nostræ Apostolicæ regulis, necnon quorumcumque prædecessorum nostrorum litteris Apostolicis, privilegiis, indultis, et facultatibus quibusvis personis, etiam speciali mentione dignis, et quavis quantumcumque sublimi dignitate et auctoritate fulgentibus, et ex quibusvis etiam gravibus ac urgentissimis causis, sub quibuscumque tenoribus et formis, et cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis, ac irritantibus, et aliis decretis etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter ac alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, et immutatis. Quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio facienda ; aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, et singulorum tenores, formas, et occasiones, ac alia etiam speciali expressione digna præsentibus pro plene, sufficienter expressis, insertis, ac servatis respective habentes, ac vice duntaxat, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, et expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Ut autem præsentes Litteræ ad omnium notitiam facilius deveniant, et nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus illas, seu earum exempla ad valvas ecclesiæ Lateranensis, et basilicæ principis Apostolorum, necnon cancellariæ apostolicæ, curiæque generalis in monte citatorio, ac in acie campi Flsoæ de Urbe, ut moris est, affigi et publicari ; sicque publicatas et affixas omnes et singulos, quos illæ concernunt, perinde arctare et afficere, ac si unicuique eorum nominatim et personaliter intimatæ fuissent, neque ipsarum præsentium litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud, ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostræ voluntatis, sanctionis, declarationis, confirmationis, præcepti, decreti, mandati, prohibitionis, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et

Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ apud S. Petrum anno incarnationis dominicæ millesimo septingentesimo vigesimo quinto, sexto Idus Junii pontificatus nostri anno secundo.

P. M. Card. Prodat. *F. Card. Oliverius.*

Visa de Curia I. C. Archiepiscopus

Amasenus.

Loco Plumbi. L. Martinettus.

---

SS. D. N.

## BENEDICTI PAPÆ XIV.

### CONSTITUTIO

*contra clericos sæcularibus negotiis se immiscentes.*

—

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Apostolicæ servitutis commissum nobis divinitus officium assidue vigilare nos admonet, ut ex prava hominum cupiditate suborientia mala, quantum in nobis est, provida sollicitudine coercentes, dominici ovilis gregem, superna opitulante gratia ad æternam patriam dirigamus. Sed præcipua cura constringit de iis, qui ecclesiastico ordini adscripti, et ad sanctioris vitæ genus eleçti aliis in via salutis actuum suorum claritate prælucere debent. Vehementer enim timidi, ac solliciti sumus, ne cæteros Christi fideles, quos pro gradus sui sanctitate verbis, et exemplo ædificare debent, morum suorum prævitate a cœlestium rerum amore ad terrena desideria averant.

Cum itaque, ut non sine gravi animi nostri mœrore accepimus, vesana humanarum rerum cupiditas ita nonnullorum clericorum invaserit animos, ut illicitam ecclesiasticis negotiationem ad evitandas pœnas adversus illam exercentes a sacris canonibus, et apostolicis Romanorum pontificum prædecessorum nostrorum constitutionibus sancitas sub alieni nominis velamine, Dei timore, ecclesiastici nominis dedecore, et æterno suarum animarum periculo posthabitis, temere, nulliterque exercere non dubitent, et quod palam temporalium pœnarum metu aggredi non audent, quæsitis deinde coloribus, et vanis inanium rationum prætextibus clam efficere non timeant, quasi vel Dei oculos, qui et *illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium*, larere, vel supremi judicis, qui non fallitur, examen effugere possint : non attendentes quod clericus, qui tantopere mandanis divitiis parandis inhiat, cœlestia despicere, et pro nihilo putare convincitur, et quod clericus negotiator ex inope dives, et ex ignobili gloriosus tanquam pestis, ut B. Hieronymus docet, fugiendus est, ad exitiosam hujusmodi labem ab ecclesiastico cœtu eliminandam, et ut sancto ecclesiæ Dei famulatui addicti ab omni turpis lucri cupiditate abhorrentes studeant bene agere, et divites fieri in bonis operibus thesaurizantes sibi fundamentum bonum in futurum, omnes et singulas Romanorum pontificum prædecessorum nostro-

I. Cor.

Pœnæ prohibi nes cor clericos gotiante tæ, ext dentur eos, qui n ine al negotiar

rum prædictorum constitutiones, illarumque quamlibet contra quoscumque clericos illicitos negotiatores desuper, quomodolibet respective cum omnibus, et singulis pœnis contra eosdem clericos illicite negotiantes editas, quas constitutiones hujusmodi ac earum quamlibet præsentibus de verbo ad verbum nihilo penitus omisso pro insertis haberi volumus : motu proprio, et ex certa scientia, meraque deliberatione, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine nostris innovamus, confirmamus, et approbamus, eisque et earum cuilibet novum Apostolicæ firmitatis, et inviolabilis observantiæ robur adjicimus, illasque sic innovatas confirmatas, et approbatas cum omnibus, et singulis pœnis in eis et aerum quamlibet adversus clericos illicitos negotiatores hujusmodi contentis ad clericos illicite sub alieno laici nomine quomodolibet negotiantes, perinde ac si per se ipso, ac proprio eorum nomine negotia ipsa illicita exercerent, omnesque, et singulæ constitutiones, earumque quælibet adversus eos desuper editæ fuissent, et in eis et earum qualibet expressi, et denominati reperirentur, motu, et potestatis plenitudine prefatis perpetuo extendimus et ampliamus ; illorumque omnia et singula bona sic ab eis alieno nomine illicite acquisita sub inevitabili spolii pœna ad formam constitutionis fel. recordat. S. Pii Papæ IV. similiter prædecessoris nostri, quæ incipit *Decens esse*, subjicimus, et subjecta esse volumus, et declaramus.

Insuper ut in sortem Domini vocati depositis quocumque mundanarum curarum onere, et humanarum cupiditatum impedimentis, Christum Dominum, Cor. VIII, 9. *qui propter nos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia nos divites essemus*, per calcatas mundi opes liberius, et expeditius sequantur, memores salatutaris illius B. Apostoli moniti qui clamat, et dicit : *nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat, cui sè probavit*, per easdem nostras præsentes perpetuo valituras motu, et potestatis plenitudine præsatis decernimus, ac pariter declaramus, quod si aliquod negotium ecclesiasticis illicitum personis, licet ab eis minime institutum, sed a laica persona inchoatum, et ad eosdem clericos sive hæreditario jure, aut quocumque alio titulo, sive singulariter, sive communiter, sive separatim, sive conjunctim cum aliis bonis, et aliis cohæredibus, aut sociis prosecuti sint, illud statim dimittere teneantur ; si vero negotium hujusmodi sine ipsius clerici temporali detrimento statim dimitti nequeat, tunc si intra Italiam, insulasque adjacentes existat clericus, a venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium decretorum concilii Tridentini interpretum congregatione, si vero extra Italiam ab eadem congregatione, vel ab Ordinario loci licentiam illud ad aliquod tempus retinendi ; proviso interim, quod negotium hujusmodi a laico administretur, impetrare teneatur, dictaque congregatio, aut ordinarius loci, perpensis singulorum casuum circumstantiis, licentiam impertiatur, tempusque in eo ad idem negotium dimittendum præscribat ; et si clericus negotium præfatum, licet a laico, ut præfertur, institutum absque licentia hujusmodi gratis semper sibi impertienda, aut illud ultra tempus sibi permissum retinuerit, vel etiam intra tempus prædictum negotium per seipsum administraverit, pro negotiatore illicito haberi, illumque omnibus et singulis etiam spolii pœnis præfatis subjectum esse motu, et potestatis plenitudine dictis perpetuo volumus, et definimus.

Ac demum eo, quod fel. rec. prædecessor noster Pius Papa IV. per suas litteras, quarum initium est : *Romanus Pontifex*, declaravit præfata constitutione super spoliis clericorum ob illicitam negotiationem a se edita prælatos, officiales, ac alios sæculares, et cujusvis ordinis regulares clericos, aliosque cujuscumque status, gradus, ordinis, con

ditionis, et præeminentiæ in Urbe, et curia, ejusque districtu decedentes, testandi tamen, codicillandi, et alias de bonis suis quibuscumque quomodolibet disponendi, vel ad ipsorum proximiores decedentibus illis ab intestato, transmittendi facultatem ex speciali sedis Apostolicæ indulto, vel suorum officiorum privilegio, vel alio quovis titulo obtinentes nullatenus comprehendi ; et quod Paulus Papa V. pariter prædecessor noster per suas litteras, quæ incipiunt: *In eminenti*, clericos cives, et curiales sive incolas hujus nostræ almæ Urbis, tunc suæ, exemit a spolio, quoad bona in eadem Urbe, ejusque districtu intra decem milliaria consistentia, etiam ex reditibus ecclesiasticis per eos acquisita, unde dubitari contingit, an suffragetur quoque ad evitandum spolium cameræ nostræ Apostolicæ competens pro bonis ex illicita negotiatione provenientibus: nos constitutiones Pii, et Pauli prædecessorum nostrorum præfatas, quoad bona ex illicita negotiatione hujusmodi a civibus, et curialibus, sive incolis clericis cujuscumque ordinis, ac dignitatis quibuscumque indultis, ac privilegiis munitis comparata, et in Urbe, ejusque districtu præfatis, et ubicumque existentia minime ad præmissorum effectum suffragari, sed illa sic provenientia cameræ nostræ Apostolicæ vero jure spolii deberi, perinde ac si constitutiones Pii, et Pauli prædecessorum hujusmodi ad præmissorum omnium, et singulorum effectum impediendum minime emanatæ fuissent, motu simili pariter declaramus, et statuimus, dictasque Pii, et Pauli prædecessorum constitutiones quoad præmissorum effectum sortiendum plenarie abrogamus, et abolemus.

Bona ex illicita negotiatione acquisita cameræ Apostolicæ devolura.

Decernentes sic in præmissis omnibus, et singulis per quoscumque judices, et commissarios quavis auctoritate fungentes sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate, et auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quo circa venerabili fratri nostro Annibali S. R. E. cardinali episcopo Sabinen. Albani nuncupato camerario nostro, et ejus in camerariatus officio successoribus, per Apostolica scripta mandamus quatenus spolia ipsa ex bonis ex illicita negotiatione provenientia, uti vere spolia, prout alia ipsius cameræ jura exigi, et recuperari, ac præsentes nostras litteras inviolabiliter observari faciat, nec permittat cameram ipsam, vel pro ea agentes desuper modo aliquo molestari, perturbari, ac inquietari, contra ductores quoslibet et rebelles per censuras, et pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis. Non obstantibus prædictis Pii, et Pauli prædecessorum, aliisque Apostolicis, ac in provincialibus, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, ac quibusvis facultatibus testandi, aliisque privilegiis, indultis, et litteris Apostolicis quibusvis concessis, approbatis, et innovatis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, et expressa mentio facienda esset, illorum tenores pro sufficienter expressis habentes, illis in reliquis in suo robore permanentibus, cæterisque contrariis quibuscumque ; etiam si aliquibus communiter, vel divisim ab Apostolica sit sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per litteras Apostolicas non facientes plenam, et expressam de indulto hujusmodi mentionem ; et quia difficile foret præsentes nostras litteras ad singula quæque loca deferri, volumus et declaramus, quod earum transumptis etiam impressis manu notarii publici subscriptis, et alicujus prælati sigillo munitis eadem prorsus fides in judicio, et extra adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri decreti, approbationis confirmationis, innovationis, declarationis, statuti, ordinationis, concessionis, derogationis, et voluntatis infrin-

gere, vel ei ausu temerario contraire ; Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac BB. Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem, anno Incarnationis dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo, primo Kalendas Martii pontificatus nostri, anno primo.

D. Card. Passioneus.

X. sub-Datarius

VISA DE CURIA
N. Antonellus

Loco Plumbi. J. B. Eugenius.

---

## IX. DECRETUM

JUSSU SS. DOMINI NOSTRI

## BENEDICTI XIV

EDITUM

*circa celebrationem missæ in oratoriis privatis.*

Die septima Januarii MDCCXLI.

Cum duo nobiles conjuges dicœcesis Marsicen. obtinuissent a sede Apostolica indultum pro celebratione missæ in privato suæ domus oratorio sic conceptum : « Dilecte fili, et dilecta in Christo filia salutem, et Apostolicam benedictionem. Spirituali consolationi vestræ, quantum cum Domino possumus, benigne consulere, vosque spiritualibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et vestrum singulares personas a quibus excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus, quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium duntaxat consequendum harum, serie absolventes, et absolutas fore censentes supplicationibus vestro nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, vobis, qui (ut asseritis) locorum Gallichii, et Messanelli Marsicen. seu alterius diœcesis jurisdictionem temporalem in illis, seu eorum altero exercentes baro, et baronissa respective existitis, ut in privatis domorum vestræ habitationis in civitate, et diœcesi Marsicen. existen. oratoriis ad hoc decenter muro extructis, et ornatis seu extruendis et ornandis, ab omnibus domesticis usibus liberis per ordinarium loci prius visitandis, et approbandis, ac de ipsius ordinarii licentia ejus arbitrio duratura, unam missam pro uno quoque die, dummodo in eisdem domibus celebrandi licentia, quæ adhuc duret alteri concessa non fuerit, per quemcumque sacerdotem ab eodem approbatum sæcularem, seu de superiorum suorum licentia regularem, sine tamen quorumcumque jurium parochialium præjudicio, ac Paschatis Resurrectionis, Pentecostes, et Nativitatis Domini nostri Jesu Christi ; aliisque solemnioribus annis festis diebus exceptis, in vestra, ac natorum, consanguineorum et affinium in eadem domo vobiscum insimul habitantium familiæque, et quoad oratoria ruri existentia, etiam in hospitum nobilium, vestrorumque præsentia celebrari facere libere, et licite possitis, et valeatis ac vestrum quilibet possit, et valeat, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, et indulgemus : non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis qui-

Familiares nequeunt in oratoriis privatis diebus de præcepto festivis missam audire.

buscumque. Volumus autem, quod familiares servitiis vestris tempore dictæ mistæ actu non necessarii ibidem missæ hujusmodi interessentes, ab obligatione audiendi missam in ecclesia diebus festis de præcepto minime liberi censeantur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 12. Februarii 1739. »

Cumque extorta esset dubitatio, an ex vi hujusmodi Indulti liceret missam celebrari in privato oratorio, etiam sine præsentia alterutrius ex dictis conjugibus, in quos indulti concessio directa erat, cui quidem dubitationi locum dedit opinio nonnullorum doctorum pro affirmativa, et negativa respective sententia inter se certantium, sacra congregatio Concilii, ad quam hujus quæstionis resolutio delata fuit die 3. Decembris 1740. censuit. Non licere : deinde vero sanctissimus Dominus Noster, reprobata contraria doctorum sententia, prædictam sacræ congregationis resolutionem nedum approbavit, verum etiam præsenti decreto publice evulgando voluit omnibus notum fieri, non posse vigore similis indulti celebrari missam in privatis oratoriis, quando eidem missæ actu non intersit aliquis ex iis, quibus principaliter indultum concessum est, indultum vero principaliter concessum intelligi iis tantum, quibus breve dirigitur nimirum personis illis, quæ a tergo ejusdem Brevi proprio nomine nuncupantur, adeo ut sine præsentia alicujus ex dictis personis minime liceat missæ sacrificium peragi, etiamsi præsens sit aliquis sive ex filiis, sive ex consanguineis, sive ex affinibus sive ex familiaribus, sive demum ex hospitibus nobilibus in eodem brevi memoratis, quippe quibus nil aliud per ejusmodi Brevia conceditur, quam quod unusquisque eorum (dummodo, quod attinet ad familiares juxta clausulam in iisdem Brevibus insertam, non sit ex illis actu non necessariis) assistens missæ, quæ celebratur in oratorio privato in præsentia alicujus ex personis a tergo Brevis proprio nomine nuncupatis, satisfaciat obligationi audiendi missam diebus festis de præcepto. Sublata igitur, et præscripta quacumque minus germana interpretatione ejusmodi Brevium, et indultorum in contrarium hactenus facta, SANCTITAS SUA ita declaravit, et servari omnino mandavit, districte præcipiens, ut omnes episcopi, aliique locorum ordinarii, etiam tamquam a sede Apostolica delegati executioni, et observantiæ hujus decreti diligenter incumbant per canonicas pœnas contra inobedientes eorum arbitrio constituendas.

Requiritur ad celebrandum in oratorio privato præsentia saltem unus indultarii.

A Card. Gentili Præfectus.

C. A. Archiepiscopus Philippen. Secret.

---

CONSTITUTIO

SS. D.

## BENEDICTI PAPÆ XIV.

*circa jejunium quadragesimale*

Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopus et Episcopis universis gratiam, et communionem Sedis Apostolicæ habentibus.

—

BENEDICTUS PAPÆ XIV.

Venerabiles Fratres, Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Non ambigimus, Venerabiles fratres, quin universis catholicæ religionis cultoribus notum sit, a tota per Christianum orbem Ecclesia inter præcipua orthodoxæ disciplinæ capita perpetuo annumeratum retineri quadragesimale jejunium, quod olim in lege, et prophetis primitus adumbratum, ipsius Domini nostri Jesu Christi exemplo veluti consecratum, ab Apostolis traditum, a sacris canonibus ubique præscriptum, et ab universali Ecclesia ab ipso suo primordio retentum, et observatum est. Hoc nimirum, ut veteres tradidere Patres, nobis quotidie peccantibus communis pœnitentiæ constituto remedio, per consortium crucis Christi, nos etiam aliquid in eo, quod ipse propter nos præstitit, agimus ; simulque ad recolenda sacratiora redemptionis nostræ mysteria, quæ per Dominicæ passionis, ac resurrectionis memoriam, quadragesimali potissimum tempore solemnius celebrantur, purificatis jejunio corporibus, et animis dignius paramur. Hoc veluti nostræ militiæ tessera ab inimicis crucis Christi secernimur, flagella divinæ ultionis avertimus, et cœlesti præsidio in dies adversus principes tenebrarum munimur. Hoc despectui habito non contemnendum divinæ gloriæ detrimentum, non leve catholicæ religioni deducus, nec dubium animabus Christifidelium periculum oboritur : nec aliunde populus calamitatem, rebusque publicis, et privatis cladem, exitiumque importatum esse constat. Ab hoc vero insita inhærentique in omnium catholicorum hominum animis de sacratissima quadragesima, aliisque diebus jejunio consecratis persuasione, et reverentia quam aliena, quam discors, quam absona sit hodierna jejunantium consuetudo, quantum ab ipso jejuniorum institutione, et servata semper, ubique, et ab omnibus disciplina quam longissime distet ; Vos Venerabiles Fratres qui populorum curæ vestræ commissorum mores, et usus probe nostis, pro singulari sapientia vestra præ cæteris clarius intelligitis. Nos sane, quibus in hac sublimi Apostolicæ procurationis specula constitutis undique gentium nuntii afferuntur, lacrymis deplorare non possumus, augustissimam quadragesimalis jejunii observantiam ob nimiam nullis legitimis urgentibus causis ubique indiscriminatim dispensandi facilitatem plane sublatam esse ; ita ut orthodoxæ quidem religionis cultores merito querantur ; hæresum vero sectatores illudant, et exultent. Perniciosæ huic corruptelæ plurimorum insuper licentiam adjunctam esse dolemus ; quæ usque adeo invaluit, ut nulla Apostolici instituti sacratissimique præcepti habita ratione, jejuniorum tempore palam, et impune ab iisdem agitentur convivia, et epulæ interdictæ promiscue inferantur. Ea propter quemadmodum quibus curis, sollicitudinibus, et angoribus urgeamur, cum Fraternitatibus vestris communicamus ; ita facere non possumus, quin pro injuncto nobis supremo sacrosancti Apostolatus officio, et ardentissimum Fraternitatum vestrarum zelum ad opportunum hisce malis adhibendum remedium excitemus, et ac congruentes hujusmodi abusibus penitus extirpandis leges præscribendas meditemur. Interea, venerabiles Fratres gaudium, et corona nostra, nobiscum considerantes nihil Deo acceptius, nihil pastorali ministerio nostro dignius, nihil gregibus curæ nostræ commissis utilius, quam ut verbo, et exemplo præeuntes Christifideles ad tam salutarem Christianæ pœnitentiæ, et pietatis exercitationem alacrius suscipiendam constantissime retinendam, et ea, quæ instituta fuit, disciplina peragendam vehementius inflammemus ; omni opera,

Jejunii quadragesimalis neglectus.

atque industria studeamus, ut fideles populi in conspectu Dei per austeriorem jejuniorum observantiam tales permaneant, quales in ipso paschali festo dignum est inveniri. Debitum igitur paternæ uniuscujusque vestrum sedulitatis, et charitatis officium jure postulat, ut omnibus notum faciatis, et annuntietis, nemini quidem sine legitima causa, et de utriusque medici consilio ; multitudini vero, veluti populo aut civitati, aut genti indiscriminatim integræ, nonnisi gravissima, et urgente necessitate, et in casibus per sacra canonum statuta præscriptis cum debita Apostolicæ hujus sanctæ sedis reverentia a quadragesimali jejunio dispensationem toties, quoties opus fuerit concedendam, nec audacter, fidenterque usurpandam, nec superbe et arroganter ab Ecclesia, sicut alicubi in more positum esse accepimus, esse postulandam. Gravissimam vero, urgentemque necessitatem et si non est, cur vobis explicemus, nolumus tamen vos ignorare cum hujusmodi necessitate, et servandam esse potissimum unicam comestionem, sicut alias hic Romæ, ac nos ipsi hoc anno urgentibus causis dispensantes expresse præscripsimus, et licitas, atque interdictas epulas promiscue minime apponendas esse. Porro quemadmodum de ejusmodi indulgentia tam caute impertienda, si secus fieret, nos persuasum habemus, districtam supremo divido judici redditum iri rationem, ita conscientiam uniuscujusque vestrum onerandam esse ducimus. Insimul Fraternitates vestras rogamus, et in Domino exhortantes obsecramus, ut populos, qui communem omnium Christifidelium pœnitentiam, ac disciplinam servare nequeant, commonere satagitis, ne per alia pietatis opera, ut sua cuique devotio suggeret, peccata sua expiare, et Deo satisfacere negligant ; quinimo sanandis vulneribus, quibus humana infirmitas sauciatur, diligentem adhibere studeant curationem, ut culpas de mundano pulvere contractas, dum casta jejunia decoquere non possunt, pia opera, orationum suffragia, et eleemosynæ munera redimant. Iterim solatium et levamen non leve mœrori nostro a pastorali vigilantia, et charitate vestra præstolantes, ac certo nobis pollicentes ; Apostolicam benedictionem cum uberi cœlestium charismatum copia conjunctam in eosdem populos vestros redundaturam, vobis, venerabiles Fratres peramanter impertimur. Volumus autem, ut præsentium transumptis sive exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, et adhiberi posset, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 30. Mensis Maji 1741. Pontificatus Nostri anno primo.

*D. Card. Passioneus.*

---

CONSTITUTIO

SS. D. N.

BENEDICTI PAPÆ XIV.

Ad Episcopos directa,

*Qua superior constitutio circa jejunium declaratur.*

—

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres salutem, et Apostolicam benedictionem.

In suprema universalis Ecclesiæ pro-

curatione, meritis licet imparibus per ineffabilem divinæ bonitatis abundantiam, ut orthodoxæ fidei assertores, sic etiam ecclesiasticæ disciplinæ custodes, ac vindices constituti, quadragesimale præsertim jejunium, quod inter præcipua orthodoxæ disciplinæ capita semper, et ubique ab ipso Ecclesiæ exordio numeratum esse nemo ex Catholicis inficiatur ab hodierna jejunantium corruptela vindicare, et in pristinam, quantum benedicente Domino fieri posset, observantiam revocare cupientes per alias nostras in simili forma Brevis litteras ad Fraternitates vestras diei 30. proxime elapsi mensis Maii currentis anni datas eximium Fraternitatum vestrarum zelum excitandum curavimus, ut adlaborare studeretis, ne hac in parte, et optatum Apostolicæ nostræ sollicitudinis angoribus levamen, et salutare abolendæ sacratissimi jejunii corruptelæ remedium deesset. Qusniam autem paternæ pontificiæ charitatis, quæ novit imbecilitates infirmorum sustinere, atque etiam cum infirmantibus infirmari, non immemores, quemadmodum a jejunio aliquando ex legitima causa, aut gravissima, urgentique necessitate exigente dispensandum esse ex Apostolica benignitate censuimus ; ita inter cætera præscripsimus unicam comestionem servandam, et licitas, atque interdictas epulas minime esse apponendas. Hinc factum esse accepimus, quod non defuerint qui per humanas, et hominibus a Christiania pœnitentia abhorrentibus duntaxat dignas illationes sibi aliisque persuadeant, unicam potissimum comestionem servari, atque epulas licitas, et interdictas minime apponi debere ; cum multitudini quidem indiscriminatim ob urgentem, gravissimamque necessitatem non vero singulis ob legitimam causam, et de utriusque medici consilio dispensatur. Quam sane persuasionem a sententia nostra alienam ut ex omnium animus penitus evellamus. Nos quibuscumque quacumque occasione sive multitudini indiscriminatim ob urgentem, gravissimamque necessitatem, sive singulis ob legitimam causam, et de utriusque medici consilio, dummodo nulla certa, et periculosa affectæ valetudinis ratio intercedat, et aliter fieri necessario exigeat in quadragesimæ aliisque anni temporibus, et diebus, quibus carnium, ovorum, et lacticiniorum esus est prohibitus dispensari contigerit ab omnibus omnino nemine excepto, unicam comestionem servandam, et licitas, atque interdictas epulas minime esse apponendas tenore præsentium declaramus, et edicimus ; quemadmodum per singulas nostras in pari forma Brevis litteras singulis utriusque sexus Christi fidelibus ob corporis infirmitatem, quibus obnoxii reperiuntur, in sacratissima quadragesima, aliisque jejunio consecratis diebus vescendi prohibitis licentiam dantes, unicuique expresse præscribimus, atque præcipimus. Ea propter Fraternitates vestras rogamus, atque in Domino obsecramus, ut populos vestræ curæ commissos ad tam opportunum sanandis vulneribus, quibus per humanam infirmitatem quisque sauciatur, sanctissimi jejunii remedium alacriter adhibendum cohortantes, sedulo, ac paterne moneatis, rem agi non quidem exiguam, sed longe gravissimam de observando, sustinendoque jejunio purificandis animis, corporibusque salutari. In spem igitur illos erigite cœlestium præmiorum, quibus assequendis non sunt condignæ passiones hujus temporis, imo leve, ac momentaneum non tribulationis, sed modicæ abstinentiæ nostræ incommodum magnum gloriæ pondus operatur in cœlis. Ab omnibus se abstinent, qui in agone contendunt, ut corruptibilem coronam accipiant ; pudeat tam imbelles ac delicatos Christianæ militiæ refugientes a consortio crucis Christi, qui coronam legitime certantibus propositam sperare præcipit incorruptam, ad cujus auspicium, et pignus Fraternitatibus vestris Apostolicam benedictionem iisdem etiam populis vestris nostro nomine impertiendam pe-

ramanter elargimur. Volumus autem, ut præsentium transumptis, sive exemplis etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, et adhiri posset, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 12. Mensis Augusti 1741. Pontificatus nostri anno secundo.

*D. Cardinalis Passionеus.*

---

SS. D. N.

## BENEDICTI PAPÆ XIV.

Epistola encyclica ad episcopos directa.

*Qua duæ superiores constitutiones circa jejunium declarantur.*

—

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres salutem, et Apostolicam benedictionem.

Libentissime quidem amplectimur, quæ nobis offeruntur, occasiones ad vestros animos excitandos, ut ecclesiasticæ disciplinæ reparandæ sedulam curam conferatis : Etenim summi Pontificatus dignitati, ad quam nos, licet immerentes, erecti fuimus, conjunctam esse intelligimus sollicitudinem aliarum ecclesiarum, nobisque commendatam, qui plane tenuitatem virium nostrarum non ignoramus.

Cum itaque præsentium litterarum argumentum totum sit de jejunio, quod tempore quadragesimæ, veteri Ecclesiæ instituto, ac lege fidelibus indicitur, supervacaneum ducimus longa morationem conficere de quadragesimæ institutione, et Patrum, et conciliorum omnes super hac re in medium proferre auctoritates : Difficile id quidem nobis parum videretur, sed potius alienum, et nullo modo consentaneum Vobis, quos doctrinæ laude, canonum, et sacræ historiæ cognitione præstantes arbitramur. Porro ad scribendas has litteras adducti fuimus gravissimis illis verbis Tridentinæ Synodi, quæ sess. xxv. *de Ref.* præcipit episcopis omne studium impendere, ut fideles ipsorum curæ traditi magna religione perficiant ea, quæ a sacris canonibus præscribuntur : ut illis omnibus, et iis præcipue sint obsequentes, quæ ad mortificandam carnem conducunt, ut ciborum delectus et jejunia.

Ubi primum Bononiensem ecclesiam administrandam suscepimus (ad quam beneficio Clementis XII. fel. record. ab sede Anconitata translati fuimus) mandatum evulgavimus (quod libro primo institutionem nostrarum pro viris ecclesiasticis decimo quinto loco continetur) in illo plures difficultates indicavimus, ob quas minime solvendos jejuni legibus putabamus illos, qui ob legitimam causam, et legitima prius auctoritate interposita, quadragesimæ abstinentiam non observarent ; minime, inquam, solvendos a jejunio, ita ut liceret ipsis quolibet die mensam bis instituere, non unica vice, vespertina superaddita refectione, quæ permitti jejunantibus consuevit. Tandem in hac pontificia sede collocati rem totam in examen iterum revocavimus, et præstantissimis quoque viris demandavimus ipsam diligenter, accurate-

que perpendere, ac suas denique opiniones nobis exponere. His peractis hujusmodi controversiæ finem tribuere constituimus, illudque decrevimus, ne ulla imposterum sive peculiaris, sive generalis pro aliqua civitate, vel oppido concedatur facultas adhibendi carnes ad mensam tempore jejunii, vel quadragesimæ, nisi conditio servandi jejunii, sive unius comestionis interponatur ; et illud quoque monitum addatur, nequaquam licere mensam eamdem carne ac piscibus instruere. Equidem declinatis hac ratione nimium implicatis quæstionibus existimavimus unicam singulis diebus comestionem inducere illis etiam, qui carnibus uti, cum jejunium indicitur rite obtinuerunt ; et pravam illam consuetudinem, quæ apud multos nimis invaluerat, penitus evellere, afferendi nempe carnes in mensam cum piscibus, postquam ipsi quadragesimalis abstinentiæ præcepto soluti fuerunt, ob eam potissimum causam, quod grave detrimentum saluti ab esu piscium accipiant.

Hæc apertissime constat ex nostris Apostolicis litteris, quas in forma Brevis dedimus ad omnes episcopos orbis catholici anno 1741. quarum primæ incipiunt. *Non ambigimus ;* alteræ vero : *In suprema.* Nos profecto nulli unquam elargiti sumus vesci carnibus, cum tempus quadragesimæ, sive aliud jejunium præcipitur, nisi indicta, scriptaque conditione, quam superius commemoravimus. Maximam pariter lætitiam percepimus redditæ nobis fuerunt plures epistolæ, ac mandata vestra litteris nostris Apostolis omnino consentanea, quibus pro virili parte contendistis adducere populos vobis subjectos, ut propositam in illis disciplinam pie servarent.

Interim promulgatis iisdem Apostolicis litteris, quas paulo ante nominavimus, plures cavillationes excogitatæ sunt a nonnullis, uti nos antea facili conjectura suspicati fuimus. Plures etiam quæstiones propositæ nobis fuerunt exigui quidem ponderis, ac momenti, quemadmodum nos opinamur ; cùm illæ, vel ipsius legis verbis, vel sensu penitus corruant, ac dissolvantur. Attamen sacro tribunali nostro pœnitentiariæ rerum hujusmodi conscio, ac peritissimo easdem quæstiones expendendas commisimus, quibus omnibus plene, cumulateque, quoties opus fuit, satisfecit.

Archiepiscopus Compostellæ in Hispaniarum regnis primus inquisitor nuperrime vita functus longam ad nos dedit epistolam, qua plures recensebat difficultates, quæ litteris nostris Apostolicis adversabantur, quominus executioni mandarentur, eo quod nonnulli theologi in diversas opiniones, ac sententias abirent in solvendis quibusdam quæstionibus, quibus litteræ nostræ Apostolicæ causam, et occasionem præbebant ; ac proinde de illis judicium nostrum exquirebat. Equidem archiepiscopi litteræ nos gravissimis, ac difficillimis temporibus occupatos deprehenderunt ; attamen, dum quæstiones in ipsis expositas percurrimus, visum nobis est non quidem expeti, ut iis quæstionibus responsum fieret, ipsisque solutis nullum impedimentum sive obstaculum nostris litteris Apostolicis superesset ; sed potius, ut objectis cavillationibus ad optatum finem ipsæ minime adducerentur. Accedit etiam quod epistola archiepiscopi multis argumentationibus, et obscuris vocibus redundabat ; quamobrem licet plures hortarentur, ne ullum archiepiscopo responsum redderemus ; illi tamen satisfecimus, res præcipuas ex ejus litteris delibantes, et quæstiones omnes ad certum numerum redigentes. Primum nostris occupationibus tribuendum testati sumus, quod tarde ipsi responsum daremus, ejus studium commendavimus, et etiam magnopere probavimus, quod anceps ac dubius ad hanc sanctam Sedem confugerit, ut consilium exposceret. Deinde prolatis quæstionibus satisfacere non prætermisimus, illum tamen monentes de instituto summorum Pontificum, qui leges condere solent, disciplinam decernere, neque

ullam habere rationem illorum, qui dubitandi causas objiciunt, ut quæ constituta sunt, perturbent, ac evertant.

Vix redditis litteris archiepiscopus paulo post vitæ cursum absolvit : Itaque non immerito suspicamur, responsa nostra, quæ litteris continebantur haud cognita fuisse, et perspecta illis, qui quæstiones excitaverant. Post hæc alii pariter ex Hispanis episcopis nonnullas ex eisdem quæstionibus nobis proposuerunt ; quare iisdem responsis usi sumus, quæ tradita prius archiepiscopo Compostellæ a nobis fuerant. Non defuerunt etiam præstantes inter Italos theologi, qui litteras nostras Apostolicas datas anno 1741. egregiis commentariis illustrarunt. Idem contigit responso, quod fecimus archiepiscopo Compostellæ die 8. Julii anno 1744. quod sane integrum suis libris præfigendum curaverunt. At quoniam libri ejusmodi ad vos fortasse nondum pervenerunt, vel curis aliis distenti illos percurrere minime potuistis, his litteris encyclicis adjungimus illas pariter, quas (uti dictum sæpius est) ad archiepiscopum Compostellæ jampridem scripsimus, ut quæ disciplina, vestris in diœcesibus tenenda sit, plane cognoscatis, ac ne vos deterreant difficultates, si quæ a captiosis hominibus concitentur.

---

SS. D. N.

## BENEDICTI PAPÆ XIV.

CONFIRMATIO, ET AMPLIATIO CONSTITUTIONIS SANCTÆ MEMORIÆ.

## GREGORII PAPÆ XV.

*Contra Sacerdotes eorum pœnitentes in confessionibus sacramentalibus ad turpia sollicitantes.*

—

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Sacramentum pœnitentiæ, quam secundam post naufragium deperditæ gratiæ tabulam sancti Patres apte nuncuparunt, nos licet immerentes ad universi dominici gregis curam superna dispositione vocati, omne studium, et pastoralem sollicitudinem adhibere tenemur, ne quod post amissam baptismi innocentiam datum est divina benignitate perfugium, per dæmonum fraudem, et hominum Dei beneficiis perverse utentium malitiam naufragiis, ac miseris peccatoribus luctuosum evadat exitium ; et quod in salutem et curationem animarum a Deo, qui dives est in misericordia, institutum est, execrabili scelestorum quorumdam sacerdotum improbitate in earum perniciem, atque interitum vertatur.

Dudum quidem a fel. rec. Gregorio Papa XV. prædecessore nostro per suas litteras in forma brevium sub datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem die 30. Augusti 1622. Pontificatus sui anno

secundo, sapienter provisum fuit contra quoscumque sacerdotes audiendis confessionibus deputatos ad turpia, et inhonesta sollicitantes ; et deinceps successivis temporibus ad earum litterarum interpretationem, ad declarationem plura subinde a congregatione vener. fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium adversus hæreticam pravitatem Inquisitorum sub die 11. mensis Februarii anno Domini 1661. prodierunt decreta, et a rece. mem. Alexandro Papa VII. pariter prædecessore nostro in congregatione generali sanctæ Romanæ universalis inquisitionis die 24. Sept. 1665. coram eo habita, inter alias ab evangelica veritate, et sanctorum Patrum doctrina alienas et dissonas propositiones, sexta videlicet, et septima, huc revocandæ, damnatæ, et prohibitæ fuerunt ; nos itaque mature perpendentes quanti momenti sit ad æternam animarum saluteu ea ubique exacte observari, et quanti ad infirmas oves curandas, et decorem S. ecclesiæ Dei retinendum intersit, ne aliqui sacerdotes pœnitentiæ sacramento nefarie abutentes pœnitentibus procuratione vulnus, pro pane lapidem, pro pisce serpentem, pro medicina venenum porrigant, sed animo secum recolentes, se a Christo Domino præsides, et judices animarum constitutos, ea sanctitate, quæ sublimitati, ac dignitati muneris convenit, tam venerandum sacramentum administrent, motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione nostra præfatas litteras hujusmodi, ac omnia et singula decreta prædicta ad illarum interpretationem, et declarationem emanata Apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus, et confirmamus, illisque omnibus, et singulis inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus ; atque etiam, quatenus opus sit, denuo committimus et mandamus omnibus hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, et locorum Ordinariis omnium regnorum, provinciarum, civitatum, dominiorum, universi orbis Christiani in suis respective diœcesibus, ut diligenter, omnique humano respectu postposito inquirant, et procedant contra omnes et singulos sacerdotes tam sæculares, quam regulares quomodolibet exemptos, ac sedi Apostolicæ immediate subjectos, quorumcumque ordinum, institutorum, societatum, congregationum, et cujuscumque dignitatis et præeminentiæ : aut quovis privilegio et indulto munitos qui aliquem pœnitentem, quæcumque persona illa sit, vel in acte sacramentalis confessionis, vel ante, vel immediate post confessionem, vel occasione aut prætextu confessionis, vel etiam extra occasionem confessionis in confessionali, sive in alio loco ad confessiones audiendas destinato aut electo, cum simulatione audiendi ibidem confessionem ad inhonesta, et turpia sollicitare, vel provocare, sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam, aut tunc, aut post legendam tentaverint, aut cum eis illicitos et inhonestos sermones, vel tractatus temerario ausu habuerint ; et quos in aliquibus hujusmodi nefariis excessibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate, et circumstantiis severe animadvertant per condignas pœnas juxta memoratam Gregorii prædecessoris nostri constitutionem, quam hic de verbo ad verbum pro inserta haberi volumus ; dantes etiam si opus sit, et rursus concedentes facultatem, ne delictum tam enorme, et Ecclesiæ Dei injuriosum remaneat ob probationum defectum impunitum, jam alias in præfata constitutione tributam procedendi cum testibus etiam singularibus, dummodo præsumptiones, indicia, et alia adminicula concurrant.

Pœnitentes confessarium sollicitantem denuntiare tenentur.

Meminerint præterea omnes, et singuli sacerdotes ad confessiones audiendas constituti teneri se, ac obligari suos pœnitentes, quos noverint, fuisse ab aliis ut supra sollicitatos, sedulo monere juxta occurrentium casuum circumstantias de obligatione denuntiandi Inquisitoribus, sive locorum Ordinariis prædictis personam, quæ sollicitationem commiserit,

etiamsi sacerdos sit, qui jurisdictione ad absolutionem valide impertiendam careat, aut sollicitatio inter confessarium, et pœnitentem mutua fuerit, sive sollicitationi pœnitens consenserit, sive consensum minime præstiterit, vel longum tempus post ipsam sollicitationem jam effluxerit, aut sollicitatio a confessario non pro seipso, sed pro alia persona peracta fuerit. Caveant insuper diligenter confessarii, ne pœnitentibus, quos noverint jam ab alio sollicitatos, sacramentalem absolutionem impertiant, nisi prius denuntiationem prædictam ad effectum perducentes delinquentes indicaverint competenti judici, vel saltem se, cum primum poterunt, delaturos spondeant, ac promittant.

In denuntiantes calumniose animadvertitur.

Et quoniam improbi quidam homines reperiuntur, qui odio, vel ira, vel alia indigna causa commoti, vel aliorum impiis suasionibus, aut promissis, aut minis, aut alio quovis modo incitati, tremendo Dei judicio posthabito, et Ecclesiæ auctoritate contempta, innoxios sacerdotes apud ecclesiasticos judices falso sollicitationis insimulant: ut igitur tam nefaria audacia, et tam detestabile facinus metu magnitudinis pœnæ coerceatur, quæcumque persona, quæ execrabili hujusmodi flagitio se inquinaverit, vel per seipsum innocentes confessarios impie calumniando, vel sceleste procurando, ut id ab aliis fiat; a quocumque sacerdote quovis privilegio, auctoritate, et dignitate munito, præterquam a nobis, nostrique successoribus, nisi in fine vitæ, et excepto mortis articulo spe absolutionis obtinendæ, quam nobis, et successoribus prædictis reservamus, perpetuo careat.

Demum magnopere cupientes a sacerdotalis judicii et sacri tribunalis sanctitate omnem turpitudinis occasionem et sacramentorum contemptum, et Ecclesiæ injuriam longe summovere, et tam exitiosa hujusmodi mala prorsus eliminare, et quantum in Domino possumus, animarum periculis occurrere, quas sacrilegi quidam dæmonis potius, quam Dei ministri, loco eas per sacramentum creatori suo, ac nostro reconciliandi, « majori peccatorum mole onerantes in profundum iniquitatis barathrum nefarie submergunt, nonnullorum venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium, et aliquorum in theologia magistrorum consilio desuper adhibito, accedentibus quoque iteratis pluriumepiscoporum supplicationibus, hac nostra in perpetuum valitura sanctione, quemadmodum a pluribus episcopis per synodales suas constitutiones jam factum esse novimus, omnibus, et singulis sacerdotibus tam sæcularibus, quam regularibus cujuscumque ordinis, ac dignitatis, tametsi alioquin ad confessiones excipiendas approbatis, et quovis privilegio et indulto, etiam speciali expressione et specialissima nota, et mentione digno suffultis, auctoritate Apostolica, et nostræ potestatis plenitudine interdicimus, et prohibemus, ne aliquis eorum extra casum extremæ necessitatis, nimirum in ipsius mortis articulo, et deficiente tunc quocumque alio sacerdote qui confessarii munus obire possit, confessionem sacramentalem personæ complicis in peccato turpi, atque inhonesto cantra sextum decalogi præceptum commisso excipere audeat, sublata propterea illi ipso jure quacumque auctoritate, et jurisdictione ad qualemcumque personam ad hujusmodi culpam absolvendam, adeo quidem, ut absolutio si quam impertierit, nulla atque irrita omnino sit, tanquam impertita a sacerdote, qui jurisdictione ac facultate ad valide absolvendum necessaria privatus existit, quam ei per præsentes has nostras adimere intendimus. Et nihilominus si quis confessarius secus facere ausus fuerit, majoris quoque excommunicationis pœnam, a qua absolvendi potestatem nobis solis, nostrisque successoribus duntaxat reservamus, ipso facto incurrat: Declarantes etiam, et decernentes, quod nec etiam in vim cujuscumque jubilæi, aut etiam bullæ quæ

Confessa sollicita omnis ju dictos complic absolve dum adi tur.

Et si ab vere pra mat, nu prorsus absolu ipseque solvens commun tione ma innodat

papellatur cruciatæ sanctæ, aut alterius cujuslibet indulti confessionem dicti complicis hujusmodi quisquam valeat excicepe, eique sacramentalem absolutionem elargiri; cum ad hunc effectum, et in hoc casu nullus confessarius, utpote qui in hujusmodi peccati et pœnitentis genere jurisdictione, ut præfertur, careat, et absolvendi faculta a nobis privatus existat, habendus sit pro confessario legitimo, et approbato. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis præsertim, quæ nuncupantur cruciatæ sanctæ, vel jubilæi universalis et plenarii, necnon quibusvis ecclesiarum, et monasteriorum, et ordinum quorumlibet, quorum ipsi sacerdotes fuerint, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis clausulis, et decretis, etiam motu proprio, aut alias quomodolibet concessis, etiam iteratis vicibus approbatis, et innovatis; Quibus omnibus, eorum tenores præsentibus pro expressis habentes hac vice duntaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Volumus dæmum, ac præcipimus, ut omnes locorum Ordinarii tam præsentes, quam futuri pro tempore existentes in approbatione confessariorum tam prædictam constitutionem Gregorii prædecessoris, quam præsentem hanc nostram ab omnibus sacerdotibus approbandis attente legi, et accurate observari curent, moneantque eos in Domino, atque hortentur, ut sacrum ministerium ipsorum fidei commissum summa animi innocentia, morum puritate, judicii integritate peragant, exhibeantque semetipsos, ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei; memores prætera sint se locum tenere, ac vices obire summi atque æterni sacerdotis, qui sanctus, innocens, impollutus per Spiritum
Hebr. IX, 14. sanctum *semetipsum obtulit immaculatum Deo, ut emundaret conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi :* Sedulo igitur studeant, diligenterque caveant, ne quærentibus et pulsantibus eorum culpa cœlum claudatur, ne deperditæ oves ad ovile Dominicum redire properantes eorum manibus ferarum dentibus dilaniandæ tradantur, ne prodigi filii egentes et saucii ad cœlestem Patrem revertentes nefaria eorum improbitate gravioribus peccatorum vulneribus, dum adhuc in via sunt, consodiantur.

Ut autem præsentes litteræ ad omnium notitiam facilius deveniant, et nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus illas, seu earum exempla ad valvas ecclesiæ Lateranensis, et basilicæ principis Apostolorum, necnon cancellariæ apostolicæ, curiæque generalis in monte citatorio, ac in acie campi Floræ de Urbe ut moris est affigi, et publicari, sicque publicatas, et affixas omnes, et singulos quos illæ concernunt, perinde arctare et afficere, ac si unicuique eorum nominatim et personaliter intimatæ fuissent: ut pote ipsarum præsentium litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud, ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostræ voluntatis, sanctionis, præcepti, mandati, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ

1741. Kalen. Junii Pontificatus Nostri anno primo.

VISA DE CURIA
N. Antonellus. X. Sub-Datarius

Pro D. Card. Passioneo
Cajetanus Amatus.

Loco Plumbi. J. B. Eugenius.

---

## DECLARATIO

SUPERIORIS CONSTITUTIONIS INCIPIENTIS

*Sacramentum pœnitentiæ*

Anno 1741. edita.

—

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Apostolici muneris partes in procuranda præcipue rerum sacrarum pura illabataque penitus administratione versari debere probe intelligentes non modo, et assiduis hortationibus, et justa, ubi res postulat, legum severitate, ut ab ecclesiasticis quibusque ministris sancta sancte tractentur, quantum cum Domino possumus providere studemus, verum etiam leges ipsas, ne forte sinistris interpretationibus in alterutram extramam partem, aut immoderati rigoris, aut detestabilis laxitatis perperam detorqueantur, opportune communire, ac roborare pro earumdem tuendo vigore cum occasio poposcerit non prætermittimus. Sane cum nos alias per quamdam nostram constitutionem cujus initium est : *Sacramentum Pœnitentiæ*, anno Incarnationis Dominicæ 1741. 1. Kalendis Junii Pontificatus nostri anno primo editam omnibus, et singulis sacerdotibus tam sæcularibus, quam regularibus interdiximus, et prohibuimus, ne aliquis eorum extra casum extremæ necessitatis ; nimirum in ipsius mortis articulo, et deficiente tunc quocumque alio sacerdote, qui confessarii munus obire possit, confessionem sacramentalem personæ complicis in peccato turpi, atque inhonesto contra sextum decalogi præceptum commisso excipere auderet ; ita ut absolutio, si quam impertivisset, nulla, atque irrita omnino esset, tanquam impertita a sacerdote, qui jurisdictione, et facultate ad valide absolvendum necessaria ipsi per nos vigore ejusdem constitutionis adempta privatus existeret, et alias prout in memorata constitutione, cujus tenorem præsentibus pro plene et sufficienter expresso, et inserto haberi volumus, uberius dicitur contineri. Cum nos subinde super ea dictæ constitutionis parte, quæ mortis articulum respicit, dubitationes quasdam exortas fuisse accepimus, quarum resolutionem privato cujuscumque judicio relinquendam minime existimamus ; ne lex incertis conjecturis et opinionibus jactata in sensus a mente nostra alienos forsitan distrahatur, ejusque vigor paulatim languat atque enervetur. Hinc est, quod nos omnem dubitandi rationem quantum cum Domino possumus, de medio auferre cupientes, motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine memoratam constitutionem nostram cum omnibus, et singulis in ea contentis, tenore præsentium, quatenus opus sit, confirmamus, illamque integre, penitus, et omnino, atque ab illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter et inconcusse observari præcipi-

mus et mandamus. Præterea habita super his cum venerabili fratre nostro Vincentio episcopo Prænestino sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinali Petra nuncupato, pœnitentiario nostro majori, ac dilectis filiis officii pœnitentiariæ apostolicæ ministris, qui rem jussu nostro mature perpenderent, deliberatione, motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus edicimus, ac declaramus, eadem constitutione singulis, ut supra, sacerdotibus, quemadmodum interdictum non est in mortis articulo personam in prædicto turpi peccato complicem confitentem audire, atque ab ejusmodi quoque culpa rite contritam absolvere, deficiente tunc quocumque alio sacerdote, qui confessarii munus obire possit, ita interdici reipsa, et prohiberi prædicto modo tunc audire et absolvere, ut si alius aliquis sacerdos non defuerit, etiamsi forte iste alius simplex tantummodo sacerdos fuerit, sive alias ad confessione audiendas non approbatus, possit nihilominus ipse sacerdos simplex confessionem excipere, ac absolutionem impertire : Porro si casus urgentis qualitas, et concurrentes circumstantiæ, quæ vitari non possint ejusmodi fuerint, ut alius sacerdos ad audiendam constitutæ in dicto articulo personæ confessionem vocari, aut accedere sine gravi aliqua exoritura infamia, vel scandalo nequeat, tunc alium sacerdotem perinde haberi censerisque posse, ac si revera abesset, atque deficeret, ac proinde in eo rerum statu non prohiberi socio criminis sacerdoti absolutione pœnitenti ab eo quoque crimine impertiri. Sciat autem complex ejusmodi sacerdos, et serio animadvertat fore se reipsa coram Deo, qui irrideri non potest, reum gravis adversus prædictam nostram constitutionem inobedientiæ, latisque in ea pœnis obnoxium, si prædictæ infamiæ, aut scandali pericula sibi ultro ipse confingat. ubi non sant : imo intelligat teneri se graviter hujusmodi pericula quantum in se erit antevertere, vel removere opportunis adhibitis mediis unde fiat, ut alteri cuivis sacerdoti locus pateat illius confessionis absque illius infamia vel scandalo audiendæ. Ita enim ipsum teneri vigore memoratæ nostræ constitutionis declaramus ; et nunc quoque ita ipsi faciendum esse districte mandamus et præcipimus. Quod si idem sacerdos. aut quovis modo sese nulla gravi necessitate compulsus ingesserit, aut ubi infamiæ, vel scandali periculum timetur, et alterius sacerdotis opera requirenda sit, ipse ad id periculum avertendum congrua media adhibere de industria neglexerit, atque ita personæ in dicto crimine complicis, eoque in articulo, ut præfertur, constitutæ sacramentalem confessionem excipere, ab eoque crimine absolutionem largiri nulla, sicut præmittitur, necessaria causa cogente præsumpserit, quamvis hujusmodi absolutio valida futura sit, dummodo ex parte pœnitentis dispositiones a Christo Domino ad sacramenti pœnitentiæ valorem requisitæ non defuerint : Non intendimus autem pro formidando mortis articulo eidem sacerdoti quantumvis indigno necessariam jurisdictionem auferre, ne hac ipsa occasione aliquis pereat ; nihilominus sacerdos ipse violatæ ausu ejusmodi temerario legis pœnas nequaquam effugiet ; ac propterea latam in dicta constitutione majorem excommunicationem, eodemque plane modo quo ibidem decernitur, nobis, et huic sanctæ sedi reservatam incurrat, prout illum eo ipso incurrere declaramus, volumus, atque statuimus. Non obstantibus omnibus, et singulis illis quæ in præfata nostra constitutione voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis cadem prorsus fides in judicio. et extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Si hæc non ad sint, valida etiam est absolutio, sed absolvens incurrit excommunicationem majorem Papæ reservatam.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam

Majorem sub Annulo Piscatoris die 8 Februarii 1745. Pontificatus Nostri anno quinto.

D. Cardinalis Passioneus.

---

CONSTITUTIO

SS. D. N.

## BENEDICTI PAPÆ XIV.

*Qua cessiones commodi exigendi fructus beneficiorum prohibentur.*

—

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Universalis Ecclesiæ cura, quam inscrutabilis divinæ sapientiæ, atque bonitatis altitudo humilitati nostræ committere dignata est, inter cæteras sollicitudines exigit etiam ac postulat, ut diligenter invigilemus, ne clerici ecclesiasticis beneficiis, quæ e liberali Ecclesiæ manu acceperunt, abutentes, eorum redditus, non sine aliorum fidelium scandalo, inconsulta prodigalitate disperdant, sed tanquam boni dispensatores ita administrent, ut et vitæ suæ necessaria provideant, et pauperum inopiæ, et ecclesiarum necessitatibus succurant.

Relatum est ad aures nostras, quosdam clericos ecclesiasticis beneficiis cum onere, vel sine onere residentiæ provisos, turpibus ut plurimum ex causis impulsos, annuos eorumdem beneficiorum redditus, quos, donec viverent, percipere possent, unico actu alienare sub nomine cedendi commodum, seu utilitatem percipiendi fructus eorumdem beneficiorum, quos alteri quoad vixerint, vendunt, recepta pecunia ad eam summam, et quantitatem, quam ipsi, habita ratione eorum ætatis, et corporis valetudinis, durante vita, verisimiliter consequi potuissent. Cum autem isti improvidi clerici instar illius prodigi filiifamilias, de quo in Evangelio scriptum est, cum substantiam suam a Patre recepisset, totam statim consumpsisse luxuriose vivendo, et deinde facta fame valida, coactum esse vivere de siliquis immundorum animalium; pia Ecclesiæ subsidia et ecclesiasticos proventus in suas explendas cupiditates improbo hujusmodi contractu profundant; multa hinc et gravia mala, ut experientia ipsa compertum est, evenire solent. Nam primum non leve dedecus ecclesiastico ordini inuritur, et grave reliquis fidelibus scandalum generatur, dum vident ecclesiasticas pecunias, quæ sunt vota fidelium, bona pauperum, patrimonium Christi in pravos usus insumi, vel improvida profusione dissipari, quæ ab ecclesiasticis tanquam probis dispensatoribus in solamen pauperum, et ecclesiarum restaurationem impudi deberent. Præterea sæpe hujusmodi clerici ad summam rediguntur egestatem, ut se sustentare non possint, vel indecore non sine infamia clericalis gradus mendicant, vel indignis quæstibus, et negotiis operam præbent, ecclesiam autem et ecclesiasticas res quodammodo aversantur quasi fraudati mercede, vel stipendiis suis, quæ nullius culpa, sed solum vitio, et flagitiis suis amiserunt; Ideo ecclesiastica munera, vel nunquam, vel negligenter obeunt, divinam psalmodiam, si ad eam in publicis ecclesiis ratione suorum beneficiorum teneantur, frequenter omittunt, vel oscitanter persolvunt, ecclesiasticos cœtus non frequentant, animarum salutem non curant, divina fastidiunt, mundana sectantur.

Volentes igitur hanc improbam con-

suetudinem, et non ferendam pravitatem, qua non mediocriter clericalis ordinis minuitur, et honor conculcatur, Ecclesiæ autem debito servitio, pauperes opportunis subsidiis, et sacræ ædes necessariis reparationibus et ornamentis fraudantur, penitus abolere, motu proprio, ac certa scientia, et matura deliberatione nostris, neque Apostolicæ potestatis plenitudine omnibus clericis quacumque dignitate, præeminentia, honore, et privilegio insignitis interdicimus et prohibemus, ne in posterum audeant sub nomine alienandi utilitatem, et commodum percipiendi fructus, vel alio quovis titulo prætextu, et colore vendere, ac distrahere suorum respective beneficiorum reditus et proventus, vel ad vitam vel in longum tempus, recepta ab emptore per unam, vel plures solutiones pecuniarum quantitate, quam ipsi beneficiati per ejusdem temporis, vel vitæ spatium probabiliter consequi potuissent, sub pœna excommunicationis et nullitatis actus seu contractus, et omnium inde consecutorum, aliisque pœnis inflictis, præscriptis, et statutis contra alienantes bona Ecclesiæ, quas rursus hic contra eosdem clericos sic contrahentes renovare, decernere, ac statuere intendimus et volumus. Et insuper ab uberiorem cautelam et quatenus opus sit, omnes hujusmodi contractus, quos in futurum fieri contigerit, motu, scientia, deliberatione, et potestate simili damnamus, reprobamus, cassamus, irritamus, et annullamus, eosque nullos, cassos, ac irritos decernimus, et declaramus, illosque suis auctoribus tanquam invalidos, cassos, irritos, atque inanes, viribusque, et effectu ab initio vacuos neque in judicio, neque extra ad ullum effectum suffragari debere, neminemque ad eorum observantiam obligari, etiamsi pluries juramento firmati et vallati sint, sed nullum inde jus cuicumque, aut actionem vel titulum etiam coloratum possidendi, aut præscribendi per quodvis longissimum temporis spatium acquiri unquam posse pariter præcipimus, et jubemus.

Decernentes easdem præsentes litteras, et in eis contenta quæcumque nullo unquam tempore impugnari, et retractari posse, sed semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter observari : sicque et non aliter in præmissis omnibus et singulis per quoscumque judices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii Apostolici auditores, ac prædictæ sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales, etiam de latere legatos, et sedis Apostolicæ præfatæ nuntios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, et potestate fungentes et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere ; ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari : non obstantibus quibuscumque privilegiis, indultis, concessionibus, et gratiis Apostolicis tam generalibus, quam particularibus, quantumvis speciali mentione, et nota dignis quibuscumque archiepiscopis, episcopis, et aliis superioribus, et inferioribus ecclesiarum prælatis etiam sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus, ac eorum et nostris familiaribus continuis commensalibus, necnon litterarum Apostolicarum scriptoribus, abbreviatoribus, cæterisque Romanæ curiæ officialibus concessis et confirmatis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Ut autem facilius præsentes litteræ omnibus innotescant, et nemo prætextu illarum ignorantiæ excusari possent, jubemus easdem ad valvas ecclesiæ Lateranensis, et principis Apostolorum necnon cancellariæ Apostolicæ, curiæque generalis in Monte citatorio, ac in acie campi Floræ de Urbe, aliisque locis solitis et consuetis, ut moris est, publicari, earumque exempla affigi : Volumusque eas sic publicatas omnes et singulos pe-

rinde afficere et obligare, ac si illis ipsis fuissent singulariter intimatæ : Exemplis quoque prædictis etiam impressis, manuque notarii publici, et sigillo prælati ecclesiastici, vel ejus curiæ obsignatis eamdem prorsus fidem adhiberi, quæ ipsis præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri decreti, constitutionis, declarationis, annullationis, infirmationis, prohibitionis, interdicti, ac voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac BB. Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingesimo quadragesimo primo, quarto Kalendas Septembris Pontificatus Nostri anno secuudo.

VISA DE CURIA.
N. Antonellus.

X. Sub-Datarius.
*D. Cardinalis Passioneus.*

Loco plumbi.
*J. B. Eugenius.*

---

## CONSTITUTIO

SS. D. N.

## BENEDICTI PAPÆ XIV.

*Qua præscribitur ordo, et forma in judiciis causarum matrimonialium super matrimoniorum validitate, vel nullitate declanda servandus.*

—

BENEDICTUS EPISCOPUS.

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Dei miseratione, cujus judicia incomprehensibilia sunt, et viæ investigabiles, in suprema Ecclesiæ specula immerentes constituti, ut super universum Dominicum gregem excubias sedulo agamus, ad commissum pastoralis officii munus pertinere dignoscimus, subnascentes ex infernalis hostis astutia, et hominum malitia abusus, quibus et animarum saluti pernicies, et sacramentis Ecclesiæ injuria infertur, radicitus evellere, et potestatis nobis desuper traditæ operam interponere, ut et humana cohibeatur temeritas, et veneranda divinæ legis servetur auctoritas.

Siquidem matrimonii fœdus a Deo institutum, quod et quatenus naturæ officium est pro educandæ prolis studio, aliisque matrimonii bonis servandis, perpetuum, et indissolubile esse convenit ; et quatenus est catholice sacramentum, humana præsumptione dissolvi non posse, Salvator ipse ore suo pronuntiavit dicens : *Quod Deus conjunxit, homo non separet :* Ad aures Apostolatus nostri pervenit in quibusdam ecclesiasticis curiis inconsulta nimis judicum facilitate infringi, et temere, atque inconsiderate de eorumdem matrimoniorum nullitate latis sententis potestatem conjugibus fieri transeundi ad alia vota. Quos sane improvidos judices humanæ naturæ conditione, et voce ipsa quodammodo admoneri oportebat, ne tam præcipiti audacia sanctum matrimonii nexum frangerent, quem perpetuum atque indissolubilem primus humani generis parens prænuit inquiens : *Hoc nunc os ex ossibus* Gen. II, *meis, et caro de carne mea :* Et illud additum est : *Quamobren relinquet homo* Ibid. v.

*patrem suum et matrem et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una.*

Hujusmodi autem abolendæ pravitatis notitia diversis ex partibus nobis delata est, atque etiam indicata sunt exempla nonnullorum virorum, qui post primam et secundam, ac tertiam quam duxerant, uxorem; ob nimiam judicum præcipitantiam in nullitate matrimoniorum declaranda, adhuc illis primis uxoribus superstitibus ad quartas contrahendas nuptias devenerant, et similiter feminarum, quæ post primum, secundum, et tertium maritum, quarto etiam illis quoque viventibus se junxerant, non sine pusillorum scandalo, et bonorum omnium detestatione, qui sacra matrimonii vincula ita contemni et temere perfringi dolebant. Nos autem his intellectis gravi affecti dolore intimo animo ingemuimus, et non prætermissimus Apostolicæ nostræ sollicitudinis partes in Domino adimplere. Sic quidem primo Pontificatus nostri anno ad episcopos illarum partium, in quibus prædicta acciderant, plenissimis datis litteris, graviter conquesti sumus de hujusmodi pravitate, quæ in ecclesia Dei tolerabatur, et ad eam abolendam eorum animos erigere, et pastoralem zelum accendere curavimus : quod etiam egimus cum aliis aliarum regionum episcopis, ubi hujusmodi pravum dirimendorum matrimoniorum usum irrepsisse, cognovimus.

Verum nobis responsum est, id sæpe contingere partim ex culpa illorum judicum, quibus vel in prima instantia cum causa coram judice ordinario ex aliqua legitima causa cognosci nequit, vel in secunda cum in partibus nullus adest judex, ad cujus tribunal causa in gradu appellationis devolvatur, vel si adest, justa de causa coram eo disceptari nequit, causæ matrimoniales hujusmodi a sede apostolica committuntur, qui ob inscitiam, vel ob malam voluntatem proclives sunt ad matrimonia dissolvenda, atque eadem matrimonia, levi, vel etiam habito nullo examine, irrita ac invalida declarant; partim etiam ex facto conjugum super nullitate suorum matrimoniorum litigantium, cum frequenter unus tantum eorum, qui dissolutionem matrimonii postulat in judicio compareat, et sententia nullo contradicente, secundum sua vota obtenta, ad alias nuptias convolat; vel ambobus conjugibus in judicium venientibus, alter, qui pro matrimonio, alter vero qui contra agit, sententia de nullitate matrimonii prolata, nullus est, qui ad superiorem judicem appellationem interponat, vel quia litigantes in specie quidem discordes, revera inter se concordes sunt, et invicem colludentes contractum matrimonium dissolvi cupiunt; vel quia pars, quæ pro validitate matrimonii stabat, ejusque nullitatem acriter contra adversarium impugnabat, lata a judice sententia contra matrimonium mutat voluntatem, vel pecunia sibi ad sumptus litis non suppetente, vel aliis deficientibus auxiliis ad litigandum necessariis, et inceptum opus, ac causam post primam sententiam deserit : Quo fit, ut deinde ambo conjuges, vel unus eorum ad aliud contrahendum matrimonium se conferat.

Quod autem ad judices pertinet, quibus extra Romanam curiam pro litigantium commodo causæ matrimoniales committuntur, paterna illa vigilantia, qua de justitia unicuique integre, sapienterque administranda solliciti esse debemus, encyclicis litteris ad venerabiles fratres, patriarchas, primates, archiepiscopos, et episcopos scriptis vigesimasexta Augusti anno secundo pontificatus nostri providere curavimus, in quibus ea præscripsimus, quæ sacris canonibus, et concilii Tridentini consona, si diligenter, ut speramus, serventur; in posterum causæ nonnisi personis congrua juris peritia, et necessario probitatis, spectatæque fidei munitis præsidio committentur. Insuper ad ea, quæ in iisdem encyclicis litteris constituta sunt, id etiam in præsenti adjungimus : Quod, quamvis concilii Tridentini decretum, quo causæ matrimo-

niales subtractæ fuerunt, decani, archidiaconi, et aliorum inferiorum judicio et episcoporum tantum examini et jurisdictioni reservatæ, duntaxat procedat de archidiaconis, decanis, aliisque inferioribus, qui in eadem diœcesi constituti, vel privilegio aliquo, vel præscriptione saltem in visitatione causarum matrimonialium cognitionem sibi arrogabant ; idcirco minime obstet commissionibus, quæ pro iisdem causis matrimonialibus definiendis a sede Apostolica alicui eorum in secunda instantia fierent ; nihilominus præcipimus, ac mandamus iis ad quos hujusmodi commissionum, seu delegationum expediendarum cura pertinet, ut in futurum causarum matrimonialium cognitionem non committant nisi episcopis præsertim vicinioribus, vel si nullus sit episcopus, cui ex legitima causa commode committi possit, tum commissio et delegatio dirigatur uni ex iis, qui secundum ordinem, et modum a nobis in præfatis encyclicis litteris præscriptum pro judice idoneo ab episcopo cum consilio sui capituli nominatus fuerit.

In qualibet diœcesi matrimoniorum defensor nominari præcipitur.

Quod vero ad ordinem et seriem judiciorum in causis matrimonialibus pro debita, et congrua earum terminatione servandum spectat, motu proprio, certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine hac nostra in perpetuum valitura sanctione constituimus, decernimus, ac jubemus, ut ab omnibus, et singulis locorum ordinariis in suis respective diœcesibus persona aliqua idonea eligatur, et si fieri potest, ex ecclesiastico cœtu, juris scientia pariter et vitæ probitate prædita, quæ matrimoniorum defensor nominabitur, cum facultate tamen eam suspendendi, vel removendi, si justa causa adfuerit, et substituendi aliam æque idoneam, et iisdem qualitatibus ornatam, quod etiam fieri poterit, quotiescumque persona ad matrimoniorum defensionem destinata, cum se occasio agendi obtulerit, erit legitime impedita.

Ad officium autem defensoris matrimoniorum hujusmodi, ut supra electi, spectabit in judicium venire quotiescumque contigerit, matrimoniales causas super validitate, vel nullitate coram legitimo judice disceptari, eumque oportebit in quolibet actu judiciali citari, adesse examini testium, voce, et scriptis matrimonii validitatem tueri, eaque omnia deducere, quæ ad matrimonium sustinendum necessaria censebit.

Ejus officium commemorant

Et demum defensoris hujusmodi persona, tanquam pars necessaria, ad judicii validitatem et integritatem censeatur, semperque adsit in judicio, sive unus ex conjugibus, qui pro nullitate matrimonii agit, sive ambo, quorum alter pro nullitate, alter vero pro validitate in judicium veniant. Defensor autem cum ei munus hujusmodi committetur, juramentum præstabit fideliter officium suum obeundi, et quotiescumque contigerit, ut in judicio adesse debeat pro alicujus matrimonii validitate tuenda, rursus idem juramentum præbebit, quæcumque vero, eo non legitime citato aut intimato, in judicio peracta fuerint, nulla, irrita, et cassa declaramus, ac pro nullis, cassis, ac irritis haberi volumus, perinde ac si citata, et intimata non esset ea pars cujus citari intererat, et quam juxta legum et canonum præscripta ad legitimam judicii validitatem citari, aut intimari omnino necessarium erat.

Cum igitur coram Ordinario, ad quem causas hujusmodi cognoscere pertinet, controversia aliqua proponetur, in qua de matrimonii validitate dubitabitur, et existentibus in judicio, vel uno ex conjugibus qui pro nullitate matrimonii, vel ambobus, quorum alter pro validitate, alter vero pro nullitate actionem intendat, defensor matrimonii partes omnes officii sui diligenter adimpleat. Itaque si a judice pro matrimonii validitate judicabitur, et nullus sit, qui appellet, ipse etiam ab appellatione se abstineat ; idque etiam servetur, si a judice secundæ instantiæ pro validitate matrimonii fuerit judicatum, postquam judex primæ instantiæ de illius

nullitate sententiam pronuntiaverat; sin autem contra matrimonii validitatem sententia feratur, defensor inter legitima tempora appellabit adhærens parti, quæ pro validitate agebat; cum autem in judicio nemo adsit, qui pro matrimonii validitate negotium insistat, vel si adsit, lata contra eum sententia, judicium deseruerit, ipse ex officio ad superiorem judicem provocabit.

Appellatione a prima sententia pendente, vel etiam nulla ob malitiam, vel oscitantiam, vel collusionem defensoris, et partium interposita, si ambo, vel unus ex conjugibus novas nuptias celebrare ausus fuerit, volumus, ac decernimus, ut non solum serventur, quæ adversus eos qui matrimonium contra interdictum Ecclesiæ contrahunt, statuta sunt, præsertim ut invicem a cohabitatione separentur, quoad usque altera sententia super nullitate emanaverit, a qua intra decem dies non sit appellatum, vel appellatio interposita deserta deinde fuerit, sed ulterius ut contrahens, vel contrahentes matrimonium hujusmodi omnibus pœnis contra polygamos a sacris canonibus, et constitutionibus Apostolicis constitutis omnino subjaceant, quas in eos, quatenus opus sit motu, scientia, ac potestate simili rursus statuimus, decernimus, ac renovamus.

Posteaquam vero appellationis beneficio ad alterum judicem causa in secunda instantia delata fuerit, omnia et singula quæcumque coram judice instantia servanda præfinita fuerunt, etiam coram altero in secunda exacte ac diligenter custodientur, citato in quolibet judicii actu defensore matrimonii, qui voce et scripto matrimonii validitatem, qui voce et scripto matrimonii validitatem strenue, ac pro viribus tuebitur, et si judex in secunda instantia fuerit metropolitanus, aut sedis Apostolicæ nuntius, aut episcopus vicinior matrimonii defensor sit, qui ab ipso fuerat deputatus, quemadmodum ipsis deputare mandamus, ut quæ a nobis superius constituta sunt peragere possit; Si autem judex in secunda instantia erit judex commissarius, cui a sede Apostolica causæ cognitio demandata sit, et qui tribunal et jurisdictionem ordinariam non habeat, et propterea careat defensore matrimonii, volumus, ut illo defensore matrimonii utatur qui constitutus fuerit ab Ordinario, in cujus diœcesi causam cognoscet, etiam si idem Ordinarius sit, qui primam sententiam in eadem causa pronuntiaverit.

Instructo autem in hunc modum judicio, si secunda sententia alteri conformis fuerit, hoc est, si in secunda æque ac in prima nullum, ac irritum matrimonium judicatum fuerit, et ab ea pars, vel defensor pro sua conscientia non crediderit appellandum, vel appellationem prosequendam minime censuerit, in potestate, et arbitrio conjugum sit novas nuptias contrahere, dummodo alicui eorum ob aliquod impedimentum, vel legitimam causam id vetitum non sit, potestas tamen post alteram sententiam conformem, ut supra, conjugibus facta intelligatur, et locum habeat, salvo semper et firmo remanente jure, seu privilegio causarum matrimonialium, quæ ob cujuscumque temporis lapsum, nunquam transeunt in rem judicatam; Sed si nova res, quæ non deducta, vel ignorata fuerit, detegatur, resumi possunt et rursus in judicialem controversiam revocari. Quod si a secunda sententia super nullitate, vel altera pars appellaverit, ut hujusmodi sit, ut ei salva conscientia, defensor matrimonii acquiescendum non putet, vel quia sibi videtur manifeste injusta vel invalida, vel quia fuerit lata in tertia instantia, et sit revocatoria alterius præcedentis super validitate in secunda instantia emanata, volumus, ut firma remanente utrique conjugi prohibitione ad alias transeundi nuptias, quas si contrahere ausi fuerint pœnis, ut præfertur, a nobis constitutis subesse decernimus, causa in tertia, vel quarta instantia cognoscatur, servatis diligenter omnibus, quæ a nobis in prima et secunda instantia demandata fuerunt,

nempe in quolibet judiciali actu citato, et audito defensore matrimonii, qui a judice tertiæ instantiæ deputatus fuerit. Defensor autem matrimonii, quem ad munus suum gratis obeundum pro amore Dei, et proximi utilitate, et Ecclesiæ reverentia in Domino exhortamur, si operam suam sine mercede aut salario aliqua ex causa exhibere recusaverit, ab ipsius causæ judice ei constituatur, et ab ea parte, quæ pro validitate matrimonii agit, si ipsi facultas sit, solvatur; Sin minus a judice primæ vel secundæ, vel tertiæ instantiæ respective subministrabitur, qui pecuniam, ex mulctis suorum tribunalium redactas vel redigendas, et in opera pia erogandas in hujusmodi sumptus insumere poterunt. Cum vero judices causæ erunt judices commissarii, qui neque forum habent, et consequenter neque pecuniam ex mulctis collectam, volumus ac mandamus, ut defensori matrimonii satisfiat ex pecunia mulctarum illius episcopi, in cujus diœcesi judex commissarius juxta sedis Apostolicæ mandatum judicium exercebit.

Hactenus quidem quoad causas matrimoniales, quæ extra Romanam curiam pertractantur: Quoad causas vero quæ Romæ disceptandæ sunt, cum earum cognitio in prima instantia ad S. R. E. Cardinalem in præfata Urbe, ejusque suburbiis, et districtu vicarium nostrum in spiritualibus pro tempore spectet, mandamus ac jubemus, ut omnia, et singula, quæ in aliis causis extra Romanam curiam pertractandis præscripta fuerunt, nempe ut judicium peragatur citato, et audito defensore matrimonii ab eodem cardinali vicario deputato, aliaque, ut supra, omnino serventur, tum etiam in aliis causis, quæ in prima instantia ex consensu partium, vel in secunda per appellationem ad sedem Apostolicam, omisso medio interpositam, vel in tertia Romam deferuntur, quas omnes judicari volumus vel in congregatione S. R. E. cardinalium super interpretatione, et executione concilii Tridentini, vel in causarum palatii nostri auditorio, dummodo nobis, et Romano pontifici pro tempore justis ex causis non videatur particularis congregatio S. R. E. cardinalium, vel Romanæ curiæ prælatorum deputanda. Cum autem causa super matrimonii nullitate agitabitur in dicta congregatione S. R. E. cardinalium concilii Tridentini interpretum, defensor matrimonii a cardinali præfecto ejusdem congregationis; Si vero in palatii nostri auditorio, ab auditore Decano præfati tribunalis; si demum in congregatione particulari a persona ejusdem congregationis digniore deputetur. Unica quidem resolutio pro nullitate matrimonii emanata, si causa in congregatione cardinalium concilii Tridentini interpretum, vel in congregatione particulari deputata cognoscatur, et similiter in palatii nostri auditorio unica sententia super eadem nullitate pronuntiata minime sufficiat ad tribuendam liberam conjugibus facultatem novas nuptias contrahendi, sed si causa in præfata congregatione cardinalium Tridentini concilii interpretum introducta fuerit, rursus in eadem ad defensoris matrimonii instantiam reproponatur: Si vero congregationi particulari commissa fuerit, ad petitionem ejusdem defensoris altera etiam particularis congregatio deputabitur. Si vero in palatii nostri auditorio judicata sit, a præfato defensore appellatione interposita ab aliis auditoribus juxta ordinem in gyrum, seu turnum definiatur: Si autem causa universo tribunali commissa fuerit, ab omnibus auditoribus rursus examinabitur, nolentes omnino, ut nullo in casu matrimonii vinculum dissolutum censeatur, nisi duo judicata, vel resolutiones aut sententiæ penitus similes et conformes, a quibus neque pars, neque defensor matrimonii crediderit appellandum, emanaverint: quod si secus factum fuerit, et novum initum matrimonium, nostræ voluntatis hujusmodi transgressores pœnis a nobis, ut supra statutis submittantur.

Et quoniam sæpe apud sedem Apostolicam preces porrigi solent pro dispensatione matrimonii rati, et non consummati, quæ ut plurimum pro voto consultivo ad congregationem S. R. E. cardinalium concilii interpretum, vel nonnunquam ad aliquam congregationem particularem deputatam a Romanis pontificibus pro tempore remitti solent, ut hujusmodi instantiæ ordine, ac rite procedant volumus, ac mandamus ut supplex libellus nobis, vel Romano pontifici pro tempore exhibeatur, in quo plena et accurata totius facti species contineatur, causæque omnes in eo exprimantur, quæ ad obtinendam petitam dispensationem conducere posse a supplicante censentur, ut Romanus pontifex eo lecto, et mature considerato, secum deliberare possit, an petitionem rejiciat, vel ejus examen alicui ex dictis congregationibus committat, a qua posteaquam suum votum consultivum editum fuerit, a secretario ejusdem congregationis totius negotii series exacte Romano pontifici pro tempore referatur, qui pro sua prudentia judicabit, an congregationis resolutio sit approbanda, vel potius totius causæ examen alteri congregationi, vel Tribunali, prout eidem Pontifici videbitur, rursus committendum.

Demum volumus, ac decernimus easdem præsentes litteras semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime, et inviolabiliter observari. Sicque, et non aliter per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii Apostolici auditores, ac eosdem S. R. E. cardinales etiam de latere legatos, et sedis nuntios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, et potestate fungentes, et functuros, sublata, eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, ubique judicari, et definiri debere; ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, necnon quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et litteris Apostolicis sub quibuscumque tenoribus verborum, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus in genere, vel in specie, seu alias quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma in illis tradita observata eisdem præsentibus pro expressis, et insertis habentes illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice duntaxat expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut præsentes litteræ in valvis ecclesiæ Lateranensis, et Principis Apostolorum, necnon cancellariæ apostolicæ, ac in acie campi Floræ de Urbe, ut moris est publicentur, et assignantur, sicque publicatæ, et affixæ omnes, et singulos, quos illæ concernunt, perinde arctent, et afficiant, ac si unicuique eorum nominatim, et personaliter intimatæ fuissent; quodque earumdem præsentium transumptis, sive exemplis etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostri decreti, statuti, constitutionis, prohibitionis, revocationis, annullationis, declarationis, mandati, ac voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac BB. Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Mariam majorem tertio nonas Novembris anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo primo Pontificatus Nostri anno secundo.

D. Card. Passioneus.

Visa de Curia.
N. Antonellus. X. Sub-Datarius.

Loco Plumbi.

J. B. Eugenius.

---

SS. D. N.

## BENEDICTI PAPÆ XIV.

### CONSTITUTIO

Ad Episcopus directa,

*Circa occultorum Matrimoniorum contractionem.*

—

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, Salutem, et Apostolicam benedictionem.

Satis vobis compertum esse non dubitamus, Venerabiles Fratres, cam semper fuisse piæ matris Ecclesiæ vigilem curam, ut sacramentum matrimonii, magnum ab Apostolo nuncupatum, publice, et palam a fidelibus celebretur. Quod quidem ut diligentius, quam antea factum fuerat, in posterum observaretur, sancta Tridentina synodus, Lateranensis concilii sub Innocentio III. celebrati vestigiis inhærendo, præcepit, ut in posterum, antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium parocho tribus continuis diebus festivis in ecclesia inter missarum solemnia publice denuntietur ; deindeque nullo legitimo concurrente impedimento ad illius celebrationem in facie Ecclesiæ coram parocho, vel alio sacerdote de ipsius parochi, seu Ordinarii licentia, et duobus, vel tribus testibus præsentibus rite procedatur. Voluit etiam eadem sancta synodus apud parochum diligenter librum custodiri, in quo conjugum, et testium nomina, diesque et locus matrimonii describantur.

Providæ tamen hujusmodi leges, tanta auctoritate saluberrime institutæ, prava horum temporum conditione prolabi visæ sunt, et enerves propemodum reddi, ob matrimonia usu nimis recepta, quæ occulte adeo celebrantur, ut illorum notitia quantum fieri potest, obliteretur, et in tenebris ignorantiæ perpetuo jaceat consepulta. In more etenim positum est, illa celebrari nullis præviis factis denuntiationibus coram solo parocho, vel alio sacerdote de ejus licentia, adhibita præsentia tantum duorum testium apposite a contrahentibus advocatorum, quorum fides nemini illorum est suspecta ; remque peragi sæpe extra ecclesiam, quandoque etiam intra illam, januis tamen occlusis, vel eo temporis momento, quo semota alterius cujusvis præsentia, scientia initi matrimonii, præter parochi, contrahentium, testiumque personas, alios penitus effugiat.

Matrimonia conscientiæ reprobantur.

Quantum a sacramenti dignitate, et ab ecclesiasticarum legum præscripto occulta hæc matrimonia, conscientiæ

vulgo nuncupata, ut plurimum abhorreant, satis superque conjicere quis poterit, qui mentis aciem ad exitiosos illorum effectus convertat. Hinc gravia ortum habent peccata, præsertim vero eorum, qui divini judicii interminatione posthabita, priore uxore, cum qua clam contraxerunt, relicta, cum alia spe futuri matrimonii decepta, et in turpem secum vivendi licentiam abducta, palam contrahere promittunt. Quorumdam vero mentem ita pravæ cupiditates excæcant, ut novum contrahere secretum matrimonium audeant, post alterum secreto itidem contractum, et nondum prioris conjugis morte solutum, seseque magno scelere polygamos reddant. Alii etiam eo impudentiæ devenere, ut in hujus magni sacramenti contemptum post primas secreto initas, alteras aut publice, aut privatim nuptias contrahendo, sese audacius polygamia pariter innodare non perhorrescant. Age vero quam gravia, quam nullo pacto ferenda ex his matrimoniis mala oriantur. Si enim ad quamcumque matrimonii suspicionem submovendam, virum seorsim a muliere vivere contingat, sublata est illico individua vitæ consuetudo, et contemptum est verbum Domini: *Adhærebit* homo *uxori suæ, et erunt duo in carne una.* Sin hæc vitæ consuetudo servetur, nemo est, qui illam criminis non arguat, et utpote detestabilem, in scandali materiam non traducat. Neque illata per scandalum dispendia rependit subsecuta celebratio occulti matrimonii, quod in tenebris delitescit, et ab omnibus ignoratur.

Corum inconvenientia.

Leviora quoque damna non sunt, quæ susceptæ proli irrogantur. Sæpe enim contigit illam a parentibus, et a matre præsertim amotam, ne pie, nec liberaliter institui; sed incertis fortunæ casibus objectam relinqui; nisi etiam parentes ipsi contra naturæ leges ausu nefario illius vitæ insidientur. Ubi vero tam immane facinus parentes deterreat, illosque ad sobolem alendam, instituendamque humanitas ipsa compellat; alia imminet liberis susceptis ex occulto matrimonio lugenda avitarum facultatum et bonorum jactura, pro quorum possessione assequenda, quamvis clament jura sanguinis, illis tamen careant necesse est propter occulta parentum matrimonia, et ademptam legitimitatis, et filiationis probationem. Huic etiam malorum origini sunt referenda ipsa quoque secreta matrimonia contracta a filiisfamilias contra patris juste dissentientis voluntatem; ex quibus quam gravia incommoda exoriri soleant, neminem latet. Quid plura? Adeo invaluit malitia, ut quandoque in minoribus ordinibus constituti pensiones, et beneficia, ad divinum cultum, et ecclesiastica munia instituta, etiam post initum clam matrimonium retinuerint, sibique de mammona iniquitatis loculos miserrime comparaverint.

Deflenda hæc igitur potius uberibus lacrymis, quam latiore calamo explicanda malorum congeries, cum ex hac Apostolicæ sedis specula omnes sibi vindicet nostræ vigilantiæ curas; temperare non possumus, quin vos ipsos, Ven. Fratres, in partem nostræ sollicitudinis evocantes, vestram pietatem, et zelum excitemus ad custodiendas vigilias noctis super grege vobis credito, quem luctuosa horum temporum conditio in discrimen adducit. Primum itaque periculi non infrequens occasio vos reddat difficiliores ad remittendum publicationes, a quibus contracturi matrimonium sæpe per malitiosam suggestionem petunt dispensari. Quam caute, solerterque oporteat ea in re episcopos versari, non obscura vobis a concilio Tridentino exhibentur argumenta. Si enim, ait eadem sancta Synodus, probabilis fuerit suspicio, matrimonium malitiose impediri posse, si præcesserint denuntiationes; tunc vel una tantum denuntiatio fiat; vel saltem parocho, et duobus testibus præsentibus matrimonium celebretur, et deinde ante illius consummationem denuntiationes in ecclesia fiant, ut si aliqua subsunt impedimenta, facilius detegantur. Præ-

terea licet episcopo relictum sit omnimode super denuntiationibus dispensare, tamen hæc facultas, non a sola dispensantis voluntate pendet, sed a Tridentino coercetur arctis prudentiæ, discretique arbitrii legibus, quod idem est, ac legitimam causam dispensationis requirere.

Parem quoque, imo fortasse majorem vigilantiam necesse est a vobis adhiberi, ne post remissas denuntiationes celebretur matrimonium coram parocho, vel alio sacerdote ab ipso parocho, vel a vobis deputato, præsentibus duobus vel tribus testibus confidentibus, ne ulla celebrationis notitia, vel rumor oriantur. Id enim ut ad præscriptum sacrorum canonum licite fieri possit, non satis est obvia quævis, et vulgaris causa ; sed gravis, urgens, et urgentissima requiritur. A sacro nostræ pœnitentiariæ tribunali, eo potissimum casu fit potestas ita celebrandi matrimonium, quo vir et femina in figura matrimonii publice degentes, et de quibus nulla viget criminis suspicio, in occulto tamen concubinatu perseverent. Facile enim quisque conjiciet, quam absonum esset, eos, a statu damnationis per gratiam sacramenti revocandos, ad publice contrahendum matrimonium prævіis denuntiationibus compelli. Hanc vero praxim vobis duximus proponendam, non quia dispensatio præmisso casui solum congruat, cum alii similes, et fortasse urgentiores esse possint, in quibus dispensari expediat ; sed quia vestri pastoralis officii partes versari debent in sedulo investiganda legitima et urgenti causa dispensationis ne matrimonia occulte celebrata luctuosos habeant exitus, quos intimo cordis mœrore recensuimus.

Hunc porro in scopum vos hortamur, et impense admonemus, ut in personarum matrimonium secreto contrahere petentium, diligens fiat a vobis inquisitio : An scilicet ejus qualitatis gradus, et conditionis sint, quæ id probe exposcant ; an sint sui, vel alieni juris ; an filiifamilias, quorum nuptiæ patri juste dissentienti sint invisæ ; ab episcopali etenim, quod geritis, munere nimium esset alienum, facilem præberi filio inobedientiæ occasionem : an res sit de personis ecclesiasticis, licet in minoribus ordinibus constitutis pensiones, et beneficia ecclesiastica obtinentibus, ut detestabilis illorum retentio in statu uxorato congruis remediis postea compescatur. Potissimum vero curet vestra sollicitudo, antequam secreti matrimonii licentia concedatur, quod contrahentes clara et indubia, et a quavis fraude immunia exhibeant documenta status liberi ad avertendum ab iis, qui improbi sunt ingenii, polygamiæ periculum.

Quod attinet ad ministrum secreti matrimonii volumus ad id munus deputari parochum alterius ex contrahentibus, quem notitia personarum, experientia, et diuturnus rerum usus quovis sacerdote extraneo peritiorem effecisse præsumuntur. Si quæ tamen vobis occurrant circumstantiæ, quæ alium sacerdotem loco parochi exposcere videantur, gravi impellente causa, is sacerdos a vobis eligatur, qui probitate et doctrina, et obeundi muneris peritia commendetur. Uni tamen, aut alteri sacramenti ministro a vobis deputando distincte præcipiatur, ne matrimonio intersit, nisi prius paterna charitate conjuges in Domino monuerit, sobolem procreandam regenerari quamprimum oportere sacro baptismatis lavacro ; ac Christo judici districtam reddituros esse rationem, nisi filios ut legitimos agnoverint, eosque pietate, bonisque moribus imbuerint, et frui patientur bonis temporalibus, a majoribus in supremis tabulis relictis, vel provida legum auctoritate delatis.

Celebrato autem matrimonio indilate a parocho, vel alio sacerdote coram quo initum est, exhibeatur episcopo illius scriptum documentum cum nota loci et temporis, testiumque qui celebrationi interfuerunt. Vestrum erit postea diligenter incumbere, quod ad perennem gestæ rei memoriam præfatum documentum fideli-

ter transcribatur in libro prorsus distincto ab altero, in quo matrimonia publice contracta de more adnotantur. Hujusmodi liber pro matrimoniis secretis apposite compactus, clausus et sigillis obsignatus in vestra episcopali cancellaria caute erit custodiendus : Et eo tantum casu resignari, et aperiri vestra accedente licentia patiemini, quo alia id genus matrimonia describi oporteat, vel id sibi vindicet justitiæ administrandæ necessitas, vel demum aliquod documentum ab eo exposcant verum interesse habentes, quibus probationum aliunde petenda cum non suppetit copia : sedulo tamen animadvertentes, quod re absoluta, denuo claudatur et sigillis ut antea, obsignetur. Fides, seu attestationes clam celebrati matrimonii a parocho, vel sacerdote, qui vices parochi gessit, exarandæ, vobisque exhibendæ, transcribantur in dicto libro, prout jacent de verbo ad verbum a persona a vobis deputanda, quæ apud omnes integritatis, probatique nominis luculentum habeat testimonium. Fides vero, et attestationes ipsæ in secretiori loco sartæ, tectæque a vobis serventur.

Quod si ex occulto hujusmodi matrimonio prolem nasci contingat, eadem mundetur salutari aqua baptismi in ecclesia, in qua aliis infantibus hoc sacramentum indistincte confertur. Et quia ad operiendum clam initum matrimonium, facile est in libro baptizatorum nullam fieri mentionem parentum, et eorum nomina consulto reticeri : Volumus, ac expresse mandamus, quod a patre baptizati, eoque defuncto, ab illius matre, suscepta proles vobis denuntietur ; dictaque denuntiatio fiat, vel immediate per parentes ipsos, vel per litteras eorum charactere exaratas, vel per fide dignam personam ab ipsis parentibus designatam, ut certo, et clare vobis constet, quod proles talis loco et tempore, vel reticitis vel falso expressis nominibus parentum baptizata est legitima, licet occulti matrimonii fœdere procreata. Quæ sane omnia cum vobis innotuerint, ne illorum excidat memoria, in libro fideliter describentur ab eo, cui facta a vobis est potestas adnotandi matrimonia occulte celebrata. Liber, in quem baptizatorum, ac utriusque parentis nomina referentur, quamvis distingui debeat ab altero matrimoniorum : eadem tamen diligentia, iisdem cautelis in cancellaria episcopali clausus et sigillis obsignatus erit custodiendus, prout librum matrimoniorum caute custodiri supra mandavimus.

Quia vero nonnulli deesse non possunt, qui propriæ conscientiæ vocibus obsurdescant, et nostris hisce mandatis parere negligant ; debita pœnarum districtione pro modo culpæ a vobis puniantur. Quinimo cum satis nobis experientia compertum sit in hujusmodi negotiis homines in terram oculos declinantes ob humanos respectus tardiores effici, et a recte agendi semita revocari : Mandamus idcirco, matrimonia occulta a vobis evulgari et nota fieri, si certo vobis constiterit ex aliquo matrimonio occulto procreatam fuisse sobolem, et baptizatam suppressis parentum nominibus, nulla præstita vobis notitia, ut par erat, ab illius parentibus intra triginta dies a nativitate numerandos.

Ne autem contumaces, et inobedientes violatæ fidei, proditique secreti pastores suos insimulent ; sedulo a vobis curandum est, ut a parocho, vel alio sacerdote pro secreta celebratione matrimonii a vobis deputando, conjuges clare, et aperte moneantur, ea lege et pacto illis permitti secreti matrimonii celebrationem ut soboles inde procreanda non solum regeneretur sacro baptismate, sed post baptisma denuntietur episcopo cum nota loci, et temporis administrati sacramenti, ac sincera indicatione parentum, a quibus ortum habuit, quemadmodum supra præmissum est ; alioquin matrimonium, licet contractum data per episcopum secreti fide, in lucem proferetur in gratiam filiorum, et ad propulsandam ab illis gravem, nulloque pa-

cto ferendam jacturam. Volumus denique, ac mandamus, fides, seu attestationes matrimonii clam initi, et sobolis ex eo procreatæ, excerptas ex dictis libris, modo, quo dictum est, apud vos caute custodiendis tantam promereri fidem, quantam sibi alii libri parochiales baptismatis, et matrimonii vindicare consueverunt.

Hæc a Vobis, Ven. Fratres in hac temporum calamitate observari enixe præcipimus ad communem animarum salutem, et ad præsidium ecclesiasticæ disciplinæ, propter invalescentem hominum malitiam nova semper detrimenta vel patientis, vel reformidantis. Cæterum nostris hisce litteris sublata nolumus ea validiora remedia, quæ huic malo, in diem ingruenti, consona dignoscet prudentia vestra, ad pastorale officium cumulate obeundum. Vobis interea paternæ charitatis, et benevolentiæ testem Apostolicam benedictionem impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die 17. Novembris 1741. Pontificatus nostri anno secundo.

---

## CONSTITUTIO

SS. D. N.

## BENEDICTI PAPÆ XIV.

*Super Clausura monasteriorum quorumcumque virorum regularium.*

—

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Regularis disciplinæ observantiam ante etiam, quam et generalium, ac particularium alicujus nationis aut provinciæ conciliorum decretis confirmaretur, et Romanorum pontificum prædecessorum nostrorum legibus, sanctionibusque præscriberetur, quoad vetitum mulieribus quibuscumque, etiam consanguineis intra quorumcumque religiosorum virorum clausuram ingressum tam integerrime custoditam fuisse constat, ut, nedum feminis quibuscumque, sed masculis quoque, non tam ad monasteriorum claustra, seu septa, quam ad ipsa eorumdem monasteriorum oratoria, et ecclesias nullus patuerit aditus, et accessus ; quinimo sub gravissimis pœnis fuerit interdictus ; ne scilicet, ut inquit S. Gregorius PP. I. prædecessor noster in servorum Dei secessibus occasio præbeatur popularibus conventibus, et simpliciores ex hoc animas, plerumque, quod absit, in scandalum trahat. Hujusmodi autem regularis disciplinæ observantia, etsi pro temporum varietate, ac necessitate tot, tantasque subiit vices, ut iidem prædecessores nostri aditum, et accessum ad publicas monasteriorum ecclesias duntaxat sive masculis, sive feminis sacrosanctum missæ sacrificium audiendi, prædicationibus verbi Dei interessendi, et sacramentum sanctissimæ eucharistiæ sumendi, ac peccata sua confitendi causa, sine tamen parochorum præjudicio, interdum concesserint ; vicissim tamen ipsi prædecessores nostri tam ante concilii Tridentini decreta, quam post eorumdem decretorum promulgationem denuntiationemque providis, saluberrimisque constitutionibus, ordinationibusque sub pœna etiam excommunicationis latæ sententiæ feminis quibuscumque aditum, ingressumque hujusmodi intra monasteriorum clausuram interdixerunt. Quoniam autem sicut dolentes accepimus, alii quidem Apostolicas leges, ac præcepta hujusmodi vel ausu temerario parvipendentes, vel ad eorum arbitrium interpretantes, feminis quibuscumque aditum, ingressumque tam manifeste, ac tanta solemnitate vetitum permittunt ; alii vero privilegia, indulta, prærogati-

vas, facultates, licentias, et alias quocumque pacto excogitatas concessiones sibi sive a jure, sive ab homine factas, et impertitas, seu facta et impertita, ac quorumcumque munerum, dignitatum, ac præeminentiarum ratione debitas, seu debita arrogantes, prætendentes, obtendentesque feminas quaslibet intra monasteriorum claustra, septa, cœnacula, cubicula, aliasque officinas, aut ad mitti, ac recipi sinunt, mandantque, aut una secum ducunt; alii denique sub pietatis, ac religionis prætextu, cum suplicationes, sive cum sanctissimo eucharistiæ sacramento, sive cum sacris sanctorum sanctarumque reliquiis, statuis, et imaginibus per claustra, septa, et alia monasteriorum loca de more, ut asserunt, habentur, sine ullo prorsus discrimine masculos, et feminas supplicationes hujusmodi per eadem loqua sequi, et comitari licitum, quinimo, ut indulgentias lucrari valeant, necessarium esse obtendunt : Hinc est, quod Nos, qui, dum in minoribus essemus, quamplurimos hujusmodi abusus compertos habebamus, in hac sublimi sacrosancti Apostolatus specula constituti, non tam assiduis nonnullorum aliarum ecclesiarum antistitum documentis, quam justis etiam superiorum, aliorumque virorum ex religiosis ordinibus Dei honorem, et instituti sui disciplinam zelantium expostulationibus de antedictis, similibusque abusibus in dies admonemur ut opportunum, ac salutare iisdem abusibus tollendis, quantum cum Domino possumus, remedium afferamus ; auctoritate Apostolica, tenore præsentium primum quidem omnes, et singulas constitutiones sanctionesque a Romanis pontificibus prædecessoribus nostris tam ante, quam post concilii Tridentini decreta super clausura monasteriorum quorumcumque religiosorum virorum editas renovamus, et confirmamus ; necnon in posterum ab omnibus, et singulis ad quos spectat et in futurum spectabit, sub iisdem pœnis constitutionibus, sanctionibusque eorumdem prædecessorum nostrorum Romanorum pontificum, et decretis ejusdem concilii Tridentini contentis inviolabiliter observandas esse statuimus, decernimus, præcipimus, atque mandamus. Deinde motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine earumdem præsentium tenore omnia, et singula indulta, privilegia, prærogativas, facultates, licentias, et quocumque alio pacto nuncupatas concessiones omnibus, et singulis quibuscumque ecclesiasticis personis quacumque auctoritate, dignitate, honore, præeminentia, ac jurisdictione fungentibus, etiam venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, sive singulis, sive eorum cardinalium congregationibus, etiam de latere legatis, sive qui provinciis et legationibus status nostri ecclesiastici pro tempore præsunt, sive quos ad carissimos in Christo filios nostros Romanorum regem in imperatorem pro tempore eligendum, vel electum, reges, et reginas illustres, aliasque summas potestates, prout rerum conditio postulaverit, mitti, et ablegari contigerit, sive qui, licet aliarum insignium ecclesiarum intistites, tamen tanquam Apostolicæ hujus S. sedis legati de latere alias nuncupati et habiti sunt, et fortasse habentur, aut haberi et esse prætendunt, et in posterum habendi sunt ; sive ordinarii, sive extraordinarii nostri, et ejusdem Apostolicæ sedis ubicumque etiam ad ipsos imperatorem, et reges ; ac summas potestates nuntii, sive internuntii resident ; ac demum quibuscumque aliis quocumque nomine, et expressione nuncupatis personis quocumque tempore a quibusvis, etiam ab ipsis Romanis pontificibus prædecessoribus nostris, quacumque de causa, occasione, titulo, colore, et prætextu per quascumque Apostolicas, sive in simili forma brevis, sive sub plumbo expeditas litteras sub quibuscumque verborum formis facta, data, concessa, et impertita, sive factas, datas, concessas, et impertitas, sub hujusmodi

Omnia indulta et privilegia clausuræ monasteriorum severissimæ opposita annullantur.

accessu, et ingressu revocamus, abolemus, annullamus, atque irritamus, necnon a datarum earumdem præsentium die revocata, abolita, annullata, et irrita, ac nullius prorsus vigoris esse, et fore, neminique cuilibet quocumque tempore suffragari statuimus, decernimus et declaramus quemlibet omnium antedictorum etiam speciali mentione dignorum quacumque facultate hujusmodi temere uti audentem ipso facto absque ulla alia declaratione pœnas, et ecclesiasticas censuras, a quibus, præterquam a nobis, et pro tempore existente Romano pontifice, nisi in mortis articulo absolvi possit, incurrere, et incursum esse, licentiamque hujusmodi cuicumque concessam nullo modo suffragari, atque nullius momenti perinde ac si minime concessa fuisset, ipso facto fore, et haberi, ac pœnas, et censuras ipso facto, ut præmittitur per contrafacientem incurri, et incursas esse. Decernentes easdem præsentes litteras, et in eis contenta quæcumque etiam eo quod quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ et dignitatis existant seu alia specifica, et individua mentione, et expressione digni illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, et auditi, causæque propter quas præsentes emanarint, sufficienter adductæ, verificatæ et justificatæ non fuerint, aut ex alia qualibet etiam quantumvis juridica et privilegiata causa, colore, prætextu, et capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, et totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel interesse habentium consensu, aliove quomodolibet, etiam quantumvis magno ; et substantiali, ac incogitato, et inexcogitabili, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve, quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanatam quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse ; sed ipsas præsentes litteras semper firmas validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter et inconcusse observari ; sicque et non aliter in præmissis per quoscumque judices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii Apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales etiam de latere legatos, et sedis prædictæ nuntios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, et potestate fungentes, et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac, quatenus opus sit, nostra et cancellariæ apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, necnon quibusvis etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus ac usibus et stylis, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, et litteris Apostolicis prædictis, aliisque quibuslibet personis, etiam quacumque ecclesiastica, vel mundana dignitate fulgentibus, et alias quomodolibet qualificatis, ac specialem expressionem requirentibus sub quibuscumque verborum tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis, etiam motu scientia, et potestatis plenitudine similibus, ac consistorialiter, et alias quomodolibet in contrarium præ-

missorum concessis, editis, factis ac pluries iteratis, et quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret ; tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, exprimerentur, et insererentur, præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice duntaxat specialiter, et expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque. Cæterum per præsentes non intendimus derogatum esse iis concessionibus, quæ ad favorem quarumcumque nobilium feminarum, ex eo, quod sive eorumdem majores, ac pro tempore existentes de familia fuerint, et habeantur fundatores, vel insignes benefactores illius monasterii intra cujus claustra, vel septa feminas etiam de familia ingredi vel concessum, vel cautum esse sibi voluerunt, et de concessione hujusmodi confirmationem ab Apostolica hac sancta sede obtinuerunt ; sive feminæ hujusmodi sint consanguineæ, et affines eorum, qui sunt Domini in temporalibus locorum, in quibus monasteria sita reperiuntur, et quacumque legitima tituli, vel consuetudinis causa, et occasione ingressu hujusmodi de præsenti gaudent, factæ, et impertitæ fuerunt ; dummodo concessiones hujusmodi per Apostolicas in simili forma Brevis, vel sub plumbo desuper expeditas litteras dumtaxat, et non aliter omnino factas, et impertitas fuisse prius ordinariis locorum antistitibus, vel præsulibus per legitima, et authentica documenta constare fecerint ; et dummodo nec vagandi, nec otiandi, nec comedendi, cœnandique, nec per ambulacra, cubicula, cænacula, aliaque loca et officinas discurrendi causa, seu ad ecclesiam accedendi, sacrosanctum missæ Sacrificium audiendi, aliaque erga Deum pietatis officia et opera exercendi studio ingrediantur ; et dummodo de earum adventu et ingressu, interdiu, et opportune faciendo superiores pro tempore existentes prius certiores fiant ad hoc, ut absque fratrum incommodo, et offensione, recto tramite ad ecclesiam pergatur, et alia de jure servanda serventur. Volumus autem, ut earumdem præsentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, et extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die tertia Januarii millesimo septingentesimo quadragesimo secundo Pontificatus Nostri, anno secundo.

*D. Card. Passioneus.*

---

CONSTITUTIO

SS. D. N.

## BENEDICTI PAPÆ XIV.

*Super clausura Monialium.*

—

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Salutare in catholica ecclesia institutum ab ipsa antiquitate susceptum, ac

tanta cum sollicitudine, et pastorali zelo custoditum, ut flos ille ecclesiastici germinis decus, atque ornamentum gratiæ spiritualis, læta indoles, laudis et honoris opus integrum, atque incorrnptum, Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi, sacræ virgines, quarum, qua sublimior gloria est, major et cura est intra monasterium septa, et claustra, vigili, sollicitaque custodia servarentur ; tam ante, quam post Tridentinæ synodi decreta Romani pontifices prædecessores nostri tot sanctissimis legibus, et monitis Apostolicæ providentiæ, charitatisque consiliis communire, et confirmare studuerunt ; ut, quæ se Christo dicaverint, et a carnali concupiscentia recedentes, tam carne, quam mente se Deo voverint, consumment opus suum magno præmio destinatum. Quoniam autem etsi providas hujusmodi sanctiones, constitutionesque, si ea, qua decet, regularis disciplinæ observantia custodirentur, satis esse scimus, ut Virgines ea, quæ cœlestis earumdem sponsi Jesu Christi sunt, cogitantes sint sanctæ et corpore et spiritu ; longa tamen experientia edocti, et assiduis venerabilium fratrum aliarum Ecclesiarum Antistitum querelis admoniti, supremas Apostolicæ auctoritatis, providentiæque partes requiri, ut abusibus quamplurimis ex nimia quorumcumque, aut sibi quocumque pacto arrogantium, aut prætendentium, aut obtendentium facultatem alias sibi quomodolibet sive a jure, sive ab homine concessam, vel demandatorum munerum rationem debitam esse, ut sive ipsi, sive alii ingredi clausuram monialium, aut ipsæ moniales e clausura ob quascumque etiam non legitimas causas egredi, et extra clausuram hujusmodi commorari possint, licentiam concedendi, indulgentia sensim invectis opportune occurratur : Hinc est, quod nos pro suprema omnium Christifidelium procuratione imbecillitati nostræ in universalis orthodoxæ ecclesiæ regimine divinitus imposita opportunum abusibus hujusmodi remedium, quantum cum Domino possumus adhibere satagentes, auctoritate Apostolica tenore præsentium, omnes et singulas constitutiones a Romanis pontificibus prædecessoribus nostris tam ante, quam post concilii Tridentini decreta super clausura monialium renovamus, et confirmamus, necnon in posterum omnibus, et singulis ad quos spectat, et in futurum spectabit, sub iisdem pœnis in constitutionibus eorumdem prædecessorum Romanorum pontificum, et decretis concilii Tridentini prælati contentis inviolabiliter observandas esse statuimus, decernimus, præcipimus, atque mandamus. Præterea motu proprio, et ex certa scientia, ac natura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine earumdem præsentium tenore omnia, et singula indulta, privilegia, prærogativas, facultates, licentias, et quocumque alio pacto nuncupatas concessiones, omnibus, et singulis quibuscumque ecclesiasticis personis, quacumpue auctoritate, dignitate, honore, præeminentia, ac jurisdictione fulgentibus, etiam venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus, sive singulis, sive eorumdem cardinalium congregationibus, etiam de latere legatis, sive qui provinciis, et legationibus status nostri ecclesiastici, qui pro tempore præsunt, sive quos ad charissimos in Christo filios nostros Romanorum regem in imperatorem pro tempore eligendum, vel electum, reges, et reginas illustres, aliasque summas potestates, prout rerum conditio postulaverit mitti, et ablegari contigerit ; sive qui licet aliarum insignium ecclesiarum antitistes, tamen tanquam Apostolicæ hujus S. sedis legati de latere alias nuncupati, et habiti sunt, et fortasse habentur, aut haberi et esse prætendunt, et in posterum habendi sunt ; sive ordinarii sive extraordinarii, nostri, et ejusdem Apostolicæ sedis ubicumque etiam apud ipsos imperatorem, et reges, ac summas potestates nuntii,

sive inter-nuntii resident (exceptis duntaxat locorum ordinariis iisque omnibus superioribus, quibus tanquam ordinarii et ordinaria jurisdictione utentibus monialium monasteria subjecta, et addicta sunt in casibus tamen necessariis, et servatis aliis de jure servandis, et non aliter omnino) ac demum quibuscumque aliis quocumque nomine, et expressione nuncupatis personis quocumque tempore a quibusvis etiam ab ipsis Romanis pontificibus prædecessoribus nostris quacumque de causa, occasione, titulo, colore, et prætextu per quascumque Apostolica, sive in simili forma Brevis, sive sub plumbo expeditas litteras sub quibuscumque verborum formis factas, datas, concessas, et impertitas sub hujusmodi ingressu revocamus, abolemus, annullamus, atque irritamus ; necnon a datarum earumdem præsentium die revocata, abolita, annullata, et irrita, ac nullius prorsus momendi, ac vigoris esse, et fore, neminique cuilibet quocumque tempore suffragari, ac quemlibet omnium antedictorum etiam speciali mentione dignorum quacumque facultate hujusmodi, sive pro se, sive pro aliis temere uti audentem, ipso facto, absque ulla alia declaratione pœnas, et ecclesiasticas censuras contra violantes clausuram monialium inflictas, a quibus præterquam a nobis, et pro tempore existente Romano pontifice, nisi in mortis articulo absolvi possit, incurrere, et incursum esse ; licentiamque hujusmodi concessam nullo modo suffragari, ac nullius momenti perinde ac si minime concessa fuisset, ipso facto fore, et haberi, ac pœnas et censuras ecclesiasticas ipso etiam facto, ut præmittitur per contrafacientem incurri, et incursas esse statumus, decernimus, ac declaramus. Decernentes eadem præsentes litteras, et in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod quicumque in præmissis interesse habentes seu habere quomodolibet prætendentes cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ, et dignitatis existant, seu alia specifica et individua mentione et expressione digni illis non consenserit, nec ad ea citati, vocati, et auditi, causæque propter quas præsentes emanarint sufficienter adductæ, verificatæ et justificatæ non fuerint, aut ex alia qualibet etiam quantumvis juridica, et privilegiata causa, colore prætextu, et capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis enormissima, et totalis læsionis nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut a nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel interesse habentium consensus, aliove quomodolibet, etiam quantumvis magno, et substantiali ac incogitato, et incogitabili individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se jurare ullo modo posse ; sed ipsas præsentes litteras semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari ; sicque, et non aliter in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii Apostolici auditores, ac sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, et sedis prædictæ nuntios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, et potestate fungentes, et functuros sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac, quatenus opus sit nostra, et cancellariæ Aposto-

licæ regula de jure quæsito non tollendo, aliisque constitutionibus Apostolicis, necnon quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ac usibus, et stylis etiam immemorabilibus ; privilegiis quoque indultis, et litteris Apostolicis prædictis, aliisque quibuslibet personis etiam quacumque ecclesiastica, vel mundana dignitate fulgentibus, et alias quomodolibet qualificatis, ac specialem expressionem requirentibus sub quibuscumque verborum tenoribus, et formis, ac cura quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus efficacissimis, et insolitis clausulis, ac irritantibus, et aliis decretis, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, ac consistorialiter, et alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, editis, factis, ac pluries iteratis, et quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et in illis tradita observata experimerentur, et insererentur, præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressus manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, et extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die tertia Januarii millesimo septingentesimo quadragesimo secundo Pontificatus Nostri anno secundo.

D. Cardinalis Passioneus.

---

SS. D. N.

## BENEDICTI PAPÆ XIV.

### CONSTITUTIO

Ad Episcopus directa,

*De Doctrina Christiana præsertim pueris tradenda.*

—

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, Salutem, et Apostolicam benedictionem.

Etsi minime nobis dubitandum sit, omues, quibus animarum cura credita est, vosque præsertim. Ven. Fratres ad Apostolatus officium evectos, atque in prælationis fastigio a Deo constitutos, in id potissimum sollicitudinem intendere, ut Christianus populus cœlestis doctrinæ pabulo enutritus, et rudimentis fidei saluberrime instructus in semitam mandatorum Domini, facem vobis præferentibus, feliciter dirigatur : temperare tamen non possumus, quin vos ipsos nostræ auctoritatis, ac paternæ dilectionis stimulis excitemus ad tam pium, tamque salutare opus doctrinæ christianæ impensiore cura provehendum, sublatis iis impedimentis, quæ animarum saluti adversantur.

Quia vero scientibus legem loquimur, et vigiles ecclesiarum hortamur antistites, quibus nec pietatis, nec alia sacrarum litterarum desunt præsidia, supervacaneum ducimus plurimis urgere argumentis non satis esse ad cœlestem beatitudinem assequendam confusim, et involute a Deo revelata, et ab ecclesia catholica proposita mysteria ; sed hanc cœlestem doctrinam divinitus traditam et quæ ex auditu concipitur, doctoris legitimi, ac fidelis ministerio ita esse accipiendam, ut singillatim illius capita explicentur, et eorum aliqua necessitate medii, aliqua vero necessitate præcepti fidelibus ad credendum proponantur. Præterea licet per fidem justificari dicamur, cum ea sit humanæ salutis initium et fundamentum ; ad futuram tamen, quam inquirimus, civitatem, ut pervenire aliquando mereamur, satis compertum est solam fidem non sufficere ; sed viam nosse constanterque tenere oportere, nempe præcepta Dei, et Ecclesiæ, tum virtutes quas prosequi, tum vitia quæ studiose declinare debemus. Quæ quidem omnia cum primis catholicæ fidei rudimentis, sive doctrina, ut aiunt, Christiana, contineantur ; episcopalis muneris exigit ratio, ut illa in singulis diœcesibus, et ubique locorum recte, atque ex ordine explicetur ; nec posse episcopos sine tacito conscientiæ convicio illam negligere, sed in hoc opus maxime necessarium omnem curam, et diligentiam conferre debere.

Id tamen oneris non ita episcopo impositum esse intelligimus, ut ipse per se doctrinæ christianæ semper intersit, pueros interroget, et mysteria fidei, quam profitemur, aperiat. Nimium quippe novimus, in pastoralis sollicitudinis munere prægravari Apostolicæ servitutis sarcinam, ac plane intelleximus, cum Anconitanam primum, tum deinde Bononiensem ecclesiam regeremus, multis, variisque curarum veluti fluctibus jactari præsulem suo satis muneri facere cupientem. Id vero futurum affirmamus, si episcopus, alieno etiam a visitatione diœcesis tempore, quandoque adsit ubi doctrina traditur christiano homine digna, pueros, puellasque de rebus antea auditis sciscitetur, ac mysteria nostræ religionis evolvat, et annuntiet ; pastoris operam in maximam crediti sibi gregis utilitatem cessuram, ejusdemque exemplum alios excitaturum ad vineam Domini sabaoth pro viribus excolendam.

Hanc administrandæ ecclesiæ quasi legem sibi dixerunt necdum veteres, sed recentiores etiam præsules beatorum civium albo adscripti ; Carolus nempe Borromeus, Franciscus Salesius, Turribius, Alexander Suali, quorum aliqui (ut litteris consignatum est) cum gravioribus distenti, atque impediti curis, adesse coram non possent, operæ, ac diligentiæ suæ vicarium aliquem ex canonicis, aut ex sacerdotibus designabant, qui, susceptis pastoralis ministerii partibus, adolescentibus ad omnia religionis officia fidei elementis informarent.

Optimum ergo, et ad profectum animarum maxime accomodatum erit Antistis exemplum, si, quod antea dictum est, id omni tempore, præsertim vero dum obit diœcesim, in singulis parœciis impleverit. Sed ut quisque facile conjiciet, ad hoc vires ejus non suppetunt. Ideoque, ut propositum assequatur, necesse est, diligentia, quanta potest maxima, curet, ne in aliis, quos tam laudabilis tamque fructuosi operis vicarios constituit, studium ac sedulitas desideretur.

Duo potissimum onera a Tridentina synodo curatoribus animarum sunt imposita : alterum ut festis diebus de rebus divinis sermonem ad populum habeant ; alterum, ut pueros, et rudiores quosque divinæ legis, fideique rudimentis informent, si statis diebus eam parochi concionem habebunt, quæ non persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis obstrepat auribus, sed captui auditorum accomodata in eorum animos ostensione spiritus illabatur ; si mysterium aliquod annuntiabunt, in primis vero, quod eo tempore

Ecclesia recolit, ea disserentes, quæ ad virtutem incitamento sint, et ad vitia fugienda, graviora præsertim et quæ fœdius grassantur in populo ; si diebus ipsis (hoc enim pariter debent suo muneri) pueros tamquam infantes modo genitos nutriant doctrinæ lacte, nunc hos, nunc illos interrogando, dubia, atque involuta explicando : Si demum cum Apostolo attendant lectioni, exhortationi, et doctrinæ, *ut perfectus sit homo Dei, et ad omne opus bonum instructus :* fas est credere, exitum optatis respondere posse, et populum acceptabilem sectatorem bonorum operum facile exiturum.

Verum satis experientia compertum, est imparem esse solius parochi laborem : cum nequeat unus omnes instruere, ubi doctoris diligentiam numerus vincit. Quoties tamen episcopus toto animo ac studio in ecclesiam sibi commissam incumbat, nunquam necessariis et opportunis destituetur auxiliis : Semper enim inveniet, qui tonsura initiari, qui per minorum, qui per sacrorum ordinum gradus ad sacerdotii fastigium promoveri, qui denique ad ecclesiastica beneficia viam sibi munire studeant. Gravissimis idcirco verbis (et verbis facta respondeant) affirmet episcopus nunquam se facturum, ut tonsura inauguret grandiores ætate, aut minores, præsertim vero majores ordines iis conferat, qui in tradenda Christiana doctrina operam suam parochis commodare neglexerint. Hunc porro clericorum numerum idem episcopus in singulas suæ civitatis, et diœcesis parochias apte distribuat, et eorum aliquos determinatæ ecclesiæ ascribat. Denuntiet præterea ac fidem præstet in conferendo parochiarum, et aliorum beneficiorum jure plurimum apud se ponderis, et momenti habiturum studium, et diligentiam in hoc opus a clericis collatam : atque ita reipsa constabit, non rectori tantum impositum esse docendi munus, sed plures illi præsto esse, ut omnes officii sui numeros cumulate impleri possit.

Hic accedit sacris Apostolicis constitutionibus, et septima præsertim felic. record. Leonis X. prædecessoris nostri edita in concilio Lateranensi saluberrime cautum fuisse, ut tam ludimagistri discipulos suos, quam piæ feminæ puellas instituentes, sana, et incorrupta doctrina, episcopo, id potissimum urgente, tamquam pabulo vitæ nutriant, et confirment. Constat etiam, ipsum episcopum posse, ac debere sacris oratoribus, quam diligentissime commendare, ut pro concione in parentum aures animosque ingerant, sua interesse mysteriis nostræ religionis susceptam prolem imbuere : et si ad minus idonei fuerint, filios in ecclesiam adduci oportere, in qua divinæ legis præcepta explicantur. Pluribus itidem in locis pia, ac laudabilis, et ubi non sit recepta inducenda consuetudo invaluit, ut parocho idem munus prosequenti auxilium ferant laici, tum viri tum mulieres in christiana institutione veluti adjutricem operam navantes, qui erudiunt pueros ac puellas orationem dominicam, Angelicam salutationem, symbolum Apostolorum, aliaque id genus memoriter pronuntiantes. Alibi quoque sodalitia erecta sunt, quorum cura in explicanda christianæ religionis disciplina versatur, et quorum institutum nedum meritis laudibus cumulat san. mem. Pius V. in sua constitutione, quæ incipit : *Ex debito* ; sed in omnibus etiam diœcesibus propagari enixe exposcit. Quæ quidem omnia in unum collecta, si sedulo perpendantur, certum omnibus, atque exploratum erit, ubi multa sit messis, paucos nequaquam esse operarios, nec eos deesse qui parvulis panem petentibus frangant.

Sed quia compertum est, non solum adolescentulos, illosque qui confirmata sunt jam ætate in divinarum rerum ignoratione versari, sed etiam viros, ipsosque senes salutaris doctrinæ esse omnino expertes ; vel quia nunquam illam perceperunt, vel jamdiu perceptam paulatim delevit oblivio : huic etiam malo provida episcoporum occurret vigilantia, si ope-

ris sui vicarios cogent, quæ parata sunt, remedia sedulo adhibere.

Ut autem ab iis, qui in prima sunt ætate sermo instituatur; ad sacram eucharistiam, et confirmationem admitti plures postulant. Pauci enim enixam hanc voluntatem, ac fere impatiens studium non præ se ferunt. Moneat igitur episcopus parochos, eisque districte præcipiat, ne quis eorum sacrum eucharistiæ sacramentum administret, et schedulam ut aiunt confirmationis iis tradat, qui graviora fidei et doctrinæ capita, et sacramenti virtutem et vim ignorent, vel quia parum in hoc tirocinio profecerint, vel quia ea neglexerint audire, quæ ad hujusmodi sacramenta pie, riteque suscipienda statis temporibus tradita sunt. Hoc sane pacto primæ ætati satis videri potest consultum.

Si vero loquamur de adolescentia, quoniam unusquisque proprium donum habet ex Deo; usu satis constat, alios ecclesiasticæ, alios vero sæcularis vitæ rationem inire. De primo hominum genere verba jam fecimus, cum de iis ageremus qui ordinibus initiari volunt. Id unum addi posse videtur rem fore magni commodi, multæque utilitatis plenam, si qui se sistunt examini, eos præsul potissimum interroget de iis, quibus christiani hominis scientia continetur. Etenim magistra rerum experientia edocuit, ex his aliquos, tametsi Latini sermonis nitore, et elegantia excultos, in scientiarum curriculo liberaliter institutos et quæ ad ordines pertinent apprime callentes, de doctrina tamen christiana percontati parum, aut nihil apposite respondere.

Si autem ad eos, qui in sæculo degunt, mentis aciem convertimus, palam fit illos, ut plurimum sacri conjugii fœdera inire. Verum cum matrimonio jungendi non sint, si parochus, ut debet, prius interrogando deprehenderit marem, seu feminam, quæ ad salutem necessaria sunt, ignorare; vix tantæ ac tam luctuosæ ignorantiæ locum relinquet episcopus, qui pastores animarum admoneat officii sui, et huic si desint, negligentiæ repetat pœnas.

Omnes denique omnium ætatum, atque ordinum homines solent indentidem sordes animæ pœnitentiæ sacramento detergere. Curabit itaque episcopus, ut sacerdos excipiens confessiones fixum illud, immotumque animo semper habeat, invalidam esse absolutionem sacramentalem, quam quis ignoranti res necessarias necessitate medii, impertitur, nec posse homines Deo per hujusmodi sacramentum reconciliari, nisi prius excussa hujus ignorantiæ caligine, ad agnitionem fidei educantur. Sedulo etiam animadvertet confessarius in aliud tempus rejiciendam esse absolutionem illius, qui necessaria necessitate præcepti suo vitio nescit, et eo quandoque casu pœnitentem absolvi posse, quo se vincibilis hujus ignorantiæ reum agnoscat, et accuset, ac intime dolens, tum a Deo veniam precetur, tum confessario serio promittat operam se impense daturum, qua divinæ gratiæ præsidio, discat etiam necessaria necessitate præcepti.

Hanc profecto christiani populi instituendi rationem, si pastores sibi proposuerint, si eorum consilia, labores, et studia ad propositam methodum duxerint referenda; sperare fas est, fide, et opere gregem ita in dies profecturum, ut coædificentur in habitaculum Dei in Spiritu sancto.

At vero cum maximi momenti ea res sit, nullaque alia ad Dei gloriam, et ad animarum salutem utilius instituta mirari nemo debet, quod plurima passim objiciantur impedimenta. Sitæ quandoque sunt in agro parvæ humilesque ecclesiæ, aliæ parochiali proximæ, aliæ vero longo intervallo disjunctæ, ad quas diebus festis patres familias una cum liberis accedunt sacerdotem sacris operantem audituri; ex quo fit, ut suæ parochiæ nunquam fere intersint, nec ullum de mysteriis fidei, de præceptis, de sacramentis verbum accipiant. Episcopus

huic malo occurret, suamque objiciet auctoritatem. Et primo quidem, quoad parvas ecclesias parochiali proximas, expressa lege caveatur, ne quis antea sacrificium faciat, quam parochus missam celebraverit, sermonem habuerit, cæterasque sui muneris partes absolverit. Hoc enim pacto ecclesia parochialis confluentium parochianorum numero celebrabitur. Quo vero ad parvas ecclesias a parochiali longe sepositas, cum difficile admodum sit, parochianos ob locorum distantiam, longum iter, atque asperum, hyemali præsertim tempore, cum pluviæ inundant, parochialem adire, ibique diviniis officiis interesse, relicta ecclesia proximiore : decernat episcopus, gavibus etiam statutis pœnis quod sacerdotes ibi operantes christianæ doctrinæ summam populo tradant, divinamque legem annuntient. Monendus tamen est parochus, ne alienæ operæ nimium tribuat, sed videat ipse quo loco res sint, cum pueri sacramentum eucharistiæ, et confirmationis, alii vero matrimonii sibi administrari exposcant.

Præterea sua etiam urbes habent impedimenta. Sæpe enim contingit in aliis ecclesiis, ac præsertim regularium, solemni ritu, magnaque populi frequentia, festum aliquem diem celebrari : ideoque si in ecclesia parochiali summo mane, aut statim a prandio catechismus habeatur ; aut nemo aut pauci admodum sunt qui eodem catechismo intersint, quippe præscriptas horas non causentur. Sin vero captentur horæ civitatis commodo magis appositæ, usu compertum est, populum ad ecclesiam confluere, in qua festus dies agitur ; et celebritate pompæ illectum, doctrinam christianam non sine gravi animæ detrimento deserere. In hoc articulo, quia certa, et communis regula præscribi non potest, in totum relictum esse volumus prudentiæ vigilis ecclesiæ antistitis, qui attenta loci, temporis, personarum qualitate, expensisque rerum omnium momentis ita studeat solemnis diei celebritatem cum doctrina christiana componere, ne alteri altera sit impedimento. Quod si regulares, et exempti contradixerunt, et sanctum hoc doctrinæ opus, licet ab episcopis prius admoniti, suis functionibus perturbare præsumpserint ; nostram locorum ordinariis auctoritatem, qua potimur in exemptos, pollicemur ; nec alia pontificiæ vigilantiæ deerunt remedia, ne parochiales Ecclesiæ debitis fraudentur obsequiis.

Plurimum quoque ad christiani populi institutionem conferre poterit, si visitatores eligantur, quorum alii civitatem, alii diœcesim lustrantes, omnia sedulo inquirant, ut certior factus episcopus, pro meritis cujusque pastoris aut præmia decernat, aut pœnas.

Clementis Papæ VII. aliorumque præ- Unit
decessorum nostrorum vestigiis inhæ- chis
rentes, hortamur in Domino, et enixe mer
commendamus in doctrina christiana tradenda adhiberi libellum de Clementis ejusdem mandato a cardinali Bellarmino conscriptum, mox in deputata congregatione diligenter examinatum, et approbatum ; ac denique ab eodem Clemente in lucem eo saluberrimo consilio edi jussum, ut unus deinceps, idemque modus in ducendo, et discendo christianam doctrinam ab omnibus teneretur. Nihil hac uniformitate optabilius ; nihil ad præcavendos, qui in multiplicem catechismorum varietatem irrepere possent errores conducibilius, atque opportunius. Sicubi vero contingat ob peculiares regionum necessitates alium quempiam adhiberi forte libellum ; sedulo invigilandum erit, ne quid ille contineat, ne quid in eo unquam inducatur a catholica veritate absonum. Curandum insuper, ut in eo fidei dogmata clare, et dilucide sint explicata, additis si quæ desunt necessariis, ac sublatis quæ redundant. Brevis enim, et univoca docendi methodus multum prodesse solet ad faciliorem interrogationem, cum quis periculum facit progressus puerorum. Complectatur liber hujusmodi etiam fidei, spei, et charitatis

actus, quos recte scienterque compositos esse, minime dubitandum. Sed si aliter se res habeat, castigati emendato prælo donentur. Actus prædicti paucis potius, quam multis verbis efferri gaudent ; dum illis tamen tota vis, et natura virtutis explicetur. Et quia christianam religionem profitenti maxime necessaria est consuetudo, et exercitatio sæpius eliciendi dictos actus ; idcirco ne illorum usus circumscribatur augustis finibus, et exiguo numero a quibusdam singulis annis præfinito ; episcopus suæ non minus, quam alienæ salutis studiosus, provide statuat, ut in parochiis, tum urbis, tum diœcesis rectores animarum post missam esto die celebratam, statim ante aram provoluti clara, et intelligibili voce dictos virtutum actus eliciant, et præire satagant populo verba ab ipsis prolata devote reddituro. Hoc enim pacto fideles sensim illos memoriæ mandabunt, et assuescent nedum festis, sed aliis etiam diebus in hac pia exercitatione versari.

Actuum fidei, spei et charitatis post missam ante aram commendatur.

Saluberrimas has erudiendi Gregis rationes, quas vobis Venerabiles Fratres, per hæc Apostolica scripta notas esse volumus, quisque vestrum facile intelliget, consonas esse monitis nostris pastoralibus prælio jam demandatis, cum sponsam nostram Bononiensem ecclesiam paterna charitate cominus amplecteremur : illasque præterea ex pontificiis constitutionibus haustas esse, et spectabilium antistitum testimonio et exemplo comprobatas. Quia vero maximam inde utilitatem proficisci experimento cognovimus ; quo majori possumus studio vos hortamur et admonemus, ac per viscera misericordiæ Dei nostri enixe obtestamur, ut pro injuncto vobis pastoralis ministerii debito præmissorum executioni strenuo, constantique animo incumbatis : sedulo recognitantes quidquid laboris, studii, ac vigilantiæ in hunc scopum collatum fuerit, Deum omnium bonorum datorem uberi mercede retributurum ; et Apostolicam benedictionem ex animo vobis impertimur.

Datum Romæ apud Sanct. Mariam Majorem die VII. Februarii MDCCXLII. Pontificatus nostri anno secundo.

---

SS. D. N.

## BENEDICTI PAPÆ XIV.

### CONSTITUTIO.

Ad Episcopos directa de Parochorum electione.

—

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres Salutem, et Apostolicam benedictionem.

Cum illud semper plurimum formidaverit Ecclesia catholica, ne indignis quibusque, et extra sacerdotale meritum constitutis cura animarum, et Dominici gregis custodia crederetur ; quia totius familiæ status, et ordo nutat, si quod requiritur in corpore, non invenitur in capite. Hinc canonicis sanctionibus ac præsertim sanctæ Tridentinæ synodi decretis provide consultum est, regimen ecclesiarum parochialium iis esse committendum, quorum omnis ætas a puerilibus exordiis ad perfectiores annos per disciplinæ ecclesiasticæ stipendia ita concurrisset, ut de illorum supra alios provectione, ac potiori doctrinæ, morum, ac diuturni laboris suffragio nefas esset dubitare. Quia vero perniciosa apud plurimos opinio sensim invaluit, Tridentini decretis non præscriptam esse dignioris electionem, sed caveri tantummodo, ne indignis ecclesiæ parochiales, aliaque beneficia, quibus cura imminet animarum,

conferrentur : sanctæ mem. Innocentius XI. prædecessor noster erroneam doctrinam a vera, et sincera patrum mente longius deflectentem damnavit, et edocuit quam prudens, et diligens esse debeat pastoralis officii dispensatio.

Ad tramites idcirco ejusdem sanctæ synodi usu receptum est, occurrente parochialis ecclesiæ vacatione, quæ libere ab ordinario conferenda sit, concursum institui, ut habita in eo de cujuslibet ætate, moribus, doctrina, et sufficientia solerti inquisitione, episcopus eligat quem cæteris magis idoneus judicaverit.

At quia contingere quandoque potest, quando favore, vel gratia, vel minus æquo judicio minus digni dignioribus præponantur : sanctæ mem. Pius V. noster prædecessor, ne quid in hujusmodi electione esset inordinatum, atque præposterum edita saluberrima constitutione voluit injuste in concursu rejectis, interposita ad metropolitanum, vel episcopum viciniorem, vel sedem quandoque Apostolicam appellatione, præelectum ad novum examen provocare, et ecclesiam alteri non rite collatam, novo facto meritorum periculo, si ita jus esset, vindicare. Et ne frivolæ appellationis diffugio locus esset, provide ibidem cautum est, dictæ appellationi in devolutivo tantum deferri oportere, non suspensa, aut quoquomodo retardata præelecto ab ordinario parochialis ecclesiæ possessione.

Consultissimæ hujusmodi leges eum in finem institutæ, ne in tanti momenti re imperiti magistris, novi antiquis, rudes præferantur emeritis, violatæ sunt hominum fraude, et malitia, ipsa medela vulnus exasperantium. Sæpissime enim rejecti ab ordinario dictæ constitutionis obtentu in vocem appellationis facile prorumpere, et minus legitima concurrente causa electos ab episcopo ad novum exa men provocare consueverant ; illosque præterea relicta gregis, et ecclesiæ custodia longum iter arripere, et diuturni laboris, temporis et pecuniæ impensa exhaustos, litem in secunda, tertia et ulteriori quandoque instantia sustinere cogebant. Quin etiam experientia compertum est, magno justitiæ detrimento litem ipsam absolvi. Quandoquidem ii, qui examini se subjecerant, atque in primævo concursu utpote legitimarum institutionum nescii rejecti fuerant, longa postmodum decurrente lite, sedulam litteris ex industria navantes operam, præferri aliis merebantur, et acerbe succensebant episcopo, judici quidem adeptæ, non autem adipiscendæ peritiæ, per injuriam se fuisse rejectos.

Hinc apud bene moratos homines, et justitiæ vindices, frequens querelarum occasio, quibus sedandis cum congregatio concilii Tridentini interpres omne studium diligentiamque conferret : Nobis, qui secretarii munere fungebamur, mandatum est, ut sermone, typis postea vulgato, rem sedulo expendere, ingruentis mali originem, et apta eidem avertendo remedia investigara pro viribus niteremur. Sensus hac de re nostros explicantes, vitio potissimum laborare comperuimus praxim examinis oretenus habiti, nec scriptis consignati : electi siquidem ad curam animarum ab ordinario collatore, et ad iteratum examen coram alio judice provocati, jus legitimæ collationis tueri non poterant certo, ac permanenti festimonio jam probatæ idoneitatis ; sed a novi examinis alea, subeunda coram judice appellationis gestarum rerum prorsus ignaro, tota res pendere videbatur. Quocirca gravi justitiæ detrimento recepta in foro erat opinio, provocari posse ad alium judicem, nullo exhibitio indebitæ rejectionis documento. Quod quidem cum a sacrorum canonum censura longius aberraret, facile huic corruptelæ occurri posse censuimus, si certa primum et apte disposita habendi examinis forma præscriberetur ; Si quæstiones examinatis propositæ, et consentaneæ illorum responsiones, totaque rei gestæ series in scriptis redigerentur ; et si acta demum totius concursus ad judicem appellationis integra asportarentur.

Inita a nobis consilii ratio non solum arrisit congregationi, illam die 16 Novembris 1720. ratam habenti : sed etiam Pontificii judicii accessione roborata fuit a Clemente XI. ecclesiasticæ disciplinæ vindice, et assertore eximio. Utque locorum ordinarii ea omnia filiali, quo par erat obsequio et diligentia exequerentur ; iis datæ sunt die 10. Januarii 1721. opportunæ litteræ nostro calamo exaratæ, ejusdemque Pontificis sensu, et oraculo comprobatæ, quarum tenorem, etsi alias prælo commissum, et insertum in bullario dicti Clementis prædecessoris nostri, congrue hic duximus referendum.

*Reverendissime Domine uti Frater.*

Quo parochiales ecclesiæ dignioribus personis gubernandæ traderentur, statuit, ut notum est sacrosancta Tridentina synodus sess. XXIV. cap. 18. ut vacante ecclesia parochiali, indiceretur et fieret concursus ; ac postquam concurrentes ab episcopo, vel ejus vicario generali, atque ab examinatoribus synodalibus saltem tribus examinati, et approbati essent, episcopus eum eligeret, quem ætate, moribus, doctrina, prudentia, aliisque rebus ad vacantem ecclesiam gubernandam necessariis, et opportunis, digniorem cæteris, magisque idoneum judicaret. Adjecitque ad hanc Concilii sanctionem validius confirmandam, re, et nomine Sanctissimus Pontifex Pius V., quod si unquam episcopus minus habilem, postpositis magis idoneis, elegisset, posset ii qui rejecti essent, a mala hujusmodi electione ad metropolitanum, vel si ipse eligens metropolitanus, aut exemptus foret, ad viciniorem Ordinarium, ut sedis Apostolicæ delegatum, vel alias ad ipsam sedem apostolicam appellare, ac præelectum ad novum examen coram ipso appellationis judice, et ejus examinatoribus provocare : ea tamen cautione, ut appellatio non in suspensivo, sed in devolutivo esse deberet : quemadmodum in ejus constitutione, quæ trigesima tertia est, latius ; concludendo quod, constito de prioris eligentis irrationabili judicio ; illoque revocato, parochialis ecclesia magis idoneo conferatur.

Cum autem neque Concilii decreto, neque Pontificis bulla examinis in concursu peragendi forma, seu methodus ulla certa, ac peculiaris servanda proponatur ; difficile dictu est, quanta examinum, aliorum alibi diversitas extiterit, atque hinc occasio querelarum. Nam alicubi, cum non eædem omnibus quæstiones, non iidem casus propositi fuissent : erant identidem, qui, vel in judicio, vel extra conquererentur, sibi quidem postpositis difficiliores, prælecto autem faciliores ad solvendum quæstiones obtigisse. Alibi vero eædem quidem omnibus quæstiones propositæ fuerunt, sed neque hæ, neque datæ a concurrentibus responsiones scripto, seu litteris consignabantur. Cumque postmodum, nec raro contingeret, ut e postpositis quispiam jure bullæ supradictæ novum ad examen coram judice appellationis, ejusque examinatoribus electum provocaret. Sacra congregatio usque ab anno 1603. considerans gravamen non alia ratione, quam novo examine probari posse ; provocationem ad novum examen censuit admittendum, gravamine nec dum probato, et requisitis tantummodo probationibus in subsequenti judicio, in quo, probato per novum examen appellantis gravamine quoad doctrinam, probanda superest ejusdem præ jam electo in reliquis ad regendam ecclesiam requisitis præstantia, ut de majori alterutrius ad parochialis ecclesiæ gubernium idoneitate sententia ferri possit, cum non continuo, si quis est doctior, is etiam aptior, seu magis idoneus ad id regimen habeatur, vel etiam habendus sit. Quam sacræ congregationis sententiam scriptores, et tribunalia laudarunt.

Aliis vero in diœcesibus laudabilis invaluit consuetudo, ut eædem omnibus quæstiones, iidemque casus proponantur ; ac, ne qua detur ansa cancellario quidquam suo marte abolendi, minuendi, mutandi, ut ipsimet concurrentes, quæ interrogati fuerint, quæque responderint sua perscribant. Atque ordinarii, qui morem hunc longe optimum in examinando tenuere, Sacræ deinde Congregationi etiam, atque etiam considerandum reliquerunt, his, qui sic examinati essent, atque postpositi, in posterum, ut solent, appellantibus, indulgenda necne statim electi novum ad examen provocatio, nulla gravaminis prærequisita probatione videretur ; cum isti ex actis primi examinis gravamen doctrinæ facile alioquin probare possent ; quoad alii aliter nimirum examinati probare, nisi secundo, seu novo examine non poterant ; nec defuere alii probitatis ac peritiæ in administrandis diu ecclesiis laude præstantes, qui monerent, frænum aliquod hujusmodi appellantium licentiæ tandem injiciendum, eorumque jam nimis crebras novum ad examen provocationes esse reprimendas : quippe quæ vix unquam sine magno ecclesiarum damno contingunt. Nam cum novum examen coram judice appellationis longe procul a parochia peragendum sit ; electus ab episcopo, qui provocatur, parochiam quam possidet, cogitur interea temporis deserere, eamque œconomo, vel vicario cuipiam, veluti sponsam ignotis custodibus, relinquere, sponso non parumper, sed diu sane abfuturo, dum nempe, implicita, ut fit, lite, terna etiam, vel quaterna, alia ex aliis examina super præstantia primum doctrinæ, tum deinde aliorum, quæ ad integrandam idoneitatem opportuna sunt contentiose multiplicentur, et commode, ne dicam otiose, transigantur, antequam deliberari possit utri concurrentium parochia sit adjudicanda.

Ad tollendam non minus querelarum, quam incommodorum occasionem sacra congregatio concilii Tridentini interpres, postquam rem omnem a capite repetitam in gemina sessione 1. Octobris, et 16. Novembris 1720. Summo studio recognovit, tandem Sanctissimo etiam annuente, statuit (quod per præsentes litteras encyclicas exequitur) omnes, et singulos episcopos, aliosque prælatos penes quos sit jus et auctoritas faciendi concursum hortari, ut examen ejusmodi instituere non graventur, quale jam et multæ diœcesis, et Urbis ipsa observat, atque Apostolica etiam dataria postulat, sive, cum sede vacante, vacat ecclesia aliqua parochialis, ut dicitur, juxta decretum, sive demum, cum, vacante in collegiatis, aut cathedralibus ecclesiis dignitate aliqua majori, annexam habente curam animarum, faciendus est concursus, atque ad Apostolicam datariam transmittendus, ut notum est, atque in litteris, quæ de ordine sanctissimi tunc a dataria prodeunt, clare præscribitur.

Forma concursus proponitur.

Vacante itaque ecclesia porachiali, quæ conferenda sit per concursum, atque hoc solitis formulis indicto, hæc, quæ sequuntur, ex sacræ congregationis sententia, consilio, suasione servanda proponuntur.

Primum nempe, ut assignentur eædem omnibus concurrentibus quæstiones, iidem casus, idemque textus evangelii super quo sermonis aliquid perscribant ad probandam dicendi pro concione facultatem.

Alterum, ut casus, et quæstiones resolvendæ dictentur omnibus eodem tempore, atque omnibus pariter eodem tempore textus evangelii tradatur.

Tertium, ut certum, idemque omnibus spatium temporis constituatur intra quod casus resolvant, quæstionibus respondeant, conciunculam componant.

Quartum, ut omnes concurrentes in conclavi claudantur, unde, quandiu scribent (dabitur enim omnibus scribendi copia) nemo eorum egredi, neque alius quispiam eo ingredi, nisi postquam scripta confecerint, et exhibuerint.

Quintum, ut omnes sua quisque manu, tum responsa, tum sermonem scribant, subscribantque.

Sextum, ut responsa quidem latine, sermo autem, ea, qua ad populum haberi solet, lingua scribatur.

Postremum, ut unumquodque responsum, et unusquisque sermo, cum ab unoquoque concurrentium exhibebitur, non solum ab eo, qui scripsit, atque a cancellario concursus, verum etiam ab examinatoribus, et ab ordinario, vel ejus vicario, qui concursui interfuerint, subscribatur.

Peracto secundum hanc formulam concursu, collataque ei, qui magis idoneus, ac dignior judicatus fuerit, ecclesia parochiali, non admittatur appellatio aut a mala relatione examinatorum, aut irrationabili judicio episcopi, nisi intra decem dies a die collationis interponatur.

Si quis autem hoc intra spatium appellaverit, actaque concursus petat ad judicem appellationis transferenda : mittantur vel acta ipsa originalia concursus clausa et obsignata, vel certe unum aliquod authenticum eorum exemplum a cancellario concursus, atque altero notario collatum, et auscultatum coram vicario, vel alio in ecclesiastica dignitate constituto, quem eligat ordinarius, ad quem etiam notarii cancellario adjungendi electio pertinebit, nec non ab examinatoribus synodalibus, qui concursui interfuerunt, subscriptum.

Ex quibus dictis, vel authentico eorum exemplo, nisi gravamen, quoad doctrinam probet is, qui sic, ut præmittitur, examinatus, abt a mala relatione examinatorum, aut ab irrationabili judicio episcopi appellaverit, novum ad examen provocandi facultatem a sacra congregatione frustra postulabit.

Quemadmodum, et in judicio appellationis persequi jus suum tentabit is, qui forte se gravatum doleat quoad reliqua, nisi, interposita mature, ut dictum est, appellatione ab irrationabili judicio episcopi, gravamen, quoad illa, ostenderit, vel ex actis primi concursus, vel saltem ex attestationibus, et documentis extrajudicialibus etiam, sed non levibus.

Atque ita quidem sensit sacra congregatio, et Sanctissimus assensit. At si quis tamen ordinariorum aliter, ac supra descriptum est, concurrentium examina instituere perrexit, perget, et sacra ipsa congregatio more pristino appellantibus, qui se gravatos dixerint, provocationem ad novum examen, nulla gravaminis prævia probatione indulgere. Interim tamen, ne harum litterarum memoria dilabatur, vult eadem sacra Congregatio, eas in uniuscujusque ordinarii cancellaria perpetuo conservari. Cujus interea consilium tum voluntatem dum ergo omnibus significo, amplitudini tuæ fausta omnia a cœlo precor.

Romæ hac die 10. Januarii 1721. Amplitudinis Tuæ.

Uti Frater

*P. M. Card. Corradinus Præfectus.*
*P. Lambertinus Secretarius.*

Quantum recta dispensandis ecclesiasticis muneribus, administrandæ justitiæ, componendis dissidiis, continendisque in officio clericis proficeret saluberrima præmissarum legum institutio, satis superque experientia comperuimus, cum Anconitanam primum ecclesiam, ac deinde Bononiensem sponsam nostram paterna charitate cominus amplecteremur. Freti siquidem dictarum legum præsidio digniores parochiis, et curæ animarum præfecimus : tantaque, benedicente Domino, id accidit animorum consensione, ut nemo questus sit, traditum minus digno celsioris loci præmium, vel minus juste alteri credita vacantis ecclesiæ gubernacula. At quia certis admonemur indiciis non ita ad alios episcopos contigisse, imo non deesse, qui privatis abrepti studiis, sæpe declinare, ac redarguere

judicium episcopale præsumant : nos propterea solliciti de implendis, prout decet, muneris nostri partibus, nonnulla præfatis litteris addenda, nonnulla vero tacite, breviterque ibidem tradita, clarius explicando censuimus, ut recte omnia, atque ex ordine peragantur.

Mœrentes igitur audivimus, quod in plerisque diœcesibus, etsi recepta sit laudabilis, firmiterque custodienda consuetudo in scriptis redigendi examen concurrentium ; nihilominus examinatorum suffragia in sola litterarum peritia versantur, nec illorum exquiritur sententia de clericorum ætate, institutione, gravitate, et honestate morum, prudentia, muniis antea exercitis, et an tales demum sint, qui oves suas verbo et exemplo juvare possint. Quam devia sit hujusmodi praxis a Tridentina semita, is plane intelliget, qui expendet verba relata cap. XVIII. sess. XXIV. *de Reform.* Peracto deinde examine renuntientur quotcumque ab iis idonei judicati fuerint moribus, doctrina prudentia, et aliis rebus ad vacantem ecclesiam gubernandam opportunis. Idque probe noscens congregatio ejusdem Concilii interpres pluries edixit, examinatores suo deesse muneri, si doctrinæ tantum judices essent, nec inquirerent qui præ aliis probitate morum, laboribus, præstito antea Ecclesiæ obsequio, cæterisque dotibus ad officium parochi cumulate obeundum necessariis, essent idonei et commendabiles.

Absoluto examine, ut cuique satis compertum est, fit tantummodo potestas examinatoribus renuntiandi quot quot regendæ ecclesiæ idoneos judicaverint, reservata uni episcopo electio dignioris, quemadmodum sancitum est a Tridentino illis verbis : « ex hisque episcopus eligat, quem cæteris magis idoneum judicaverit. » At si quem clericorum forte contigerit appellare a mala relatione examinatorum, quorum cura unice versata fuerit in exquirenda doctrina, non facta uno eodemque tempore solerti etiam investigatione aliarum qualitatum, quæ pastoris congruant officio, ordo judicii secum feret, ut etiam judex, ad quem provocatum fuit, in sola doctrinæ indagine immoretur : Nec sine gravi animarum detrimento, et disciplinæ injuria præficiatur ecclesiæ, qui litteris magis pollet, licet cætera minus aptus, et quandoque indignus ; contra vero arceatur ille, qui licet impar doctrinæ merito, attamen moribus, gravitate, prudentia, probato nomine, diuturno ecclesiæ famulatu, ac multiplici virtutum laude præcellit.

Factum præterea satis extirpandis abusibus non videtur, si tam episcopus, quam examinatores conjunctis studiis, industriæ nervos omnes intenderint in conferenda concordi judicio ecclesia personæ, quæ licet scientia, et litteris alteri concedat, majori tamen cæterarum qualitatum eminet ornamento : Si quidem postpositus, suæ nimium fidens doctrinæ ab irrationabili judicio episcopi, non raro appellat ; causaque ad judicem appellationis delata, idem totus est in perquirenda majori doctrina, ac reparando gravamine litterato homini irrogato, nusquam librato aliarum virtutum pondere, quæ in appellante desiderantur : lugentque ut plurimum vigiles ecclesiarum antistites exitum hujusmodi appellationis, intimeque dolent, parochias doctis, non aptis pastoribus, ut dictum est, regendas committi.

At si judex etiam appellationis, quod raro evenit, tantum tribuens scientiæ, quantum satis majori, et accurationi examine inquirat, qui mores hominum sint, quæ gravitas, prudentia, qui suscepti antea labores, quæ virtutum specimina, quæ demum totius antea actæ vitæ ratio, pascendo gregi consentanea : tot judici exhibentur attestationes ab appellante ex industria collectæ, ut, revocato episcopali judicio tanquam irrationabili non vereatur judex succurrere eidem appellanti, quem tam copiosa, tamque conspicua probitatis adjuvant documenta.

Demum cum præcipue episcopis tan-

quam in specula constitutis pateant subditorum excessus, contingere solet, ut in concursu tam inspecta scientia, quam moribus ille idoneus ab examinatoribus renuntietur, cui fœda aliqua vitii labes, ac criminis macula inusta sit, omnibus præterquam episcopo occulta. Si episcopus justa suadente causa, crimine non revelato, eumdem criminosum tacitus preterierit, aliumque immunem a sorde præelegerit : Illico postpositus, simulato gravamine, provocat ad superiorem judicem criminis ignarum, et consueto diffugio appellationis evehitur ad pastorale fastigium, qui non potest consulere populo, sed nocere, nec præstare regimen, sed augere discrimen.

Ne igitur improbi ingenii homines remedium appellationis ad justitiæ præsidium institutum, callide traducant ad iniquitatis defensionem : optimum factu aliquibus fortasse videretur, si appellatione quavis sublata, cura præficiendi rectores animarum prorsus relinqueretur episcopis, rationem villicationis sua Christo judici tantum reddituris. Verum nullo pacto probare id possumus, quod adversaretur menti concilii Tridentini, tacite permittentis appellationem in devolutivo a mala relatione examinatorum quemadmodum innuere videntur verbalia : nec prædictorum examinatorum, relationem, quominus executionem habeat ulla devolutio, et appellatio etiam ad sedem Apostolicam, sive ejusdem sedis legatos, aut vice legatos, aut nuntios, seu episcopos, aut metropolitanos, primates, vel patriarchas interposita impediat, aut suspendat; cui sanctioni respondet etiam constitutio Piana, admittens appellationem in devolutivo ab irrationabili judicio episcopi.

Qua de re, ut in hujusmodi negotio apte omnia, atque composite peragantur, officii nostri esse duximus, cum vobis, Ven. Fratres, gerendarum rerum ordinem præscribere, quem longo usu utilem agnovimus instituendis animarum rectoribus, qui credito sibi gregi præesse, et prodesse possint.

Regulæ concursi statuuntu

I. Episcopus, habita notitia vacationis ecclesiæ, statim, ad præscriptum Tridentini, idoneum in ea deputet vicarium cum congrua ejus arbitrio fructuum portionis assignatione, qui onera ipsius ecclesiæ sustineat, donec ei de rectore provideatur.

II. Publico evulgetur edicto notitia concursus, congruo, et ab episcopo præfinito tempore celebrandi : eodemque edicto omnes clare, et aperte moneantur, ut interim decurrente termino assignato coram cancellario episcopali, vel altero ab episcopo deputando, suarum qualitatum, meritorum, et munerum probationes, attestationes tam judiciales, quam extrajudiciales, aliaque id genus documenta, quæ fraude vacent, exhibeant. Alioquin dicto termino elapso, documenta hujusmodi quæcumque, et qualiacumque ea sint, nullatenus recipientur.

III. Eveniente die concursus, a cancellario episcopali singulorum merita, qualitates, et requisita (ut vocant) incorrupta fide deprompta a juribus tempore habili exhibitis, in scriptis summatim redigantur. Porro copia epitomes tradetur non solum episcopo, vel vicario generali vices illius obeunti, sed singillatim omnibus examinatoribus ad concursum adscitis, ut cum de scientia, tum de vita, moribus, aliisque regendæ ecclesiæ necessariis dotibus ferant judicium.

IV. Die præstituta ab episcopo habeatur concursus, servata accurate in omnibus forma tradita in supra relatis litteris anno 1721. editis, totaque rerum in eo gestarum series scriptis diligenter enucleetur. Porto examinatores ad assequendam certam, et indubiam conjecturam scientiæ postquam diligenter expenderint singulorum peritiam in evolvendo, explicandoque oretenus aliquo ecclesiasticæ doctrinæ capite, vel a SS. Patribus, vel a sacro concilio Tridentino, vel a catechismo Romano excerpto, ac pari diligentia libraverint a quolibet scripto da-

tas responsiones quæstionibus propositis, et postquam demum deprehenderint qua quisque polleat gravitate sententiarum, et elegantia sermonis in conciuncula scripto pariter exarata, et textui Evangelico, vel altero dato themati accomodata : parem, ni forte majorem solertiam examinatores adhibeant in perscrutandis aliis qualitatibus, regimini animarum consentaneis, morum honestatem inquirant, gravitatem, prudentiam, præstita hactenus Ecclesiæ obsequia, acquisitam in aliis muneribus laudem, aliaque spectabilium virtutum ornamenta, doctrina arcto fœdere consocianda : hisque omnibus conjunctim expensis, inhabiles per sua suffragia rejiciant, et idoneos episcopo renuntient.

V. Absoluto concursu ab episcopo, vel, eo impedito, a vicario generali una cum examinatoribus synodalibus non paucioribus quam tribus, notula compendiaria requisitorum antea distributa tradatur cancellario, qui illam comburat, vel penes acta sacreto custodiat, et nemini ostendat, nisi de mandato episcopi, vel ejus vicarii generalis. Subinde vero Ordinarius, cum primum ei libuerit, eligat ex approbatis digniorem, nec illi possessio, ullo appellationis, vel inhibitionis obtentu, retardetur.

Regulæ pro appelationibus statuuntur.

VI. Si quem clericorum appellare contigerit a mala relatione examinatorum, vel ab irrationabili judicio episcopi coram judice appellationis acta concursus integra omnino producat, et judex nisi illis visis, et gravamine comperto, sententiam non pronuntiet. Præterea in ferenda sententia, ac reparando gravamine idem judex innitatur solummodo probationibus ab actis elicitis tam respectu doctrinæ, quam aliorum meritorum. Quia vero a publica indictione usque ad diem habiti concursus tantum temporis intercessit, quantum satis fuit commode exhibendis necessariis juribus, attestationibus, requisitis, aliisque meritorum documentis; idcirco, ut quævis via fraudibus præcidatur, volumus, ac districte mandamus, ne dd. attestationes, fides tam judiciales, quam extrajudiciales, et documenta quæcumque studiose conquisita, et post concursum, ut aiunt expiscata ullo modo recipiantur : non obstantibus supra memoratis litteris, a congregatione concilii Tridentini interprete anno 1721. editis, quibus ad præmissorum effectum in hac parte derogamus; illis tamen in reliquis una cum omnibus in eis contentis firmiter in suo robore permansuris.

VII. Ubi vero episcopus posthabito uno, vel altero ex approbatis ecclesiam contulerit magis idoneo ob aliquam sibi ipsi tantum notam causam, quam censeat significari oportere judici appellationis ad detegendam injuste fortasse prælectionis notam : familiaribus litteris judicem certiorem efficiat, inviolabilis secreti lege adjecta. Nemo sit, qui hanc praxim nostræ tribuat solertiæ, cum illa profluat a Tridentini decretis, sessione et enim XXIV. cap. 20. *de Reform.* ita disponitur. Præterea si quis in casibus a jure permissis appellaverit, aut de aliquo gravamine conquestus fuerit, seu alias ob lapsum bienii, de quo supra ad alium judicem recurrerit, teneatur acta omnia coram episcopo gesta ad judicem appellationis expensis suis transferre, eodem tamen episcopo prius admonito, ut si quid ei oro causæ instructione videbitur, possit judici appellationis significare.

Et quamvis jure nobis timendum sit, ne dicta praxis monendi judicem, a quo appellatum est in more olim posita, hac tempestate obsolverit, et a foro recesserit; attamen episcopus, ut dictum est, si ex causa sibi tantum, et non aliis nota, quæ tamen approbari digna sit, ecclesiam contulerit; illam judicii appellationis, datis secreto litteris, denuntiet et aperiat. Sciant porro judices, delatas ab episcopo causas, et rationes inviolabilis secreti, fide esse custodiendas, nec parvi pendendum esse testimonium illius pastoris, cui divino mandatur eloquio, oves suas agnoscere. Facile enim credi non potest, epis-

copos suæ non minus, quam alienæ salutis adeo immemores, ut non deterriti divini interminatione judicii odio, vel favore moveantur ; et in sacrorum canonum singularem injuriam, dicant *malum bonum, bonum malum, ponentem tenebras lucem, et lucem tenebras.*

Si vero episcopo fuit suspecta fides judicis, ad quem appellatum est, nec eidem revelanda censuerit hujusmodi occulta rationum momenta : Illa significet secretis litteris S. R. E. cardinali præfecto pro tempore congregationis Concilii, qui nec consilio nec auctoritate deerit, quo minus a judice appellationis debitus justitiæ locus tribuatur.

Præterea quia æquitati etiam convenit, causas appellationum, quæ magno litigantium dispendio, et Ecclesiæ pernicie immortales quandoque existunt, quanta fieri potest brevitate terminari : Idcirco ubi a judice appellationis lata sit sententia, quæ præelectioni factæ ab episcopo omnino sit conformis, nullus pateat novæ appellationi aditus, sed auctoritate rei judicatæ controversiæ finis imponatur. Sin vero judex appellationis aliter, quam ordinarius pronuntiaverit ; liceat præelecto ab episcopo, qui causa cecidit, ad alium judicem appellare, firmiter interim retenta parochialis ecclesiæ possessione. Tandem postquam tertius quoque judex sententiam dixerit, ne partes ultra modum graventur laboribus et expensis, præsertim quia agitur de cura animarum, cui damnosum est, certi pastoris destitui solatio, is legitimum regendæ ecclesiæ jus obtineat, cui duæ conformes assistunt sententiæ, nec ullum novæ appellationis remedium succumbenti suffragetur.

His sane regulis, quamvis appellatio sublata non sit, satis tamen præsidii comparatum esse arbitramur ecclesiasticæ disciplinæ a recto gerendarum rerum ordine. Unum superest, ut proposita hactenus media debitæ executioni mandentur, eumque in scopum locorum Ordinarii vigilantiam suam desiderari non patiantur. Ferendum quippe non esset ad nostri apostolatus auditum novas in dies ferendi querelas, ac submovendis abusibus novas implorari leges ab iis, qui jam præstitutas negligunt et contemnunt.

Demum cum non raro contingat ecclesias parochiales, dignitates, canonicatus, aliaque beneficia, curam animarum habentia, a sede Apostolica esse conferenda, vel quia vacaverint in mensibus reservatis, vel quia ex alio capite dictæ. Sedi reservata sint : nos prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes præcipimus, et mandamus, ut uno, vel altero eveniente casu, concursus ab episcopo sine ullo discrimine indicatur, nulla ad hunc actum petita venia vel licentia, quam nostris hisce litteris sibi tributam episcopi intelligant. Absoluto concursu, si res sit de beneficiis curatis quæ tantum ratione mensium reservata sint, episcopus inter approbatos eligat magis idoneum, et datariæ significet, nec acta concursus transmittat, nisi a dataria cum id opportunum duxerit, requirantur. Sin vero dicta beneficia, quibus cura imminet animarum, ex alio quovis capite, quam mensium Apostolicorum, S. Sedi reservata sint ; eo sane casu, veteri immutatio more, abstineat episcopus a ferendo dignioris judicio, et acta concursus ultro datariæ exhibeat.

Licebit tamen ordinariis pro suo arbitrio familiaribus litteris Datario scriptis eisdem denuntiare personam, quam censent regendæ ecclesiæ magis idoneam, eumdemque commonere, an occulta aliqua, et in actis juste reticita subsit causa, quæ culpam obstet ad beneficium curatum obtinendum. Nos ipsi postmodum ab hac Sede omnium principe et magistra, luculento edocebimus exemplo quanti faciendum sit episcopale judicium quantoque vos honore prosequamur, Vener. Fratres, in partem nostræ sollicitudinis evocatos ; quibus interim Apostolicam benedictionem permanenter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die 14. Decembris 1742. Pontificatus Nostri anno tertio.

CONSTITUTIO

SS. D. N.

## BENEDICTI PAPÆ XIV.

*Ad locorum Ordinarios directa de missa a parochis applicanda pro populo, deque reverenti divini officii in choris recitatione.*

—

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres Salutem, et Apostolicam benedictionem.

Cum semper oblatas nobis ocasiones Apostolica scripta dirigendi ad Fraternitates vestras libenter amplectimur, ut sinceræ nostræ erga vos dilectionis argumenta frequenter eluceant, tum vero majori animi alacritate id ipsum præstamus, quum ad excitandum Fraternitatum vestrarum zelum pro conservatione rectæ disciplinæ in clero regimini vestro commisso præsentibus rerum, aut temporum conditionibus commovemur. Nec enim impositum imbecillitati nostræ omnium ecclesiarum sollicitudinis onus aliter sustinere nos posse confidimus, quam si Divini cultus augmentum, atque exactam ecclesiasticarum sanctionum in singulis diœcisibus custodiam religiosæ vigilantium pastorum curæ, identidem inculcando commendemus.

Hujus porro epistolæ ad vos scribendæ occasionem nobis atque argumentum in primis præbet onus illud, quod omnibus animarum curam gerentibus incumbit, applicandi missam parochialem pro populo ipsorum curæ commisso ; tum etiam applicatio missæ conventualis, quæ pro benefactoribus in genere facienda est ab iis, qui missas canunt in ecclesiis patriarchalibus, metropolitanis, cathedralibus, et collegiatis : tum vero debitum psallendi, quo tenentur canonici prædictarum ecclesiarum choro assistentes. Cujus quidem argumenti minime nova, sed a scriptoribus frequenter habita tractatio est ; cumque ea res in hujus almæ Urbis nostræ congregationibus, et potissimum in congregatione vener. fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium concilii Tridentini interpretum, cujus secretarii munere olim in minoribus constituti multos annos perfuncti sumus, multoties discussa, ac definita fuerit ; quamvis earumdem congregationum decreta plerumque circa eam uniformia, et sibi consona prodierint, eorumque decretorum nonnulla etiam pontificiam prædecessorum nostrorum approbationem, et confirmationem meruerint ; minime tamen mirandum esset eorum notitiam ad singulos quosque vestrum non adhuc pervenisse. Quapropter non modo opportunum, verum etiam necessarium duximus, encyclicam hanc epistolam ad vos scribere, per quam, sublata demum diversarum, in quas scriptores abierunt opinionum varietate, constans hujus Apostolicæ sedis sententia prædictis de rebus cuilibet innotescat, et fraternitatibus vestris quædam veluti norma ac regula suppetat juxta quam synodales, aliasque vestras circa præmissa constitutiones, ordinationes, seu edicta, quorum publicationes vobis injungimus, dirigere valeatis. Eorum vero executionem, dum juxta ea, quæ in præsentibus tenenda atque servanda præscribimus, omni, qua decet, sollicitudine, ac vigilantia urgere studebitis, minime dubitandum vobis erit, ne statutorum vestrorum implemento obicem, aut moram afferre valeant recursus ad hujus nostræ curiæ tribunalia forsitan habendi, utpote quos omnino rejiciendos esse præcipimus, ac jubemus : quamobrem has ipsas litteras nostras in singulorum tribunalium regestis asservari volumus, atque ad earum præscriptum tam ipsorum tribunalium resolutiones, quam de

vestris decretis, quæ ipsis præsentibus inhærentes edituri estis, judicia exigi, et conferri mandamus.

Et quidem, quod nuper enuntiavimus sacrosanctum missæ sacrificium a pastoribus animarum applicari debere pro populo ipsorum curæ commisso, id veluti ex divino præcepto descendens a sacra Tridentina synodo diserte exprimitur sess. XXIII. cap. 1. *de Reform.* per hæc notabilia verba : « Cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre : » Et quamvis minime defuerint, qui per inanes et frivolas interpretationes hujusmodi obligationem a sancta synodo memoratam, de medio tollere, vel saltem extenuare contenderint ; quum tamen relata Concilii verba satis clara et perspicua sint ; cumque prædicta congregatio ejusdem concilii interpretationi privative præposita constanter edixerit, eos quibus animarum cura demandata est non modo sacrificium missæ celebrare, sed illius etiam fructum medium pro populo sibi commisso applicari debere, nec illud pro aliis applicare, aut pro hujusmodi applicatione eleemosynam percipere posse ; quodque magis interest, cum hæc intelligentia a prædecessoribus nostris Romanis pontificibus approbata fuerit et confirmata ; nihil jam amplius ulli vestrum desiderandum superest, ut eam amplecti, eidemque obsequi, necnon illius promptam executionem in vestris respective diœcesibus omni studio procurare debeatis.

Neque nos tamen, qui ut superius innuimus, in minoribus adhuc degentes munus secretarii prædictæ congregationis concilii Trfdentini interpretis plures annos obivimus, aliosque non paucos partim in Anconitanæ cathedralis, partim in metropolitanæ Bononiensis, patriæ nostræ dilectissimæ, quam adhuc retinemus, gubernatione assidue transegimus, non inquam, nos latent multiplicis generis effugia, per quæ nonnulli prædictæ obligationi implementum declinare satagunt, quibusque proinde opportune a nobis est occurrendum.

Quum enim sacrum Tridentinum concilium, ne animarum cura negligatur, non uno in loco episcopis mandet, u quotiescumque opus fuerit, idoneos vicarios cum certorum fructuum assignatione ad eamdem curam exercendam eligant, ac deputent, uti videre est in sess. VI. cap. 2. sess. VII. cap. 3. et 7. sess. XXI. cap. 6. sess. XXV. cap. 16. non raro autem eveniat, ut aliqua ecclesia parochiali vacante, vicarius pariter ad adimplenda hujus ecclesiæ onera usque ad novi rectoris electionem ab episcopo deputari debeat, eodem concilio Tridentino sic jubente sess. XXIV. cap. 18. *de Reform.* nonnulli ex hujusmodi vicariis nituntur se ipsos a prædicta obligatione subtrahere, vel ex eo quod, habituali cura penes alium, seu alios residente, ipsi actualem duntaxat exerceant, vel quod ipsi sint ad nutum amovibiles, vel ad breve tempus hujusmodi curæ sint addicti : ut nihil hic loquamur de parochis regularibus, qui a prædicta applicatione missæ pro populo nonnunquam alienos se ostendunt. Itaque mens nostra et sententia est, sicuti etiam pluries a prælaudatis congregationibus judicatum fuit ac definitum, quod omnes et singuli, qui actu animarum curam exercent, et non solum parochi, aut vicarii sæculares, verum etiam parochi aut vicarii regulares, uno verbo, omnes, et singuli, de quibus supra dictum est, atque alii quicumque etiam specifica, et individua mentione digni, æque teneantur missam parochialem applicare pro populo, ut præfertur ipsorum, curæ commisso.

Nonnulli vero ad evitandum hujusmodi obligationis implementum allegare solent congruos sibi parochiæ suæ redditus non suppetere ; alii denique ad inveteratam consuetudinem confugiunt, sustinentes id, neque sibi, neque decessoribus suis, per longum tempus, quod

immemorabile affirmant, unquam in usu fuisse. Nos autem ad præcedentes prædictæ congregationis Concilii resolutiones nostram approbationem et confirmationem extendimus ; et quatenus opus sit, auctoritate Apostolica iterum tenore præsentium decernimus et declaramus, quod licet parochi, seu alii, ut supra animarum curam habentes, congruis præfinitis redditibus destituantur, et quamvis antiqua, seu etiam immemorabili consuetudine in ipsorum diœcesibus, seu parochiis obtinuerint, ut missa pro populo non applicaretur, eadem nihilominus omnino in posterum ab ipsis debeat applicari.

Dum tamen diximus, omnes animarum curam habentes missæ Sacrificium pro populo sibi commisso applicari debere, nonideo statuere voluimus, eosdem aut quotidie, aut quotiescumque celebraverint ad prædictam applicationem pro populo teneri. Et quidem sacrosanta synodus sess. XXIII. c. 14. præcipit episcopis curare, sacerdotes saltem diebus Dominicis, et festis solemnibus missarum sacra faciant, « *si autem curam habuerint animarum, tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant, missas celebrent ;* » in pluribus autem synodalibus episcoporum constitutionibus novimus provide constitutos, ac designatos esse dies, quibus animarum pastores missas celebrare debent. At vero nos id unum in præsenti suscepimus decernendum, quando nimirum iidem pro populo celebrare, et applicare teneantur ; et quamvis compertum habeamus id, quod alias a congregatione Concilii responsum fuit, parochum nempe pinguibus redditibus dotatum quotidie pro populo celebrare, et applicare debere ; eum vero, qui uberioribus hujusmodi redditibus non gaudeat, festivis tantum diebus id ipsum prætare teneri ; cum tamen pariter nobis perspectæ sint tum controversiæ super hoc ipso exortæ, nimirum ad quam summam pertingere debeant ecclesiæ parochialis proventus, et pingues ut uberes appellari possint ; quoniam pingues minime habendi sunt reditus etiam copiosi, quibus tamen multiplicia et gravia sint onera annexa ; tum etiam multorum querelæ adversus hujusmodi decretum, tamquam plus œquo rigidum excitatæ, nobis innotescant ; idcirco opportunum censuimus fraternitatibus vestris declarare, nobis abunde sactisfactum fore, vobisque proinde satis esse posse, dum ii, qui animarum curam exercent, sacrificium missæ pro populo celebrent, atque applicent in Dominicis, aliisque per annum diebus festis de præcepto cum prædicti Dominici, aliique festi dies ii sint, in quibus juxta præceptum Conc. Trid. sess. V. c. 2. et sess. XXIV. c. 4. quilibet animarum curæ præpositus populum sibi commissum salutaribus verbis pascere debet docendo ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem ; iidemque sint dies, de quibus eadem sancta synodus statuit : « ut moneat episcopus populum diligenter, teneri unumquemque parochiæ suæ interesse, ubi commode id fieri potest ad audiendum verbum Dei, » et quibus parochi subditos suos in doctrina christiana erudire debent, juxta id, quod a prædicto Concilio in citat. cap. 4. episcopis præcipitur, ut nempe « saltem Dominicis, et aliis festivis diebus pueros in singulis parochiis, fidei rudimenta, et obedientiam erga Deum, et parentes diligenter ab iis, ad quos spectabit, doceri curent. »

Et quia in nonnullis diœcesibus numerus dierum festorum de præcepto, de apostolica nostra auctoritate, et consensu, eatenus est imminutus, ut nempe in aliquibus festis christi fideles, et missam audire, et ab operibus servilibus abstinere debeant ; in aliis vero populo permissum sit opera servilia exercere, firma remanente obligatione audiendi missæ sacrificium ; nos, ut obortæ jam dubitationes circa onus applicationis missæ parochialis in hujusmodi diebus festis penitus eliminentur, statuimus, et decla-

ramus, quod etiam iisdem festis diebus quibus populus missæ interesse debet, et servilibus operibus vacare potest, omnes animarum curam gerentes missam pro populo celebrare, et applicare teneantur.

Quia vero propria nonnunquam experientia satis agnovimus aliquos esse parochos adeo pauperes, ut ferme ex eleemosynis, quas a fidelibus pro missarum celebratione accipiunt, vivere cogantur; eos vero qui, ecclesia parochiali vacante ad animarum curam exercendam sub vicarii, sub œconomi nomine deputantur, aliquibus in locis adeo illiberaliter tractari, ut exigui reditus ipsis constituti, et pauca incerta emolumenta eisdem obvenientia ægre ad eorum vitæ necessaria sufficiant; quod iis quoque non raro evenire solet, qui in aliquibus ecclesiis, habituali cura apud alios manente, actuali tantum exercitio sunt addicti; proindeque cum istis severe nimis agi videretur, si diebus festis, quibus potissimum hujusmodi occasio se offert, eisdem vetitum esset eleemosynam pro applicatione missæ recipere : Idcirco nos tam istorum, quam illorum inopiam summopere miserantes, eisdemque, quantum nobis integrum est consulere volentes; quamvis, ut supra dictum est omnes, et singuli prædicti teneantur diebus festis missam pro populo celebrare et applicare; attamen, quod pertinet ad prædictos parochos egentes, unicuique vestrum facultatem concedimus, cum iis, quos revera tales esse noveritis, opportune dispensandi ad hoc, ut etiam diebus festis hujusmodi eleemosynam ab aliquo ipso offerente recipere, et pro ipso sacrificium applicare, quatenus id ab eo requiratur, libere et licite possint et valeant; dummodo ad necessariam populi commoditatem, in ipsa ecclesia parochiali missam celebrent; ea tamen adjecta conditione, ut tot missas infra hebdomadam pro populo applicent, quot in diebus festis infra eamdem hebdomadam occurrentibus, juxta peculiarem intentionem alterius pii benefactoris obtulerint.

Quod autem spectat ad vicarios sive œconomos ecclesiarum vacantium, cum a sacro Tridentino concilio citat. sess. XXIV. c. 18. cuilibet episcopo tribuatur facultas eos deputandi, et constituendi, « cum congrua, ejus arbitrio fructuum portionis assignatione; » vestrum erit venerab. fratres cum iis agere, qui vacantis ecclesiæ fructus exigunt, ut egenti vicario, qui exigua hujusmodi certorum fructuum assignatione, paucisque incertis proventibus gaudeat, congruum aliquod augmentum præbeatur pro onere celebrandi, et applicandi missam pro populo diebus festis. Quapropter pro iis locis, in quibus ecclesiarum vacantium fructus ad commodum cameræ nostræ Apostolicæ exiguntur, opportuna thesaurario nostro generali mandata dirigimus, quæ is denuntiare non prætermittet peculiaribus dictorum locorum collectoribus cum quibus episcopi ecclesiasticæ nostræ ditionis, cæterorumque locorum, in quibus, ut præfertur, ecclesiarum vacantium fructus ad cameram prædictam pertinent, officii sui partes in eum finem, de quo supra diximus interponere debebunt.

Ac demum quoad illos, qui tanquam vicarii, sive perpetui, sive ad tempus constituti, animarum curam administrant, quæ apud alios habitu residet ratione alicujus ecclesiæ parochialis, ipsorum ecclesiis, seu monasteriis, collegiis, aut locis piis olim unitæ; quamvis a recol. mem. prædecessore nostro S. Pio Papa V præfinita fuerit certa pars fructuum hujusmodi vicariis assignanda, prout in ipsius constitutione, quæ incipit : *Ad exemplum*, data Kalendis Novembris Anni MDLXVII. distincte statuitur; nihilominus ubi præscripta fructuum portio vel nullo modo, vel non integre vicariis prædictis assignata reperiatur, vel etiam ubi ea, quæ ad normam prædictæ congregationis eisdem fuerit attributa, minime sufficiens a vobis re-

putetur propter temporum circumstantias, et signanter pro implendo onere celebrandi, et applicandi missam pro populo diebus festis de præcepto, utendum vobis erit potestate, quam fecit episcopis synodus Tridentina sess. VII. c. 7. dum illorum arbitrio permissit juxta temporum, atque injunctorum onerum rationem congruam prædictis vicariis fructuum portionem assignare, quam ob causam nos etiam fraternitatibus vestris, quatenus opus sit, necessarias omnes, et opportunas facultates impertimur; quibuscumque appellationibus, privilegiis, aut exemptionibus ut in eodem Concilio sancitur adversus ea, quæ salubriter a vobis constituta fuerint, minime suffragantibus.

Hæc igitur circa missam parochialem statuenda, et Fraternitatibus vestris denuntianda judicavimus. Indeque gradum facientes ad ea, quæ pertinent ad missam conventualem, neminem vestrum latere putamus sacrorum canonum sanctiones, quibus præcipitur, ut singulis diebus in ecclesiis patriarchalibus, metropolitanis, cathedralibus, et collegiatis tum horæ canonicæ debitis modo, et forma recitentur, tum etiam missa conventualis celebretur, quæ adeo claræ sunt, ut nulla super iis oriri possit dubitatio. Eaque de re perspicuæ pariter, et per omnia uniformes existunt resolutiones ab hac congregatione vener. fratrum nostrorum concilii Tridentini interpretum repetitis vicibus emanatæ, quas omnes Apostolica auctoritate nostra confirmamus, et approbamus, earum executionem vobis enixe inculcantes : ut scilicet missa conventualis, quæ singulis diebus canitur a clero prædictarum ecclesiarum, pro earumdem benefactoribus in genere quotidie applicetur; eodem prorsus modo, quo missam parochialem ab iis, qui curam animarum gerunt pro populo sibi commisso, singulis saltem diebus festis de præcepto, applicari debere superius declaravimus. Itaque date operam, ut falsam quorumdam opinionem eliminetis, quam in aliquibus ecclesiis ejusmodi, sive dolo malo, sive per errorem invectam esse novimus : quod nempe dum missa conventualis pro certo aliquo ecclesiæ benefactore, vel grati animi ergo, vel ex vi oneris impositi celebratur, et applicatur, satis impletum censeatur debitum applicationis missæ conventualis. Etenim hujusmodi debitum non quidem respicit singulares aliquos benefactores, sed benefactores in genere cujuslibet ecclesiæ cujus servitio addicti sunt quicumque in eadem sive dignitates, sive canonicatus, sive mansionariatus, sive beneficia choralia obtinent, et missam conventualem suis respective vicibus celebrant.

Neque minus improbandam noveritis aliorum sententiam, qui satis putant supradictam obligationem impletam esse, dum in eorum ecclesiis pro benefactoribus in genere aliquæ interdum preces fiunt, vel anniversaria statis diebus sacrificia pro illis peraguntur. Nemo enim id sibi arrogare debet, ut impositæ obligationi alia ratione satisfacere possit, quam ea, quæ a lege ecclesiastica multoties præscripta fuit; nimirum missam conventualem singulis diebus pro benefactoribus celebrando, eamdemque pro illis in genere applicando.

Profecto non solum prioribus Ecclesiæ sæculis, verum etiam temporibus haud longe a nostra ætate remotis, quod vos ex historia Ecclesiæ didicisse non dubitamus, servabatur olim in singulis ecclesiis series accurata omnium et singulorum, quorum liberalitate unaquæque aucta fuerit, eorumque nomina sacris diptychis, sic enim vocabantur, ideo consignata erant, ut eorumdem recordatio nunquam interiret, utque pro iis tum preces funderentur, tum etiam missæ sacrificium offerretur; quam ob causam etiam prædictus catalogus in plerisque ecclesiis ob oculos presbyteri celebrantis apponi consuevit; licet iidem pii benefactores in suis donationibus nihil penitus pro se pacti essent, sed tantummodo pro

peccatorum suorum remissione se bona sua Deo offerre declarassent. Ecclesiarum si quidem præsules preces pro iis imperandas esse duxerunt, quamvis illi propria bona offerentes, ne verbum quidem ea de re fecissent. Sacrorum hujusmodi diptychorum usus sensim defecit; ob idque in oblivione jacent alicubi complurium benefactorum nomina. At non idcirco deserere fas est usum, et disciplinam orandi pro iis, et sacrificium missæ pro illis offerendi. Atque inde præceptum applicandi missam conventualem pro benefactoribus in genere originem, atque rationem desumit.

Quemadmodum vero, loquendo de missa parochiali, superius dictum est, varias excusationes afferri solere ad declinandam illius applicationem pro populo diebus festis de præcepto; ita pariter usuvenit quoad applicationem quotidianam missæ conventualis pro benefactoribus in genere. Ut autem superiores illæ, sic etiam hæ posteriores provide e medio sublatæ fuerunt per opportunas congregationis concilii Tridentini resolutiones, quas proinde in his etiam auctoritate nostra approbamus, et confirmamus.

Nonnulli siquidem obtentu contrariæ consuetudinis, etiam immemorabilis, in propria ecclesia vigentis, se ab hujusmodi onere eximi posse sibi persuaserunt. Verum jam pluries responsum fuit hujusmodi consuetudinem licet immemorabilem, quæ potius abusus et corruptela dicenda est, nemini suffragari. Alii a missa pro benefactoribus in genere applicanda se excusatos voluissent, ex eo quod alio quopiam missarum onere obstricti inveniantur vel ratione proprii canonicatus, aut alterius beneficii ecclesiastici, quod insimul cum canonicali præbenda obtinent; vel quia præter munus canonici, seu beneficiati, aut mansionarii in ecclesia cathedrali, seu collegiata, quum etiam in eadem, vel in alia ecclesia parochialem curam exerceant, dum missam conventualem canunt diebus festis de præcepto, debent pro populo sibi commisso eam applicare; ac proinde nequeunt eamdem pro ecclesiæ benefactoribus specialiter offerre. Sed his quoque obviam itum est, jubendo singulis prædictis, ut missam conventualem quam canunt, pro ecclesiæ benefactoribus in genere applicent; pro aliis vero, pro quibus ipsi peculiariter missam applicare tenentur, alterum substituant, qui ipsorum loco missam hujusmodi celebret, applicetque.

Aliorum pariter exceptio fuit, quod missa conventualis non semper a canonicis, aut dignitatibus celebretur, sed aliquando etiam a beneficiatis, aut mansionariis; quos minus æquum videtur pro missæ celebratione omni eleemosyna carere, quæ unde desumi valeat, ignoratur. Cui tamen rei pariter consultum est, demandando, ut ea desumatur ex massa distributionum.

Alii denique obtenderunt exiguitatem hujusmodi distributionum, quæ ob detractam eleemosynam quotidianam pro missa conventuali ad nihilum fere redacta, vix foret, ut ab aliquo curarentur, cum magno detrimento servitii ecclesiæ præstandi, Tridentina quidem synodus sess. XXIV. ca. 13. opportunas rationes ostendit, quibus canonicarum præbendarum inopiæ valeat provideri. Si vero designatam a Concilio viam, ut fere evenire solet, nequaquam iniri posse contingat, reliquum erit ad congregationem Concilii recursum habere; cujus erit, perspecto ex vestris relationibus rerum statu auctoritate Apostolica a prædecessoribus nostris eidem impartita, et a nobis etiam præsentium tenore confirmata quotidianam applicationem missæ conventualis pro benefactoribus in genere, ut alias, ad festos tantummodo dies reducere.

Non modo ecclesiis patriarchalibus, metropolitanis cathedralibus, et collegiatis injunctum reperitur, ut quotidie missa conventualis in illis canatur, sed etiam in rubricis generalibus, quarum

exactissimam Fraternitatibus vestris custodiam commendamus, prescribitur, ut certis diebus non una, sed binæ, atque etiam aliquando tres missæ conventuales uno die celebrentur. Itaque cum nuper a nobis dictum fuerit, primam missam conventualem quotidie pro benefactoribus in genere celebrandam, et applicandam esse ; nunc expendendum superest an earumdem ecclesiarum capitula jurisdictioni vestræ respective subjecta adigere debeatis, ut alias quoque missas, si plures, ut præfertur, celebrari contigerit, pro benefactoribus in genere similiter applicent.

Hujusmodi quæstio ab aliquibus ex vobis ecclesiastico zelo flagrantibus supradictæ congregationi venerabilium fratrum nostrorum concilii Tridentini interpretum proposita est. Jamque ante illius propositionem compertum fuerat, alias ab eadem congregatione responsum fuisse, concedendam esse exemptionem ab onere applicandi secundam, et tertiam missam conventualem pro benefactoribus in genere, attenta canonicatuum, et beneficiorum tenuitate ; ex quo inferri poterat, hujusmodi applicationis debitum manere, ubi de ecclesiis pauperibus non ageretur. Verum quum hanc definiendæ quæstionis regulam apud prædictam congregationem non admodum veteri observantia firmatam probe noverimus, cumque hujusce dubii solutionem eadem congregatio nuper judicio nostro remittendam censuerit, nos ita judicamus idque vobis tenendum indicimus ; laudandos nempe, et confirmandos esse, quotquot sponte sua secundam, aut tertiam conventualem missam pro benefactoribus in genere applicant ; qui vero idem agunt ex vi consuetudinis in ipsorum ecclesia vigentis, iis imperandum, ut in ea consuetudine perseverent. Ubi vero id usu receptum non invenitur, liberam omnino secundæ, tertiæque missæ conventualis applicationem celebrantibus relinquendam esse, dummodo in commemoratione pro defunctis, ecclesiæ benefactorum in genere non obliviscantur.

Huic demum epistolæ nostræ finem imponentes, Fraternitates vestras enixe hortamur, ut maximam curam, et vigilantiam in id conferatis, ut in ecclesiarum vestrarum choris, præter devotam celebrationem, debitamque applicationem missæ conventualis, horæ canonicæ non præpropere, sed exacte, pausa nempe interposita, et maxima, qua decet, reverentia, ac religione canantur. Equidem scimus in aliquibus metropolitanis et cathedralibus ecclesiis inter canonicos eam opinionem invaluisse, ut se munus suum satis implere contendant, dum choro præsentes assistunt, licet ipsi sibi silentium imperent, neque psallentibus beneficiatis, aut mansionariis in cantu se adjungant. In hujusce vero opinionis confirmationem adduci ab iisdem solent inveteratæ consuetudines, statuta peculiaria, aut etiam prætensa ecclesiarum suarum privilegia. At quum synodus Tridentina sess. xxiv. cap. 12. loquens de dignitatibus, et canonicis, qui choro interesse debent, unum ex eorum officiis esse dicat : « in choro ad psallendum instituto, hymnis, et canticis Dei nomen reverenter, distincte, devoteque laudare ; » quumque pauca omnino sint capitula, in quibus eo modo a canonicis in choro assistitur, ideoque receptæ in universa ecclesia disciplinæ paucos illos adversari dignoscatur ; quum insuper opinio illa nunquam in congregatione concilii Tridentini interpretationi præposita examinata sit, quin statim explosa fuerit, et improbata ; quamvis præsumptis consuetudinibus aliisque fundamentis, et rationibus innixa perhiberetur. Canonicis etiam ecclesiarum patriarchalium hujus nostræ Urbis super hoc instantibus ; quum denique idem judicium prolatum reperiatur a pluribus conciliis provincialibus ab hac etiam Apostolica sede approbatis, et confirmatis ; nihil jam reliquum esse videtur, quominus pauciores universorum legi se accommodent. Equi-

dem minime nobis compertum est, quo peculiari titulo suffulti persuasum habeant unius, vel alterius ecclesiæ canonici se muneri suo satisfacere per simplicem in Choro assistentiam absque divinæ psalmodiæ cantu. Verum nisi illis præsto sit Apostolicum non præsumptum, vel abrogatum sed legitimum, ac vigens privilegium, sive indultum, jure, ac merito verendum est, ne isti, dum ita se gerunt, præbendarum, ac distributionum fructus minime suos faciant, et consequenter ne ad eorum restitutionem teneantur. Quapropter vestrum erit venerabiles Fratres, hæc omnia illis aperire, ut neque nobis, neque vobis apud divinum judicem fraudi sit, si in hujusmodi re, quæ tanti est momenti, utpote quæ ad ipsius Dei cultum proxime spectabat, abusus, et corruptelas, quas arguendo, et increpando evellere debebamus, dissimulatione, ac silentio nostro fovisse, et confirmasse inveniamur. Interea Fraternitatibus vestris, quas intimo cordis affectu complectimur, Apostolicam benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die 19. Augusti 1744. Pontificatus Nostri anno quarto.

---

Post Benedicti XIV. Constitutionem supracitatam, luctuosis temporum circumstantiis morem gerentes Romani Pontifices, multa festa, quibus olim fideles a servilibus vacare operibus, aut saltem missæ interesse tenebantur, suppresserunt, præsertim pro Gallia et Belgio. Unde oborta quæstio, an iis festis suppressis, quibus fideles licite servilibus vacare operibus, omissa missa, poterant, remaneret pro Parochis obligatio applicandi missam pro suis ovibus. Aliis alia opinantibus, litem diremit Pius papa IX. Littera encyclica data Romæ die tertia Maii, anno 1858, quam hic, velut præcedentis Constitutionis supplementum subjicimus.

EDITOR.

---

## PII PAPÆ IX.

### LITTERA ENCYCLICA

*Ad omnes Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos, aliosque locorum Ordinarios, gratiam et communionem cum apostolica sede habentes.*

—

PIUS PAPA IX.

Venerabiles Fratres, Salutem et Apostolicam benedictionem.

Amantissimi Redemptoris nostri Christi Jesu Unigeniti Filii Dei tanta fuit erga homines benignitas et caritas, ut, veluti optime nostis, Venerabiles Fratres, humana indutus natura non solum sævissimos pro nostra salute cruciatus, atrocissimamque crucis mortem perpeti, verum etiam in augustissimo sui corporis, sanguinisque sacramento nobiscum semper morari, ac nos peramanter pascere et nutrire voluerit. Quo ipse in cœlum rediens ad dexteram Patris nos et sui numinis præsentia, et tutissimo spiritualis vitæ præsidio communiret.

Neque contentus nos tam insigni, ac plane divina dilexisse caritate beneficia beneficiis cumulans, suique in nos amoris divitias profundens effecit, ut probe intelligeremus, quod cum dilexisset suos,

in finem dilexit eos. Namque se æternum Sacerdotem esse declarans secundum ordinem Melchisedech, suum in catholica Ecclesia sacerdotium perpetuo instituit, et illud idem Sacrificium, quod ipse ad universum humanum genus a peccati jugo, ac dæmonis captivitate vindicandum et redimendum in ara crucis, pretiosissimo suo sanguine effuso, semel peregit, pacificans sive quæ in cœlis sunt, sive quæ in terra, usque ad consummationem sæculi permanere decrevit, et quotidie, fieri, ac renovari jussit per Sacerdotum ministerium, sola offerendi ratione diversa, ut salutares uberrimique suæ passionis fructus in homines semper redundarent. Siquidem in incruento Missæ sacrificio, quod conspicuo sacerdotum ministerio peragitur, illa ipsa vivifica litatur victima, quæ Deo Patri nos reconciliavit, quæque omnem merendi, placandi, impetrandi ac satisfaciendi vim habens » illam nobis mortem Unigeniti per mysterium reparat, qui licet resurgens a mortuis jam non moritur, et mors ei ultra non dominabitur, samen in semetipso immortaliter atque incorruptibiliter vivens pro nobis iterum in hoc mysterio sacræ oblationis immolatur. » Atque hæc est munda illa oblatio, quam nulla offerentium indignitas ac malitia inquinare unquam potest et quam Dominus per Malachiam nomini suo, quod magnum futurum esset in gentibus, a solis ortu usque ad occasum in omni loco mundam offerendam esse prædixit. Quæ quidem oblatio ineffabili prorsus fructuum ubertate redundans præsentem æque ac futuram vitam complectitur. Ea enim oblatione placatus Deus gratiam, donumque pœnitentiæ concedens, crimina et peccata etiam ingentia dimittit, ac licet peccatis nostris graviter offensus ab ira ad misericordiam, a justæ animadversionis severitate ad clementiam traducitur ; ea temporalium pœnarum reatus et obligatio dissolvitur ; ea defunctorum in Christo animæ nondum ad plenum purgatæ sublevantur ; ea obtinentur quoque temporaria bona, si tamen potioribus non officiant ; ea Sanctis, et in primis Immaculatæ Sanctissimæque Dei Genitrici Virgini Mariæ eximius quidam honor, cultusque conciliatur. Quocirca ex Apostolorum traditione divinum Missæ sacrificium offerimus « pro communi Ecclesiarum pace, pro recta mundi compositione, pro imperatoribus, militibus, sociis, pro iis, qui infirmitatibus laborant, qui afflictionibus premuntur, et universim pro omnibus qui opis indigent, et pro defunctis in purgatorio degentibus, maximum hoc credentes adjumentum illis animabus fore, pro quibus oratio defertur, dum sancta et perquam tremenda coram jacet victima.

Cum igitur nihil sit majus, nihil salutarius, nihil sanctius, nihil divinius incruento Missæ sacrificio, quo idem corpus, idem sanguis, idem Deus et Dominus Noster Jesus-Christus Deo pro omnium salute in altari per sacerdotes offertur, et immolatur, idcirco sancta mater Ecclesia tanto divini sui Sponsi ditata thesauro, nunquam destitit omnem curam, operam, diligentiamque in id conferre, ut quam tremendum mysterium a Sacerdotibus, quanta maxima fieri posset, interiore cordis munditia ac puritate perageretur, debitoque sacrarum cæremoniarum, ac rituum apparatu, cultuque celebraretur, ut ipsius mysterii magnitudo et majestas vel externa quoque specie magis eluceat et fideles ad rerum divinarum, quæ in tam admirabili ac venerando Sacrificio occultæ continentur, contemplationem excitentur. Ac pari sollicitudine, studioque ipsa pientissima Mater nunquam cessavit suos fideles filios commonere, hortari, et inflammare, ut ea, qua oportet, pietate, veneratione ac devotione ad hoc divinum sacrificium frequentissime convenirent, præcipiens, ut eidem omnibus de præcepto festis diebus ipsi interesse omnino deberent, animis ad illud, oculisque religiosissime intenti quo divinam exinde misericordiam,

omniumque bonorum copiam sibi felicissime comparare possent.

Jam vero cum omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituatur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis, tum pro egregia vestra sapientia apprime cognoscitis, Venerabiles Fratres, sacrosanctum Missæ sacrificium ab animarum pastoribus esse applicandum pro populo eorum curæ commisso, et hujusmodi obligationem ex divino præcepto descendere juxta concilii Tridentini doctrinam, cum idem Concilium disertissimis, gravissimisque verbis edoceat « præcepto divino mandatum esse omnibus, quibus animarum curâ commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre. » Notissimæ quoque Vobis sunt felicis recordationis Benedicti XIV. Decessoris Nostri Litteræ die 19. Augusti anni 1744. datæ, quibus de hac obligatione copiose, sapienterque loquens, ac Tridentinorum Patrum mentem uberius explicans et confirmans, ad omnes controversias, quæstiones dubitationesque amovendas, clare aperteque declaravit et constituit, parochos, aliosque omnes animarum curam actu habentes debere Missæ sacrificium pro populo sibi concredito peragere omnibus Dominicis aliisque de præcepto festis diebus, et illis etiam, quibus ipse in nonnullis Diœcesibus dierum de præcepto festorum numerum imminuens, permiserat populis in servilia opera incumbere, sed caverat tamen, ut ipsi populi obligationi, de Sacro audiendo satisfacere deberent. Non mediocri certe jucunditate perfundimur, Venerabiles Fratres, cum ex relationibus, quas de vestrarum diœcesium statu cum summa vestri nominis laude, ac pari animi Nostri gaudio ad Nos, et hanc Apostolicam Sedem veluti officii vestri ratio postulat, mittendas curatis, agnoscamus, animarum curatores hujusmodi sui muneris obligationem diligenter implere Dominicis et aliis, qui adhuc ex præcepto servantur, diebus, quibus Missæ sacrificium pro populo sibi tradito celebrare haud omittunt. Sed minime ignoramus, pluribus in locis id a parochis jamdiu prætermitti solere aliis illis diebus, qui antea veluti festi de præcepto erant colendi juxta Constitutionem felicis memoriæ Urbani VIII. Decessoris pariter Nostri, et quibus hæc Apostolica sedes annuens variis Sacrorum Antistitum postulationibus, ac præ oculis habens causas, rationesque ab ipsis expositas, dum imminuit festos de præcepto dies, non solum permisit, ut populi servilibus operibus vocare possent, verum etiam indulsit, ut ipsi ab obligatione audiendi Sacrum essent exempti. Ubi enim hæc benigna sanctæ Sedis indulta in lucem prodierunt, statim plurium regionum parochi existimantes, se hisce diebus ita reductis solutos esse ab obligatione peragendi Sacrum pro populo, obligationem ipsam implere plane neglexerunt. Hinc porro invaluit consuetudo, ut earumdem regionum Parochi commemoratis diebus sacrosanctum Missæ sacrificium pro populo applicare cessaverint, nec defuere qui ejusmodi consuetudinem tueri ac defendere non dubitarunt.

Nos igitur de spirituali universi Dominici gregis Nobis divinitus commissi bono vel maxime solliciti ac non parum dolentes, ex hujusmodi prætermissione fideles illorum locorum populos maximis spiritualibus fructibus privari, tanti momenti negotio occurrere statuimus, cum præsertim noscamus, hanc Apostolicam sedem docuisse, parochos diebus festis etiam reductis debere Sacrum pro populo celebrare. Et sane quamvis Romani Pontifices Decessores Nostri enixis Sacrorum Antistitum petitionibus, ac variis pluribusque fidelium populorum indigentiis, et gravibus rerum temporum ac locorum rationibus permoti, festos de præcepto dies imminuendos consuerint, ac simul benigne concesserint, ut populi hisci diebus servilia opera libere exercerent, quin Sacrum audire deberent, tamen iidem Prædecessores Nostri in hisce Indultis

tribuendis integram inviolatamque legem esse voluerunt, ut scilicet prædictis diebus nihil in Ecclesiis unquam innovaretur quoad consuetum divinorum officiorum ordinem et ritum, utque omnia eo prorsus modo peragerentur quo antea peragi solebant, cum enuntiata Urbani VIII. Constitutio plene vigeret, qua festi de præcepto dies servandi fuerant præscripti. Ex quo parochi vel facile intelligere poterant, se illis diebus minime expeditos esse ab obligatione applicandi pro populo Missam, quæ potissima ritus pars est, animo præsertim reputantes Pontificia Rescripta eo plane, quem præ se ferunt, sensu esse omnino accipienda, et illa strictissimæ esse interpretationis. Accedit etiam, ut hæc Sancta Sedes in plurimis peculiaribus casibus de hujusmodi parochorum onere consulta haud omiserit per suas præsertim Congregationes sive Concilii, sive Fidei propagandæ, sive Sacrorum Rituum, sive etiam per Sacram Pœnitentiariam sæpissime respondere et edicere, parochos idem oneri esse obnoxios applicandi pro populo Missam illis etiam diebus qui de festorum ex præcepto dierum numero fuerant sublati.

Itaque rebus omnibus maturo examine perpensis, atque in consilium adhibitis nonnullis Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus Nostræ Congregationis Tridentinis decretis tuendis, interpretandisque præpositæ hanc Vobis, Venerabiles Fratres, Encyclicam Epistolam scribendam esse censuimus, ut certam et constantem normam legemque constituamus ab omnibus parochis sedulo, diligenterque observandam. Quamobrem hisce Litteris declaramus, statuimus atque decernimus, parochos, aliosque omnes animarum curam actu gerentes sacrosanctum Missæ sacrificium pro populo sibi commisso celebrare, et applicare debere tum omnibus Dominicis, aliisque diebus, qui ex præcepto adhuc servantur, tum illis etiam, qui ex hujus Apostolicæ Sedis indulgentia ex dierum de præcepto festorum numero sublati, ac translati sunt, quemadmodum ipsi animarum curatores debebant, dum memorata Urbani VIII. constitutio in pleno suo robore vigebat, antequam festivi de præcepto dies imminuerentur, et transferrentur. Quod vero attinet ad festos translatos dies id unum excipimus, ut scilicet quando una cum solemnitate divinum officium translatum fuerit in Dominicum diem, una tantum Missa pro populo sit a parochis applicanda, quandoquidem Missa pro populo sit, quæ præcipua divini officii pars est, una simul cum ipso officio translata existimari debet.

Nunc vero paterni animi Nostri caritate illorum parochorum tranquillitati prospicere volentes, qui ob assertam consuetudinem memoratis diebus Missam pro populo applicare omiserunt, eosdem parochos ab omnibus quibusque præteritis omissionibus Auctoritate Nostra Apostolica plenissime absolvimus. Et quoniam non desunt animarum curatores, qui peculiare aliquod reductionis, uti dicunt, Indultum ab hac Apostolica sede obtinuere, concedimus, ut ipsi hujusce Indulti beneficio perfrui pergant juxta tamen conditiones in Indulto expressas, et donec parochorum officium exercuerint in paroeiis, quas in præsentiarum regunt et administrant.

Dum autem hæc statuimus, et indulgemus, in eam profecto spem erigimur fore, Venerabiles Fratres, ut parochi majore usque animarum studio et amore incensi huic obligationi applicandi Missam pro populo diligentissime ac religiosissime satisfacere glorientur, serio considerantes uberrimam cœlestium præsertim munerum, ac bonorum copiam, quæ ex hac incruenti, divinique sacrifici applicatione in christianam plebem eorum curæ commissam abunde redundat. Cum vero Nos minime lateat, peculiares casus contingere posse, in quibus pro re ac tempore aliqua hujus obligationis remissio parochis sit tribuenda, sciatis velimus, ab omnibus Nostram Concilii Congrega-

tionem unice esse adeundam ad hujusmodi obtinenda indulta, illis dumtaxat exceptis, quæ a Nostra Congregatione fidei propagandæ præposita pendent, cum opportunas utrique Congregationi contulerimus facultates.

Nihil plane dubitamus, Venerabiles Fratres, quin pro eximia vestra episcopali sollicitudine omnibus et singulis vestrarum diœcesium parochis, nulla interposita mora, sedulo manifestare velitis quæ in hisce Nostris Litteris de eorum obligatione applicandi pro populo sibi commisso sacrosanctum Missæ sacrificium suprema Nostra auctoritate confirmamus, ac denuo constituimus, volumus, præcipimus et mandamus. Ac persuasissimum quoque nobis est. Vos maximam adhibituros esse vigilantiam, ut animarum curatores hanc etiam sui muneris partem diligenter impleant, ac studiose observent quæ a nobis in hisce Litteris statuta atque sancita sunt. Optamus autem ut harum Litterarum exemplar in Tabulario episcopalis cujusque vestrum Curiæ perpetuo asservetur. Cum autem, Venerabiles Fratres, probe noscatis, sacrosancto Missæ sacrificio magnam fidelis populi contineri eruditionem, ne intermittatis unquam parochos præsertim aliosque divini verbi præcones, et eos quibus demandatum est munus erudiendi christianum populum, monere, hortari ut fidelibus populis tam sancti tamque admirabilis Sacrificii necessitatem, præstantiam, magnitudinem, finem, fructus studiosissime accuratissime exponant, explicent, ac simul fideles ipsos excitent, inflamment, quo eidem sacrificio ea qua par est fide ac pietate frequentissime intersint, ut divinam misericordiam, et omne quo indigent, beneficiorum genus sibi comparare queant. Ne desinatis, omnem operam et industriam impendere, ut vestrarum Diœcesium Sacerdotes ea morum integritate, gravitate, eaque totius vitæ innocentia sanctitate emineant, quæ illos omnino decet, quibus unis datum est divinam consecrare Hostiam, ac tam sanctum, tamque tremendum perficere Sacrificium. Quocirca omnes sanctissimo Sacerdotio initiatos etiam atque etiam monete, urgete, ut serio meditantes ministerium quod acceperunt in Domino, illud impleant, et continenter memores dignitatis, ac cœlestis potestatis qua præditi sunt, virtutum omnium splendore, ac salutaris doctrinæ laude refulgeant, summaque animi contentione in divinum cultum, divinasque res et animarum salutem incumbant, ac seipsos hostiam vivam et sanctam Domino exhibentes, et mortificationem Jesu in suo corpore semper circumferentes puris manibus, et mundo corde placationis hostiam rite offerant Deo pro sua ac totius mundi salute.

Denique nihil Nobis gratius Venerabiles Fratres, quam hac etiam uti occasione, ut iterum testemur, et confirmemus præcipuam, qua Vos omnes in Domino prosequimur, benevolentiam, ac simul Vobis addamus animos, ut majore usque alacritate, pergatis omnes gravissimi pastoralis vestri muneris partes strenue ac sedulo obire, et intentissimo studio dilectarum ovium saluti incolumitatique consulere.

Pro certo habete, Nos paratissimos esse ad ea omnia liberentissime agenda, quæ ad majorem Vestram ac Diœcesium vestrarum utilitatem procurandam conducere posse noverimus. Interim vero cœlestium omnium munerum auspicem, ac studiosissimæ Nostræ in Vos voluntatis testem accipite Apostolicam Benedictionem, quam intimo cordis affectu Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, cunctisque clericis, Laicisque fidelibus cujusque vestrum vigilantiæ commissis amantissime impertimur.

Datum Romæ apud sanctum Petrum die 3. Maii Anno MDCCCLVII. Pontificatus Nostri Anno Duodecim.

SS. D. N.

## BENEDICTI PAPÆ XIV.

### EPISTOLA ENCYCLICA

ad Episcopos Italiæ directa,

*Qua nonnulla circa usuram declarantur.*

—

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres Salutem, et Apostolicam benedictionem.

Vix pervenit ad aures nostras, ob novam controversiam (nempe, an quidam contractus validus judicari debeat) nonnullas per Italiam disseminari sententias, quæ sanæ doctrinæ haud consentaneæ viderentur ; cum statim nostri Apostolici muneris partem esse duximus, opportunum afferre remedium, ne malum ejusmodi, temporis diuturnitate, ac silentio, vires magis acquireret ; aditumque ipsi intercludere, ne latius serperet, et incolumes adhuc Italiæ civitates labefactaret.

Quapropter eam rationem, consiliumque suscepimus, quo sedes Apostolica semper uti consuevit : Quippe rem totam explicavimus nonnullis ex venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus, qui sacræ theologiæ scientia, et canonicæ disciplinæ studio, ac peritia plurimum commendantur : Accivimus etiam plures regulares in utraque facultate præstantes, quorum aliquos ex monachis, alios ex ordine mendicantium, alios demum ex clericis regularibus selegimus ; præsulem quoque juris utriusque laurea præditum, et in foro diu versatum adhibuimus. Diem quartam indiximus Julii, qui nuper præteriit, ut coram nobis illi omnes convenirent, quibus naturam totius nogotii declaravimus ; quod illis antea cognitum, perspectumque deprehendimus.

Post hæe præcepimus, ut omni partium studio omnique cupiditate soluti, rem totam accurate perpenderent, suasque opiniones in scripto exararent ; non tamen expetivimus ab ipsis, ut judicium ferrent de contractu, qui controversiæ causam initio præbuerat, cum plura documenta non suppeterent, quæ necessario ad id requirebantur ; sed, ut certam de usuris doctrinam constituerent, cui non mediocre detrimentum inferre videbantur, ea, quæ nuper in vulgus spargi cœperunt : Jussa fecerunt universi ; nam suas sententias palam declararunt in duabus congregationibus, quarum prima coram nobis habita est die 18. Julii, altera vero die prima Augusti, qui menses, nuper elapsi sunt ; ac demum easdem sententias congregationis secretario scriptas tradiderunt.

Porro hæc unanimi consensu probaverunt.

I. Peccati genus illud, quod usura vocatur, quodque in contractu mutui propriam suam sedem et locum habet, in eo est repositum, quod quis ex ipsomet mutuo, quod suapte natura tantumdem duntaxat reddi postulat, quantum receptum est, plus sibi reddi velit, quam est receptum ; ideoque ultra sortem, lucrum aliquod, ipsius ratione mutui, sibi deberi contendat. Omne propterea hujusmodi lucrum, quod sortem superet, illicitum et usurarium est.

II. Neque vero ad istam labem purgandam, ullum arcessiri subsidium poterit, vel ex eo, quod id lucrum non excedens, et nimium, sed moderatum ; non magnum sed exiguum sit ; vel ex eo, quod is a quo id lucrum solius causa mutui deposcitur, non pauper, sed dives existat ; nec datam sibi mutuo summam relicturus otiosam, sed ad fortunas amplificandas, vel novis coemendis prædiis, vel quæstuosis agitandis negotiis, utilissime sit impensurus. Contra mutui si-

quidem legem, quæ necessario in dati, atque redditi æqualitate versatur, agere ille convincitur, quisquis, eadem æqualitate semel posita, plus aliquid a quolibet, vi mutui ipsius, cui per æquale jam satis est factum exigere adhuc non veretur ; proinde si acceperit, restituendo erit obnoxius ex ejus obligatione justitiæ, quam commutativam appellant, et cujus est in humanis contractibus æqualitatem cujusque propriam, et sancte servare, et non servatam exacte reparare.

III. Per hæc autem nequaquam negatur, posse quandoque una cum mutui contractu quosdam alios, ut aiunt, titulos, eosdemque ipsimet universim naturæ mutui minime innatos et intrinsecos forte concurrere, ex quibus justa omnino, legitimaque causa consurgat quiddam amplius supra sortem ex mutuo debitam rite exigendi. Neque item negatur posse multoties pecuniam ab unoquoque suam, per alios diversæ prorsus naturæ a mutui natura contractus, recte collocari et impendi, sive ad proventus sibi annuos conquirendos, sive etiam ad licitam mercaturam, et negotiationem exercendam, honestaque indidem lucra percipienda.

IV. Quemodmodum vero in tot ejusmodi diversis contractuum generibus, si sua cujusque non servatur æqualitas, quidquid plus justo recipitur, si minus ad usuram (eo quod omne mutuum tam apertum, quam palliatum absit) at certe ad aliam veram injustitiam, restituendi onus pariter afferentem, spectare compertum est ; Ita si rite omnia peragantur, et ad justitiæ libram exigantur, dubitandum non est, quin multiplex in iisdem contractibus licitus modus, et ratio suppetat humana commercia, et fructuosam ipsam negotiationem ad publicum commodum conservandi, ac frequentandi. Asit enim a Christianorum, animis ut per usuras, aut similes alienas injurias florere posse lucrosa commercia existiment, cum contra ex oraculo divino discamus, quod *Justitia elevat gentem, miseros autem facit populos peccatum.* Prov. XIV, 34.

V. Sed illud diligenter advertendum est, falso sibi quemquam, et nonnisi temere persuasurum, reperiri semper, ac præsto ubique esse, vel una cum mutuo titulos alios legitimos, vel secluso etiam mutuo contractus alios justos, quorum vel titulorum, vel contractuum præsidio, quotiescumque pecunia, frumentum, aliudve id generis alteri cuicumque creditur, toties semper liceat actuarium moderatum ultra sortem integram salvamque, recipere. Ita si quis senserit, non modo divinis documentis, et catholicæ ecclesiæ de usura judicio, sed ipsi etiam humano communi sensui, ac naturali rationi procul dubio adversabitur. Neminem enim id saltem latere potest, quod multis in casibus tenetur homo, simplici, ac nudo mutuo alteri succurrere, ipso præsertim Christo Domino edocente: *Volenti mutuari a te, ne avertaris*, et quod similiter multis in circumstantiis, præter unum mutuum, alteri nulli vero, justoque contractui locus esse possit. Quisquis igitur suæ conscientiæ consultum velit, inquirat prius diligenter, oportet, cum mutuo justus alius titulus ; verene justus alter a mutuo contractus occurrat, quorum beneficio, quod quærit lucrum, omnis labis expers, et immune reddatur. Matt. v, 42

His verbis complectuntur, et explicant sententias suas cardinales, ac theologi, et viri canonum peritissimi, quorum consilia in hoc gravissimo negotio postulavimus ; Nos quoque privatum studium nostrum conferre in eamdem causam non prætermisimus, antequam congregationes haberentur, et quo tempore habebantur, et ipsis etiam peractis ; Nam præstantium virorum suffragia, quæ modo commemoravimus diligentissime percurrimus. Cum hæc ita sint approbamus, et confirmamus quæcumque in sententiis superius expositis continentur : cum scriptores plane omnes theologiæ et canonum professores plura sacrarum litterarum testimonia, pontificum decessorum nos-

trorum decreta, conciliorum, et Patrum auctoritas ad easdem sententias comprobandas pene conspirare videantur. Insuper apertissime cognovimus auctores, quibus contrariæ sententiæ referri debent, et eos pariter, qui illas fovent ac tuentur, aut illis ansam seu occasionem præbere videntur. Neque ignoramus, quanta sapientia, et gravitate defensionem veritatis susceperint theologi finitimis illis regionibus, ubi contreversiæ ejusmodi principium habuerunt. Quare has litteras encyclicas dedimus universis Italiæ archiepiscopis, episcopis, et ordinariis, ut hæc tibi, venerabilis frater, et cæteris omnibus innotescerent ; et quoties synodos celebrare, ad populum verba facere, eumque sacris doctrinis instruere contigerit, nihil omnino alienum proferatur ab iis sententiis, quas superius recensuimus. Admonemus etiam vehementer, omnem sollicitudinem impendere, ne quis in vestris dœcesibus audeat litteris, aut sermonibus contrarium docere. Si quis autem parere detrectaverit, illum obnoxium, et subjectum declaramus pœnis per sacros canones in eos propositis, qui mandata Apostolica contempserint, ac violaverint.

De contractu autem, qui novas has controversias excitavit, nihil in præsentia statuimus, nihil etiam decernimus modo de aliis contractibus, pro quibus theologi et canonuminter pretes in diversas abeunt sententias ; attamen pietatis vestræ studium, ac religionem inflammandam existimamus, ut hæc quæ subjicimus, executioni demandetis.

Primum gravissimis verbis populis vestris ostendite, usuræ labem, ac divinis litteris vehementer improbari : illud quidem varias formas atque species inducere, ut fideles Christi sanguine restitutos in libertatem et gratiam, rursus in extremam ruinam præcipites impellat ; quocirca si pecuniam suam collocare velint, diligenter caveant, ne cupiditate omnium malorum fonte rapiantur, sed potius ab illis, qui doctrinæ,ac virtutis gloria supra cæteros efferuntur, consilium exposcant.

Secundo loco, qui viribus suis, ac sapientiæ ita confidunt, ut responsum ferre de iis quæstionibus non dubitent (quæ tamen haud exiguam sacræ theologiæ, et canonum scientiam requirunt) ab extremis quæ semper vitiosa sunt, longe se abstineant : Etenim aliqui tanta severitate de iis rebus judicant, ut quamlibet utilitatem ex pecunia desumptam accusent, tamquam illicitam et cum usura conjunctam ; contra vero nonnulli indulgentes adeo, remissique sunt, ut quodcumque emolumentum ab usuræ turpitudine liberum existiment. Suis privatis opinionibus ne nimium adhæreant ; sed priusquam responsum reddant, plures scriptores examinent, qui magis inter cæteros prædicantur, deinde eas partes suscipiant, quas tum ratione, tum auctoritate plane confirmatas intelligent. Quod si disputatio insurgat, dum contractus aliquis in examen adducitur, nullæ omnino contumeliæ in eos confingantur, qui contrariam sententiam sequuntur, neque illam gravibus censuris notandam asserant, si præsertim ratione et præstantium virorum testimoniis minime careat ; si quidem convicia, atque injuriæ vinculum christianæ charitatis infringunt, et gravissimam populo offensionem, et scandalum præ se ferunt.

Tertio loco, qui ab omni usuræ labe se immunes, et integros præstare volunt, suamque pecuniam ita alteri dare, et fructum legitimum solummodo percipiant, admonendi sunt, ut contractum instituendum antea declarent, et conditiones inferendas explicent, et quem fructum ex eadem pecunia postulent. Hæc magnopere conferunt, non modo ad animi sollicitudines et scrupulos evitandos, sed ad ipsum contractum in foro externo comprobandum. Hæc etiam aditum intercludunt disputationibus, quæ non semel concitandæ sunt, ut clare pateat, utrum pecunia quæ rite data alteri esse

videtur, revera tamen palliatam usuram contineat.

Quarto loco vos hortamur, ne aditum relinquatis ineptis illorum sermonibus, qui dictitant, de usuris hoc tempore quæstionem institui, quæ solo nomine contineatur, cum ex pecunia, quæ qualibet ratione alteri conceditur, fructus ut plurimum comparetur. Etenim quam falsum id sit, et a veritate alienum, plane deprehendimus, si perpendamus, naturam unius contractus ab alterius natura prorsus diversam, et sejunctam esse ; et ea pariter discrepare magnopere inter se quæ a diversis inter se contractibus consequuntur. Revera discrimen apertissimum intercedit fructum inter, qui jure licito ex pecunia desumitur, ideoque potest in utroque foro retineri ; ac fructum, qui ex pecunia illicite conciliatur, ideoque fori utriusque judicio restituendus decernitur. Constat igitur haud inanem de usuris quæstionem hoc tempore proponi ob eam causam, quod ut plurimum ex pecunia, quæ alteri tribuitur, fructus aliquis excipiatur.

Hæc potissimum vobis indicanda censuimus, sperandum fore, ut mandetis executioni quæcumque per has litteras a nobis præscribuntur. Opportunis quoque remediis consuletis, uti confidimus, si forte ob hanc novam de usuris controversiam in diœcesi vestra turbæ concitentur, vel corruptelæ ad labefactandum sanæ doctrinæ candorem, et puritatem inducantur. Postremo vobis, et gregi curæ vestræ concredito Apostolicam benedictionem impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die 1. Novembris 1745. Pontificatus Nostri Anno VI.

---

CONSTITUTIO.

SS. D. N.

## BENEDICTI PAPÆ XIV.

*De Episcoporum Residentia.*

—

BENEDICTUS EPISCOPUS.

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Pontificum et Conciliorum sollicitudo, quoad residentiam episcoporum.

Ad universæ Christianæ reipublicæ statum, ad ecclesiasticarum legum custodiam, et fidelium populorum salutem, tam magni refert singulos patriarchalibus, primatialibus, metropolitanis, et cathedralibus ecclesiis præpositos, in ipsis ecclesiis, vel diœcesibus sibi creditis assidue residere ; ut difficile sit aliud ullum reperire ecclesiasticæ disciplinæ caput, quod aut conciliaribus canonibus atque decretis, aut Apostolicæ sedis constitutionibus et sanctionibus tam sæpe, tamque impense inculcatum fuerit et commendatum. Ut autem antiquiora canonica statuta prætereamus, Nobis satis erit innuere, quid hac de re decreverit sacrosancta Tridentina synodus sess. VI. cap. 1. et sess. XXIII. cap. 1. *de Reform.* tum ea, quæ recol. mem. prædecessor noster Urbanus Papa VIII. præscripsit in sua constitutione data apud S. Petrum die 12. Decembris anni 1634. quæ incipit : *Sancta synodus*, et in qua præcedentes aliorum Romanorum pontificum Pii IV. Gregorii XIII. et Clementis VIII. leges, et constitutiones retulit, confirmavit et ampliavit. Neque opus est recensere omnes encyclicas, litteras, quæ ad patriarchas, primates, archiepiscopos, et episcopos de implendo hujusmodi residentiæ onere

identidem admonendos ab hac Apostolica sede mitti consueverunt, ut patet ex epistola jussu Ven. servi Dei Innocentii Papæ XI. prædecessoris quoque nostri scripta die 5. Februarii anni 1678. item ex alia die 24. decembris anni 1707. a felic. record. Clemente Papa XI. ad suum, et Apostolicæ sedis nuntium Neapoli commorantem conscripta, ut illius regni Præsules ad residendum in propriis Ecclesiis, et Diœcesibus adigerentur, necnon ex ejusdem Clementis litteris in forma Brevis, datis die 25. Maii anno 1709. ad archiepiscopos, et episcopos Poloniæ, qui obtentu turbarum, et dissensionum, quæ tunc in eo regno versabantur, suas relinquerant ecclesias, atque diœceses.

Quid hac in re præstiterit sanctissimus dominus noster.

Neque porro nos hac in re Apostolici officii nostri partes desiderari permisimus, vix enim inscrutabili divinæ providentiæ consilio in hac suprema Ecclesiæ universalis specula collocati fuimus, quum veterem prædecessorum nostrorum morem in usum revocantes, ad Ven. fratres omnium per orbem ecclesiarum antistites Apostolica scripta direximus, quibus inter cætera salubria monita, hoc etiam de residendo in propriis ecclesiis peculari studio iis inculcare, et tam gravissima damna, quæ ex eorum absentia proveniunt, quam magnas utilitates, quas eorum præsentia concreditis ipsis diœcesibus affert, ante oculos proponere non prætermisimus, ut videre est in § 4. epistolæ encyclicæ diei 3. Decembris anni 1740. a nobis conscriptæ, quæ in tomo I. Bullarii nostri, nuper vulgati num. 1. impressa est. Qui autem hominum corda scrutatur Deus, is sane novit quanto ; et quam acerbo animi nostri dolore nonnunquam acceperimus, ecclesiasticas regulas ab aliquo ex Fratribus hac in parte violari, et quantopere studuerimus nunc admonendo, nunc obsecrando, nunc increpando, absentes quidem per litteras, præsentes vero ipsa voce ad debitum residentiæ officium revocare. Quin etiam laudabilibus, prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, in nostra, et cancellariæ Apostolicæ regula, qua beneficia in octo anni mensibus vacatura nostræ dispositioni, et collationi reservavimus, simul etiam iisdem patriarchis, archiepiscopis, et episcopis residentibus gratiam alternative mensium, certis modo, et forma ab iis acceptandam, libenter obtulimus ; nimirum, ut quamdiu ipsi apud ecclesias, aut diœceses suas vere, et personaliter residerent, de beneficiis hujusmodi ecclesiasticis, quæ extra Romanam curiam in Februarii, aliisque alternis anni mensibus vacare contingeret, dummodo alias dispositioni Apostolicæ reservata, vel affecta non essent, libere disponere valerent, facultatem tempore pontificatus nostri duraturam concessimus, quo scilicet iidem episcopi, et majores ecclesiarum præsules ampliorem potestatem in beneficiis prædictis conferendis sic obtinentes, hac etiam Apostolicæ nostræ liberalitatis gratificatione illecti, ad personalem residentiam prædictam libentius obeundam adducerentur.

Quoniam vero, et certæ quædam causæ adesse possunt, et hujusmodi occasiones incidere, propter quas prævio Romani pontificis assensu, et approbatione, liceat episcopo a propria ecclesia, et diœcessi per aliquod definitum tempus abesse, ea vero absentia, quæ ad modicum tempus protrahitur, neminem desertæ residentiæ reum constituit ; ideo, et in conciliis, et in Apostolicis constitutionibus ad præcavendos abusus tam circa hujusmodi causarum et occasionum relevantiam, et quam circa tolerabilia temporum spatia, providæ statutæ leges, et regulæ reperiuntur. Et quidem justæ, ac legitimæ absentiæ causæ a præfacta Tridentino synodo citat. cap. 1. sess. XXIII. non aliæ agnitæ fuerunt, quam Christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, et evidens Ecclesiæ, vel reipublicæ utilitas. Verum his etiam causis deficientibus, quum eadem sacrosancta synodus perpendisset ex veterum

canonum sententia, minime abesse videri eos, qui aliquantisper absunt, et statim sunt reversuri ; omnibus ecclesiarum antistibus indixit, ut sibi licitum non putarent singulis annis ultra duos, aut tres ad summum menses, sive continuos, sive interruptos extra proprias diœceses commorari ; eosque simul admonuit, ne per illius temporis spatium, Dominici Adventus, Quadragesimæ, Nativitatis, Resurrectionis Domini Pentecostes item, et Corporis Christi diebus ab ecclesiis suis cathedralibus abessent, nisi forte episcopalia munia in aliis diœcesum suarum locis eos detinerent ; eamque præterea rationem ab iis haberi voluit, ut absque ullo gregis detrimento concessa uterentur libertate, et ut id æqua ex causa fiat ; quibus verbis animi levitas, oblectationum cupiditas, aliæque futiles causæ penitus excluduntur.

ndultum
b. VIII. a
enedicto
II. ampli-
tum pro
iscopis,
ecens in
rbe pro-
motis.

Præfatus autem Urbanus prædecessor ad peculiares occurrentes casus descendens, episcopis in curia promotis unum concessit mensem (quem postea declaratum fuit, a die ipsorum propositionis in consistorio computandum esse) quo mense elapso, singuli ad proprias ecclesias se conferre deberent. Sed quum in concilio Romano, habito a felic. record. Benedicto Papa XIII. prædecessore pariter nostro ; episcopi exposuissent, tam exigui temporis spatio non posse a recens promotis sua in Urbe negotia expediri, idem Benedictus facultatem concessit sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinali suo, et Romani pontificis pro tempore in Urbe, ejusque districtu vicario, ut præfatum unius mensis terminum, juxta casuum contingentiam, et causa cognita, ad alios quadraginta dies, et non ultra prorogare posset.

n pro vi-
tantibus
ina Apos-
olorum.

Præterea episcopis ad sacra Apostolorum limina statutis temporibus visitanda personaliter accedentibus supradictus Urbanus prædecessor indulsit, qui ut ecclesiis citra montes et citra mare positis præsiderent, per quatuor ; qui vero ultra marinis et ultra montanis ecclesiis præessent, per septem menses continuos a residentia in suis respective sedibus facienda, hujusmodi visitationis gratia, excusarentur.

Decreta ad præcavendos abusus.

Cum vero idem Urbanus declarasset, se, per ea, quæ in suis præfatis litteris constituerat, minime sublatam voluisse dictam trium mensium licentiam a Concilio indultam ; hinc plures ortæ quæstiones, et varia condita sunt decreta ab eodem Urbano, ejusque successoribus approbata ; cujusmodi sunt, non licere trimestrem absentiam prædictam conjungere, sive cum eo tempore, quo permittitur episcopis post suam promotionem in Urbe commorari, sive cum eo, quod ad peragendam sacrorum liminum visitationem eisdem concessum fuit : neque fas esse absentiæ tempora ita disponere, ut tres postremi menses unius anni continuentur cum tribus prioribus mensibus anni subsequentis. Sicut etiam vetitum est prædictos menses conjungere cum eo anni tempore, quo propter aeris insalubritatem, alicui episcopo permittitur extra diœcesim degere ; ne scilicet continuatis absentiæ temporibus, vernos simul, et æstivos menses, sive æstivos una cum autumnalibus extra diœcesim duci contingat. Denique, ne quis indulgentia sacri Concilii per fraudem abuti posset, declaratum fuit, prædictam trium mensium vacationem intra cujusque anni limites coerceri, ut qui uno anno usus ea non fuerit, non ideo sequenti anno diutius ab ecclesia sua abesse valeat.

De episcopis S. R. E. cardinalibus.

Et quoniam Tridentina synodus sub legibus de residentia hujusmodi ipsos etiam S. R. E. cardinales nominatim comprehendit ; præfatus Urbanus prædecessor, advertens nonnumquam evenire, quod aliquis ex cardinalibus alicui patriarchali, seu metropolitanæ, seu episcopali ecclesiæ præpositus, unum simul ex episcopatibus suburbicariis obtineret, constituit, ut hujusmodi cardinales in primodictis ecclesiis, non autem apud

episcopatus suburbicarios, residere tenerentur.

Congregatio super residentia ab eodem Urbano VIII. erecta.

Denique tam in prædicto Concilio, quam in citata Urbani constitutione, contra transgressores hujusmodi legum, quæ ad residentiam pertinent gravissimæ pœnæ statutæ fuerunt ; quarum executionem idem Urbanus primo quidem demandavit auditori causarum curiæ cameræ Apostolicæ ; verum biennio post, totam hujus materiæ cognitionem delegavit congregationi particulari a se deputatæ, quam compositam esse voluit ex tunc, et pro tempore existentibus cardinali Romani pontificis in Urbe vicario, necnon ejusdem pontificis datario, et secretario status, ac secretario brevium, duobus item secretariis congregationum, negotiis, et consultationibus episcoporum, et regularium, ac interpretationi, et executioni decretorum prædicti concilii Tridentini respective præpositarum. Et quidem prædicto cardinali vicario facultatem tribuit, ut justis ex causis, et cum concilio prædictorum prælatorum concedere posset episcopis licentiam abessendi a propriis ecclesiis, et diœcesibus spatio dumtaxat dierum quadraginta, ut in ipsis Urbani litteris datis die 1. Januarii 1636. distinctius præscribitur.

Hujus congregationis caput, seu præfectus, ex quo eadem instituta est, semper fuit præfatus cardinalis vicarius pro tempore existens ; quemadmodum ejusdem secretarii munus is semper gessit, qui congregationi concilii Tridentini fuit a secretis ; unde etiam nos ipsi, dum in minoribus constituti officio secretarii prædictæ congregationis cardinalium concilii Tridentini interpretum fungeremur, par quoque munus secretarii alterius congregationis super residentia episcoporum simul sustinuimus. Quæ sane congregatio, ut ex illius secretis regestis apparet, tam ipsius Urbani prædecessoris temporibus, quam aliis subsequentibus, non semel singulis annis adunari consuevit ; id, quod a san. mem. prædecessore pariter nostro Clemente Papa XI. in usum revocatum fuit, et identidem peractum, nobismetipsis præfatum secretarii munus obeuntibus, confectisque a nobis et impressis foliis, ea prorsus methodo, quæ pro causis ad congregationem Concilii pertinentibus observatur.

Hujus congregationis praxis.

Ut autem episcopi a suis ecclesiis, vel diœcesibus licite abesse possint, quum præter causam canonicam expressa quoque licentia Romani pontificis, ut supra diximus, sit necessaria, excepto casu prædictæ trimestris absentiæ a Concilio permissæ, pro qua nulla peculiaris requiritur licentia, quum idem concilium episcoporum abscedentium conscientiæ relinquat, de æquitate causæ judicium facere ; hinc est, quod quæcumque hujus generis licentia olim indulgeretur per speciale chirographum manu pontificis signatum expediebatur. Postmodum vero inductus fuit mos describendi omnes hujusmodi licentias in unico folio, quod Pontifici subscribendum deferebatur ; quem sane morem a prædecessoribus secretariis invectum, nos quoque servavimus.

Quæ interr pontif taura te

Cum autem post absentiam duodecim annorum, quorum duos apud Anconitanam, et decem apud Bononiensem ecclesias regimini nostro successive commissas, assidue residendo transegimus, in Urbem reversi, et ad Apostolicam sedem, quamvis immerentes, evecti fuerimus ; congregationis præfatæ sessiones, materia forsan deficiente, non amplius frequentari comperimus ; neque porro chirographa, aut folia signanda nobis oblata fuerunt ; sed facta nobis oretenus a prælato dictarum congregationum super executione, et interpretatione Concilii, et super residentia episcoporum secretario, tam petitionum episcoporum, qui vacationem a residentia postulabant, quam causarum, quibus hujusmodi petitiones imitebantur, relatione ; nostroque desuper accepto responso ; opportuna singulis decreta perscribi, eaque a cardinali vicario nostro, tamquam sæpe dictæ congregationis super residentia

episcoporum præfecto signari consueverunt. Verum quum nos hanc agendi rationem pro rei gravitate nimis compendiariam judicaverimus, visum est nobis motu proprio, et ex certa scientia non solum pro debita, ut aiunt, actus solemnitate, sed etiam pro ipsius rei substantia, et pro maturiori examine causarum, quæ ad hujusmodi licentias obtinendas afferuntur, infrascriptas leges, et ordinationes inviolabiliter in posterum observandas, Apostolica auctoritate, tenore præsentium, edicere et constituere.

Primum itaque relata superius sacrosanctæ Tridentinæ synodi decreta sess. VII. cap. 1. et sess. XXIII. cap. 1 *de Ref.* laudatasque Romanorum pontificum prædecessorum nostrorum S. Pii IV. Gregorii XIII. Clementis VIII. et Urbani pariter VIII. constitutiones, et ordinationes, necnon omnes, et singulas quas supra innuimus, resolutiones Apostolicæ sedis auctoritate editas, innovantes, et tam decretorum, quam constitutionum, ordinationum, et resolutionum hujusmodi tenores etiam veriores pro satis hic expressis, ac etiam de verbo ad verbum insertis habentes, et haberi volentes, illaque, et illas, quatenus opus sit, iterum plenissime approbantes, et confirmantes omnia, et singula in ipsis contenta, et ab iis ad quos spectat, et pro tempore in posterum spectabit, attendi, et in omnibus quæ nostris hisce litteris non adversentur, exactissime impleri, et observari volumus, statuimus, et in virtute sanctæ obedientiæ mandamus, atque præcipimus, non obstantibus quibuscumque privilegiis, aut contrariis, etiam quantumvis inveteratis, usibus, et consuetudinibus, quæ potius abusus, et corruptelæ dici debent ; quibus, si forte adesse. aut allegari contingat, motu, ac scientia simili, ac de prædictæ Apostolicæ auctoritatis nostræ plenitudine, derogamus, et derogatum esse volumus, et decernimus.

Secundo loco, et consequenter ad præmissa adversus prædictarum legum et constitutionum transgressores, omnes et singulas pœnas in eisdem decretis et constitutionibus latas et comminatas, auctoritate quoque nostra confirmamus et innovamus ; amissionis scilicet quartæ partis fructuum unius anni, ipso facto ab iis incurrendæ, qui legitimo impedimento, seu justis et rationabilibus causis cessantibus, et absque expressa, ut præfertur, Apostolicæ sedis licentia, sex mensibus continuis extra suam diœcesim morando abfuerint ; et amissionis alterius quartæ partis fructuum eodem modo incurrendæ, ubi hujusmodi absentia ad alios sex menses protrahatur, ut in prædicto concilio Tridentino sess. VI. cap. 1. *de Reform.* statutum fuit ; incursus quoque in peccati mortalis reatum, et obligationis restituendi fructus in absentia perceptos, nulla etiam prævia declaratione, eosque erogandi in ecclesiarum fabricas, seu in subventionem pauperum ipsius loci, quacumque conventione, seu compositione pro hujusmodi fructibus male perceptis prohibita ; ut in eodem Concilio sess. XXIII. cap. 1. præscribitur. Similiter impositam a prædicto Pio IV. prædecessore pœnam amissionis facultatem testandi et disponendi, si quæ transgressoribus hujusmodi competere dignoscantur ; necnon inhabilitatis ad majores dignitates, et ecclesias obtinendas, quam præfatus quoque prædecessor Clemens VIII. indixit, per omnia confirmamus, et innovamus. Quibus omnibus hoc etiam superaddimus, ut iidem transgressores omnibus, et singulis indultis et privilegiis, quæ forsan ipsis, tamquam Pontificio solio assistentibus concessa fuerint, ipso facto privati esse censeantur. Decernentes sub transgressorum nomine comprehendi non solum eos, qui præter tres menses a Concilio toleratos absque legitima causa, et expressa Romani pontificis licentia extra proprias diœceses commorantur ; sed eos etiam, qui hujusmodi licentiam falsis, simulatisque causis dolose extorquere non dubitaverint ; vel ea semel rite, recteque obtenta præscriptos in eadem limites, ac

Addita pœna privationis indultorum competentium assistentibus solio pontificio.

præfinitum tempus prætergressis fuerint. Quod si nihilominus aliqui non minus canonica statuta, quam propositas hujusmodi pœnas contemnentes in sua contumacia confirmati perseverare præsumpserint ; volumus adversus istos ad ulteriora cum effectu procedi, juxta mentem ejusdem concilii Tridentini, quod in citato cap. 1. sess. VI. Romanum pontificem pro tempore existentem hortatur, ut suæ supremæ sedis auctoritate in hujusmodi transgressores ad severiorem sacrorum canonum normam animadvertat, atque etiam ecclesiis ipsis de melioribus pastoribus provideat, sicut in Domino noverit salubriter expedire.

Congregationem super residentia, ejusque sessiones in usum reducit.

Tertio loco volumus, et mandamus, ut prædictæ congregationis super residentia ipiscoporum ab Urbano Papa VIII. institutæ exercitium atque sessiones resumantur, confirmantes ipsius præfecturæ munus dilecto filio nostro Joanni Antonio tituli sancti Martini in montibus presbytero S. R. E. cardinali Guadagni nuncupato moderno nostro in Urbe ejusque districtu in spiritualibus vicario, ejusque in officio vicariatus hujusmodi successoribus ; sicut etiam officium secretarii ejusdem congregationis dilecto filio magistro Joseph Alexandro Furietto, ejusque successoribus congregationis cardinalium concilii Tridentini interpretum secretariis ; eosdemque statuentes in hujusmodi congregatione nunc, et deinceps pro tempore locum habere, et suffragium ferre, quicumque ea officia, et munera obtinent, sive obtinebunt in posterum, quæ in præcitatis Urbani prædecessoris litteris designantur. Præterea cum minime expediat hujusmodi congregationem promotore fiscali carere, nos eum, qui in tribunali prædicti cardinalis vicarii Urbis officium gerit promotoris fiscalis, ejusque in officio successores pro tempore ad idem munus obeundum deputamus in præfata congregatione, cui ipsum, seu ipsos cum consultivo suffragio volumus interesse. At vero perpendentes, quod si congregatio isthæc toties habenda foret, quoties ab aliquo episcopo licentiam abscedendi a diœcesi peti contingeret, eadem aut propter frequentiam nimis onerosa evaderet, aut propter negotiorum levitatem tractu temporis negligi, et parvipendi posset; volumus, atque statuimus, eamdem tunc tantum cogendam, habendamque esse, cum aut a nobis, sive a successoribus nostris Romanis pontificibus, alicujus negotii cognitio ipsi remissa et delegata fuerit; aut hujusmodi etiam remissione cessante, quoties de pœnis superius constitutis adversus aliquem transgressorem reipsa decernendis infligendisque deliberandum fuerit; siquidem hujusmodi pœnarum modus, prout cujusque major, aut minor contumacia exegerit, ab eadem congregatione statuendus erit ; ut facta per ipsius secretarium nobis, seu successoribus nostris relatione, approbataque congregationis resolutione, ad hujusmodi pœnarum executionem procedatur ; aut denique cum aliquis episcopus instantiam proponat abessendi a propria diœcesi ratione alicujus muneris, sive officii, cujus ea dicatur natura esse, ut Apostolicum indultum de non residendo ad longum tempus ipsi sit concedendum : Nos etenim hujusmodi indulta nemini unquam concedi debere decernimus, nisi prævio causarum examine in eadem congregatione peragendo, nostraque, et successorum nostrorum scientia et approbatione, et mediante expeditione litterarum Apostolicarum in forma Brevis ; ideoque mandamus nostro, et Romani pontificis pro tempore existentis supplicium libellorum secretario, aliisque secretariis quarumvis congregationum, quibus ea de re preces oblatæ fuerint, ut illas ad prædictam congregationem super residentia episcoporum omnino remittant: simulque prohibemus nostro, et successorum nostrorum pro tempore secretario Brevium, ne litterarum Apostolicarum super indultis hujusmodi exempla nobis, aut successoribus nostris signanda ullatenus afferat, nisi authentica documenta, tam de cau-

Eique deputat promotorem fiscalem.

Præscribit occasiones quibus adunari debeat.

sarum examine in dicta congregatione peracto, quam de Apostolica approbatione, et assensu consequenter examinatis eidem fuerint exhibita.

lia cum ·ressione ultorum, e conce- ıtur, ad ıtificis si- ıaturam leferri. ıandat.

Quarto loco statuimus, ut folia superius enuntiata in posterum omnino conficiantur, in quibus nimirum describantur nomina episcoporum, quibus dantur indulta commorandi extra diœcesim, una cum causis ab ipsis adductis, atque probatis, et spatio temporis ad quod hujusmodi indulta conceduntur; quæ quidem folia a Romano pontifice subscripta, in tabulario prædictæ congregationis ut alias, asservari præcipimus : quod tamen intelligi volumus non de iis indultis, quæ per Apostolicas litteras in forma Brevis expedienda esse in paragrapho superiore præscripsimus ; sed de alterius generis indultis, de quibus infra dicendum erit, quæque post Pontificium assensum a secretario requisitum et obtentum, expediri debebunt per decreta a prædicto cardinali vicario Urbis tanquam præfatæ congregationis præfecto subscripta. Decet enim has quoque licentias non sine Pontificia subscriptione prodire; idque obtinebitur accedente signatura Pontificis super prædictis foliis, in quibus singulorum indultorum tenores, et causæ a secretario descriptæ erunt quemadmodum elapsis temporibus, ac etiam a nobis ipsis, dum hujusmodi secretarii munere fungeremur, servatum fuisse narravimus.

gulis ab- tiæ cau- opportu- rescripta mparat.

Quinto loco, quoniam experiendo cognovimus, quod ad obtinenda indulta commorandi extra diœcesim, infrascriptæ plerumque causæ ab episcopis afferri solent ; nimirum aut necessitas assistendi personaliter alicui liti, seu controversiæ, in qua ecclesiæ, aut cleri sui, vel etiam propriæ familiæ res agatur quæque in Romana curia introducta sit, vel alia in urbe, in qua resideant majora tribunalia, quorum ea de re judicium esse debeat ; aut corporalis ægritudo, qua correptus fuerit episcopus dum extra diœcesim, conciliaribus mensibus utens, morabatur, ita ut ad eamdem diœcesim reverti nequeat; aut adversa valetudo in ipsa diœcesi contracta, ad quam depellendam medici putent necessarium fore, episcopum aerem, et solum aliquantisper mutare ; aut denique malignitas aeris in diœcesi vigens, quam aliquibus anni mensibus devitare oporteat, et quoniam nec ulla ex præmissis causis, absque expressa Romani pontificis approbatione, quemquam ab onere residendi eximere potest; et nisi certis expressis circumstantiis, iisque verificatis, difficile est ad hujusmodi approbationem rite, recteque procedere ; necessarium nobis visum est infrascriptas regulas statuere, quas in singulis respective casibus ab iis, ad quos spectat, et pro tempore spectabit, observari mandamus, atque præcipimus.

An. et quatenus, permittendum episcopo, ut a diœcesi absit causa litis.

Si quis igitur in posterum licentiam petierit abscedendi a diœcesi sibi concredita, ut judiciali controversiæ, quæ alibi vertitur per seipsum intersit; exprimere debebit in precibus tum locum, sive urbem in qua hujusmodi lis agitatur, tum etiam an ea pertineat ad ipsam oratoris ecclesiam, seu clerum, vel potius ad ipsius familiam. Et quidem si ad familam pertineat absque eo quod secretarius congregationis Pontificem, aut cardinalem præfectum adeat, rescribendum ab ipso erit, ut orator ad effectum de quo in precibus, utatur mensibus a concilio indultis. Quod si eis jam usus fuerit, ulterior ipsi licentia non concedatur. Si vero de ejus ecclesiæ vel cleri rebus agatur, exponi debebunt tum status litis, tum causæ, propter quas necessaria creditur in loco judicii oratoris præsentia ; tum etiam declarandum an mensibus conciliaribus usus fuerit. Et quidem si nondum illis usus sit, rescribendum erit, ut eos in hujusmodi causam impendat. Si vero id amplius episcopo integrum non sit (qua in re, nec dolus, nec fraus intercesserit) et alioquin ipsius instantia justa videatur, tantum illi temporis, et non amplius, ad commorandum extra diœcesim tribuatur, quantum judicatum fuerit

necessarium esse ad causæ defensores, advocatos, et judices de omnibus, quæ ad rem pertinent sufficienter instruendos. Si enim licentia abessendi a diœcesi usque ad finalem exitum causæ extendi deberet, nemo non videt, quam diuturna plerumque foret in hisce casibus episcoporum absentia, et quam facile evenire posset, ut pleræque diœceses complurium annorum spatio suorum pastorum præsentia carerent.

Quid ratione infirmitatis extra diœcesim contractæ.

Qui vero licentiam abessendi petierint ratione infirmitatis extra diœcesim contractæ dum vocatione a Concilio indulta uterentur, asserentes ea de causa regressum ad propriam diœcesim sibi prohiberi ; exponere debebunt contractæ infirmitatis qualitatem ; et super ea testimonium medici juramento firmatum exhibere. Atque ubi petita licentia ipsis indulgeatur, ea semper ad certum ac definitum tempus concedi debebit, adjecta quoque clausula, si tamdiu infirmitas duraverit.

Quid ad convalescendum ex morbo in diœcesi contracto.

Ab iis autem qui hujusmodi licentiam postulaverint, eo quod aeris mutatione opus sibi esse dicant ad convalescendum ex morbis quos in suis ecclesiis residendo contraxerunt, exprimendum erit in precibus, quo morbi genere, et quam graviter laborent, ac proferendum testimonium medici, qui jurejurando testetur, utile ac necessarium oratori esse, ut in aliam regionem, atque aerem per aliquod tempus se transferat. Nec illud silentio prætereundum, an scilicet orator, antequam morbo corriperetur, trimestri licentia a Concilio permissa usus fuerit ; Si enim id nondum fecerit, et tempus a Concilio indultum sufficiens ipsi non reputetur, poterit enim concedi ut per quatuor menses, in quibus tamen conciliares menses comprehendantur, a residentia absens permaneat : At si prædictos conciliares menses remoto omni dolo, et fraude, jam extra diœcesim transegerit ; tantum temporis ipsi indulgeatur, quantum ad confirmandam ipsius valetudinem vere necessarium esse prudenter judicabitur.

Qui tamdem licentiam commorandi extra diœcesim propter malignitatem aeris, quem in sua diœcesi aliquo anni tempore insalubrem esse affirmat ; is videat etiam atque etiam quid agat ; Et quidem pro veritate exponat, quibus anni mensibus perniciosus sit regionis aer, Item an eadem cœli temperies totam comprehendat diœcesim, ita ut nullus intra ejus tractum locus existat, in quo suspectum illud tempus absque salutis detrimento transigere valeat, postremo, an conciliaribus mensibus usus fuerit. Etenim si nondum eos sibi sumpserit, non ægre obtinebit indultum abessendi per quatuor menses (quatenus periculum ab aere tamdiu durare censeatur) in quibus tamen tres illi a Concilio permissi numerandi erunt ; Si autem hujusmodi Concilii indulgentia jam usus fuerit, frustra novum indultum prædicta de causa ab Apostolica sede postulabit ; sibique imputare debebit, quod cum sciret certo anni tempore in sua diœcesi aerem insalubrem fore, concessos vacationis menses in tempus illud non reservaverit. In omnibus autem absentiæ indultis, quæ ratione aeris insalubris in posterum concedentur, hanc clausulam adjici volumus : *Dummodo intra diœcesim aliquis locus non adsit, in quo aer salubris sit : et in quo episcopus commomari possit.*

Sane prædictus Urbanus prædecessor non prætermisit eorum antistitum causam considerare, qui provincialibus conciliis, vel congregationibus, seu assembleis generalibus, in quibus ecclesiastici intervenire solent, personaliter interesse, sive in aliis muneribus, aut republicæ officiis, quæ ipsorum episcopatibus ecclesiisque adjuncta sunt, ad certum tempus extra diœcesim occupari solent, ac debent ; et his quidem in præcitata constitutione licentiam abessendi concessit pro eo definito tempore, quo ejusmodi concilia, congregationes, et assembleæ

peragentur, exercitiumque muneris seu officii publici eorum ecclesiis adjuncti actu duraverit ; dummodo iis finitis, recto tramite ad ecclesias sibi commissas sese conferrent ; cujus concessionis æquitatem, nos quoque agnoscentes, eamdem approbamus et confirmamus. Sed cum idem Urbanus nihil statuerit de episcopis, qui a residentiæ suæ loco discedunt pro processuum in causis beatificationum, aut canonizationum compilatione Apostolica auctoritate ipsis delegata, necesse est aliquid a nobis pro his etiam casibus opportune constitui.

Quid pro construendis processibus apostolicis in causis canonizationum.

Expediuntur a congregatione sacrorum Rituum litteræ, quas vocant remissoriales, et compulsoriales, quibus committitur, ut supradicti processus auctoritate Apostolica conficiantur ; atque diriguntur tribus episcopis aut superioribus prælatis cum clausula, ut duo ad minus procedant. Cumque in hujusmodi episcoporum numero semper includatur Ordinarius loci, in quo processus construitur, fere contingit, e tribus, ad quos litteræ sunt directæ, unum duntaxat a residentia avocari. Ubi itaque aliquis episcopus titularis ecclesiæ in partibus infidelium constitutæ haberi possit, volumus eum in præfatis litteris pro uno ex tribus episcopis comprehendi. Quod si tres omnino antistites in propriis ecclesiis residentes ad hujusmodi effectum delegari oporteat, statuimus, atque præcipimus, ut litteræ a prædicta Congregatione dirigantur episcopis, qui viciniores sunt diœcesi, in qua Apostolicus processus conficiendus erit. Quoniam vero non de re agitur, quæ duabus tribusve hebdomadibus perfici queat, sed quæ plurimum sæpe mensium, aut etiam annorum operam requirit ; volumus, ut episcopi, qui ejusmodi delegationem acceptaverint, necessariam licentiam abscedendi a diœcesi, causa absentiæ exprimendo, petere et impetrare non omittant, sub pœnis adversus eos constitutis, qui absque causa extra diœcesim commorantur. In hujusmodi autem licentiis concedendis, statuimus, ut conciliares menses semper comprehendantur, et præter eos, triginta duntaxat dies, si opus fuerit adjiciantur ; nam et ad plura peragenda quadrimestre spatium sufficiens est ; et si adhuc facienda supersint, quatuor alii menses sequenti anno in idem opus insumi poterunt.

De præmissorum observantia præceptum.

Hæc sunt, quæ salubriter in Domino statuenda judicavimus, quæque pro regula, et norma in posterum haberi volumus, ut a Venerab. fratribus, patriarchis, archiepiscopis, et episcopis, gravissimum, quod ipsis incumbit, residentiæ officium exacte impleatur. Itaque dilecto Filio moderno præfatæ Congregationis super eadem residentia secretario, ejusque successoribus in perpetuum injungimus, et in virtute sanctæ obedientiæ, sub pœnis contra inobedientes mandatis Apostolicis in re gravi, præcipimus, atque jubemus, ut supplices libellos pro parte quorumcumque antistitum sibi oblatos, in quibus ea, quæ supra adnotavimus, expressa non fuerint, quibusque necessaria authentica documenta superius pariter indicata, non sint adjuncta, nullo modo recipiant, multoque minus ad Pontificem referant. In decretis autem, quæ post Pontificium assensum ab ipsis secretariis in consueta audientia reportatum, a cardinali ejusdem congregationis præfecto subscribenda erunt, suprascriptas clausulas respective apponere non prætermittant ; illud etiam expresse cavendo, ut quæ conceduntur indulta, a die datæ ipsorum decretorum decurrere intelligantur.

De onere denuntiandi non residentes.

Denique vener. fratres, patriarchas, primates, metropolitanos, et episcopos universos monemus, ut non solum ipsi statutas de residentia leges adamussim observent, sed semper memores sint decreti a sacra Tridentina synodo editi sess. VI. cap. 1. *de reform.* quo jubentur singuli pro virili parte in aliorum agendi rationem respective vigilare, et non residentes Romano pontifici infra certum tempus denuntiare. Nostris quoque, et Apostolicæ sedis nuntiis hoc idem de-

mandamus, et injungimus ; ubi intra ipsorum nuntiaturæ districtum, aliquis episcopus, seu superior prælatus existat, qui canonicas leges in hac parte violare dignoscatur.

Specialis commissio nuntio apostolico Neapoli commoranti injuncto.

Et quia nobis relatum est nullibi frequentius prædictas leges ab episcopis violari, quam in proximo Neapolitano regno (neque vero id mirum in tanto eorumdem numero) volumus, atque statuimus, ut in indultis absentiæ, quæ pro episcopis prædicti regni in posterum expediri contingat, ad cæteras clausulas superius præscriptas, hæc etiam addatur, ut obtenta licentia exhiberi debeat Apostolico nuntio Neapoli commoranti, alioquin nullius roboris, vel momenti habeatur. Nos siquidem prædicto nuntio earumdem præsentium tenore committimus, ut hujusmodi licentias in actus sui tribunalis referri faciat, itemque de causis, propter quas concessæ fuerunt, inquirat, ac tempus in iis præfinitum observet, ad hoc scilicet, ut per eum resciri possit, si quid obreptum, aut subreptum fuerit in precibus, et ipsum latere nequeat, si quis præscriptos sibi limites transgrediatur, sive absque necessario Apostolicæ sedis indulto, extra tempora a Concilio permissa, longe ab ecclesia, a diœcesi sua commoretur. Pro iis autem, qui, ut nobis pariter relatum fuerit, diœceses suas deserunt, et non quidem in urbem regni principem, ubi Apostolicus nuntius moram trahit, sed in alias se conferunt ejusdem regni civitates, quin ipse nuntius quidquam de illis audiat ; injungimus nuntio, ut per officiales suos atque ministros, quos in omnibus diœcesibus retinet, curet se certiorem fieri de episcopis quicumque a propriis diœcesibus recedunt : Ut, et ii, qui obtentis licentiis abutuntur, et multo magis ii, qui proprio marte se gerere præsumunt (dum vel absque prævia licentia, præter tempus a Concilio indultum a suis diœcesibus absunt, vel si ob aliquem inopinatum evuntum ab ipsis discedere compulsi fuerint, hujusmodi licentiam statim ac ad destinatum locum pervenerint, petere, et impetrare non curant) severiori sacrorum canonum, et Apostolicarum sanctionum censuræ subjiciantur.

S. R. E. cardinales prædicti legibus expressis comprehenduntur.

Cæterum intendimus sub præsentium litterarum nostrarum ordinatione, et dispositione etiam ipsos ven. fratres nostros S. R. E. cardinales, qui patriarchalibus, primatialibus, archiepiscopalibus, episcopalibus ecclesiis prædictis ex concessione, et dispensatione Apostolica nunc præsunt, et in futurum præerunt, comprehendi et comprehensos esse, et fore.

Litteratum firmitati consuliter.

Præsentes quoque litteras, omniaque, et singula in eis contenta de subreptionis, obreptionis, aut cujuscumque nullitatis, vel invaliditatis vitio, intentionisque Nostræ aut quocumque alio defectu etiam ex eo, quod in præmissis quomodolibet interesse habentes, et habere prætendentes, et præsertim ejusdem S. R. E. cardinales præmissis non consenserint, nec ad ea vocati, et auditi, solemnitatesque, et alia servanda, et adimplenda nullatenus servata, et adimpleta fuerint, ac quocumque alio colore, prætextu, occasione, et causa etiam necessario exprimenda a quoquam notari, impugnari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illa aperitionis oris, restitutionis in integrum, vel aliud quodvis juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari nullo unquam tempore posse, sed semper, perpetuoque valida, firma, et efficacia esse, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac per omnes, et singulos ad quos spectat, et quomodolibet spectabit in futurum inviolabiliter observari, perinde ac si in consistorio nostro secreto, et de eorumdem fratrum nostrorum consilio, et unanimi assensu emanassent ; Sicque, et non aliter in præmissis omnibus, et singulis per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos etiam causarum palatii Apostolici auditores, necnon prædictæ S. R. E. cardinales etiam de latere lega-

Sublata etc. irritum etc.

tos, vice-legatos, et Apostolicæ sedis nuntios, prædictamque congregationem super residentia reputatam, et quoscumque alios, quavis auctoritate et potestate fungentes nunc, et pro tempore existentes, sublata eis, interpretandi, et definiendi facultate, judicari, et definiri debere, et quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, et inane decernimus.

Derogationes.

Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis etiam in universalibus, generalibus, provincialibus, et synodalibus conciliis editis, vel edendis, necnon quatenus opus sit, de non tollendo jure quæsito, aliisque cancellariæ Apostolicæ regulis, statutis, quoque etiam juratis, et consuetudinibus, etiam diuturnis, et immemorabilibus, dictarum respective ecclesiarum, necnon licentiis, privilegiis et indultis, etiam Apostolicis, eisdem ecclesiis, earumque præsulibus quomodolibet hactenus concessis, omnibusque et singulis aliis, quæ prædictus Urbanus suarum litterarum firmitati, et executioni voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Publicationis vis et exemplorum auctoritas.

Ut autem eædem præsentes, et in eis contenta quæcumque ad omnium notitiam deducantur, et ne aliquis illorum ignorantiam prætendere possit; volumus, quod eædem præsentes per aliquem, seu aliquos ex cursoribus nostris ad valvas basilicæ Principis Apostolorum, ac cancellariæ Apostolicæ, et in acie campi Floræ de Urbe publicentur, et earum copiæ ibidem affigantur, et affixæ relinquantur, quæ sic publicatæ et affixæ omnes, et singulos, quos concernunt, arctent et afficiant, non secus ac si eorum cuique personaliter intimatæ, et notificatæ fuissent; quodque earumdem præsentium transumptis etiam impressis manu alicujus notarii subscriptis, et sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in judicio, et extra illud ubique locorum, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum ordinationum, confirmationum, derogationum, præceptorum, statutorum, et decretorum infringere, seu eidem ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Sanctio.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ 1746. 3. Nonas Septembris Pontificatus Nostri anno septimo. Dat. Pontific. an. 7. die 3. septem. 1746.

J. Datarius.

*D. Cardinalis Passioneus.*

VISA DE CURIA

I. C. Boschi

*J. B. Eugenius.*

Loco Plumbi.

---

SS. D. N.

## BENEDICTI PAPÆ XIV.

### CONSTITUTIO

*Contra quamdam pravam praxim in administratione Sacramenti Pœnitentiæ.*

—

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Ad eradicandum pravum zizanii semen, quod ab adversario generis huma-

Abusus in administrando pœnitentiæ sacramento inductus.

ni in agro Dominico sparsum per Lusitaniæ primum regiones pullulare compertum fuerat; ubi nimirum apud nonnullos confessarios in administrando sacramento pœnitentiæ, perversa quædam, et absurda praxis, ecclesiasticis regulis contraria, eidemque sacramento injuriosa, et ad advertendos fideles ab ipsius salutifero usu quam maxime tendens introduci cœperat; pro imposito nobis vigilandi debito, Apostolicas in forma Brevis litteras direximus venerabilibus fratribus archiepiscopis, et episcopis per Portugalliæ, et Algarbiorum regna, atque ditiones constitutis, quas deinde per alias nostras sub Plumbo expeditas litteras, nuper, quarto nimirum nonas elapsi Mensis Junii, confirmavimus, et innovavimus adjectis nonnullis ordinationibus, et declarationibus, qua ad meritas pœnas, tam delinquentibus, quam contrarium tenentibus, sive docentibus irrogandas, et ad rectum adversus eos proceden di ordinem in prædictis regnis, et ditionibus servandum opportune expedire in Domino judicavimus.

Litteris sanctissimi domini nostri, quæ hic inseruntur, damnatus fuit.

Earum autem litterarum, quas ad hujusmodi erroris, et abusus reprobationem primum edidimus, hic tenor erat.

---

## BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres Salutem, et Apostolicam benedictionem.

Suprema omnium Ecclesiarum sollicitudo, et divina Jesu Christi omnium pastorum principis, cujus vices plane immerentes gerimus, charitas assidue urget nos, ut pro commissa divinitus imbecillitati nostræ universi dominici gregis cura semper advigilantes, periculis animarum, sicubi forte superimpenderint per omnes Christiani orbis populos, ac nationes opportune, quantum cum Domino possumus, occurramus, atque iis præcidue regnis, et locis, peculiari quodam Apostolicæ nostræ charitatis studio, auctoritatisque providentia consulamus, in quibus, cum fides, religio, pietas quam maxime floreant, callidus humani generis hostis nocere fidelibus, dum aperto bello desperat, per insidias molitur, in Angelum scilicet sese lucis transfigurat, et ementita boni specie incautis illudens; qua ex arte non minora sæpe animarum detrimenta; quam ex aggressione manifesta esse proventura nequissimus veterator confidit, In harum autem fraudum numero computamus, quod in florentissimis Portugalliæ, et Algarbiorum regnis, et ditionibus, quibus vos antistites summa sacerdotalis virtutis vestræ commendatione præsidetis, et quibus pro singulari erga catholicam ecclesiam, atque Apostolicam hanc S. sedem observantia meritæ debentur laudes, nuper evenisse non sine ingenti animi nostri dolore cognovimus. Pervenit enim haud ita pridem ad aures nostras, nonnullos istarum partium confessarios falsa zeli imagine seduci se passos, sed a zelo secundum scientiam longe aberrantes perversam quamdam, et perniciosam praxim in audiendis Christi fidelium confessionibus, et in saluberrimo pœnitentiæ sacramento administrando invehere, atque introducere cœpisse, ut videlicet si forte in pœnitentes incidissent socium criminis habentes, ab iisdem pœnitentibus socii hujusmodi seu complicis nomen passim exquirerent; atque ad illud sibi revelandum non inducere modo suadendo conarentur; sed quod detestabilius est, denuntiata quoque nisi revelarent, absolutionis sacramentalis negatione, prorsus adigerent, atque compellerent; imo etiam complicis ejusdem nedum nomen, sed habitationis insuper locum sibi designari: Quam illi quidem intolerandam imprudentiam, tum procurandæ complicis correctionis, aliorumque bonorum colli-

Relati ab usus expositio.

gendorum specioso prætextu colorare, tum emendicatis quibusdam doctorum opinionibus defendere non dubitarent; cum revera opiniones hujusmodi vel falsas, et erroneas sequendo, vel veras, et sanas male applicando, perniciem tam suis, quam pœnitentium animabus consciscerent; ac sese præterea plurium gravium damnorum, quod inde facile consecutura fore prævidere debuerant, reos coram Deo æterno judice constituerent.

Scandala inde exorta.

Et vero jam secuta fuisse multa ejusmodi damna infelici experientia compertum est. Nec fieri potuit quin ea de causa, et oblocutiones, et scandala, et non ministrorum tantum, sed sacri etiam ipsius ministerii odium, et animorum ingens conturbatio in populo fideli exorta sint.

Cardinalium Lusitanorum sollicitudines.

Tristia nos hæc nuntia cum accepimus simul audivimus contra exitialem hujusmodi abusum protinus justa indignatione pro munere suo commotos fuisse dilectos filios nostros S. R. E. cardinales Nunum a Cunha in iisdem Portugalliæ, et Algabiorum regnis, generalem Inquisitorem, et Thomam de Almezda patriarcham Lisbonensem, atque utrumque sollicite gliscenti malo compescendo, atque etiam

Pontifex damnat relatam praxim.

eradicando allaborasse. Nos autem ne in tam gravi animarum discrimine ulla ex parte Apostolico nostro ministerio deesse videamur, neve mentem, hac super re nostram apud vos obscuram, aut ambiguam esse sinamus; notum vobis esse volumus, memoratam superius praxim penitus reprobandam esse, eamdemque a nobis per præsentes nostras in forma Brevis litteras reprobari, atque damnari tamquam scandalosam, et perniciosam, ac tam famæ proximorum, quam ipsi etiam sacramento injuriosam, tendentemque ad sacrosancti sigilli sacramentalis violationem, atque ab ejusdem pœnitentiæ sacramenti tantopere proficuo, et necessario usu, fideles abalienantem. Ea propter, venerabiles fratres, quamquam de pastorali vestra vigilantia nihil est, quod dubitemus; supremi tamen officii nostri esse censemus, alacritatem ipsam vestram hac mentis nostræ aperta significatione, et Apostolicis insuper hortationibus nostris intensius acuere et excitare, ut pro se quisque vestrum opportunioribus, quascumque prudentia suggesserit, initis rationibus, et efficacioribus quibusque juris remediis, quoad opus fuerit, contra delinquentes ministros adhibitis, noxiam hujusmodi novitatem strenue insectemini, ac pene nascentem opprimatis, neque patiamini traditis curæ vestræ ovibus ibi offendiculum parari, ubi salus a Christo posita est, ab eoque divinæ misericordiæ fonte illas averti ac deterreri, ad quem ab eodem redemptore nostro ad abluendas, dealbandasque in sanguine suo animas, amantissime invitantur. Interea, dum a zelo vestro, ac prudentia loculentiora nobis certo pollicemur vestræ pietatis, et observantiæ argumenta, Apostolicam benedictionem cum uberrima cœlestium charismatum copia conjunctam vobis, venerabiles fratres, ex animo impertimur. Volumus autem ut præsentium transumptis, sive exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eaprorsus ubique fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, et adhiberi posset, si forent exhibitæ, vel extensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 7. Mensis Julii 1745. Pontificatus Nostri anno quinto.

Cajetanus Amatus.

Præmissarum litterarum confirmatio.

Quoniam vero nullam pastoralis vigilantiæ cautelam superfluam esse ducimus, ubi de fidelium animarum pernicie, deque subvertenda sanæ doctrinæ integritate, et recta sacramentorum administratione, periculum subesse dubitetur; neque vero ignoramus, alibi quoque auditas esse pœnitentium querelas de importunis nonnullorum confessario-

Episcoporum diligentium contra eam excitat.

rum perquisitionibus pro investigandis complicum nominibus aliisque notitiis, juxta praxim in præinfertis nostris Apostolicis litteris relatam, atque damnatam; erroneas vero quorumdam doctorum hac de re opiniones, vel pravas aliorum recte opinantium interpretationes, et applicationes in eisdem litteris enuntiatas, aliquibus arridere; nec satis eliminatas reputari per ipsas præmissas litteras, quas, utpote ad Lusitaniæ regnorum, atque ditionum opportunitatem accommodatas, et pro iisdem solummodo emanatas, generalis definitionis, et legis vim, auctoritatemque habere, ab aliquibus temere negatum fuit. Ideo nos, motu proprio, atque ex certa scientia, hujus nostræ generalis sanctionis tenore, ac de Apostolicæ potestatis nostræ plenitudine easdem præinsertas litteras iterum confirmantes, et roborantes, decernimus et declaramus, memoratam praxim in se ipsa, et ubique locorum, ac temporum, Apostolica auctoritate reprobatam atque damnatam esse, et censeri debere; nec ulli licitum esse contra doctrinam in præfato nostro Brevi contentam docere, scribere, atque loqui, eamque impugnare, aut perverse interpretari, vel ipsi actu contraire; sub pœnis adversus tuentes, asserentes, aut tradentes opiniones scandalosas, perniciosas, et uti tales a sede Apostolica rejectas et condemnatas, et respective adversus contrafacientes mandatis Apostolicis, et ecclesiasticis sanctionibus, statutis, atque præscriptis.

Unde præsentes confirmantur et ad omnes ubique locorum extenduntur.

Decernentes easdem præinsertas, necnon præsentes nostras Apostolicas litteras nullo ex capite, colore, aut prætextu de subreptionis, obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut alio quolibet defectu notari, impugnari, aut in controversiam vocari posse; sed semper firmas, validas, et efficaces existere, et perpetuo fore, atque omnes ubique terrarum cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ, et dignitatis, et tam sæculares, quam quorumvis etiam quomodolibet exemptorum, ac sedi Apostolicæ immediate subjectorum ordinum, institutorum, societatum, et congregationum regulares, quocumque privilegio munitos, aliosque etiam speciali mentione dignos, afficere et arctare, ac suos ubique plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, et ab omnibus, et singulis, ad quos spectat, seu pro tempore spectabit, exacte, et inviolabiliter observari debere.

Clausulæ pro generali, et perpetua litterarum observantia.

Sicque, et non aliter per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam S. R. E. cardinales, et contra hæreticam pravitatem generales inquisitores, legatos quoque de latere, et Apostolicæ sedis nuntios, aliosque quoslibet quacumque auctoritate et potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet aliter judicandi et interpretandi facultate, judicari, et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus quibusvis Apostolicis, et in universalibus sive provincialibus, aut synodalibus conciliis editis generalibus, sive specialibus constitutionibus, et ordinationibus, privilegiis quoque, indultis, et litteris Apostolicis cuicumque personæ, sive ordini, instituto, societati, et congregationi sub quibuscumque tenoribus, et formis, et cum quibuslibet clausulis, atque decretis, etiam motu, et Apostolicæ potestatis plenitudine similibus in contrarium forsan concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma, ad hoc servanda foret, tenores prædictos pro sufficienter et de verbo ad verbum expressis, et infertis, formasque hujusmodi pro plene, et exacte observatis habentes, ad præmissorum effectum, hac vice duntaxat specialiter et expresse derogamus.

Derogationes

De effectu publicationis, et exemplorum auctoritate.

Ut autem eædem præsentes, et in eis contenta quæcumque, ad omnium notitiam deducantur, et ne aliquis illorum ignorantiam prætendere possit; volumus easdem per aliquem, seu aliquos ex cursoribus nostris ad valvas basilicæ Principis Apostolorum, ac cancellariæ Apostolicæ, et in acie campi Floræ, aliisque consuetis Urbis locis publicari, earumque copias affligi, et affixas relinqui, quæ sic publicatæ, et affixæ, omnes, et singulos quos concernunt, arctent et afficiant, non secus ac si eorum unicuique personaliter intimatæ et notificatæ fuissent; quodque earumdem præsentium transumptis, sive exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in judicio, et extra illud, ubique locorum, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio.

Nulli ergo omnino hominum licet paginam hanc nostrarum confirmationis, reprobationis, condemnationis, prohibitionis, sanctionis, et voluntatis infringere, seu eidem ausu temerario contrario. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Dat. Pontif. an. 7. die. 28. sept 1740.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ 1746. 4. Kalendas Octobris Pontificatus Nostri anno septimo.

J. Datarius

Pro D. Card. Passioneus.

Visa De Curia

Jo : Florius Substitutus

I. C. Boschi

J. B. Eugenius.

Loco ✠ Plumbi.

SS. D. N.

## BENEDICTI PAPÆ XIV.

### CONSTITUTIO

*De Regularibus ab episcopo diœcesano ordinandis.*

—

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Impositi nobis licet immerentibus Apostolici ministerii ratio postulat, ut ad tuendum Ecclesiæ disciplinæ vigorem, non modo novas interdum leges provide constituamus; verum etiam veteres a prædecessoribus nostris sapienter statutas, siquidem fallacium rationum præsidio debitis fraudentur effectibus novis, et inviolabilibus sanctionibus communiamus; si vero eorum claritas pravis, et captiosis interpretationibus involvi, et obumbrari dignoscatur, easdem perspicuis, apertisque declarationibus in propria luce collocemus.

Vetus controversia de ordinatione regularium.

Sane quæ olim de ordinationibus regularium controversia viguit, an scilicet Regulares a quocumque catholico antistite indistincte ordinari possent, an vero id juris privative pertineret ad episcopum illius diœcesis intra quam sita est religiosa domus, quam regularis ad ordines promovendus inhabitat, providis Romanorum pontificum prædecessorum nostrorum constitutionibus, et declarationibus jamdudum sublata fuit. In qua quidem controversia episcopi locorum ordinarii jura sua fundantes in generalibus canonum statutis, et in ipsis exemptionum privilegiis, quæ regularibus indulta sunt, aiebant, ipsorum ordinationes, utpote

Ratione pro episcopis diœcesanis.

diœcesanis episcopis expresse reservatas, neque spectare posse ad ordinarios eorum originis, quam regulares a se abdicant, dum sæculo nuntium remittunt, neque porro ad ordinarios beneficii, quoniam ipsi ad titulum beneficii non promoventur ; proinde unice spectare ad episcopos ordinarios eorum domicilii, nimirum illius diœcesis, ac loci, in quo ipsi ordinandi commorantur. Contra vero regulares Apostolicis privilegiis innixi, quæ certis ordinibus recentius elargita, ac deinceps per viam communicationis ad omnes extensa fuerant, licitum sibi esse contendebant sacros ordines a quocumque catholico antistite, juxta eorum privilegiorum tenorem pro arbitrio suscipere.

Item pro regularibus.

Verum cum felicis recordationis prædecessor noster Gregorius Papa XIII. per suam Apostolicam constitutionem, quæ incipit ; *In tanta rerum* : datam apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1573. Kalendis Martii, justis, gravibusque de causis, alteram constitutionem sui, nostrique pariter prædecessoris S. Pii Papæ V., cujus initium est : *Etsi Mendicantium* : ad juris communis, et sacri concilii Tridentini terminos reduxisset ; eodem quoque anno in causa monachorum ordinis Carthusiani decretum edidit, quo ipsos ab episcopis diœcesum, in quibus eorum monasteria respective sita sunt, vel nonnisi de istorum licentia ab aliis quibusque episcopis ordinandos esse declaravit, quemadmodum legitur in Lib. 1. decretorum congregationis Concilii pag. 75. a terg. dub. un. « Nostri ordinandi obligentur habere expressam licentiam Ordinarii, in cujus diœcesi sunt, pro ordinibus conferendis ab episcopo alterius diœcesis : Sanctissimus Dominus Noster etiam ex sententia sacræ congregationis concilii, declaravit, obligari. »

Privilegia regularium a Gregorio XIII. reducta ad terminos juris.

Decretum ejusdem de ordinationibus.

Contingit autem sub illius successore Sixto V. eamdem quæstionem retractari, instante universo ordine fratrum prædicatorum. Quæ de re idem prædecessor post maturum causæ totius examen in præfata congregatione concilii habitum, constituit, licere superioribus regularibus litteras dimissoriales concedere suis respective subditis, ad ordines suscipiendos ; sed eas tamen diœcesano duntaxat episcopo directas, nec alteri unquam, nisi cum forte is a diœcesi abfuerit, aut, quatenus in diœcesi existerit, clericorum tamen ordinationem non sit habiturus. Ita relatum habetur Lib. 5. prædictorum decretorum pag. 108. Sanctissimus Dominus noster Sixtus V. ex sententia congregationis, respondit, Regulares posse concedere dimissorias ad episcopum diœcesanum, eoque absente, vel etiam præsente, et ordinationem non tenente, ad quemcumque ; dummodo ab eo episcopo, qui ordines contulerit, examinentur quoad doctrinam. »

Quod a Sixto V. confirmatur, et declaratur.

Demum a sanctæ memoriæ prædecessore quoque nostro Clemente Papa VIII. ad hujusmodi controversias perpetuo extinguendas, sequens decretum editum fuit : « De mandato Sanctissimi Domini Nostri Clementis divina providentia Papæ VIII. tenore præsentium mandatur omnibus, et singulis quorumcumque regularium superioribus, ut de cætero observent, et observari faciant ea, quæ in decreto sacræ congregationibus concilii Tridentini continentur, cujus tenor est talis : *Congregatio Concilii censuit, superiores regulares posse suo subdito itidem regulari, qui præditus qualitatibus requisittis ordines suscipere voluerit, litteras dimissorias concedere, ad episcopum tamen diœcesanum, nempe illius monasterii, in cujus familia ab iis, ad quos pertinet, regularis positus fuerit, et si diœcesanus abfuerit, vel non esset habiturus ordinationes, ad quemcumque alium episcopum ; dum tamen ab eo episcopo, qui ordines contulerit, examinetur quoad doctrinam, et dum ipsi regulares non distulerint de industria concessionem dimissoriarum in id tempus, quo episcopus diœcesanus vel abfuturus, vel nullas esset habiturus ordinationes.*

Tum etiam latius a Clemente VIII.

*Verum, cum a superioribus regularibus, episcopo diœcesano absente, vel ordinationes non habente, litteræ dimissoriæ dabuntur, in eis utique hujusmodi causam absentiæ diœcesani episcopi, vel ordinationum ab eo non habendarum exprimendam esse. Quod qui non fecerint, officii, et dignitatis, seu administrationis, ac vocis activæ, et passivæ privationis, ac alias arbitrio ejusdem Sanctissimi Domini Nostri Papæ reservatas pœnas incurrant. In quorum fidem etc.*

Datum Romæ die 15. Mensis Martii 1596.

ntrover-
e utrinque
novantur.

Hoc emanato Pontificio decreto, eoque tam claris verbis concepto, jure sperandum videbatur hujus generis lites non amplius auditum iri, sed contra accidit, dum ex una parte nonnulli episcopi ultra montes constituti contendere cœperunt, necessarias esse regularibus dimissorias etiam Ordinariorum eorum originis, quo possent ab episcopis aliorum locorum ad sacros ordines promoveri; ex altera vero regulares, obtendentes in præfato Clementis VIII. decreto derogatum non fuisse Apostolicis privilegiis, quæ eorum ordinibus, sive directe, sive per communicationem indulta fuerunt, ut scilicet a quocumque catholico antistite ordinari possent, hujusmodi Decreti vim, et observantiam declinari se posse putarunt.

missoriæ
rdinario-
m origi-
a regu-
ribus non
quirendæ.

Verum, quod attinet ad episcopos, ipsa congregatio Concilii die 28. Februarii anni 1654., ut notatum reperitur Lib. XIX. ipsius decretorum pag. 316. ita rescripsit : « Regulares volentes se promoveri ad ordines non teneri ostendere dimissorias Ordinariorum propriæ originis, sed sufficere, ut observent formam præscriptam in decreto san. mem. Clementis VIII. » Quod etiam amplissime confirmatum fuit in alio decreto edito die 17. Martii annii 1674. decretorum lib. XXVIII. pag. 261. et sequentibus.

De privilegiis regularium judicium habitum sub Innocentio XIII.

Quod vero spectat ad regulares; cum eorum præsumptum jus una cum rationibus ab ipsis plenissime deductis, in quadam congregatione particulari nonnullorum sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium a felicis recordationis prædecessore nostro Innocentio Papæ XIII. deputata, cui nos in minoribus tunc existentes nostram qualemcumque operam, pro demandato nobis secretarii munere contulimus, diligenter expensum, et examinatum fuisset; cumque ad hujusmodi quæstionem definiendam id potissimum visum esset in jure statuendum, an ad effectum eximendi regulares a præfati decreti Clementini observantia sufficeret, quod privilegia suscipiendi ordines a quocumque, ipsis concessa fuissent post concilium Tridentinum, a quo hujusmodi antiqua privilegia abrogata fuisse satis constat; an vero oporteret eadem concessa fuisse post ipsum Clementis prædecessoris decretum : Ac præterea an hujusmodi privilegia æque suffragentur iis, ad quos per viam communicationis extensa dicerentur, ac iis, quibus directe, et expresse indulta fuerunt; Idem Innocentius prædecessor audito præfatæ congregationis particularis consilio, decrevit, satis esse, ad supradictum effectum, quod hujusmodi privilegia post concilium Tridentinum concessa fuerint, quamvis præfato Clementino decreto posteriora non sint; dummodo tamen directe concessa fuisse constet, non vero in communicatione privilegiorum de uno in alium ordinem derivata asserantur, quemadmodum ipse Innocentius in suis Apostolicis litteris, incipientibus : *Apostolici Ministerii*, die 30. Maii anni 1723. datis, ac deinde confirmatis a sanctæ memoriæ prædecessore pariter nostro Benedicto Papa XIII. per alias similes litteras datas die 23. Septembris anni 1724., quarum initium est; *In supremo*, aperte declaravit, his verbis : « Quoties ergo regulares ad ordines erunt promovendi, servetur omnino decretum congregationis cardinalium concilii Tridentini inter-

Quæstionis nodus.

Ab eodem Innocentio solvitur.

Particula ipsius litterarum.

pretum a piæ memoriæ Clemente VIII. prædecessore etiam nostro confirmatum die 15. Martii 1596. quo sancitur ad episcopum diœcesanum litteras dimissorias pro eorumdem ordinum susceptione a suis superioribus esse dirigendas, præterquam in casu, quo diœcesanus a diœcesi abesset, vel ordinationes non esset habiturus, quo etiam casu in litteris dimissoriis ad alium episcopum dirigendis expressa fieri debeat mentio, vel de prædicta episcopi diœcesani absentia, vel de illa alia causa, videlicet, quod ordinationes non sit habiturus ; exceptis tamen quoad prædicta regularibus illis, quibus per speciale privilegium a sede Apostolica post concilium Tridentinum fuerit concessum, ut a quolibet antistite ordines suscipere possint, super quo indulto nihil per præsentes innovare intendimus.

T ansgressiones ex legum ignorantia, et prava interpretatione.

Porro si aliqui vigilias, laboresque suos, non tam in extricandis inutilibus quæstionibus, vel forte in rebus profanis, et ab ecclesiastica professione addiscendis consumerent, quam in studio sacrarum legum, quibus ecclesiastica disciplina continetur, utiliter collocarent, ac nisi aliquibus arbitrium pro lege, præjudicata opinio pro ratione, atque in legum etiam clarissimarum interpretatione, suus cuique sensus pro auctoritate esset ; nec olim nobis in nostro Bononiensi archiepiscopatu residentibus contigisset, ut regularis quidem ex ea urbe repente digressus, suique superioris dimissorias ad episcopum finitimum deferens, tametsi nullo pacto docere posset, nos clericorum ordinationem non habituros, sacrum presbyteratus ordinem susciperet, nullaque interjecta mora Bononiam ad primum sacrificium non sine pompa offerendum reverteretur ; Quam tamen intolerandam audaciam nos ad canonicarum sanctionum rigorem exigere, atque etiam, servata pastorali mansuetudine, vindicare non prætermisimus, ut videre est in monito pastorali a nobis tunc edito, inter impress. monit. III. Lib. II. Neque rursus ex quo ad universalis ecclesiæ regimen, Deo sic disponente, assumpti fuimus, plurium episcoporum fratrum nostrorum querelæ ad Apostolatum nostrum delatæ fuissent ; qui nimirum non sine magno animi nostri dolore apud nos expostulare non desinunt, a pluribus sæpe regularibus in eorum diœcesibus respective commorantibus similia perpetrari in spretum ecclesiasticarum legum, atque pœnalium sanctionum, quibus ipso facto astringuntur (siquidem in authographo supra relati Clementini decreti distincte legitur : *incurrant* ; non autem, quod falso non nemo asseruit : *incurrent*) dum scilicet, superiores regulares, qui subditis suis non ad præscriptum ejusdem decreti dimissorias litteras concedunt, suorum officiorum ac dignitatum, et vocis activæ, atque passivæ amissione mulctantur ; ordinati vero suspensionis pœnam, atque etiam si in suscepto ordine ministraverint, irregularitatem incurrunt, ac denique antistites, qui ipsis manus imponunt, non facile effugiunt canonicas pœnas adversus eos propositas, qui alienos subditos absque sufficientibus dimissoriis ordinare præsumunt. Qui etiam plerumque culpa non vacant in eo, quod cum ex usu rerum intelligere possint, complures regulares non alia de causa, proprio domicilio relicto, iter arripere, quam ut se subducant examini episcopi diœcesani, cujus hac in re jurisdictionem, aut nimium rigorem perhorrescunt, aliumque inveniant, qui vel nullo vel admodum levi præmisso examine, ordines ipsis impertiatur ; quoties hujusmodi facilitate erga illos utuntur, toties adversus consultissima Tridentinæ synodi decreta delinquunt : Ea siquidem sess. XXIII. cap. XII. *de Reformat.* sic statuit : « Regulares quoque, nec in minori ætate, neque sine diligenti episcopi examine ordinentur, privilegiis quibuscumque quoad hoc penitus exclusis. »

Pœnæ, inobedie incurru

Nos autem consueta sedis Apostolicæ clementia uti volentes libenter abstinemus a designandis aut nominandis hoc

loco Regularibus, de quorum excessibus in hoc rerum genere graves episcoporum querimoniæ ad nos delatæ fuerunt. Quæcumque etiam hac in re inordinate ad hunc diem admissa sunt, a districtioris judicii inquisitione liberamus ; quin imo omnes, et singulos in hoc delinquentes, sive superiores regulares, sive regulares ad ordines promotos, sive antistites, qui eos ordinaverint a quibuscumque sententiis, censuris, et pœnis ecclesiasticis, quas hac de causa respective antehac incurrerint, quibusque innodati forsan existunt, auctoritatis nostræ plenitudine, ac de Apostolica benignitate tenore præsentium absolvimus, et absolutos esse et censeri decernimus, et cum iisdem super quacumque irregularitate per eos forsan, causa et occasione præmissis, quomodolibet contracta, ad omnes etiam sacros, et presbyteratus ordines, eorumque exercitium, atque ad omnia, et singula eorum respective religionum munera, pari auctoritatis plenitudine dispensamus. De cætero tamen infra scriptas leges in posterum omnino observandas, motu proprio, et ex certa scientia nostra, ac matura deliberatione præmissa edicimus, atque statuimus.

Quæcumque nimirum hac in re a præfatis prædecessoribus nostris Gregorio XIII., Sisto V., Clemente VIII., et Innocentio XIII. in supracitatis ipsorum litteris, seu decretis, statuta, mandata, definita, atque sancita fuerunt, ea omnia et singula motu, scientia, et potestatis plenitudine præfatis earumdem præsentium serie confirmamus, roboramus, et innovamus ; atque ab omnibus, ad quos spectat, seu quandocumque in futurum spectabit, inviolabiliter observari præcipimus, et jubemus. Transgressores quoque omnibus pœnis in præmissis contentis, aliisque per Apostolicas constitutiones, et per sacros canones latis, atque statutis cum effectu subjacere, easque ipso facto et absque aliqua declaratione incurrere decernimus ; superiores nimirum regulares eas omnes, quas, ut præfertur, supradictus Clemens VIII. prædeces. constituit, et sanxit : Regulares autem, qui contra illius decreti præscriptum promoti fuerint, et antistites eos promoventes, canonicas pœnas, atque censuras, quæ adversus sacram ordinationem suscipientes ab episcopo, qui propitius ad hunc effectum dici, et haberi nequit, necnon adversus episcopos, alienos subditos indebite ordinantes, in jure canonico, et in constitutionibus Apostolicis statutæ habentur.

Mandat in posterum exhiberi documenta superiorum per requisitis decreto Clem ntis VI.

Præterea volumus, atque decernimus, ut superiorum regularium dimissoriæ, quæ ideo ad alium antistitem directæ fuerint, propterea quod episcopus diœcesanus extra diœcesim commoretur ; vel ordinationem non sit habiturus, nullius sint roboris et momenti, nisi illis juncta fuerit authentica attestatio vicarii generalis, vel cancellarii, aut secretarii ejusdem episcopi diœcesani, ex qua constet, vel ipsum a diœcesi abesse, vel clericorum ordinationem habiturum non esse proximo legitimo tempore per ecclesiasticas leges ad hunc effectum statuto : Hoc enim expresse declarari opus est ad excludendam nonnullorum arrogantiam, qui cum privilegio gaudeant suscipiendi ordines extra tempora, existimarunt episcopos ipsorum voluntati adeo addictos esse debere, ut si, quandocumque ipsis placuisset ad ordines promoveri non statim, ipsoque die ab ipsis designato, voti compotes fierent, jam dici posset, ordinationem ab episcopo non haberi, proindeque alius episcopus pro suscipiendis ordinibus adeundus esset. Quod si aliquis antistes regularem virum, in sua diœcesi proprium domicilium non habentem solis ipsius superioris dimissorialibus litteris contentus sine adjuncta præfata attestatione in forma probanti, ad ordines promovere præsumpserit ; decernimus et declaramus hunc ipso facto incurrere in pœnas canonicas adversus eos constitutas ; qui alienum subditum legitimis dimissoriis destitutum ordinaverint.

Episcopi non arctantur privilegiis regularium de ordinibus suscipiendis extra tempora.

Quemadmodum vero eorum ordinum

Privilegia suscipiendi ordines a quocumque an et quibus suffragentur.

regularium privilegia firma, et rata esse volumus, quibus ab Apostolica sede reperitur indultum, ut eorum alumni a quolibet catholico antistite ipsius sedis gratiam, et communionem habente ordinari valeant; dummodo hujusmodi privilegia post Tridentinum concilium, et ab ipsis nominatim, atque directe, non autem per communicationem concessa fuerint; Ita porro omnia similia privilegia, quæ aliis ordinibus ante præfatum concilium Tridentinum, ab ipsa etiam Apostolica sede, et sub quibuscumque tenoribus, et formis, indulta sint, vel etiam post ipsum concilium non ipsis directe concessa, sed per communicationem ad eos extensa esse dicantur, iisdem auctoritate, et tenore, nulla et irrita, omnique vigore, ac robore; ad effectum de quo agitur, penitus destituta et vacua esse volumus, et statuimus: Decernentes hujusmodi privilegia nequaquam post concilium Tridentinum indulta censeri, nisi, vel post ipsius concilii confirmationem reipsa fuerint concessa, vel quatenus antea concessa, et posterius confirmata esse asserantur, hujusmodi confirmationes in forma specifica, cum litterali veteris indulti insertione, ejusque expressa innovatione, factæ dignoscantur; ac declarantes; alterius generis confirmationes, quæ in forma communi nuncupantur, nemini ad præmissum effectum ullo pacto suffragari. Quod vero spectat ad eorumdem privilegiorum usum, et exercitium, monendi sunt ii, quibus eadem, juxta præmissa, pleno jure competere dignoscuntur, ut sine justa causa, ne extra debitas circumstantias pro libito ipsis utantur; minime vero ad ostentandam duntaxat ipsorum privilegiorum singularitatem; quemadmodum aliquibus in more positum esse novimus, qui pridie illius diei, quo ab episcopo diœcesano clericorum ordinationes publice habendæ sunt, ad alterius episcopi diœcesim consulto migrant moxque suscepto ibidem ordinationis munere, ad pristinum domicilium redeunt, idque se facere aiunt, ut jurium suorum indemnitati consulant; quasi vero Apostolica privilegia, nonnisi cum aperto episcopi diœcesani contemptu, suam vim et robur habitura forent.

Quid observandum in eorum usu.

Denique tam Ven. fratres patriarchas, archiepiscopos, et episcopos, quam dilectos filios omnium regularium ordinum professores, quam maxime possumus Apostolicæ voluntatis studio, per misericordiam Dei nostri, et per charitatem sancti Spiritus hortamur in Domino, et obtestamur, ut tam in hoc negotio, quam in cæteris omnibus, solliciti sint unitatem spiritus, et sinceræ dilectionis concordiam servare. Meminerint regulares, quo loco Spiritus sanctus posuerit episcopos regere ecclesiam Dei; quod ipsis a sacrosancta œcumenica Lateranensi synodo sub Leone X. habita inculcatum fuit, per hæc verba: « Eosdem insuper Fratres in virtute sanctæ obedientiæ monemus, ut eosdem episcopos loco sanctorum Apostolorum subrogatos, pro debita et nostra, et Apostolicæ sedis reverentia, congruo honore, et congruenti observantia venerentur; » Neque obliviscantur episcopi, regulares viros ipsis datos esse adjutores in Dominicæ vineæ cultura; subdit enim eadem sancta synodus: « Ipsos quoque episcopos hortamur, ac per viscera Dei nostri requirimus, ut fratres ipsos affectu benevolo prosequentes charitative tractent, ac benigne foveant etc., et tanquam in agro Dominico cooperatores, eorumque laborum participes prompta benignitate recipiant: « Demum et episcopi, et regulares simul animum advertant ad id, quod ibidem subjicitur: » Una est regularium, et sæcularium, prælatorum, et subditorum, exemptorum, et non exemptorum universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur, eorumque omnium unus Dominus, una fides, et propterea eos, qui ejusdem sunt corporis, unius etiam esse voluntatis. »

Hæc profecto christianæ veritatis, et charitatis documenta cum utrinque ser-

vata fuerint, omnibus in rebus, adeoque in hac etiam ordinationum materia, importunæ partium querelæ penitus conticescent. Neque enim regulares conqueri poterunt, quod, recusantibus episcopis sacram ordinationem administrare, præterquam in temporibus ab Ecclesia statutis, eorum privilegia de ordinibus extra tempora suscipiendis effectu vacua remaneant ; episcopi enim alios etiam opportunos dies ordinandis regularibus facile invenient. Episcoporum autem cessabunt querelæ, quod superiores regulares, ad eludendam decreti Clementini observantiam, advenientibus ordinationum temporibus, subditos suos domicilio moveant, eosdemque statim post susceptos ordines, falsis de causis ad pristinum monasterium reverti jubeant (si quidem regulares hujusmodi agendi rationem, quam, et alias in foro externo graviter vindicatam fuisse, et in posterum districte coercendam fore noverint) tum a probi viri honestate, et fide alienam, tum etiam debitæ erga sacros ecclesiarum antistites observantiæ contrariam esse, ipsi per se facile cognoscent.

sulæ rvati- e.

Presentes vero nostras litteras, et in eis statuta quæcumque etiam ex eo, quod quilibet in præmissis, seu eorum aliquo, jus, vel interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ, vel dignitatis existant, sive alias specifica, vel individua mentione, et expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati et auditi, neque causæ propter quas eædem præsentes emanaverint, adductæ, verificatæ, vel sufficienter, aut ullo modo justificatæ fuerint aut ex alia qualibet, etiam quantumvis juridica, et privilegiata causa colore, prætextu, et capite, etiam in corpore juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensu, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, ac formali, ac substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari ; aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut etiam motu pari, et de Apostolicæ potestatis plenitudine simili concesso, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse : sed ipsas præsentes semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter, et inconcusse observari.

Aliter judicari prohibetur.

Sicque, et non aliter in præmissis censeri, atque ita per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere legatos, et apostolicæ sedis prædictæ nuntios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, ac potestate fungentes, et functuros ; sublata eis, et eorum cuilibet aliter judicandi et interpretandi facultate, judicari et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis plenissime derogatur.

Non obstantibus, quatenus opus sit, nostra, et cancellariæ Apostolicæ regula, de jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in universalibus, provincialibus, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, necnon quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, exemptionibus, et indultis, etiam in corpore juris clausis, aut litteris Apostolicis, quibusvis personis, collegiis, locis, ordinibus, etiam militaribus, congregationibus, societatibus, et institutis, aliisve quibuslibet specifica, et individua mentione dignis, etiam sub quibuscumque verborum tenoribus, et formis, et cum

quibusvis etiam clausulis et decretis, etiam derogatoriarum derogatoriis, et irritantibus, in genere vel in specie, etiam motu simili, et de Apostolicæ potestatis plenitudine, seu consistorialiter, ac alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, ac pluries confirmatis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua mentio, seu quævis alia expressio ad id servanda foret, illorum tenores, formas causas, et occasiones præsentibus pro plene, et sufficienter expressis et exactissime servatis, et specificatis respective habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat, ad præmissorum effectum plenissime, et amplissime, motu pari derogamus, et derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Publicationi præsentis constitutionis in Urbe tribuitur vis personalis intimationis omnibus factæ.

Volumus insuper, et eadem auctoritate prædicta mandamus, ut eædem præsentes, et in eis contenta quæcumque ad omnium notitiam facilius deducantur, ne quisquam de eis ignorantiam prætendere valeat, ipsas præsentes, seu earum transumpta, ad valvas ecclesiæ sancti Joannis, in Laterano, et basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, necnon cancellariæ Apostolicæ, curiæque generalis Innocentianæ in monte Citatorio, et in acie campi Floræ per aliquem ex cursoribus nostris, ut moris est, publicari, et affigi, sicque publicatas, et affixas, omnes, et singulos quos concernunt, seu concernent in futurum perinde afficere, et arctare, ac si unicuique illorum personaliter intimatæ et notificatæ fuissent.

Transumptis fidem præstari sancitur.

Utque earumdem præsentium transumptis, seu exemplis etiam impressis alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides, tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel extensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum confirmationis, approbationis, innovationis, voluntatis, mandati, statuti, decreti, declarationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Sanct na

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ 1746. 3. Kalendas Martii Pontificatus Nostri anno septimo. Dat. fic. die 2 17

*Pro D. Card Passionus.*

J. Datarius.

VISA DE CURIA. J. C. Boschi.
*J. B. Eugenius.* Loco Plumbi.

---

SS. D. N.

## BENEDICTI PAPÆ XIV.

## CONSTITUTIO.

*Qua ampliatur episcopis facultas impertiendi benedictionem cum indulgentia plenaria fidelium in mortis articulo constitutis, etiam per alios, tam in civitatibus, quam in diœcesibus ab ipsis subdelegatos.*

—

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Pia mater catholica ecclesia de æterna filiorum suorum salute inprimis sollicita, Eccle cura morit fidel

cum hanc intelligat ab extrema ipsorum mortis articulo potissimum pendere, nunquam prætermisit omnibus eos subsidiis pro hujusmodi temporis necessitate opportunis juvare, atque instruere, tam iis nimirum, quibus opus esset ad æterna præcavenda supplicia, quam quæ apta, et salubria forent ad evitandas pœnas temporibus definitas, quas in altera vita humanis plerumque spiritibus, etiam dimisso mortalis culpæ, æternæque pœnæ reatu, in purgatorio igne luendas manere non ignorat. Quamobrem, licet ex veteri simul, et recenti Ecclesiæ disciplina, graviorum quorumdam criminum absolutio Romano duntaxat Pontifici in universo christiano orbe, aliorum autem singulis ecclesiarum præsulibus in eorum diœcesibus reservata fuerit ; attamen adveniente unicuique fidelium supremo migrationis die, omnes hujusmodi absolutionum reservationes cèssare, et cuilibet sacerdoti liberam, et plenam facultatem esse quemcumque pœnitentem a quibuscumque peccatis et criminibus necnon ecclesiasticis sententiis, atque censuris absolvendi, provide declaratum fuit. Præterea cum in Ecclesia immensus, et inæstimabilis existat thesaurus spiritualis ex infinitis constans satisfactionibus passionis, et mortis Domini Nostri JESU CHRISTI, ac præterea, ex meritis, et satisfactionibus gloriosæ Virginis Genetricis Dei MARIÆ, omniumque sanctorum et electorum, cujus thesauri dispensationem salvator noster beato Petro Apostolorum principi, ejusque in perpetuum successoribus tradidit ; hoc semper summo studio curarunt prædecessores nostri Romani pontifices, ut illius divitias in moribundos fideles large diffunderent, et maxima omnium amplitudine, quæ indulgentia plenaria nuncupatur, cujusque impertiendæ jus in Apostolica sede unice residet, ipsis potissimum applicarent ; quam quidem in rem episcopis per ecclesias constitutis vices suas cum opportunis facultatibus delegarunt : ne ullus in orbe terrarum angulus esset, ubi catholicæ religionis professoribus hujusmodi adjumenti copia deesset pro extremo illo momento, quo ipsorum salutis causa in discrimen adducitur.

Hactenus hujusmodi facultas episcopis concedi consuevit, Pontificis nomine, et auctoritate per privatas epistolas ipsius secretarii Brevium secretorum, qui exposita Pontifici petitione pro parte cujusque episcopi, et pro spirituali utilitate ipsius subditorum ad se delata rescribere solebat petitam facultatem ab ipso Pontifice eidem indulgeri ad Triennium proximum ; hac tamen lege, ut ipse ea uteretur, nimirum benedictionem impertiret, et indulgentiam plenariam ægrotis in mortis articulo constitutis largiretur per seipsum immediate, vel, quatenus episcopum suffraganeum haberet ; per dominum suffraganeum suum : nec, si necessitate cogente, et quidem nocturno tempore alium sacerdotem in singulis peculiaribus casibus subdelegare posset : « Ubi vero præcisa necessitas exegerit, ac in simul noctis tempore duntaxat, idem permittit, ut alicui sacerdoti pio, per dominationem vestram qualibet vice eligendo, etc. communicare valeant. » Quo vero ad moniales, ordinarii etiam confessarii opera in eum finem uteretur.

Forma indultorum pro largitione indulgentiæ plenariæ in articulo mortis episcopis concedi solita.

Hanc porro facultatem, prout in hujusmodi litteris concedebatur, ecclesiarum pastores jam dudum judicarunt angustiis nimium limitibus circumscriptam ; non solum ob breve triennium spatium ipsius præfinitum, verum etiam quia propter relatas leges circa illius usum præscriptas ab hujusmodi indulgentiæ plenariæ beneficio excludi videbat plerosque fideles sibi subjectos, præsertim vero eos, quos extra ipsorum residentiæ locum, et in remotis diœcesum regionibus infirmari contingeret ; nec defuerunt instantiæ vicariorum capitularium, et vicariorum Apostolicorum, sicut etiam prælatorum inferiorum territorium separatum habentium, cum activa in clerum, et populum jurisdictione, qui eamdem facultatem episcopis concedi solitam, sibi quo-

Eorum ampliatio alias expedita fuit.

que tribui postularunt ; quibus de rebus actum fuit die 22. Novembris 1710. in congregatione S. R. E. cardinalium indulgentiis, et sacris reliquiis præposita, cujus consultoris officium in minoribus tunc constituti obtinebamus ; sed nihil tunc temporis est innovatum, resque in priori statu relicta fuit.

Congregatio Concilii in eumdem sensum devenit.

Cum vero deinceps alterum quoque munus secretarii congregationis decretorum concilii Tridentini interpretis nobis in minoribus pariter degentibus demandatum fuisset ; instante episcopo Mazariæ tunc existente, duo dubia eidem congregationi definienda proposuimus, unum videlicet, an stante dispositione præmissarum epistolarum secretarii Brevium, ut scilicet episcopus pro impertienda monialibus benedictione, et indulgentia plenaria eisdem in articulo mortis applicanda, earum confessarii opera uteretur, licitum sit episcopo monasterii claustra ingredi, ut hujusmodi pium opus per seipsum adimpleat ; alterum vero, quatenus id episcopo permittatur, an, et a quibus comitatus monasterium ingredi debeat ; super quibus perpenso folio a nobis pro hujusmodi quæstionum elucidatione de more exarato die 10. Maii annii 1737. responsum fuit, ad primum ; Licere episcopo, quoties voluerit ad impertiendam benedictionem moniali in mortis articulo constitutæ monasterium intrare : Ad secundum, Episcopo ad hunc effectum intra monasterii septa se conferenti comites esse deberi confessarium ordinarium ipsius monasterii, aliumque sacerdotem ipsius episcopi arbitrio eligendum. Rescripto autem additum fuit : *Et ad Dominum Secretarium cum Eminentissimo Secretario Brevium ;* quibus nimirum verbis nobis demandatum fuit, ut cum bonæ memoriæ cardinali Oliverio nuncupato, tunc Brevium secretorum prædecessoris nostri Benedicti Papæ XIII. secretario, ageremus, pro ampliatione facultatum in memoratis episcopis contentarum, quarum formulam a nobis in folio tunc eidem congregationi, ut præfertur, exhibito integre insertam, ipsa congragatio paulo arctioribus conclusam limitibus judicavit.

Neque porro omisimus injunctum nobis onus agendi cum præfato cardinali Brevium secretario quamprimum implere ; verum cum paulo post ab eodem Benedicto prædecessore in collegium S. R. E. cardinalium cooptati ad regendam episcopalem Anconitanam ecclesiam nos contulerimus, ex qua biennio post ad metropolitanam Bononiensem translati fuimus, non licuit nobis negotium istud ad optatum finem perducere. Interim vero quum non minus pro Anconitano, quam pro Bononiensi populo hujusmodi facultatem indulgentiæ plenariæ moribundis fidelibus impertiendæ ab Apostolica sede, ut par erat, expetitam juxta consuetam formam, ac superius enuntiatis limitibus circumscriptam obtinuissemus ; ipso statim usu, et propria experientia, in eas incidimus difficultates, quæ et anno 1710., ut præfertur, in congregatione sacris reliquiis, et indulgentiis præposita fuerant, quæque deinceps anno 1727. alteri congregationi cardinalium concilii Tridentini interpretum a nobis etiam pro secretarii munere, expositæ, causam dederunt memoratæ consultationi cum secretario Brevium introducendæ. Etenim tum in Anconitanæ, tum vero in amplioris Bononiensis ecclesiæ regimine, animadvertimus, ob interdictam nobis hujusmodi facultatis subdelegationem, omnes plerumque diœcesis habitatores hoc tanto spirituali beneficio summis suis temporibus orbatos manere ; et quidem cum irreparabili damno, deficientibus per diœcesim collegiis clericorum regularium ministrantium infirmis, quibus a felicis recordationis prædecessore nostro Alexandro Papa VII. per litteras diei 25. Januarii anni 1656. datas, et perpetuo valituras indultum fuit, ut Christi fidelibus in mortis articulo constitutis benedictionem cum indulgentia plenaria imper-

Pontif experi in epis lis offic minist ne

tiri valeant ; nec aliis extantibus cœnobiis regularium, quibus pro confratribus piarum quarumdam societatum ab eorum ordinibus institutarum similia indulta, et privilegia ab Apostolica sede concessa fuerunt. Quod vero spectat ad incolas ipsius civitatis, si quidem hæc, ut Bononia est, frequenti populo sit referta, cum facultas substituendi non aliter in præfata epistola tribuatur, quam in casu præcisæ necessitatis cum nocturno tempore conjuncto, cum magno animi nostri dolore experti sumus paternæ hujusmodi charitatis actus erga dilectos in Christo filios nostros, non ea assiduitate, qua cupiebamus, per nos ipsos præstari posse. Nam præterquam quod necesse habebamus nonnullis per annum mensibus a civitate abesse, ut, juxta præscriptum sacræ Tridentinæ synodi, si non totam, saltem aliquam illius amplæ diœcesis partem singulis annis coram invisendo, corrigendo, docendo, et sacramentum confirmationis visitatis plebibus ministrando, lustraremus ; jam in ipsa civitate degentes, nullam fere diurni temporis horam, vel a divinis rebus, vel a pastoralis officii occupationibus vacuam habebamus ; dum pro occurrentium negotiorum expeditione, nunc adeuntium postulationibus, nunc ministrorum relationibus, nunc congregationum consultationibus operam dare oportebat ; recurrentibus autem ordinationum temporibus, vel evenientibus ecclesiarum parochialium vacationibus, aut cessantibus confessariorum facultatibus, quas, ad nova de ipsis experimenta identidem capienda, nonnisi temporibus definitas iisdem concedere consuevimus, examina, atque concursus sine nobis haberi non permittebamus. Et sane, si quis episcopalis vitæ conditiones, ut vere se habent, considerare velit, facile agnoscet, majorum civitatum episcopos fere redactos esse ad hujusmodi benedictionis, et indulgentiæ beneficium aliquibus duntaxat personis vel genere, vel aliis qualitatibus conspicuis, et quidem instantibus, et postulantibus exhibendum ; pauperibus autem, et humilioribus ob præclusam sibi, extra necessitatis et noctis tempora, subdelegandi facultatem, vix unquam succurrere posse.

Episcopalia vitæ assidua occupatio.

Quod si satis momenti, et auctoritatis haberet sententia a nonnemine proposita, plenariam scilicet idulgentiam in mortis articulo concedendam non esse, nisi his, quorum eximia in Ecclesiam merita extitissent, ea nimirum de causa, quod cum pro hujusmodi indulgentiæ consecutione vel nullum omnino opus injungi, vel nonnisi morientis statui, et viribus accommodatum imponi possit, præterita duntaxat in Ecclesiam merita cum extrema præsenti necessitate conjuncta, locum suppleri possint aliorum operum, quæ cæteroquin ad plenariam indulgentiam adipiscendam præscribi solent ; nihil profecto esset, cur aliquid nunc a nobis innovando statueretur. Verum prædecessorum nostrorum hæc agendi ratio, relatæ opinioni contraria dignoscitur. Ut enim multas prætereamus concessiones indulgentiæ plenariæ morientibus fidelibus indistincte applicandæ ; quænam porro, et quam magna, in Ecclesiam promerita fuisse dicemus eorum, qui quatuor ab hinc sæculis pestifera lue per Angliam grassante ex hac vita decedebant ? quibus tamen omnibus, dummodo sacramentaliter confessi, et sacra communione refecti fuissent, prædecessores nostri Clemens Papa VI., et Gregorius Papa XI. benedictionem cum indulgentia plenaria per legatos suos impertiri non recusarunt. Sed et ipsa congregatio indulgentiis, et sacris reliquiis præposita jam usque ab anno 1675. die 22. Aprilis, re diligenter perpensa, censuit indulgentiæ plenariæ largitionem in eos etiam qui singularibus in Ecclesiam meritis nequaquam excellerent recte, et utiliter conferri, atque diffundi.

Objectum adversus frequentes concessiones indulgentiæ plenariæ in articulo mortis diluitur.

Quapropter Apostolicæ charitatis nostræ viscera dilatantes, et tam veteribus, quam recentioribus ecclesiasticæ benignitatis exemplis inhærentes : siquidem

Pontificis benignitas veteribus, et recentibus exemplis innititur.

extat illustre monumentum tertii Ecclesiæ sæculi in Epistola sancti Cypriani, quæ in novis editionibus impressa est numero 12. qua scilicet in eorum gratiam, qui libellos martyrum obtinuerant, et in mortis periculo versabantur ; cum ipse æstivis ardoribus præpediretur, quo minus, ut optaverat, ad eos reconciliandos sese conferre posset, permisit ut id, vice sua, a quocumque presbytero, aut etiam diacono præstari queat ; novissimis vero temporibus, ex secunda Mediolanensi provinciali synodo constat a felicis recordationis prædecessore nostro Gregorio Papa XIII. omnibus episcopis illius provinciæ concessum fuisse, non solum, ut ipsi benedictionem cum indulgentia plenaria moribundis fidelibus impertiri ; sed etiam, ut aliis hujusmodi facultatem libere subdelegare possent. His igitur, aliisque exemplis, necnon rationibus superius relatis permoti, hac nostra perpetuo valitura constitutione novas in hac materia regulas præfinire, quodque olim, ut præmisimus de alterius sententia deliberandum nobis Apostolicæ potestatis plenitudine absolvere, ac perficere constituimus.

Indulta ad Triennium concessa confirmantur et ampliantur ad vitam etc.

Itaque primum volumus atque decernimus, ut quæ facultates impertiendi benedictionem cum indulgentia plenaria fidelibus in mortis articulo constitutis, venerabilibus fratribus, patriarchis, primatibus, archiepiscopis, et episcopis nunc existentibus a nobis, vel a prædecessoribus nostris ad hunc diem concessæ reperiuntur, licet illæ in consuetis epistolis secretarii Brevium ad triennium duntaxat, vel alias ad definitum tempus indultæ fuerint, nihilominus præsentis nostræ constitutionis vigore eo usque in suo robore maneant, quoad iidem antitistes earum ecclesiarum atque diœcesum regimen obtinebunt, quarum favore, et intuitu easdem facultates a nobis, et ab apostolica sede impetrarunt. Nos enim eas ad omne tempus hujusmodi, motu proprio, et auctoritate præfata, atque earumdem præsentium litterarum serie extendimus et prorogamus.

Adjecta facultate subdelegandi in civitatibus, et diœcesibus etiam de die.

Utque præterea unusquisque ex antistibus præfatis, unum aut plures pios sacerdotes, sive sæculares, sive regulares, prout necessarium fore judicabunt, eorum civitatibus subdelegare valeant, qui, dum ipsi antistites aliquo legitimo impedimento detinebuntur, quamvis hujusmodi impedimentum diurno tempore occurrat, eorum vice, benedictionem hujusmodi cum indulgentiæ plenariæ applicatione Christi fidelibus in præfato articulo mortis constitutis impertiantur ; aliosque similiter per diœcesim sæculares, aut regulares sacerdotes, quotquot pro numero animarum in diœcesibus existentium necessarios judicaverint ad prædictum effectum deputare, et subdelegare possint, necnon eosdem a se deputatos, et subdelegatos removere, aliosque in eorum locum pro suo arbitrio, et prudentia subrogare valeant, iisdem motu, potestate, et tenore concedimus, et indulgemus.

Ampliora indulta in posterum concedentur per litteras Apostolicas.

Si vero aliquem ex antistibus nunc per ecclesias constitutis, et præfata facultate gaudentibus ad aliarum ecclesiarum regimen Apostolica auctoritate transferri contingat, sive aliquis eorum sit, quorum favore consuetæ litteræ secretarii Brevium ad hunc diem expeditæ non fuerint : ac denique cum novi episcopi catholicis gregibus in posterum præficientur ; volumus, atque statuimus, ut singulis eorum hujusmodi facultatem a nobis sive a Romano pro tempore pontifice postulantibus, Apostolicæ litteræ in forma Brevis gratis per omnia expediantur, quibus prædicta facultas ipsis concedatur, non ad triennium, sed ad omne tempus, quo adeptum semel ecclesiæ regimen obtinebunt ; adjecta etiam facultate subdelegandi tam pro civitate, quam pro diœcesi non quidem in casu duntaxat impedimenti cum nocturno tempore conjuncti, sed in omnibus, et per omnia ad normam eorum, quæ pro episcopis nunc existen-

tibus, et indulto hujusmodi actu gaudentibus, supra statuimus.

Etiam favore prælatorum interiorum jurisdictionem habentium.

Insuper pro prælatis inferioribus territorium separatum habentibus, cum vera qualitate nullius, et activa in clerum, et populum jurisdictione; quamvis prædecessores nostri hanc de præterito consuetudinem non habuerint, nihilominus de Apostolica liberalitate, ac simili motu, et tenore concedimus et indulgemus, ut, si ab ipsis hujusmodi facultas petita fuerit, similes litteras in forma Brevis in posterum singulis eorum expediantur, juxta eamdem formam, mutatis mutandis, quam pro episcopis constituimus; ne excepta quidem facultate subdelegandi, ut supra, dummodo ipsi prælati hanc gratiam postulantes, Apostolicis litteris nostris anno Incarnationis Dominicæ 1740. nono Kalend. Decembris datis, quarum initium est: *Quod Sancta*, impressis in bullario nostro tom. I. numer. 7., obtemperaverint, nimirum sacra Apostolorum limina præscriptis temporibus visitaverint, et relationem status ecclesiarum sibi subjectarum Apostolicæ sedi exhibuerint, vel quatenus prælationis honorem de novo accipiant, debitum juramentum in memorata constitution præscriptum antea præsterint.

Indulta non expirant morte pontificis.

Dum autem hujusmodi facultatem episcopis eam actu obtinentibus prorogavimus, et ampliavimus, ut præfertur: cæteris vero tam episcopis, quam prælatis inferioribus in posterum eas petentibus, supradicta forma, et amplitudine concedendum fore decernimus; sequitur, ut hujusmodi iudulta nequaquam morte concedentis expirent; cum jurisdictio delegata in iis, quæ non justitiam, sed gratiam concernunt, etiam post obitum

Nec subdelegationis per cessum, aut decessum subdelegantis.

delegantis manere debeat. Quoniam vero iisdem episcopis, et prælatis permittimus, ut hujusmodi facultatem pro incolarum civitatum, locorum, atque diœcesum opportunitate, et necessitate, uni, vel pluribus sacerdotibus in posterum subdelegare valeant; statuimus, atque decernimus hujusmodi subdelegationes per subdelegantis cessum, aut decessum similiter non expirare, sed potestatem ipsis tributam perseverare usque ad superventum novi præsulis, cujus arbitrio relinquimus eosdem in hujusmodi officio confirmare, vel ab eo removere. Atque ita quicumque antistes memoratam facultatem a Romano pontifice semel obtinuerit, eo decedente, opus non habet pro illius confirmatione ad Apostolicæ cathedræ successorem recurrere. Sicque etiam cedente, vel decedente episcopo, seu prælato, a quo eadem facultas in sua diœcesi aut territorio subdelegata fuerat, nova concessione opus non erit pro temporaneo vicariorum capitularium, aut Apostolicorum, regimine; cum subdelegatorum auctoritas semper manere debeat, quamdiu, vel episcopus ipse, aut prælatus, vel illius successor eamdem ipsis non ademerit.

Hac igitur ratione animarum saluti consulentes, quantum nobis in Domino licuit, piam consuetudinem applicandi plenariam pontificiam indulgentiam ecclesiæ filiis in mortis articulo constitutis ampliare, et faciliorem reddere curavimus. Permissaque venerabilibus fratribus, ac dilectis filiis, ecclesiarum episcopis, et præsulibus, facultate alios sacerdotes ad hunc effectum tam in civitatibus, quam in diœcesibus subdelegandi, non parum levaminis eorum anxietatibus, et sollicitudinibus per nos allatum esse putamus. Verumtamen ipsis declaratum volumus, non id propositum nobis fuisse, ut eos prorsus eximeremus ab hoc paternæ charitatis officio, per seipsos abeundi miseros ægrotos plenariæ absolutionis in extremo articulo adipiscendæ cupidos; sed ut eorum pietatem opportune juvaremus, ne, dum ipsi aliis pastoralibus curis detinentur, dolere debeant, commissos sibi fideles hoc tanto spirituali beneficio destitutos ex hac vita migrare. Qui vero pium hujusmodi opus per semetipsos exercere gaudent (quod sane omnes, quoties legitime impediti non fuerint, facturos esse confidimus) memi-

Monitum ad episcopos ut ad ægrotos personaliter accedant.

nerint, non id duntaxat erga nobiliores, et potentes hujus sæculi, sed erga pauperes quoque, et abjectæ sortis homines præstandum esse. Qua de re utiliter legi poterit prædecessoris nostri S. Gregorii Magni Homilia xxviii. in Evangelia ad cap. iv. Joannis : *Erat quidam Regulus cujus filius infirmabatur Capharnaum*, in qua mirabilem, atque cœlestem observat amantissimi redemptoris Nostri Jesu Christi agendi rationem, qui ad invisendum ægrotantem reguli filium invitatus ire abnuit, ad centurionis servum nec invitatus iturum se profitetur. « Quid est, quod regulus rogat, ut ad ejus filium veniat, et tamen venire recusat; ad servum vero centurionis non invitatur, et tamen se corporaliter ire pollicetur? Reguli filio per corporalem præsentiam non dignatur adesse; centurionis servo non dedignatur occurrere. »

Monita salutaria fidelibus inculcanda.

Ut autem indulgentiæ fructus a fidelibus in mortis articulo percipiatur, hoc sedulo agendum erit, ut populus in sacris concionibus, et catechesibus frequenter edoceatur, quod iis, qui gratiæ Dei, quam in baptismo acceperunt, ingrati, et per actualia peccata Spiritum sanctum contristaverunt, et templum Dei violare non sunt veriti, quantumvis æterna supplicia in pœnitentiæ sacramento condonata fuerint, nihilominus temporalis plerumque pœna divinæ justitiæ exolvenda superest, cujus remissio obtinenda est non solum per satisfactiones a sacerdote confessario in ipso pœnitentiæ sacramento pro mensura delicti impositas, aut per christianam tolerantiam earum adversitatum, a quibus mortalium vita immunis esse nequit; verum etiam per jejunia, eleemosynas, orationes, et alia pia spiritualis vitæ exercitia; alioquin verendum est, ne salutis remedia ab ecclesiæ benignitate fidelibus suppeditata, paulatim in pravæ libertatis, et licentiæ fomentum traherentur; compluribus sibi temere blandientibus de remissione tum sempiternæ pœnæ per sacramentalem absolutionem, tum temporalis, per indulgentiæ pontificiæ applicationem, in exitu vitæ impetrandæ; neque cogitantibus quam incertum sit omnibus non solum qua hora, et quo mortis genere ex hac vita migrandum sibi fuerit, sed etiam an indulgentiam, licet externo ritu sibi applicatam, cum effectu sint percepturi. Præpostera, æque ac periculosa antiquis Ecclesiæ temporibus inoleverat consuetudo, ut non pauci ex iis, qui ad baptismum nomina obtulerant ad finem usque vitæ ipsius sacramenti perceptionem prorogarent, quo scilicet interim ingenio libere indulgerent, ac demum cum e vita discessuri essent per salutare lavacrum ab omni culpa, et tam ab æterna, quam temporali pœna, soluti, ad cœleste regnum recta transferrentur; contra extant gravissimæ objurgationes sancti Gregorii Nazianzeni in Oratione XL., et sancti Joannis Chrysostomi in homilia i. *super Acta* : sed et ecclesia catholica pravam hujusmodi confidentiam improbare se declaravit, dum eos, qui in mortis periculo baptismum susceperant, si convaluissent, a sacris ordinibus, et ab officiis ecclesiasticis arcendo, ac perpetuo irregulares fore decrevit.

Religionis actus moribundis fidelibus insinuantur.

Et quoniam sacerdotibus, qui fideles in extremo agone laborantes pie adjuvant, vel ecclesiæ sacramenta illis ministrant, rituale Romanum injungit, ut si ægrotus indulgentiam plenariam legitima auctoritate concessam consequi valeat, eam illi in mentem reducant, proponantque quid ad eam consequendam agere debeat; ex his autem, qui ad hujusmodi statum redacti sunt, alii quidem cum plena cognitione integrum loquelæ usum retinent, alii vero loquendi facultatem amiserunt, licet antea sinceræ contritionis indicia dederint, eaque adhuc ratione utentes, identidem dare non desinant; Ideo, quo certius prædicti omnes indulgentiæ fructum consequi valeant, præfatis sacerdotibus mandamus, ut omni ratione studeant moribundos fideles excitare ad novos de admissis peccatis

doloris actus eliciendos, concipiendosque ferventissimæ in Deum charitatis affectus; præsertim vero ad ipsam mortem æquo, ac libenti animo de manu Domini suscipiendam. Hoc enim præcipue opus in hujusmodi articulo constitutis imponimus, et injungimus, quo se ad plenariæ indulgentiæ fructum consequendum præparent, atque disponant. Qua in re auctor nobis est sanctus doctor Augustinus, qui in Libro XIII. *de Civit. Dei* capit. 6. postquam horridam mortis speciem, eique renitentes hominum animos descripsit, quodque in aliis suis operibus non semel docuerat; mortem nimirum esse peccati originalis pœnam, ibi quoque asseruit et confirmavit; hæc ad rem nostram apposite subdit: « Quidquid tamen illud est in morientibus, quod cum gravi sensu adimit sensum, pie, fideliterque tolerando, auget meritum patientiæ, non aufert vocabulum pœnæ. Ita cum ex hominis primi perpetuata propagine procul dubio sit mors pœna nascentis: tamen, si proprietate justitiaque pendatur, fit gloria renascentis: et cum sit mors peccati retributio, aliquando impetrat, ut nihil retribuatur peccato. »

Præsertim acceptatio mortis tamquam opus pro indulgentiæ fructum.

Pro impertienda vero benedictione fidelibus in mortis articulo constitutis, applicandaque ipsis plenaria indulgentia, cum nulla certa formula olim præscripta foret, sanctæ memoriæ Prædecessor noster Benedictus Papa XIII. anno Domini 1726. pias quasdam preces, et orationes ad hunc effectum adhibendas publicari mandavit; quarum exemplo, in his, quæ opportuna judicamus, inhærentes, aliam de novo formulam, cum his, quæ in hac nostra constitutione præscripta sunt, magis congruentem confecimus, et instituimus, quam ab omnibus in posterum usurpari præcipimus; mandantes hoc ipsum inculcari, et injungi in Apostolicis litteris, quæ deinceps pro concessione prædictæ facultatis indulgentiæ plenariæ moribundis impertiendæ, ut præmisimus, expediendæ erunt.

Formula impertiendæ Benedictionis a pontifice constituitur.

Ac decernentes, ipsas præsentes litteras semper validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios effectus perpetuo sortiri et obtinere, atque iis ad quos spectat, seu spectabit in futurum, plenissime suffragari: non obstantibus Apostolicis, et in generalibus, seu provincialibus, aut synodalibus conciliis editis generalibus, seu specialibus constitutionibus, ac quibuscumque contrariis, etiam congregationum S. R. E. cardinalium decretis, et resolutionibus, etiam Apostolica auctoritate approbatis, roboratis, et pluries confirmatis; usibus quoque, stylibus, et consuetudinibus etiam immemorabilibus. Quibus omnibus, et singulis ad præmissorum effectum, motu, scientia, et potestate præfatis, amplissime derogamus, aliisque contrariis quibuscumque.

Clausulæ et derogationes.

Volumus autem, ut earumdem præsentium transumptis; sive exemplis etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem ubique fides habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Fides præstanda transumptis.

Formula igitur, quam pro impertienda benedictione, et plenaria indulgentia moribundis fidelibus applicanda, ut præfertur, in posterum adhibendam esse præscripsimus, talis est.

Tenor formulæ suprà nuntiatæ.

## MODUS

A SANCTISSIMO D. N.

## BENEDICTO PAPA XIV.

APPROBATUS

*Pro opportunitate temporis servandus, ut infra in Rubricis notatur ad impertiendam benedictionem in articulo mortis constitutis ab his, qui facultatem habent a sede Apostolica delegatam.*

Benedictio in articulo mortis cum soleat impertiri post sacramenta pœnitentiæ, eucharistiæ, et extremæ unctionis illis infirmis, qui vel illam petierint, dum sana mente, et integris sensibus erant, seu verisimiliter petiissent, vel dederint signa contritionis : impertienda iisdem est etiamsi postea linguæ, cæterorumque sensuum usu sint destituti, aut in delirium, vel amentiam inciderint. Excommunicatis voro, impœnitentibus, et qui in manifesto peccato mortali moriuntur, est omnino deneganda.

Habens prædictam facultatem ingrediendo cubiculum, ubi jacet infirmus dicat *Pax huic Domui*, etc. ac deinde ægrotum, cubiculum, et circumstantes aspergat aqua benedicta dicendo Antiphonam : *Asperges*, etc.

Quod si ægrotus voluerit confiteri, audiat illum, et absolvat. Si confessionem non petat, excitet illum ad eliciendum actum contritionis, de hujus benedictionis efficacia, ac virtute si tempus ferat, breviter admoneat, tum instruat, atque hortetur, ut morbi incommoda, ac dolores in anteactæ vitæ expiationem libenter perferat, Deoque sese paratum offerat ad ultro acceptandum quidquid ei placuerit, et mortem ipsam patienter obeundam in satisfactionem pœnarum, quas peccando promeruit. Tum piis ipsum verbis consoletur in spem erigens fore, ut ex divinæ munificentiæ largitate pœnarum remissionem, et vitam sit consecuturus æternam. Postea dicat.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum, et terram.

*Antiphona.* Ne reminiscaris Domine delicta famuli tui (vel ancillæ tuæ) neque vindictam sumas de peccatis ejus.

Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster, etc.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Salvum fac servum tuum (vel Ancillam tuam, et *sic deinceps*).

℟. Deus meus sperantem in te.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

Clementissime Deus Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui neminem vis perire in te credentem, atque sperantem, secundum multitudinem miserationum tuarum respice propitius famulum tuum N. quem tibi vera fides, et spes Christiana commendant. Visita eum in salutari tuo, et per Unigeniti tui passionem et mortem, omnium ei delictorum suorum remissionem, et veniam clementer indulge, ut ejus anima in hora exitus sui te judicem propitiatum inveniat, et in sanguine ejusdem filii tui ab omni macula abluta transire an vitam mereatur perpetuam. Per eumdem Christum Dominum Nostrum. *Tum dicto ab uno ex Clericis Astantibus.* Confiteor

etc. *Sacerdos dicat* Misereatur, etc. *Deinde.*

Dominus noster Jesus Christus filius Dei vivi, qui Beato Petro Apostolo suo dedit potestatem ligandi, atque solvendi, per suam piissimam misericordiam recipiat confessionem tuam, et restituat tibi stolam primam, quam in baptismate recepisti; Et ego facultate mihi ab Apostolica sede tributa indulgentiam plenariam, et remissionem omnium peccatorum tibi concedo. In nomine Patris, etc.

Per sacrosancta humanæ reparationis mysteria remittat tibi omnipotens Deus omnes præsentis, et futuræ vitæ pœnas, paradisi portas aperiat, et ad gaudia sempiterna perducat. Amen.

Benedicat te Omnipotens Deus, Pater, Filius, et Spiritus Sanctus. Amen.

Si vero infirmus sit adeo morti proximus ut neque confessionis generalis faciendæ, neque præmissarum precum recitandarum tempus suppetat, statim sacerdos ei benedictionem impertiatur.

Sanctio. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum confirmationis, prorogationis, ampliationis, et concessionis, mandatorum, statutorum, decretorum, ac derogationum infringere, vel ei ausu temeratio contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Maria Majorem anno Incarnationis Dominicæ 1747. Nonis Aprilis, Pontificatus Nostri anno septimo.

t. Pontific. anno VII. die Aprilis. 1747.

*D. Cardinalis Passioneus.*

J. Datarius.

VISA DE CURIA.

I. C. Boschi.

*J. B. Eugenius.*

Loco Plumbi.

## CONSTITUTIO

SS. D. N.

## BENEDICTI PAPÆ XIV.

*Qua certus ordo præscribitur, pro causis super nullitate professionis regularis nature discutiendis, et valide definiendis.*

—

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Procœmium. Si datam hominibus fidem frangere, conventionesque eas, quæ ab humanis legibus robur accipiunt, abrumpere, ac violare non licet, multo magis necesse est obligatum Deo mentis propositum immutabiliter servari: Nosque præsertim, utpote sacrarum legum custodes a Deo constitutos, oportet earum pactionum, quæ divino, et ecclesiastico jure indissolubiles sunt, perpetuam firmitatem, et observantiam asserere. Eam ob rem jam usque ab anno Incarnationis Dominicæ 1741. pontificatus nostri anno primo, Apostolicas litteras dedimus, incipientes: *Dei miseratione*, in Bullario Nostro deinde editas tom. I. num. 33. quibus certum præscripsimus ordinem, in tribunalibus ecclesiasticis servandum, cum in ipsis discuti et definiri deberent causæ, in quibus de nullitate alicujus matrimonii contracti ageretur; non eo quidem consilio, ut si quid forte matrimonium cum impedimento aliquo dirimente initum fuisset, de illius nullitate judicium postulari, aut fieri prohibere-

Methodus judiciorum a SS. præscripta in causis matrimonialibus.

mus; sed, ut in hoc gravissimo judicii genere, in quo de sacro connubiorum fœdere agitur, plenioris veritatis elucidationi consuleremus, utque judices non sine certissima cognitione omnium, quæ ad rem maxime conducunt, hujusmodi vinculum ex tot rationibus insolubile sententiis suis, tamquam irritum ab initio, dissolverent. Cujus quidem constitutionis utilitas, Deo favente, ad hunc diem aperte comprobatur; cum ex eo tempore, neque tot causæ super prætensa matrimoniorum nullitate in tribunalibus pendeant; nec tam frequenter, ut antea, nobis exhibeantur preces pro obtinendis dispensationibus super matrimonio rato, et consummato, dum scilicet ante omnium oculos propositæ sunt difficultates paulo quidem majores, sed omnino justæ, quæ, ex novo ordine a nobis statuto, cuilibet superandæ se offerrent, antequam optatum finem assequantur.

Ex iisdem rationibus statuit novum ordinem præscribere pro judiciis super nullitate professionem regularium.

Quemadmodum itaque pro matrimoniis carnalibus a nobis provisum fuit; ita nunc et spiritualibus animarum nexibus de religiosis videlicet utriusque sexus regularium professionibus pari ratione statuere decrevimus; nimirum certam normam, ac methodum tradere, quam observare debeant judices ecclesiastici, quoties judicia super nullitate professionum in aliquo ordine regulari a sede Apostolica approbato factarum, coram ipsis agitari contingat, neque id quidem ad hunc finem, ut aditus intercludatur iis, qui justis de causis hujusmodi actiones intentare velint, ac postulent professionem a se factam ex capite nullitatis irritam declatari; sed ut ipsi judices rerum veritatem in specie dignoscere, suasque sententias indubiis fundamentis innixas proferre valeant; ac ne unquam ex ignorantia factorum, aliquem decernant solutum vinculo, dum is forte valida solemnium votorum professione emissa, religioso ordini, cui nomen dedit, reipsa maneat astrictus. Qua ex methodo a nobis tradenda hunc fructum similiter obventurum speramus, ut et rariores in posterum in tribunalibus futuræ sint causæ super prætensa professionum nullitate: et qui deinceps hujusmodi nullitatis declarationem in foro externo obtinuerint, et consequenter a religione discesserint, non amplius anxia, aut male tuta conscientia vivant, ac propterea ad nos, aut ad officium pœnitentiariæ nostræ Apostolicæ, ut non semel evenisse novimus, confugere cogantur, occultato, ut moris est, in precibus nomine, fatentes sententiam super professionis nullitate pravis artibus extortam a se fuisse, decepto judice; vel per mendacia in facti expositione adhibita, vel per corruptos testes, ideoque flagitantes, ut ex gratia, et dispensatione Apostolica, facultas manendi in sæculo ipsis indulgeatur.

Ut autem ordinate procedamus, distinguendum initio est inter regulares illos, qui intra quinquennium a die factæ professionis de illius nullitate actionem promovent; et eos qui post elapsum quinquennium reclamant. Quod ad priores attinet, celebre est de illis decretum sacræ Tridentinæ synodi sess. xxv. *de Regular.* cap. 19. in hæc verba: « Quicumque regularis prætendat se per vim et metum ingressum esse religionem, aut etiam dicat ante ætatem debitam professum fuisse, aut quid simile, velitque habitum dimittere quacumque de causa, aut etiam cum habitu discedere sine licentia superiorum; non audiatur, nisi intra quinquennium tantum a die professionis, et tunc non aliter, nisi causas, quas prætenderit, deduxerit coram superiore suo, et Ordinario. » In quo sane decreto licet in littera virorum regularium duntaxat mentio fiat, nihilominus etiam feminæ religionem professæ comprehenduntur; cum, ex regulis juris masculinum genus etiam femininum includat, ubi una eademque causa pro feminis æque ac pro masculis militat. Quamvis autem decreti verba satis clara sint, variæ tamen quæstiones circa eorum sensum, ac vim excitatæ fuerunt.

Nonullæ quæstiones de quinquennio ad reclamandum concesso.

Cum etenim ibi sermo duntaxat sit de regulari professo, qui suam professionem nullam fuisse contendat : *Quicumque regularis prætendat se per vim, et metum ingressum esse religionem*, etc. nihil vero expresse statuatur de ipsa religione, cujus aliquando interest alicujus alumni sui professionem irritam declarari, ut si quis exempli causa comperiatur occultum aliquod impedimentum non revelasse de quo interrogatus fuerat, adjecta declaratione, quod, eo forsan existente, et non patefacto ipsius admissio a religione minime rata habenda foret, hinc dubitatum fuit, an in hujusmodi casu solus superior regularis sine Ordinario procedere posset, an vero etiam in hac facti specie discutienda esset causa coram regulari superiori simul, et ordinario loci. Super quo congregatio sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium ad ipsius concilii Tridentini interpretationem ab Apostolica sede deputatorum constanter decrevit, causas hujusmodi super nullitate professionis, tam a regulari professo, quam a religione intra quinquennium in judicium deductas, et a superiore regulari, et ab ordinario loci simul cognoscendas esse.

Cum item quinquennium, intra quod admittitur reclamatio adversus professionem, sancta synodus computandum voluerit *a die professionis* ; cumque potior, atque communis causa, quæ pro nullitate professionis adduci solet in metu consistat ; metus autem per totum quinquiennium, atque etiam ulterius, aliquando perseveret ; quæsitum fuit an ubi de metu agitur, initium quinquennii desumendum sit ab ipso die professionis emissæ, an vero a die, quo professus liberam reclamandi facultatem habere cœpit. Eadem vero Congregatio declaravit, in utroque pariter casu concessum quinquenniii tempus a die emissæ professionis esse computandum.

Ad idem pariter quinquennium pertinet alia agitata quæstio, an scilicet prædicti ordinarius, et superior regularis cognoscere possint causas nullitatis professionis etiam post ipsum quinquennium, ubi nempe professus intra illius decursum reclamaverit, sed judicium prosequi deinde neglexerit, aut nequiverit. Decretum est autem ab eadem Congregatione coram præfatis judicibus a Concilio memoratis agendam esse causam, etiam post elapsum quinquennium, dummodo satis constet, eam intra præscriptum tempus a reclamante serio intentatam fuisse.

Idem de judicibus a Tridentino designatis.

De ipsis autem judicibus pro hujusmodi causarum cognitione a sancta synodo designatis per ea verba : *coram superiore suo, et Ordinario* ; complures similiter motæ sunt quæstiones, quæ majori eorumdem verborum elucidationi causam dederunt. Et primo quæsitum fuit, quisnam censendus esset superior regularis in casu, et ad effectum de quo agitur, utrum scilicet provinciæ rector, an generalis ordinis moderator : Congregatio autem ejusdem concilii interpres definivit esse superiorem localem, nimirum abbatem, vel guardianum sive priorem, aut alio quocumque nomine nuncupatum præpositum, seu rectorem illius monasterii, aut cœnobii, in quo reclamans professionem emisit ; cum nempe, qui hujusmodi monasterii, aut cœnobii regimen exercet, quo tempore causa super nullitate professionis in judicium deducitur. Quæsitum item fuit, quisnam monialium proprius superior dicendus sit ad effectum judicandi una cum ordinario de eorum professionis nullitate. Responsum fuit, quòd si agatur de monialibus ordinario loci immediate subjectis, tunc, quum nullus sit earum superior regularis, solus ordinarius judicat de professione reclamantium intra quinquennium : Si vero moniales regularium regimini subsint, tunc hujusmodi causæ judicandæ sunt ab ordinario loci simul, et a superiore regulari ; ab eo nimirum, cui concreditum est universum monasterii regimen, non autem a confessario regulari monialium. Dubitatum

est etiam, utrum superior regularis jus suum cedere possit ordinario loci, eique permittere ut in hujusmodi causis solus procedat, et judicet; id autem prædicta congregatio fieri posse negavit; permisit tamen superiori regulari, ut si judicium assumere nolit, aut non possit, alium subrogare valeat, vel regularem, vel etiam ecclesiasticum sæcularem juris canonici peritum, qui una cum ordinario judicis partes exerceat. Denique quæsitum fuit, si forte Ordinarii, et superioris regularis judicia inter se discrepantia extiterint, quodnam ex ipsis alteri prævalere debeat. At in hoc casu responsum fuit, causam ipsam ad Apostolicæ sedis judicium devolutam censeri.

Quum vero inter capita nullitatis professionem regularem irritantia, unum etiam adnumeretur, si nempe aliquis professionem emiserit in cœnobio ad novitiorum institutionem minime destinato, in iis tamen locis, in quibus rec. mem. prædecessor noster Clemens Papa VIII. decreta de regularibus a se edita vim habere mandavit; si quis ex hoc capite professionem a se factam intra quinquennium impugnare voluerit, aut etiam si religio intra idem quinquennium postulaverit alicujus professionem ex hujusmodi capite irritam declarari; decretum extat a fel. record. Urbano Papa VIII. altero prædecessore nostro justis, gravibusque de causis, ac de concilio præfatæ congregationis concilii Tridentini interpretis, editum die 5. Januarii 1636. incipiens *Ad occurendum*, quo statutum fuit hujusmodi causas ad eamdem congregationem privative pertinere. Hæc sunt potiora in genera decreta ex regestis prælaudatæ congregationis excerpta, quæ licet alias a prædecessoribus nostris Romanis pontificibus Apostolica auctoritate non semel approbata fuerint et confirmata; nos tamen eadem præsentium litterarum tenore, atque auctoritate simili; novo approbationis et confirmationis nostræ robore communimus, atque ab omnibus, ad quos spectat, seu respective spectabit in posterum pro regula haberi, ac plenariæ executioni demandari præcipimus.

Quibus ita constitutis, firmataque pertinentia causarum, quæ intra quinquennium a die professionis emissæ adversus illius validitatem introducuntur; consequens est, ut et ea indicemus, quæ de ordine ac methodo in hujusmodi judiciis servanda, a majoribus sapienter constituta sunt, tum ea proferamus, quæ nos ipsi opportune addenda censuimus, quæque pari auctoritate, ac præsentium litterarum vigore perpetuis futuris temporibus servari volumus, et mandamus. Jam de ipsa hujusmodi causarum introductione notum est decretum ejusdem concilii Tridentini cit. sess. xxv. cap. 19. *de Regular.* « Ut si quis, antea, habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandum quamcumque causam admittatur, sed ad monasterium redire cogatur, et tamquam apostata puniatur : interim vero nullo privilegio suæ religionis juvetur. » Ex quo sequitur regularem postulantem judicium fieri de suæ professionis nullitate, ab ipso judicii limine repelli, nisi constet eum in religionis suæ claustris morari et habitum regularem resumpsisse, si ipsum antea deposuerit.

Judicium niti debet gorosis p bationibu et proce sibus, ju cialibus

De probationibus vero, licet non ignoremus, apud superiores regulares, ordinariosque locorum usu receptum fuisse, in re tanti momenti, judicia sua fundare in extrajudicialibus, atque attestationibus ; quantumvis juramento firmatis, quæ *ad perpetuam* dicuntur; hoc tamen de cætero usurpari prohibemus; volentes, atque districte mandantes, ut ad astruendas probationes in hujusmodi causis necessarias verus, et judicialis processus omnino conficiatur, in quo, et articuli exhibeantur ex parte illius qui adversus professionem agit; et interrogatoria dentur ab ea parte, quæ stat pro ipsius professionis validitate : et testes tam super articulis, quam juxta hujusmodi interrogatoria examinentur, utque hac forma non servata, processus ipse,

et sententia dependenter ab eo prolata, insanabili nullitatis vitio corruere censeantur ; salva etiam dispositione juris communis quoad alia nullitatis capita, si quæ forte in ipsa processus compilatione intervenerint.

Sub eadem pœna nullitatis decernimus, atque statuimus, ut in hoc judicio citari, aut audiri debeant tum defensores monasterii, seu cœnobii, in quo professus vota religiosa suscepit, tum ipsius professi consanguinei, sive propinqui, sive alii quibus bona sua donavit, aut cessit ; uno verbo omnes, quorum interest illius professionem sustineri ; inprimis autem ii citentur (si superstites fuerint) qui judicati erunt tamquam auctores, aut complices metus eidem incussi, ut votis invitus se obstringeret. Quemadmodum vero in citata constitutione nostra, quæ incipit, *Dei miseratione*, decrevimus, ut in singulis diœcesibus ab ordinario deputari deberet aliquis probitate, ac doctrina commendatus, cujus officium esset in causis matrimonialibus in judicio stare pro validitate matrimonii ; ita nunc omnibus et singulis locorum ordinariis committimus et mandamus, ut personam aliquam similibus qualitatibus præditam in suis respective diœcesibus eligant, cui *Defensoris professionum* munus imponant; utque huic omnia demandata, injuncta, et respective applicata esse censeantur quæcumque nos in præcitatis litteris de matrimonii defensore statuimus ; nos enim eadem omnia, præsentium tenore, ad hujusmodi professionum defensores expresse extendimus et respective applicamus, et quoad istos pari modo locum habere decernimus. Id solum peculiariter pro defensore professionis in præsentibus statuentes, ut scilicet quidquid pro ipsius honorario, aut mercede, sive pro expensis in defensione causæ occurrentibus eidem præstandum esse judex prudenter arbitratus fuerit, id omne ab illis exolvi debeat, quibus a professo renuntiata fuerunt bona in religionis ingressu dimissa ; si vero hi non existant, aut si professus nihil renuntiandum habuerit, ipsa religio, quatenus ex illis sit, quæ temporalia bona possident ad hujusmodi solutiones teneatur. Si autem nec adsint bona renuntiata, nec ordo regularis de quo agitur, quidquam possideat, tunc defensori professionis satisfiat ex pecuniis mulctarum illius tribunalis, in quo causa agitata fuerit, sive alterius, prout in aliis prædictis litteris nostris de matrimonii defensore statuimus.

Defensor professionis ex officio deputandus, juxta disposita pro defensore matrimonii.

Cujus expensis operam debeat.

Lata demum sententia a superiore regulari, et ab ordinario loci, si ea pro validitate professionis pronuntiata fuerit, neque professus appellationem interponat, causam finitam esse non dubitatur. Si vero professus ad judicem secundæ instantiæ appellaverit, vel etiam ulterius eadem causa retractanda fuerit, in omnibus hisce judiciis volumus similiter defensorem professionis ex officio deputatum intervenire, eodem prorsus modo, quo in citata constitutione decrevimus, defensorem matrimonii, in secunda et ulteriori instantia, judicio semper adesse ; Ac sicuti præterea statuimus hujusmodi defensoris partes esse a sententia judicis primæ instantiæ pro matrimonii nullitate lata ad ulterioris instantiæ judicem provocare ; et formam prosequendi judicium in ulterioribus hujusmodi instantiis præscripsimus ; ita porro volumus, ut defensor professionis a sententia in prima instantia pro nullitate professionis edita appellare omnino debeat ; atque in secunda, seu ulteriori hujusmodi causarum revisione, eadem omnia volumus observari, quæ pro causis matrimonialibus in eadem constitutione mandavimus.

Defensoris pareis eædem in ulterioribus instantiis.

Quemadmodum denique legitimas pœnas ibidem constituimus adversus eos, qui post unicam obtentam sententiam pro prioris matrimonii nullitate, sive pendente appellatione, sive ea per incuriam, aut fraudem defensoris non interposita, ausi fuissent novas nuptias contrahere ; atque decrevimus nemini licere

Unicæ sententiæ pro nullitate professionis prolatæ executio suspenditur

ad altera vota transire, nisi duæ saltem sententiæ conformes pro nullitate prioris matrimonii emanaverint ; ita si quis in ordine regulari professus post unicam sententiam favore nullitatis professionis pronuntiam, sive pendente, sive omissa culpabiliter appellatione, e claustris exire, a religione discedere, quodque magis est, habitum regularem abjicere præsumpserit ; volumus, atque statuimus, omnibus eum pœnis. atque censuris a sacris canonibus, et a constitutionibus Apostolicis contra apostatas latis, atque sancitis, subjacere, et obnoxium esse ; decernentes pariter in hujusmodi causis de professionis nullitate, liberum professo non esse a religione migrare ; nisi duas saltem obtinuerit sententias conformes, quibus ab eo emissa professio nulla, et irrita declarata fuerit.

Et primæ quidem instantiæ judices super validitate professionum, quæ intra quinquennium judicialiter impugnantur, ut supra dictum est, superior regularis, simulque ordinarius loci esse debent. Si vero eædem causæ in secunda, aut ulteriori instantia sunt discutiendæ, statuimus, inhærentes antiquis quibusdam sæpe dictæ congregationis cardinalium concilii Tridentini interpretum decretis, quæ pariter tenore præsentium approbamus et confirmamus, ut causæ hujusmodi ad eos judices devolvantur, ad quos de jure aliæ omnes causæ ecclesiasticæ post sententiam ordinarii in gradu appellationis respective devolvuntur ; ita tamen, ut hi quoque judices, sicuti ordinarius in prima instantia una cum superiore regulari processit, sic et ipsi procedere, et judicare debeant una cum superiore regulari, non quidem illius monasterii in quo reclamans professus est, sed alterius monasterii ejusdem ordinis in eorum civitate, aut diœcesi existentis, vel eo non extante, cum superiore vicinioris monasterii ejusdem pariter ordinis, seu cum alia persona ecclesiastica, cui juxta præmissa, superior ille, ad quem pertinet, suas vices ad hunc effectum delegaverit. Si autem hujusmodi causæ in secunda, aut ulteriori instantia ad sedem Apostolicam devolvantur, et a prædicta congregatione Concilii, sive ab altera super consultationibus episcoporum, et regularium, aut denique ab auditorio rotæ, ut respective assolet, discutiendæ fuerint ; nullus erit locus ad judicandum superiori regulari, qui neque tunc ad ferendam sententiam admittitur, quum ab eadem congregatione Concilii juxta relatum superius Urbani prædecessoris decretum, examinanda fuerit, etiam intra quinquennium, validitas professionis ex eo capite impugnatæ, quod facta fuisse asseratur in monasterio, aut cœnobio religionis tironibus instituendis minime addicto.

Non tamen quando causa cognoscitur, apud sedem Apostolicam.

Hactenus de judiciis super nullitate professionis, quæ intra quinquennium a die ipsius professionis emissæ introducuntur ; de quibus hoc etiam declarando decernimus, ut quæcumque in superioribus statuta sunt, ea omnia locum habere, et observari debeant etiam in curia S. R. E. cardinalis nostri et Romani pontificis pro tempore in Urbe ejusque districtu vicarii in spiritualibus generalis ; quoties hujusmodi causas intra idem quinquennium in ipsius tribunali ordinario judicandas esse contingat. Jam vero videndum est de ejusdem generis causis, quæ post elapsum quinquennium hujusmodi in judicium adducuntur.

Alter regularis superior ad judicandum assumendus.

Porro quum sancta Tridentina synodus, post quinque annos ab emissa professione transactos, omnem aditum ad reclamandum professis interclusum esse sanxisset per ea aperta verba superius relata : *Non audiatur, nisi intra quinquennium a die professionis ;* adeo inhærendum hujusmodi sanctionis litteræ duxerunt majores nostri, ut sub piæ mem. prædecessore nostro Gregorio Papa XIII. decretum fuerit, ac veluti pro regula statutum, nullius causæ introductionem super nullitate professionis, elapso quinquennio, admittendam esse ; etiamsi professio per vim, et metum

Post quinquennium omnis instantia adversus professionem olim rejecta.

facta diceretur, atque probari vellet, hujusmodi vim, et metum toto quinquennii tempore permansisse. Verba decreti die 5. Martii anni 1598. editi, quæ habentur *Decretorum congregationis Concilii* Tomo IX. fol. 55. hæc sunt : « Gregorius XIII. ex sententia congregationis Concilii declaravit, eos, qui per vim, et metum se religionem professos prætenderent, nisi intra quinquennium reclamaverint, eo elapso, non esse audiendos, tametsi allegarent, vim, et metum semper durasse. »

At vero procedentibus temporibus, non sine justis gravibusque causis, ut plane persuasum habemus, inductum fuit, ut admitterentur instantiæ pro *restitutione in integrum adversus lapsum quinquennii.*

A sola Apostolica sede concedenda restitutio in integrum.

De quibus tamen judicium facere ad Apostolicam sedem semper privative pertinuit sive ex parte professi, sive ex parte religionis instantiæ hujusmodi proponerentur, ac licet ipsa reclamatio ob impedimentum per totum quinquennium perseverans dilata fuisse diceretur. Hoc enim remedium restitutionis in integrum, extraordina rium in jure vocatur, cujus concedendi facultas judicibus inferioribus competere nequit, non obstante quacumque contraria consuetudine etiam immemorabili, aut quolibet asserto privilegio ; ut patet ex compluribus in eamdem sententiam decretis ejusdem congregationis concilii Tridentini interpretis, quæ recensitafuerunt in decreto edito die 24. Septembris anni 1740. in causa *Sicula restitutionis in integrum*, quod a nobismetipsis die 28. ejusdem mensis, et anni approbatum et confirmatum fuit, quodque iterum præsentium tenore approbamus, et confirmamus ; reservato nobis, et successoribus nostris Romanis pontificibus jure concedendi Ordinariis, et superioribus localibus in quibusdam peculiaribus casibus facultatem examinandi etiam causas restitutionis in integrum, ac super ipsis pronuntiandi, antequam ad sententiam ferendam super professionis validitate, aut nullitate deveniant ; ut non semel ex Apostolicæ sedis dispensatione factum fuisse non ignoramus.

Antiqua p xis conc dendi res tutiones i integrum

Hujus autem judicii methodus diversa quondam fuit ab ea, quæ in præsenti observatur. Antiquis enim temporibus, visa probabili ratione, seu fumo, ut aiunt, causarum restitutionis in integrum, ea ab Apostolica sede concedebatur, nimirum facultas indulgebatur reclamantibus adversus professionem, ut licet clapsum esset quinquennium, nihilominus de illius nullitate coram judicibus competentibus actionem promovere possent ; pro cujus judicii instructione deinceps a superiore regulari, et ab Ordinario loci legitimus conficiebatur processus, atque sententia super validitate, aut nullitate ferebatur. Quæ sane methodus si hoc etiam tempore in usu esset, oporteret nos eorum præcipue, quæ ad hujusmodi judicium consequentia sunt rationem habere ; ac providere, ne unius tantum sententiæ vigore professiones regulares dissolverentur. Sed alius hodierno tempore est ordo, qui in præfatis congregationibus, seu tribunalibus, pro concedenda restitutione in integrum adversus lapsum quinquennii observatur ; nam priusquam super eo quidquam decernatur, committitur Ordinario loci, et superiori regulari ut processum conficiant ; eoque demum transmisso, proponitur dubium super concessione restitutionis in integrum, idque non minus accurate, ac severe examinatur, ac si dubium propositum esset super ipsa validitate, aut nullitate professionis. Si autem petita in integrum restitutio concedatur, tunc Ordinario, et superiori locali committitur ut sententiam proferant super controversa professionis validitate. Sed quamvis in hujusmodi commissionibus plena ipsis relinquatur facultas judicandi sive pro validitate, sive pro nullitate professionis, prout ipsis justum visum fuerit, usu tamen compertum est, quod, quum iidem satis noverint quam

Sententia judicium c dinationur plerumqu conforme sunt judic super res tutione i intregrum

diligenti, et gravi judicio apud sedem Apostolicam discussæ fuerint causæ, propter quas restitutio in integrum concessa fuit; viso duntaxat hujusmodi concessionis rescripto, nec ulteriori instituto examine, ad ferendam pro nullitate professionis sententiam ut plurimum sine dubitatione procedunt.

Accuratum hujusmodi examen causarum restitutionis in integrum apud Romanæ curiæ judices in more positum, non modo non immutare intendimus, verum etiam approbatione nostra singulis, ad quos pertinet, magnopere commendatum ab ipsis in posterum observari volumus, ac jubemus; hoc tamen addito, ut in commissionibus, quæ diriguntur superioribus regularibus, et Ordinariis locorum pro conficiendis processibus, iisdem sub pœna nullitatis actuum injungatur, ut in omnibus procedere debeant cum interventu defensoris professionis; ad quem nimirum pertinebit interrogatoria dare, juxta quæ examinari debebunt testes, aliaque ad officium sibi impositum pertinentia diligentissime præstare. Item volumus, ut in ipsa propositione dubii super concessione restitutionis in integrum, tam in præfatis cardinalium congregationibus concilii Tridentini interpretationi, et episcoporum, ac regularium consultationibus præpositis, quam in auditorio rotæ, aut in quacumque congregatione peculiariter forsan deputata, sub simili nullitatis pœna, defensor professionis, ab eo, qui tribunalis caput est deputatus, expensis eorum, de quibus supra, semper et in omnibus actibus in judicio stare debeat; neque solum in prima hujusmodi dubii propositione, sed etiam in ulterioribus, quatenus reclamans in prima rejectus ad novam audientiam admittatur. Denique, ut pro fruendo beneficio restitutionis in integrum unica favorabilis resolutio nequaquam sufficiat, nisi ea per secundam conformem, iterato causæ examine, auditoque semper defensore professionis confirmata fuerit; quemadmodum in altera constitutione nostra præsentis initio allegata, de causis super nullitate matrimonii constituimus; Nos enim præsentium tenere decernimus, ac sub pœnis adversus apostatas sancitis districte prohibemus, ne quis sub clypeo unicæ resolutionis pro concessione restitutionis in integrum obtentæ, e religionis claustris migrare, multoque minus habitum regularem deponere audeat, seu præsumat: quum ad prædictas pœnas declinandas, et altera resolutio sub restitutione in integrum priori consentanea, et sententia super nullitate professionis a superiore regulari, et ab ordinario ferenda expectari omnino debeant; nec nisi per hujusmodi sententiam a prædictis judicibus, præviis duabus resolutionibus pro concessione restitutionis in integrum legitime latam, judicium absolutum censeri queat.

Quandiu reclamans in religione manere debeat.

Quæ omnia si ita observabuntur, ut a nobis constituta sunt, utque omnibus ab quos pertinet, ac pertinebit in posterum sedulo observanda, et implenda a nobis præscribuntur, et enixe inculcantur; profecto non dubitamus, quin multo rariores in posterum futuræ sint instantiæ et contentiones eorum, qui vel intra quinquennium a die professionis emissæ, vel etiam eo elapso, susceptum religiosæ vitæ institutum relinquere admittantur. Ad hoc autem certius obtinendum magnopere contulerit, si a superioribus quoque regularium ordinum in novitiorum admissionibus ea observabuntur, quæ et in eorum constitutionibus, et in decretis fel. record. Clementis Papæ VIII. prædecessoris nostri statuta sunt, quæque omnia ab ipsis plenissime observari et impleri, Nos pariter ipsis præcipimus ac jubemus; tum etiam si ipsi minus facile consensum suum præbebunt, ut admittantur ad professionem tyrones, sive qui ætatem quidem a Concilio præscriptam compleverint, at non ad eam pertingerint, quæ a constitutionibus ordinis statuta est, sive illi, qui licet annum novitiatus expleverint ad normam Concilii,

Præmissorum observantia injungitur omnibus, ad quos pertinet.

A superioribus regularibus observantia canonum, constitutionum, et regularum.

adhuc tamen ulterius in eo manere deberent, juxta præscriptum suarum peculiarium constitutionum, multoque magis ii, qui nec per integrum annum, sed per octo, aut sex menses duntaxat tirocinium posuerunt : ac demum si ipsi superiores haud se interponent, neque curabunt, ut professi ante legitimam ætatem ad ordines sacros promoveantur. Quæcumque enim, sive in sacris canonibus, aut pontificiis constitutionibus, sive in peculiaribus ordinum statutis, circa præmissa provide constituta sunt, non parum habent momenti ad religiosam vocationem in hominum cordibus stabiliendam, et ad cohibendam versatilem animorum mobilitatem, quæ ut plurimum aut sola, aut potissima causa est, qua professi adducuntur, ut vota, quibus obstricti sunt, irrita declarari cupiant. Neque vero Apostolica sedes ullas unquam dispensationes in præmissis concedere consuevit, nisi prævio assensu, aut etiam accedentibus precibus superiorum regularium, quibus nempe æquum et necessarium est fidem adhiberi in expositione causarum, quas urgere asserunt pro concedendis dispensationibus, quæ petuntur. Illud autem nullo modo ferri, aut probari potest, quod tamen apud plerosque invaluisse constat, ut scilicet reclamantibus adversus professionem sive intra quinquennium, sive post ejus decursum, superiores ipsi contradictores sese non exhibeant, aut etiam aperte suffragentur ; ex falsa nimirum opinione quod religiosorum virorum societate indignus censendus sit, quicumque ab ea discedere exoptat ; quotque ex inutili monacho, utilis fortasse clericus sæcularis existere possit. Nunquam enim licitum est justitiam deserere aut prodere, quæ jubet omni ratione sustineri actum adeo solemnem, et natura sua irrevocabilem, in quo perficiendo, una cum professo, ipsa quoque religio intervenit.

Utque religionis, et professionis defensionem non deserant,

Ad prædictum finem præterea quam maxime proderit, si et ecclesiastici præsules, et judices debitas officii sui partes explere non prætermittent. Ecclesiarum quidem præsules si anathemati subjectos declarabunt omnes, et singulos cujuscumque qualitatis conditionis, et dignitatis fuerint, qui Virgines, aut viduas, seu alias quascumque mulieres invitas, præterquam in casibus in jure expressis, coegerint ad ingrediendum monasterium, vel ad suscipiendum habitum cujuscumque religionis, vel ad emittendam professionem ; juxta sanctionem sacræ Tridentinæ synodi sess. xxv. ca. 18. *de Regul.* ubi etiam pares censuræ statuuntur adversus eos, qui in hujusmodi factis consilium, auxilium vel favorem dederint ; ac si omnes similiter, quotquot ausi fuerint compellere viros ad ingrediendam religionem, et ad vota profitenda, justis, gravibusque pœnis afficient. Judices vero, si falso ante omnia deposito præjudicio, quo nonnulli arbitrantur latissimam viam, quoad fieri potest aperiendam esse iis, qui inde migrare cupiunt, ubi invito animo commorantur, ad exactam justitiæ lancem expendent, et numerum et qualitatem testium, qui ad comprobandam nullitatem professionis inducuntur, et vim majorem a minori, metum gravem a levi, debilem a constantiori sexu, interclusam a permissa reclamandi facultate discernent, aliasque omnes circumstantias sedulo animadvertent, quæ in hoc toto rerum genere ab auctoribus considerari solent.

Episcopi procedant contra infe-rentes vim. et metum.

Judices omnia expendant ad normam juris.

Itaque prædictis omnibus, et singulis gravissime denuntiamus, districteque præcipimus, ut in cunctis quæ ad eorum officia pertinent, a justitiæ tramite, et a præscriptis sibi legibus ne minimum quidem discedant ; ac meminerint, omnium, quæcumque gesserint severissimam sibi rationem, tum apud divinum judicem, tum apud homines reddendam fore. Nos vero, si Deo placuerit valetudinem nobis cum vita servare, non parum operæ conferre intendimus, quo planius, atque facilius de causis hujus generis ab ipsis in posterum judicari valeat. Si quidem nobis propositum est cum

De variis quæstionibus in hac materia occurentibus examen instituetur.

consilio delectorum virorum in theologica, et canonica facultate præstantium nonnullas quæstiones accurate examinare, ac dirimere, quæ variis scriptorum opinionibus jactatæ, et varias species induentes, juxta diversas occurrentium casuum circumstantias ancipites, atque sollicitos detinere solent judicantium animos ; ut nobismetipsis in minoribus olim constitutis non semel evenisse meminimus, quum pro munere secretarii præfatæ congregationis cardinalium conc. Trid. interpretum, hujusmodi causas ad regulam juris exigendas præ manibus haberemus. Ejusmodi sunt exempli causa quæstiones : Utrum professio quamvis initio nulla fuerit, per subsequentes tamen actus convalidetur : quinam sint actus ex quibus hujusmodi convalidatio, seu ratificatio inducatur ; et quid momenti habeat ad hunc effectum susceptio sacrorum ordinum *titulo religiosæ paupertis*. Præterea si quis forte ante legitimam ætatem ignorans professionem emiserit, et in ea ignorantia per plures annos in religione permanserit, seque valide professum existimans, ea omnia, quæ professorum sunt una cum sociis præstiterit, an hic deinde intelligens, qua ætate vota emiserit, non obstantibus actibus veri professi a se gestis, adhuc præfatæ ignorantiæ præsidio, actionem habeat ad reclamandum adversus professionem a se factam : an vero talis ignorantia nihil eidem suffragetur, quo minus professionem initio nullam per subsequentes actus ratam habuisse censeatur. Item an professus, qui in professionis actu impedimentum aliquod, sive defectum occultavit, de quo interrogatus fuit, addita declaratione ad formam constitutionum, quo scilicet religio ipsum cum hujusmodi defectu, aut impedimento forsan occultato admittere non intendebat ; an inquam, talis professus, qui religioni dolum struxit, ejusmodi commodum ex propria fraude desumere possit : ut validitatem suæ professionis ex eo capite impugnare valeat. Denique, an ullam vim habere debeat in foro externo ad suadendam judici nullitatem professionis, quod reclamantes professi asserere sæpe non dubitant, se in proferendis religiosis votis, mentem servasse alienam a proposito se obligandi. Hæc omnia aliaque similia in hujusmodi judiciis frequenter occurrentia, et in utramque partem hactenus disputata, tum nostro, tum aliorum, quos, ut supra diximus, in consilium advocaturi sumus, diligenti studio, Deo adjuvante, explanare deliberaverimus.

Interim præsentes litteras, cum omnibus, et singulis in ipsis decretis, atque statutis firmas, validas et efficaces existere, ac perpetuo fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime et inviolabiliter observari volumus, et decernimus. Sicque, et non aliter per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, prædictasque S. R. E. cardinalium congregationes generales, et particulares, aliosque ejusdem. S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et S. sedis nuntios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, auctoritate, et potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, ubique judicari et definiri debere ; ac nullum, irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus, tam causarum forsan ad hunc diem introductarum pendentia, quas quidem causas, in quibuscumque statibus et terminis de præsenti reperiantur, juxta superius præscripta omnino tractari, judicari et definiri debere expresse decernimus : quam nostra, et cancellariæ Apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in universalibus, provincialibus, et synodalibus conciliis editis, generali-

bus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, decretis quoque, et resolutionibus a præfatis cardinalium congregationibus, sive ab auditorio rotæ prædicto, aut aliis quibuscumque judicibus, et tribunalibus alias forsan, et aliter factis, conditis et emanatis; necnon quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alio roboratis, statutis, privilegiis, exemptionibus, et indultis, etiam in corpore juris clausis, aut litteris apostolicis, quibusvis personis, collegiis, locis, ordinibus etiam militaribus, congregationibus, societatibus, et institutis, etiam societatis Jesu, et S. Jo. Jerosolymitani, aliisve quibuslibet specifica, et individua mentione dignis, etiam sub quibuscumque verborum tenoribus, et formis, et cum quibusvis etiam clausulis, et decretis, etiam derogatoriarum derogatoriis, et irritantibus in genere, vel in specie, etiam motu simili, et de Apostolicæ potestatis plenitudine, seu consistorialiter, ac alias quomodibet in contrarium præmissorum concessis, ac pluris confirmatis approbatis et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, et individua mentio, seu quævis alia expressio ad id servanda foret, illorum tenores, formas, causas et occasiones præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, et exactissime servatis, et specificatis respective habentes, illas alias in suo robore permansuris hac vice duntaxat, et ad præmissorum effectum plenissime, et amplissime motu pari derogamus, et derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Volumus insuper, et eadem auctoritate prædicta mandamus, ut eædem præsentes, et in eis contenta quæcumque ad omnium notitiam facilius deducantur, nec quisquam de eis ignorantiam prætendere valeat, ipsas præsentes, seu earum transumpta ad valvas ecclesiæ S. Joannis in Laterano, et basilicæ principis Apostolorum de Urbe, necnon cancellariæ Apostolicæ, curiæque generalis Innocentianæ in monte Citatorio, et in acie campi Floræ per aliquem ex cursoribus nostris, ut moris est, publicari, et affigi, sicque publicatæ, et affixæ, omnes et singulos, quos concernunt, seu concernent in futurum, perinde afficere et arctare, ac si unicuique illorum personaliter intimatæ, et notificatæ fuissent.

Utque earumdem præsentium transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publice subscriptis, ac sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum confirmationis, approbationis, voluntatis, mandatorum, statutorum decretorum et declarationum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ 1748. quarto nonas Martii Pontificatus Nostri anno octavo.

*D. Cardinalis Passioneus.*

J. Datarius.

VISA DE CURIA.

*J. B. Eugenius.*

I. C. Boschi.

Loco Plumbi.

CONSTITUTIO

SS. D. N.

## BENEDICTI PAPÆ XIV.

*Super designatione Confessariorum extraordinariorum pro Monialibus.*

—

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium. Pastoralis curæ nobis impositæ munus hanc, inter alias, sollicitudinem a nobis, ut pupillorum animis in afflictione, et angustia constitutis opportuna solatia, ac remedia afferre non negligamus, quorum ope interiorem conscientiæ tranquillitatem recuperare, aut conservare valeant, sine qua impossibile est debitam omnipotenti Deo servitutem alacri, et prompta affectione exhibere; Hujusmodi angoribus et afflictionibus, conflici passim constat religiosas mulieres in claustris degentes, quibus certus, et unicus sacramenti pœnitentiæ minister a monasterii prælato ad tres; ut minimum, annos designari solet, cui, si aliquando, præ pudore, vel alia quapiam de causa, non omnes conscientiæ suæ recessus aperire audeant, atque adeo confessionis integritati detrahere incipiant, in barathrum perditionis æternæ seipsas misere conjiciunt. Quod sane haud raro evenire, satis nobis exploratum, atque compertum est, tum ex iis, quæ in apostolicæ pœnitentiariæ officio tractari vidimus, dum olim in minoribus constituti plurium annorum spatio munus doctoris in decretis in eodem officio sustinuimus; tum etiam ex iis, quæ in episcopalis Anconitanæ primum, deinde in metropolitanæ Bononiensis ecclesiæ regimine frequenti usu cognovimus; tum demum ex his, quæ sæpius ad nos in Petri cathedra octavum jam annum, Dei miseratione residentes deferri contingit, sive ex parte diversarum hujusmodi monialium, quæ animarum suarum angustias paternis oculis nostris identidem subjicere coguntur, sive ex parte Ven. Fratr. nostrorum ecclesiarum Antistitum, qui nobis earumdem monialium in suis diœcesibus existentium calamitates, ex præallegata causa ortas, aut viva voce, aut per litteras non semel repræsentarunt, ac super ea re Apostolicæ providentiæ opem postularunt. Hinc est, quod nos earum rum specialibus indigentiis per hanc nostram perpetuo valituram constitutionem opportune prospicere volentes; non quidem intendimus consultissimam illam, et veteris disciplinæ auctoritate roboratam legem tollere, aut abrogare, qua generaliter statutum esse dignoscitur, ut pro singulis monialium monasteriis unus duntaxat confessarius deputetur, qui sacramentales confessiones universæ earum communitatis excipiat, neque liceat unicuique moniali peculiarem confessarium pro libito sibi deligere; sed hoc duntaxat nobis propositum est constituere, ut si quando generalis hujusmodi legis rigor, in peculiaribus casibus, non sine animarum detrimento, aut periculo servari posse videatur; in promptu sit opportunæ dispensationis et indulgentiæ remedia occurrentibus necessitatibus admovere.

Firma
nente
de u
confes
ordin

De ex
dinari
portu
decer
inf

Sane jamdudum S. Thom. Aquinas scholarum princeps Ecclesiæque doctor *in Supplemento tertiæ partis*, q. VIII. art. 4. *ad sextum*, sive *in quartum Sententiarum*, ex quo commentario desumptum est hujusmodi *Supplementum*, hoc superioribus monitum dedit, et subditis suis, quibus certum, et unicum confessarium designare solent, haud difficulter licentiam concedant confitendi peccata sua alteri sacerdoti; propterea quod

Senten
Tho
Aqui
pro co
sione
extr

multi infirmi, et imbecilles animo reperiuntur, qui potius eligerent sine sacramentali expiatione ex hac vita migrare, quam ipsa peccata certo alicui sacerdoti a superiore designato aperire. Jam vero sacrosancti conc. Trid. Patres hanc legem districte sanxerunt, sess. xxv. c. 10. *de Regul.* ut episcopi aliique monasteriorum prælati, subjectis sibi monialibus confessarium extraordinarium duabus, aut tribus vicibus in singulos annos exhibere debeant : per hæc verba : « Præter ordinarium autem confessorem, alius extraordinarius ab episcopo, aut aliis superioribus, bis, aut ter in anno offeratur, qui omnium confessiones audire debeat. » Quod quidem non alia de causa præscriptum fuit, quam quia satis constabat nonnullas aliquando moniales esse, quæ nulla ratione adduci possunt, ut aliquod peccatum suum ordinario confessario confiteantur ; adeo ut necesse omnino sit alterius confessarii copiam ipsis suppetere, ut apud hunc de peccatis suis integre, rite, atque utiliter confiteri possint. Id ipsum probe animadvertit magnus ecclesiæ Dei sacerdos S. Carolus Borromæus, qui prædicti conc. Trident. absolutionem ope sua plurimum juvit, ejusque executionem, et observantiam in sua Mediolanensi civitate, et provincia non sine immensis laboribus, et curis invexit ; is enim hac de re decrevit ; « Præterea superiores ex decreto sacri Tridentini concilii, quot annis idoneum confessorem extraordinarum monialibus sibi subjectis exhibeant, cui curent, ut universæ confiteantur, ut quæ hujusmodi indigent medicina propter aliquem occultum animæ morbum, neque ipsæ eam postulare, aut accipere ab usitato confessore unquam auderent, liberius mederi suis malis possint, ac diaboli laqueos evadere, una cum reliquis confessario novo sua peccata confitendo. » Uti legere est in *Actis ecclesiæ Mediolanem.* impressis anno 1599. pag. 53. in editione autem Lugdunensi tom. I. pag. 46.

Deputatio confess. extraord. favore monialium.

Porro quicumque conciliaris decreti sensus penitus introspexerit, non modo salutarem illius providentiam facile agnoscet, sed et circumspectam ejusdem æquitatem mirari debebit. Superioribus enim tantummodo injungitur, ut duabus, tribusve vicibus infra annum confessarium extraordinarium monialibus exhibeant, *bis, aut ter in anno offeratur ;* Hujusmodi autem confessarius jubetur earum omnium confessiones excipere quotquot eidem confiteri velint : *Qui omnium confessiones audire debeat.* Neque tamen omnibus, et singulis monialibus præcipitur, ut peccata sua extraordinario sacerdoti confiteantur. Nihil aliud enim requiritur ab omnibus in monasterio, tam, scilicet a superiorissa, cæterisque monialibus professis, atque novitiis, quam a sæcularibus, quæ vel educationis causa, vel alio titulo in eodem monasterio cum debitis facultatibus commorantur, nisi ut extraordinario confessario singulæ se sistant, sive ad sacramentalem confessionem apud ipsum, si placuerit, peragendam, sive ad salutaria monita, etiam extra sacramentalem confessionem ab ipso accipienda. Atque ita prudentissime consultum est, ne si moniales aliquæ extraordinarium confessarium adirent, aliæ autem coram ipso non comparerent, suscipiones, atque oblocutiones excitarentur, et illæ quidem censerentur necessarias habuisse causas, ob quas ad extraordinarii opem confugere coactæ essent ; aliæ vero ab hujusmodi necessitatibus, et causis immunes judicarentur. Quam agendi rationem communi doctorum calculo comprobatam san. mem. prædecessor noster Clemens Papa XI. edicto suo (quod est XV. in secunda parte ipsius Bullarii) inviolabiliter servari mandavit, eamdem omnium diœcesum consuetudo recepit. Nec aliud nobis hac in re addendum superest ; nisi, ut vener. fratres nostros ecclesiarum antistes enixe hortemur, ut quamvis Tridentina synodus de solis claustralibus monialibus in præmisso decreto loquatur, nihilomi-

Quæ solum tenentur singulæ coram eo se sistere.

Pontifex extendi cupit eadem regulam ad omnes mulierum communitates.

nus eamdem disciplinæ formam observent, tam cum aliis monialibus, quæ licet clausuræ legibus minime astrictæ sint, in communitate tamen vivunt, quam cum aliarum quarumcumque mulierum, aut puellarum cœtibus, seu conservatoriis, quoties tam illæ, quam istæ, unicum ordinarium pœnitentiæ ministrum a superioribus designatum habeant. Quæcumque enim circa moniales in rigorosa clausura viventes cavenda sunt, eadem in aliis quibuscumque mulieribus, sive regularibus, sive sæcularibus in communitate, aut collegio degentibus, locum habere possunt ; ideoque pari providentia, iisdem remediis arceri, aut emendari debent. Et nos quidem, quum hanc consuetudinem offerendi confessarios extraordinarios bis, aut ter in anno singulis tam monialium non claustralium communitatibus, quam piis aliarum puellarum, et mulierum cœtibus, et communitatibus in nostra civitate, et diœcesi Bononiensi induxerimus (qua de re extat edictum nostrum nu. 56. inter pastorales institutiones italico primum sermone a nobis vulgatas, deindeque in Latinum conversas) omnibus testari possumus, vel potius debemus, uberem spiritualium utilitatum messem nos inde evidenter collegisse.

Dubia quædam circa concilii decretum orta declarantur.

Quum vero super relati conciliaris textus intelligentia nonnullæ quæstiones alias excitatæ, eodemque jampridem per opportuna sedis Apostolicæ decreta definitæ fuerint, operæ pretium ducimus hujusmodi definitiones ab omnibus ad quos spectat, omnino tenendas, atque servandas, his nostris Apostolicis litteris complecti, et auctoritatis quoque nostræ robore communitas, in prædictorum omnium notitiam deducere. Et primo quæsitum fuit ad quem superiorem pertineat extraordinarium confessorem monialibus deputare atque offerre : Sed facilis fuit responsio, quam nos quoque decreto nostro ratam habemus : hujusmodi scilicet deputationem ad eum regulariter spectare, ad quem pertinet confessarii ordinarii electio et deputatio ; ideoque episcopus, sive ordinarius loci, qui monialibus sibi subjectis confessarium ordinarium dare consuevit, idem confessarium extraordinarium bis, aut ter in anno ad normam Tridentinæ sanctionis, eisdem offerre tenetur ; prælatus vero regularis, ad quem pertinet ordinarium confessarium subditis sibi monialibus, servata Apostolicarum constitutionum forma, designare et constituere ; ipse etiam eisdem extraordinarium confessarium in vim præfati decreti, et juxta easdem constitutiones, duobus, aut tribus per annum temporibus exhibere potest, ac debet. Quæ tamen ideo *regulariter* obtinere diximus : quia si episcopus aliquis (quod Deus avertat) adeo hac in re negligens esset, ut monialibus suis, bis, terve in anno extraordinarii confessarii copiam facere prætermitteret ; obtendens, ut moris est, nullam hac de re monialibus ipsis sollicitudinem, aut curam esse ; tunc volumus dil. fil. nostrum S. R. E. cardinalem modernum, et pro tempore existentem majorem pœnitentiarium, statim ac pro parte monialium hujusmodi requisitus fuerit, ordinarii pastoris negligentiam supplere debere, earumque monasterio extraordinarium confessarium ex eorum tamen numero, qui ad excipiendas moniales confessiones ab ipso Ordinario loci approbati fuerint, cum omnibus necessariis, et opportunis facultatibus concedere, et deputare. Quod si prælatus regularis eamdem Concilii legem de confessore extraordinario bis, aut ter in anno monialibus sibi subjectis exhibendo similiter implere neglexerit, tunc locus fiet decreto congregationis S. R. E. cardinalium ad ipsius Concilii interpretationem, et executionem auctoritate Apostolica deputatorum, quo scilicet eadem congregatio ad quæstionem ab episcopo Vercellensi propositam die 23. Augusti anni 1631. rescripsit, ut infra : « Episcopus Vercellen. supplicat sibi responderi, an deputatio confessarii extraordinarii monialium regularibus

subjectarum spectet ad Ordinarium loci : Sacra congregatio censuit ad episcopum non pertinere, nisi in casu negligentiæ eorumdem regularium ; » ut videre licet *Decret.* lib. XIV. pag. 493. Nec aliter respondit quæstionibus ab episcopis Belgii exhibitis, die 6. Aprilis anni 1647. ut legitur Decret. lib. XVIII. pag. 32. Quæ quidem rescripta, et decreta nos etiam præsentium tenore, et Apostolica auctoritate in omnibus, et per omnia approbamus et confirmamus.

niæ-
con-
i sint
sarii
ares
ordi
n.

Quum autem Tridentina synodus de universa quidem monialium communitate, ut supra decreverit, sed nihil de singulis monialibus statuerit, ut patet legenti textum citati capitis X. utque etiam jam usque ab anno 1585. judicatum fuit ab ipsa congregatione cardinalium Concilii interpretum, qui subsequens rescriptum quod extat Decr. lib. IV. pag. 90 : « Sacra etc. censuit, extraordinarium confessorem offerendum non alicui moniali singulariter, sed omnibus monialibus universe, ut omnium confessiones audire debeat ; in arbitrio tamen cujusque monialis esse, ut confessario extraordinario velit confiteri ; » Hinc ortum habuit alterum controversiæ, seu dubitationis caput ; an scilicet, ubi jam universæ communitati bis, terve infra annum confessarii extraordinarii copia facta est, et nihilominus aliqua monialis confessarium peculiarem extra ordinem sibi concedi petit, an inquam hujusmodi petitioni sit indulgendum. Id autem primo loco quæsitum fuit, proposito casu monialis graviter ægrotantis quæ in mortis periculo pro spirituali consolatione postulet alium sacerdotem qui tunc non sit ordinarius monasterii confessor suprema sibi ecclesiasticæ pietatis officia, et pœnitentiæ sacramentum ministrare. Huic annuendum facile esse, prædicta congregatio pluries judicavit, ut videre est ipsius Decr. lib. XVIII. p. 322. a tergo, sub die 6. Aprilis anni 1647, et eodem libro pag. 586. die Februarii anni 1649. quæ pariter decreta a nobis præsentium tenore approbantur et confirmantur ; ut scilicet episcopi subjectis sibi monialibus in gravi infirmitate constitutis, et id expetentibus, peculiarem confessarium concedere debeant ; iidemque etiam idipsum præstent erga moniales regularibus prælatis subjectas, quum aliqua ex illis a suo superiori regulari hujusmodi gratiam impetrare non potuerit. In hoc autem casu nihil statuitur de cardinali majore Pœnitentiario non ideo, quia nequeat is pro singulis monialibus idem facere, quod supra diximus eumdem pro toto monasterio facere posse ; sed quia tunc, ob temporis angustias, interclusa præsumitur via recurrendi ad ipsius officium. Quod si nihilominus ipsius adeundi tempus, et modus suppetat ; ad eum pertinebit eadem prorsus ratione, peculiaribus supplicantium necessitatibus providere, qua dictum est superius, universæ religiosæ communitati ab ipso consulendum esse.

n ca-
vis in-
tatis.

Quid in casu insuperabilis reluctantiæ adversus confessorem ordinarium.

Actum deinde fuit de peculiaribus quibusdam monialibus, quæ nec corpore infirmæ, nec morti proximæ, ordinario tamen ministro confiteri obfirmate recusant. Istarum quoque animi debilitas commiseranda est, et sublevanda ; adeoque, ubi earum reluctantia superari nequeat, confessarius extra ordinem deputandus est, qui earum confessiones peculiariter excipiat. Id vero circa moniales episcopo, sive Ordinario loci subjectas ab ipso Ordinario præstari debet. Quod autem ad illas pertinet, qui regulari regimini subsunt, ad regularem prælatum pertinet servatis servandis, peculiarem ipsis destinare confessarium ex approbatis ab Ordinario ad confessiones monialium ; vel si sacerdos ille, cui ejusmodi monialis confiteri cupit pro illis non sit approbatus cum ipso ordinario agendum erit, ut pro excipienda saltem illius monialis confessione, et pro tot vicibus quot expedire judicabitur, eumdem approbet. Sin autem contingat (neque id adeo rarum est) ut regularis superior ad concedendum hujusmodi confessarium extra-

ordinarium monali communem confessarium recusanti nullo pacto adduci possit; jam huic casui provisum est per decretum anno 1573. a prædicta congregatione Concilii editum, et a fel. recor. Gregorio Papa XIII. tunc Apostolicum Thronum obtinente approbatum, et confirmatum, quod nunc iterum confirmationis nostræ auctoritate roboramus. Decreti verba relata lib. I. *Decretorum ipsius congregationis pag.* 66. a tergo, hæc sunt « Monialis per aliquod tempus noluit confiteri confessariis regularibus. Dubitatum fuit, an episcopus Regiensis posset dare dictæ moniali confessorem alterius ordinis regularem, vel sæcularem, cui illa semel, vel pluris confiteatur peccata sua, et a quo absolvi possit. Sanctissimus Dominus Noster etiam ex sententia congregationis concilii, declaravit, dictum caput decimum ita esse intelligendum, ut etiam possit episcopus concedere confessarium alterius ordinis, vel sæcularem. » Præterea nihil obstat quominus ipsa monialis recursum habeat ad cardinalem majorem Pœnitentiarium, a quo ipsi providendum erit, ut supra dictum est, per deputationem confessarii ex approbatis ad moniales apud quem illa confiteatur.

Quid pro spirituali consolatione et profectu.

Quæsitum denique fuit de monialibus illis, quæ neque ægrotant, neque recusant ordinarium pœnitentiæ ministrum a monasterii prælato pro universa communitate deputatum; verum majori animi sui quiete, atque ulteriori in via Dei progressu facultatem petunt confitendi aliquoties sacerdoti ad excipiendas monialium confessiones jam approbato. Qua de re non semel nobis in minori statu degentibus accidit, ut cum aliquibus episcopis, aut regularibus monialium superioribus agere debuerimus. Porro in aliquos ex iis incidimus plus nimio severos, qui aspera quadam verborum brevitate respondebant, quod quum moniali postulanti libera fuisset facultas confitendi extraordinario sacerdoti, qui universæ communitati non semel eo anno jam datus fuerat, tunc oportebat eam conscientiæ suæ consuluisse : Quod si oblata commoditate uti noluerat, id sibi imputaret, neque pergeret superiori molestiam afferre, ut peculiarem confessarium extra ordinem ipsi concederet. Nobis autem objicientibus, monialem hujusmodi ad Apostolicæ pœnitentiariæ officium facile recursum habituram, ibique haud ægre impetraturam id, quod ab ipsis superioribus ei denegatum fuisset, iterum constanter respondebant extraordinarium hujusmodi confessarium post impletam ab ipsis erga universum monasterium Tridentini concilii legem, ab alio quidem concedi posse, sed a se nunquam concessum iri.

At vero neque tunc nobis arridebat, neque profecto nunc nobis placet rigida isthæc agendi ratio; Persuasum enim habebamus, adeoque habemus, non solum integræ communitati, sed singulis etiam monialibus indulgendum esse in iis rebus, quæ juste et rationabiliter petuntur, maxime, quum illæ ad earum conscientiæ quietem et securitatem conferre dignoscuntur. Neque sane hujusmodi postulationes, aut temere exaudiri, aut sine causa rejici debere censemus, sed inquirendum in primis esse de qualitatibus tum monialis, quæ confessarium extra ordinem petit, tum confessarii, qui ab ea requiritur; ut utrisque diligenter inspectis, deliberari possit, an illius votis annuendum sit, an non. Si enim monialis ex una parte nullum det adversæ suspicionis locum, ex altera vero confessarius non modo legitimam ordinarii approbationem, sed etiam commune probitatis testimonium pro se habeat, nullo modo probare possumus tam firmum hujusmodi prælatorum in renuendo propositum; nec intelligimus, cur post confessarium extraordinarium integræ communitati juxta legem conc. Trid. oblatum, nulla omnino monialibus singulis spes relinquatur obtinendi peculiarem confessarium, cujus consilio et opera justis fortasse de causis indigere se arbitrentur.

rancis-
Sale-
quater
no in-
gebat
raordi-
rium.

Non ita sane hac de re sentiebat sapientissimus ille animarum rector S. Franciscus Salesius, cujus doctrinæ summam ex illius operibus, tum editis, tum manuscriptis, collectam bon. mem. Jo : Petrus le Camus episcepus Bellocensis justo volumine complexus est, cui titulum fecit *Spiritus S. Francisci Salesii*. In hujus compendio quo ex Gallico in Italicum sermonem conversum Venetiis anno 1745. pro quarta vice typis editum est, parte XVII. c. vi. aperte legitur, quod, cum Beatus episcopus non ita intelligeret præmissum conc. Trid decretum, ut vetitum existimaret confessarium extraordinarium, pluribus etiam, quam tribus vicibus in anno, religiosæ communitati offerre, quæ quidem sententia plures habet suffragatores, quos refert Diana *in editione coordinata* t. VII. tr. i. res. 348. non solum solebat suis monialibus visitationis Beatæ Mariæ Virginis quater in anno, videlicet in singulis hebdomadis. Quatuor temporum confessarium extraordinarium deputare ; verum etiam earum respective superioribus commendatum reliquit, ut singulis monialibus, quæ non ex animi levitate, neque indiscreta affectionis singularitate, confessarium extraordinarium peculiariter peterent, haud se difficiles in eo concedendo præberent. Nec aliter se gerere consuevit Ven. mem. Gregorius cardinalis Barbadicus episcopus Patavinus. Is enim, ut testatur illius quondam vicarius generalis Joannes Clericatus in Tr. *de Pœnit.* dec. 41. n. 7. et Patrum Tridentinorum decretum quoad omnia monialium monasteria in sua civitate, et diœcesi existentia quotannis reipsa exequebatur, et nihilominus exorari se patiebatur a monialibus quæ aliquando rationabilibus de causis peculiarem pro se confessarium expeterent. Hujusmodi regulis, et exemplis nostram quoque agendi rationem in spirituali monialium regimine conformare curavimus ; maximumque utilitatis et quietis fructum nos inde percepisse cognovimus. Quapropter Ven. Fratr. eccle-

exclu-
t casus
uliaris
gentiæ
alium.

sdem
us fove-
Cardin.
badicus.

siarum antistites, atque dilectos Filios quarumcumque religiosarum mulierum rectores hortamur in Domino, et enixe monemus, ut eamdem viam, quoad fieri potest insistere non recusent, et non adeo difficiles se præbeant peculiaribus monialibus extraordinarium confessarium aliquando expetentibus ; quin potius nisi aut monialis postulantis, aut confessarii requisiti qualitas aliter faciendum suadeat, earum justis precibus obsecundare studeant ; illud cogitantes, quod etsi liberum sit cuilibet moniali cardinalem majorem pœnitentiarum adire, cui ea in re facultas cumulativa cum omnibus locorum ordinariis a Romano pontifice tribuitur ; nihilominus ea est aliquando necessitatis urgentia, ut remedium quod de longinquo petendum est, non satis tempestive adveniat. Et quamvis etiam quorumlibet negotiorum expeditiones, quæ in officio pœnitentiariæ Apostolicæ fiunt, ab omni vel minima pecuniæ solutione inviolabiliter sint immunes ; non omnibus tamen monialibus facile est invenire, qui earum negotia in urbe procurare velit, et possit.

Pontifex hortatur prælatos, ut justis monialium petitionibus benigne intendant.

Jam vero postrema superest quæstio, nimirum de qualitatibus confessarii extraordinarii, qui vel pro universa monialium communitate, vel pro aliqua moniali peculiariter deputari debeat. Porro nullo unquam tempore dubitatum fuit, an in hujusmodi sacerdote ætatis maturitas, morum integritas, prudentiæ lumen requiratur, quas quidem dotes in eo, qui ad hujusmodi munus adhibetur, necessarias esse, omnes fatentur. Sicut etiam minime dubitatur, quin idem ab ordinario specialiter pro monialibus approbatus esse debeat, quum hujusmodi approbatio ex Apostolicarum constitutionum lege omnino requiratur non solum in omnibus tam ordinariis, quam extraordinariis confessariis, qui monialibus etiam regularibus subjectis, ab earum respective superioribus deputantur ; sed etiam in iis, qui a cardinali majori pœnitentiario conceduntur etiam Apostolica

De qualitatibus confessarii extraordinarii in genere.

sede vacante, quo nimirum tempore amplioribus is pollet facultatibus, ut videre in nostra constitutione super. illius facultatibus edita, quæ est 95. in T. 1. Bullarii nostri, ubi paragrapho 54. eidem conceditur, ut, vacante Sede, « Monialibus confessarios extra ordinem valeat deputare, si eos ex aliqua rationabili causa potierint pro earum libitu inter approbatos ab Ordinario ad audiendas monialium confessiones eligendos. »

An semper deputatus debeat ex eo ordine cujus est monasterii prælatus.

Quamobrem ad id duntaxat redacta est controversia, an scilicet e clero sæculari an vero e regulari eligendus sit hujusmodi confessarius ; tum inter regulares an assumi possit ex quolibet alias permisso, an vero semper deputari debeat ex ipso ordine prælati regularis ad quem monasterii regimen spectat.

Quid de consuetudine

Sane pro monialibus episcopo immediate subjectis, regula est, ut ordinarius earum confessor sit sacerdos sæcularis ; extraordinarium vero ex ordinibus regularibus sæpissime assumi apud plerosque episcopos usu receptum esse constat ; deficiente forsan per singulas diœceses presbyterorum ad id muneris idoneorum copia. Regulares autem prælati monialibus sibi subjectis confessarium ordinarium designant e suo ipsorum ordine ; extraordinarium autem etiam ex alio ordine regulare deputare possunt juxta decretum a supradicta Congregatione editum die 26. Septembris anni 1593. ac relatum in lib. 8. Decr. p. 149. a tergo, ubi sic legitur : « Sacra etc. respondit, superiores regulares teneri offerre confessarium extraordinarium ejusdem ordinis, alterius vero ordinis posse quidem, sed non teneri. » Nunquam tamen, quod meminerimus, ullum sacerdotem sæcularem, aut diversi ordinis regularem, vidimus a regulari prælato monialibus sibi subjectis extraordinarium confessorem deputari. Denique quum aliquando evenire possit, ut in casu negligentiæ superioris regularis, ad episcopum, ut supra dictum est, pertineat deputatio confessarii extraordinarii, etiam pro monialibus regularium regimini subjectis, nulla ipse lege tenetur ad hujusmodi confessarium eligendum ex eo ordine, cujus est monasterii prælatus ; sed tali casu liberum est illi quemlibet idoneum presbyterum sæcularem, aut alterius ordinis regularem ad audiendas earum monialium confessiones deputare.

Regulares deputare possunt confessarios extraordinarios etiam ex alios ordine vel secularem.

At quum superioribus annis Apostolicæ sedi expositum fuisset pluribus de causis, iisque gravissimis, quas hic referre opus non est, non tam opportunum quam plane necessarium videri, ut monialium monasteria regularium regimini subjecta semel saltem in anno confessarium extraordinarium diversi ordinis regularem, aut e sæculari clero presbyterum haberent ; hujus rei examen, jubente fel. record. prædecessore nostro Innocentio Papa XIII. assumptum fuit a peculiari congregatione ex quinque tunc existentibus S. R. E. cardinalibus composita, cui nos tunc in minoribus constituti in secretarii munere operam præstabamus ; quæque per annum et ultra, singulis hebdomadis cogebatur, ad discutienda, et definienda complura ecclesiasticarum quæstionum capita, quæ deinde inserta sunt in Apostolicis litteris ab eodem Innocentio prædecessore editis die 13. Maii 1723. quarum initium est *Apostolici ministerii,* quæ etiam a san. mem. prædecessore quoque nostro Benedicto Papa XIII. in forma specifica confirmatæ fuerunt per alias similes litteras datas die 23. Septembris anni 1724.

Cum autem negotia, quæ in ea congregatione tractabantur, nullius privatas rationes attingerent, sed de restituenda potissimum Trid. concilii observantia in quibusdam catholici orbis regionibus, ut ferebatur, non parum labefactata, unice ageretur ; necessarium minime judicatum fuit, aliquem velut in judicium vocare ad deducenda jura, sique sibi adversus illa, quæ decernenda viderentur, competere forsan putaret. Sed nostra peculiaris cura erat, ad singula proposita capita totidem dissertationes, unicuique

ex præfatis cardinalibus exhibendas, elucubrare ; ad demonstranda videlicet fundamanta illius disciplinæ, quæ in usum revocanda censebatur. Nec aliter se res habuit, quum in eadem congregatione ut præfertur, in deliberationem venit, an decernendum foret, ut regulares monasteriorum prælati, una saltem ex tribus vicibus, quibus extraordinarium confessarium monialibus sibi subjectis in annos singulos exhibere debent, aliquem sæcularem, aut alterius ordinis regularem prebyterum ad id deputare tenerentur, utque ipsis hac in re deficientibus, liberum esset episcopis locorum Ordinariis eorum defectum supplere et emendare.

Verum quum regularibus innotuisset, a prædicta congregatione conditum esse decretum eorum intentioni contrarium, utpote, qui minime astringi volebant ad hujusmodi annuam deputationem confessorum extraordinariorum e clero sæculari vel ex aliis ordinibus ; nonnullarum religionum procuratores generales petierunt admitti ad deducendas rationes, quas hujusmodi decreto obstare putabant ; cumque id facile impetrassent, ac suam totiusque cœtus regularium causam per eximios illius temporis in Romana curia advocatos defendi curassent ; sed nihilominus prædicta cardinalium congregatio in priori sententia permansisset ; placuit præfato prædecessori Innocentio, antequam decretum hujusmodi approbatione sua confirmaret, aliorum cardinalium sententias audire. Itaque exclusis illis omnibus, qui ex ipsius Pontificis deputatione in præcedentibus sessionibus per annum integruum negotia discusserant ; aliisque advocatis cardinalibus, quibus exhiberi secreto fecerat conscriptarum allegationum exempla ; nobis etiam adesse jussis, qui rationum momenta a priori congregatione præ oculis habita, si opus esset, exponere possemus, novam cardinalium congregationem ex improviso coram se convocavit, in qua iterum proposita quæstio diligenter, ac nature discussa fuit ; ac demum ipse Pontifex de ipsius congregationis consilio, et assensu, super hac re decrevit, ut sequitur : « Cumque ex eodem concilio Tridentino confessor extraordinarius bis, aut ter in anno offerri monialibus debeat, qui omnium confessiones audiat, si in posterum superiores regulares, quoad monasteria ipsis subjecta, toties prædictum extraordinarium confessorem deputare neglexerint, vel si etiam ex proprio eorum ordine semper deputaverint, nec saltem semel in anno ad id munus elegerint sacerdotem aut sæcularem aut regularem alterius diversi ordinis professorem, in his casibus episcopi, pro sui arbitrio, et conscientia deputationem hujusmodi facere possint, nec illa quovis titulo, aut prætextu, a superioribus regularibus valeat impediri. » Perscriptum sane fuit hujusmodi decretum ea occasione, qua agebatur de restituenda in certis quibusdam regionibus ecclesiastica disciplina ad formam conc. Trid. verum ipsius decreti vigor ad eas dantaxat regiones minime restrictus fuit ; quum et animarum pericula, quæ ex perpetua confessorum ejusdem ordinis deputatione timebantur, in omnibus monasteriis regularium regimini subjectis locum habere possint ; et quæcumque adversus decretum ipsum adducta fuerunt, ex generalibus ordinum statutis, et ex constitutionibus monialium regularibus subjectarum fuerint desumpta. Cumque judicatum fuerit, ea omnia nequaquam obstare quo minus ita decerneretur ; sequitur, ut, quamvis eidem decreto causam dederint peculiarium quarumdam regionum necessitate Apostolicæ sedi eo tempore expositæ, illud tamen generale sit, et universos per orbem regulares monasteriorum monialium prælatos afficere debeat. Cum vero deinde alter laudatus prædecessor Benedictus XIII. Innocentii litteras in forma specifica confirmarit nobis constat illius mentem fuisse, ut hujusmodi decretum universalis, et inviolabilis legis vim obti-

Tenor resolutionis a pontifice tunc editæ.

Ea generalis est, et ubique observanda.

...ilominus hoc casu ...missi sunt ...gulares ad ...tradicendum.

...væ causæ a pont. ...dhibitæ.

neret. Super quo nihilominus, ne ulla apud aliquos supersit dubitatio ; nos ipsi præsentium litterarum vigore, ac motu proprio, et certa scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine ipsum relatum Innocentii prædecessoris decretum, statutum, mandatum, atque præceptum ad omnia per orbem ubique existentia, et regularium regimini subjecta monialium monasteria, quatenus opus sit, expresse extendentes et ampliantes ; decernimus, atque statuimus ut singulis annis, incipiendo a proximo millesimo septingentesimo quadragesimo nono a Nativitate Domini decurrendo, regulares monasteriorum prælati teneantur bis, aut ter in anno confessarium extraordinarium universis monialibus in iis degentibus offerre ; si vero ipsi forsan hujusmodi confessarii extraordinarii deputationes inter præscripta tempora omiserint, vel semper proprii ordinis regularem sacerdotem ad hunc effectum deputaverint ; ita nt præfatæ moniales semel saltem in anno confessarium extraordinarum e clero sæculari, aut ex ordine regulari non habeant, ad episcopos diœcesanos omni appellatione remota, devolvatur jus supplendi eorumdem prælatorum defectum, si nempe pensatis rerum circumstantiis, ita expediens esse judicaverint, per deputationem confessarii extraordinarii, quem tam in uno, quam in altero casu, aut e clero sæculari, aut ex alio regulari ordine pro ipsorum arbitrio deligere possint, et valeant.

Quo circa dilecto filio nostro S. R. E. cardinali moderno nostro, et pro tempore existenti Romani pontificis in Urbe ejusque districtu vicario in spiritualibus generali, earumdem præsentium tenore committimus, et mandamus, ut hæc nostra decreta, atque statuta, tum in omnibus ejusdem Almæ Urbis monasteriis, quæ regularium regimini subsunt, quam in aliis quibuscumque regularium, aut sæcularium mulierum, aut puellarum domibus, seu collegiis, atque conservatoriis, quibus unicus ordinarius confessor a superioribus deputari solet in omnibus, et per omnia juxta earumdem litterarum præscriptum, exactissime observari, et adimpleri faciat ; ne forte audiri contingat, quod cum magna animi nostri molestia dictum aliquando esse cognovimus, Apostolicas constitutiones Romæ quidem ferri et publicari, sed eas nimine in ipsa Urbe ad effectum perduci.

Eamdem porro curam et sollicitudinem injungimus, et demandamus Ven. Fratr. patriarchis, primatibus, archiepiscopis, et episcopis per omnes universi orbis ecclesias constitutis, quibus ut satis perspectum putamus voluntatis nostræ studium, tam in eorum rationabilibus querelis, justissimisque petitionibus suscipiendis, quam in corruptelis, quas irrepsisse judicaverint eliminandis, idque non ex ingenio nostro quidquam statuendo, nec peregrinas novitates inducendo, sed veteres, ut plurimum leges et regulas, vigili prædecessorum nostrorum providentia jam pridem constitutas, in pristinum, debitumque vigorem, et usum revocando ; ita eosdem meminisse volumus, proprium zeli pastoris officium non in eo situm esse, ut adversus ea, quæ contra leges fiunt, inutiliter deplorando, declament ; sed ut illa de medio tollere curent, adhibitis opportunis remediis in eum finem jam præstitutis, implorato etiam Apostolicæ sedis auxilio, ubi impedimentum aliquod eorum auctoritati, et legum executioni afferri contingat, omnesque diligentias et curas, quas corrigendis abusibus ipsi fideliter impenderint, in irritum cedere videant.

Dura confess extrao narii n re, ordi confes munus se

Quoniam vero tam in superius allegato Clementis XI. edicto, quam in synodalibus plurium episcoporum constitutionibus statutum esse conspicimus, ut quo tempore extraordinarius confessor alicui communitati deputatus ministerio suo fungitur, ordinarius confessor nullum ipsi impedimentum afferre audeat, multoque minus præsumat per id temporis alicujus monialis, sive superiorissæ, sive novitiæ, sive conversæ, neque

demum alterius cujuscumque personæ intra septa monasterii, aut piæ domus commorantis sacramentalem confessionem audire; Nos id quoque approbatione nostra roborantes, et confirmantes, statuimus et mandamus, ut episcopi quidem, si de monasteriis, aut domibus eorum regimi subjectis agatur, regulares autem superiores, quod ad illas communitates attinet, quibus ipsi præsunt, pro hujusmodi legis implemento advigilent, et contravenientes meritis pœnis coerceant, et afficiant.

traordi-
ius vero
leto offi-
se abs-
at etiam
accessu
claustra.

Ac demum quibuscumque confessariis extraordinariis, qui vel alicui communitati generaliter, vel peculiariter alicui personæ in monasterio degenti, concessi, ac deputati fuerint, districte inhibemus, sub pœnis adversus accedentes ad monasteria monialium, et cum ipsis conservantes, præsertim regulares a prædecessoribus nostris quandocumque statutis (quas etiam præsentium vigore confirmamus et innovamus) ne, postquam suum officium impleverint, ad idem monasterium ulterius accedere, aut ullius generis commercium intra ipsum quomodocumque continuare et fovere, etiam sub spiritualis causæ, aut necessitatis obtentu, et colore, audeant, aut præsumant.

Decernentes, ipsas præsentes litteras, atque omnia, et singula in eis statuta, etiamsi quicumque in iisdem interesse habentes, seu habere prætendentes, ad id vocati, et auditi non fuerint, nec præmissis consenserint, aut alterius cujuscumque generis defectus forsan adversus eas objiciantur semper, et perpetuo valida, et efficacia esse, et fore, et ab omnibus ad quos spectat, atque in futurum spectabit, inviolabiliter etiam perpetuo observari. Sicque, et non aliter in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii auditores, et S. R. E. cardinalium congregationes ordinarias, atque peculiariter deputatas, aliosque cardinales etiam de latere legatos, ac vice-legatos et Apostolicæ sedis nuntios, judicari et definiri debere; sublata eis, et eorum cuilibet, aliter judicandi, definiendi, et interpretandi facultate et auctoritate; atque irritum, et inane decernentes quidquid secus a quoquam scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus quibuscumque etiam Apostolicis ac in universalibus, provincialibus, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, necnon quarumcumque ecclesiarum, et ordinum regularium, seu congregationum aut societatum, et institutorum, etiam S. Joannis Jerosolymitani, aliorumque militarium ordinum, seu monasteriorum virorum, aut monialium, aliarumque piarum domuum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, usibus, et consuetudinibus, etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, exemptionibus et indultis, etiam in corpore juris clausis aut litteris Apostolicis, cuilibet præmissorum, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, etiam hic de necessitate exprimendis, ac cum quibusvis clausulis, et decretis etiam irritantibus in genere, vel in specie, et derogatoriarum derogatoriis, quomodolibet in contrarium concessis, ac pluries confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, et singulis, hac vice duntaxat, et ad præmissorum effectum, illis alias in suo robore permansuris, de Apostolicæ potestatis plenitudine derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Volumus demum, ut earumdem præsentium transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides, tam in judicio, quam extra illud, ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum confirmationis, approbationis, innovationis, voluntatis,

mandati, statuti, decreti, et declarationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. Pontif. anno 8. die. 5. augusti 1748.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ 1748. nonis Augusti Pontificatus Nostri anno octavo.

*D. Cardinalis Passioneus.*

J. Datarius.

VISA DE CURIA.
J. C. Boschi.

*J. B. Eugenius.*

Loco Plumbi.

---

## BULLA APOSTOLICA

## LEONIS PAPÆ X.

*Contra errores Martini Lutheri et sequacium.*

—

LEO EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exsurge Domine, et judica causam tuam, memor esto improperiorum tuorum, eorum, quæ ab insipientibus fiunt tota die : inclina aurem tuam ad preces nostras ; quoniam surrexerunt vulpes quærentes demoliri vineam cujus tu torcular calcasti solus, et adscensurus ad patrem, ejus curam, regimen, ad administrationem Petro tanquam capiti et tuo vicario ejusque successoribus instar triumphantis Ecclesiæ commisisti. Exterminare nititur eam aper de silva, et singularis ferus depascitur eam.

Exsurge Petre, et pro pastorali cura præfata, tibi ut præfertur, divinitus demandata, intende in causam sanctæ Romanæ Ecclesiæ, matris omnium ecclesiarum, ac fidei magistræ, quam, tu jubente Deo tuo sanguine consecrasti contra quam, sicut tu præmonere dignatus es, insurgunt magistri mendaces, introducentes sectas perditionis sibi celerem interitum superducentes : quorum lingua ignis est, inquietum malum ; plena veneno mortifero : qui zelum amarum habentes et contentiones in cordibus suis, gloriantur, et mendaces sunt adversus veritatem. Exsurge, tu quoque quæsumus; Paule, qui eam tua doctrina ac pari martyrio illuminasti atque illustrati. Jam enim surgit novus Porphyrius : quia sicut ille olim sanctos apostolos injuste momordit, ita hic sanctos pontifices prædecessores nostros contra tuam doctrinam, eos non obsecrando sed increpando ; mordere, lacerare, ac ubi causæ suæ diffidit ad convicia accedere non veretur : more hæreticorum, quorum, ut inquit Hieronymus, ultimum præsidium est, cum conspiciant causas damnatum iri, incipiant virus serpentis lingua diffundere, et cum se victos conspiciant, ad contumelias prosilire. Nam licet hæreses esse ad exercitationem fidelium tu dixeris oportere, eas tamen ne incrementum accipiant, neve vulpeculæ coalescant in ipso ortu, te interdicente et adjuvante extingui necesse est. Exsurgat denique omnis sanctorum ac reliqua universalis Ecclesia cujus vera sacrarum litterarum interpretatione posthabita, quidam, quorum mentem pater mendacii excæcavit, ex veteri hæreticorum instituto apud semetipsos sapientes scripturas easdem aliter, quam Spiritus sanctus flagitet proprio

duntaxat sensu, ambitionis, auræque popularis causa, teste Apostolo, interpretantur. Imo vero torquent, et adulterant ; ita ut juxta Hieronymum jam non sit evangelium Christi, sed hominis, aut quod pejus est diaboli. Exsurgat, inquam præfata ecclesia sancta Dei, et una cum beatissimis apostolis præfatis apud Deum omnipotentem intercedat, ut purgatis ovium suarum erroribus eliminatisque a fidelium finibus hæresibus universis ecclesiæ suæ sanctæ pacem et unitatem conservare dignetur. Dudum siquidem quod præ animi angustia et mœrore exprimere vix possumus, fide dignorum relatu ac fama publica referente ad nostrum pervenit auditum : imo vero proh dolor ! oculis nostris vidimus ac legimus multos et varios errores quosdam videlicet jam per concilia, ac prædecessorum nostrorum constitutiones damnatos, hæresim etiam Græcorum, et Bohemicam expresse continentes ; alios vero respective vel hæreticos, vel falsos, vel scandalosos, vel piarum aurium offensivos, vel simplicium montium seductivos, a falsis fidei cultoribus qui per superbam curiositatem mundi gloriam cupientes, contra Apostoli doctrinam plus sapere volunt, quam oporteat, quorum garrulitas, ut inquit Hieronymus sicut Scripturarum auctoritate non haberet fidem, nisi viderentur perversam doctrinam etiam divinis testimoniis male tamen interpretatis, roborare ; a quorum oculis Dei timor recessit, humani generis hoste suggerente noviter suscitatos, et nuper apud quosdam leviores in inclyta natione Germanica seminatos. Quod eo magis dolemus ibi evenisse quod eamdem nationem et nos, et prædecessores nostri, in visceribus semper gesserimus charitatis. Nam post translatum ex Græcis a Romana ecclesia in eosdem Germanos imperium, iidem prædecessores nostri, et nos ecclesiæ advocatos, defensoresque ex eis semper accepimus : quos quidem Germanos catholicæ veritatis vere germanos, constat hæreseum acerrimos oppugnatores semper fuisse : cujus rei testes sunt laudabiles illæ constitutiones Germanorum imperatorum pro libertate Ecclesiæ, proque expellendis exterminandisque ex omni Germania hæreticis, sub gravissimis pœnis etiam amissionis terrarum et dominiorum, contra receptatores vel non expellentes olim editæ, et a nostris prædecessoribus confirmatæ, quæ si hodie servarentur, et nos et ipsi utique hac molestia careremus. Testis est in concilio Constantiensi Hussitarum, et Wicleffistarum, necnon Hieronymi Pragensis damnata ac punita perfidia. Testis et toties contra Bohemos Germanorum sanguis effusus. Testis denique est prædictorum errorum seu multorum ex eis per Coloniensem et Lovaniensem Universitates ; utpote agri dominici piissimas religiosissimasque cultrices, non minus docta quam vera ac sancta confutatio reprobatio, et damnatio. Multa quoque alia allegare possemus, quæ, ne historiam texere videamur prætermittere censuimus. Pro pastoralis igitur officii divina gratia nobis injuncti cura quam gerimus prædictorum errorum virus pestiferum ulterius tolerare seu dissimulare, sine christianæ religionis nota atque orthodoxæ fidei injuria nullo modo possumus. Eorum autem errorum aliquos præsentibus duximus inserendos quorum tenor sequitur, et est talis.

I. Hæretica sententia est, sed usitata, sacramenta novæ legis justificantem gratiam illis dare qui non ponunt obicem.

II. In puero post baptismum negare remanens peccatum, est Paulum, et Christum simul conculcare.

III. Fomes peccati, etiamsi nullum adsit actuale peccatum moratur exeuntem a corpore animam ab ingressu cœli.

IV. Imperfecta charitas morituri fert secum necessario magnum timorem qui se solo satis est facere pœnam purgatorii, et impedit introitum regni.

V. Tres esse partes pœnitentiæ, contri-

tionem confessionem et satisfactionem non est fundatum in sacra Scriptura nec in antiquis sanctis christianis doctoribus.

VI. Contritio, quæ paratur per discussionem, collationem et detestationem peccatorum qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum gravitatem, multitudinem amissionem æternæ beatitudinis, ac æternæ damnationis acquisitionem hæc contritio facit hypocritam, imo magis peccatorum.

VII. Verissimum est proverbium et omnium doctrina de contritionibus huc usque data præstantius : de cætero non facere summa pœnitentia, optima pœnitentia, nova vita.

VIII. Nullo modo præsumas confiteri peccata venialia, sed nec omnia mortalia, quia impossibile est, ut omnia mortalia cognoscas. Unde in primitiva ecclesia solum manifesta mortalia confitebantur.

IX. Dum volumus omnia pure confiteri nihil aliud facimus, quam quod misericordiæ Dei nihil volumus relinquere ignoscendum.

X. Peccata non sunt ulli remissa, nisi remittente sacerdote credat sibi remitti, imo peccatum maneret nisi remissum crederet. Non enim sufficit remissio peccati, et gratiæ donatio, sed oportet etiam credere esse remissum.

XI. Nullo modo confidas absolvi propter tuam contritionem sed propter verbum Christi *quodcumque solveris* (etc.) Matth. 16. Hic, inquam, confide, si sacerdotis obtinueris absolutionem, et crede fortiter te absolutum et absolutus vere eris quidquid sit de contritione.

XII. Si per impossibile confessus non esset contritus, aut sacerdos non serio, sed joco absolveret si tamen credat se absolutum ; verissime est absolutus.

XIII. In sacramento pœnitentiæ ac remissione culpæ, non plus facit papa aut episcopus quam infimus sacerdos ; imo ubi non est sacerdos, æque tantum quilibet christianus, etiamsi mulier aut puer esset.

XIV. Nullus debet respondere sacerdoti, se esse contritum, nec sacerdos requirere.

XV. Magnus est error eorum qui ad sacramenta Eucharistiæ accedunt, huic innixi quod sint confessi, quod non sint sibi conscii alicujus peccati mortalis, quod præmiserint orationes suas, et præparatoria : omnes illi judicium sibi manducant et bibunt ; sed si credant et confidant se gratiam ibi consecuturos, hæc sola fides facit eos puros et dignos.

XVI. Consultum videtur quod Ecclesia in communi concilio statueret laicos sub utraque specie communicandos ; nec Bohemi communicantes sub utraque specie sunt hæretici, sed schismatici.

XVII. Thesauri Ecclesiæ, unde papa dat indulgentias non sunt merita Christi et sanctorum.

XVIII. Indulgentiæ sunt piæ fraudes fidelium et remissiones bonorum operum : et sunt de numero eorum quæ licent, et de numero eorum quæ expediunt.

XIX. Indulgentiæ his, qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem pœnæ pro peccatis actualibus debitæ apud divinam justitiam.

XX. Seducuntur credentes indulgentias esse salutares et ad fructus spiritus utiles.

XXI. Indulgentiæ necessariæ sunt solum publicis criminibus, et proprie conceduntur duris solummodo, et impatientibus.

XXII. Sex generibus hominum indulgentiæ nec sunt necessariæ nec utiles ; videlicet mortuis seu morituris, infirmis legitime impeditis, his qui non commiserunt crimina ; his qui crimina commiserunt, sed non publica ; his qui meliora operantur.

XXIII. Excommunicationes sunt tantum externæ pœnæ nec privant hominem communibus spiritualibus Ecclesiæ orationibus.

XXIV. Docendi sunt Christiani plus diligere excommunicationem, quam timere.

XXV. Romanus pontifex Petri successor non est Christi vicarius super omnes totius mundi ecclesias ab ipso Christo in beato Petro institutus.

XXVI. Verbum Christi ad Petrum : Quodcumque solveris super terram (etc.) Matth. xvi. extenditur duntaxat ad ligata ab ipso Petro.

XXVII. Certum est in manu Ecclesiæ aut papæ prorsus non esse statuere articulos fidei, imo nec leges morum seu bonorum operum.

XXVIII. Si papa cum magna parte Ecclesiæ sic vel sic sentiret, nec etiam erraret, adhuc non est peccatum aut hæresis contrarium sentire, præsertim in re non necessaria ad salutem donec fuerit per concilium universale, alterum reprobatum, alterum approbatum.

XXIX. Via nobis facta est enervandi auctoritatem conciliorum, et libere contradicendi eorum gestis, et judicandi eorum decreta et confidenter confitendi, quidquid verum videtur, sive probatum fuerit, sive reprobatum a quocumque concilio.

XXX. Antiqui articuli Joannis Hus condemnati in concilio Constantiensi sunt Christianissimi, verissimi, et Evangelici, quos nec universalis Ecclesia posset damnare.

XXXI. In omni opere bono justus peccat.

XXXII. Opus bonum optime factum est veniale peccatum.

XXXIII. Hæreticos comburi, est contra voluntatem Spiritus.

XXXIV. Præliari adversus Turcas, est repugnare Deo visitanti iniquitates nostras per illos.

XXXV. Nemo est certus, se non semper peccare mortaliter propter occultissimum superbiæ vitium.

XXXVI. Liberum arbitrium post peccatum est res de solo titulo : et dum facit quod in se est, peccat mortaliter.

XXXVII. Purgatorium non potest probari ex sacra Scriptura, quæ sit in canone.

XXXVIII. Animæ in Purgatorio non sunt securæ de earum salute, saltem omnes : nec probatum est ullis aut rationibus, aut Scripturis, ipsas esse extra statum merendi, aut augendæ charitatis.

XXXIX. Animæ in Purgatorio peccant sine intermissione quamdiu quærunt requiem, et horrent pœnas.

XL. Animæ Purgatorio liberatæ suffragiis viventium, minus beantur, quam si per se satisfecissent.

XLI. Prælati Ecclesiastici et principes seculares non male facerent, si omnes saccos mendicitatis delerent.

Qui quidem errores respective quam sint pestiferi, quam perniciosi, quam scandalosi, quam piarum et simplicium mentium seductivi, quam denique sint contra omnem charitatem, ac sanctæ Romanæ Ecclesiæ matris omnium fidelium et magistræ fidei reverentiam atque nervum Ecclesiasticæ disciplinæ, obedientiam scilicet, quæ fons est et origo omnium virtutum, sine qua facile unusquisque infidelis esse convincitur, nemo sanæ mentis ignorat. Nos igitur in præmissis, utpote gravissimis, propensius, ut decet, procedere, nec non hujusmodi pesti morboque canceroso ; ne in agro dominico tanquam vepris nociva ulterius serpat, viam procludere cupientes, habita super prædictis erroribus et eorum singulis diligenti trutinatione, discussione, ac districto examine, maturaque deliberatione ; omnibusque rite pensatis, ac sæpius ventilatis cum venerabilibus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus, ac regularium ordinum prioribus seu ministris generalibus pluribusque aliis sacræ theologiæ, nec non utriusque juris professoribus sive magistris et quidem peritissimis : reperimus eosdem errores, respective, ut præfertur, aut articulos non esse catholicos, nec tanquam tales esse dogmatizandos, sed contra Ecclesiæ catholicæ doctrinam sive traditionem, atque ab ea veram divinarum Scripturarum receptam interpretationem, cujus auctoritati ita acquiescendum censuit Augusti-

nus ; ut dixerit se Evangelio non fuisse crediturum, nisi Ecclesiæ catholicæ intervenisset auctoritas. Nam ex eisdem erroribus, vel eorum aliquo vel aliquibus palam sequitur, eamdem Ecclesiam, quæ Spiritu sancto regitur, errare et semper errasse. Quod est utique contra illud quod Christus discipulis suis in ascensione sua, ut in sancto Evangelio Matthæi legitur, promisit dicens : *Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi* Matth. xxviii. Nec non contra sanctorum Patrum determinationes, conciliorum quoque et summorum pontificum expressas ordinationes seu canones : quibus non obtemperasse omnium hæresum, et schismatum, teste Cypriano, fomes et causa semper fuit.

De eorumdem igitur venerabilium fratrum nostrorum consilio, et assensu, ac omnium et singulorum prædictorum matura deliberatione prædicta, auctoritate Omnipotentis Dei, et beatorum apostolorum Petri et Pauli, et nostra, præfatos omnes et singulos articulos seu errores, tamquam, ut præmittitur, respective hæreticos, aut scandalosos, aut falsos, aut piarum aurium offensivos, vel simplicium mentium seductivos, et veritati catholicæ obviantes, damnamus, reprobamus, atque omnino rejicimus ac pro damnatis reprobatis et rejectis ab omnibus utriusque sexus Christi fidelibus haberi debere, harum serie decernimus, et declaramus : inhibentes in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub pœna majoris excommunicationis latæ sententiæ, nec non quod Ecclesiasticas et regulares personas episcopalium omnium, etiam patriarchalium, metropolitanarum, et aliorum cathedralium ecclesiarum, monasteriorum quoque et prioratuum etiam conventualium, et quarumcumque dignitatum aut beneficiorum ecclesiasticorum sæcularium, aut quorumvis ordinum regularium privationis, et inhabilitatis ad illa, et alia in posterum obtinenda : quo vero ad conventus : capitula seu domos aut pia loca sæcularium vel regularium etiam mendicantium, nec non universitates etiam studiorum generalium quorumcumque privilegiorum indultorum a sede apostolica vel ejus legatis, aut alias quomodolibet habitorum vel obtentorum, cujuscumque tenoris existant : nec non nominis et potestatis studium generale tenendi, legendi, ac interpretandi quasvis scientias et facultates et inhabilitatis ad illa et alia in posterum obtinenda : prædicationis quoque officii ac amissionis studii generalis et omnium privilegiorum ejusdem. Quo vero ad sæculares ejusdem excommunicationis, nec non amissionis cujuscumque feudorum, tam a Romana ecclesia quam alias quomodolibet obtentorum, ac etiam inhabilitatis ad illa et alia in posterum obtinenda, nec non quoad omnes in singulos superius nominatos inhibitionis ecclesiasticæ sepulturæ, inhabilitatisque ad omnes et singulos actus legitimos infamiæ ac diffamationis et criminis læsæ majestatis et hæreticorum, et fautorum eorumdem in jure expressis pœnis eo ipso et absque ulteriori declaratione per omnes et singulos supradictos, si, quod absit contrafecerint, incurrendis. A quibus vigore cujuscumque facultatis et clausularum etiam in confessionalibus quibusvis personis, sub quibusvis verborum formis contentarum, nisi a Romano pontifice, vel alio ab eo ad id specialem facultatem habente, præterquam in mortis articulo constituti absolvi nequeant. Omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus, tam laicis quam clericis sæcularibus et quorumvis ordinum regularibus ; et aliis quibuscumque personis cujuscumque status, gradus, vel conditionis existant, et quacumque ecclesiastica vel mundana profulgeant dignitate : etiam sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus, patriarchis, primatibus, archiepiscopis, episcopis patriarchalium, metropolitanarum et aliarum cathedralium, collegiatarum ac inferiorum ecclesiarum prælatis, clericis aliisque personis ecclesiasticis, sæcularibus, et quorumvis ordinum, etiam mendicatium regularibus,

abbatibus, prioribus, vel ministris generalibus vel particularibus, fratribus, seu religiosis exemptis, et non exemptis : studiorum quoque universitatibus sæcularibus, et quorumvis ordinum etiam mendicantium regularibus, nec non regibus, imperatoribus, electoribus, principibus, ducibus, marchionibus, comitibus, baronibus, capitaneis, conductoribus domicellis, omnibusque officialibus, judicibus notariis ecclesiasticis et sæcularibus, communitatibus, universitatibus, potentatibus, civitatibus, castris, terris et locis, seu eorum vel earum civibus, habitatoribus et incolis, ac quibusvis aliis personis ecclesiasticis vel regularibus, ut præfertur per universum orbem ubicumque, præsertim in Alemania existentibus vel pro tempore futuris, ne præfatos errores, aut eorum aliquos perversamque doctrinam hujusmodi asserere, affirmare, defendere, prædicare aut illi quomodolibet, publice vel occulte quovis quæsito ingenio vel colore, tacite vel expresse favere præsumant ; insuper quia errores præfati, et plures alii continentur in libellis seu scriptis cujusdam Martini Lutheri ; dictos libellos et omnia dicti Martini scripta seu prædicationes, in Latino vel quocumque alio idiomate reperiantur, in quibus dicti errores seu eorum aliqui continentur, similiter damnamus, reprobamus, atque omnino rejicimus, et pro omnino damnatis, reprobatis ac rejectis ut præfertur haberi volumus. Mandantes in virtute sanctæ obedientiæ, et sub prædictis pœnis eo ipso incurrendis, omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus superius nominatis, ne hujusmodi scripta, libellos, prædicationes seu schedulas, vel in eis contenta capitula, errores aut articulos supradictos continentia legere, asserere, prædicare, laudare imprimere, publicare, sive defendere per se vel alium seu alios directe vel indirecte, tacite vel expresse, publice vel occulte, aut in domibus suis, sive aliis publicis vel privatis locis tenere quoquo modo præsumant : quinimo illa statim post harum publicationem, ubicumque fuerint, per ordinarios, et alios supradictos diligenter quæsita publice et solemniter in præsentia cleri, et populi, sub omnibus et singulis supradictis pœnis comburant. Quod vero ad ipsum Martinum attinet bone Deus, quid prætermisimus, quid non fecimus, quid paternæ charitatis omisimus, ut, eum ab ejusmodi erroribus revocaremus postquam enim ipsum citavimus, mitius cum eo procedere volentes illum invitavimus, atque tam per diversos tractatus cum legato nostro habitos quam per litteras nostras hortati fuimus ut a prædictis erroribus discederet ; aut ad nos, oblato etiam salvo conductu et pecunia ad iter necessaria, sine metu ac timore aliquo, quem perfecta charitas foras mittere debuit, veniret, ac Salvatoris nostri apostoli Pauli exemplo, non in occulto, sed palam et in facie loqueretur. Quod si fecisset pro certo, ut arbitramur, ad cor reversus errores suos cognovisset : nec in Romana curia, quam tantopere vanis malevolorum rumoribus plus quam oportuit tribuenda, vituperat, tot reperisset errata docuissemusque eum lucem clarius sanctos Romanos pontifices prædecessores nostros, quos præter omnem modestiam injuriose lacerat, in suis canonibus seu constitutionibus, quas mordere nititur, nunquam errasse quia juxta Prophetam, *Nec in Galaad resina, nec medicus deest.* Jer. VI.

Sed obaudivit semper, et prædicta citatione, omnibusque et singulis supradictis spretis, venire contempsit, ac usque in præsentem diem contumax atque animo indurato, censuras ultra annum sustinuit, et quod deterius est, addens mala malis, de citatione hujusmodi notitiam habens, in vocem temerariæ appellationis prorupit ad futurum concilium, contra constitutionem Pii II. ac Julii II. prædecessorum nostrorum, qua cavetur taliter appellantes, hæreticorum pœna plectendos. Frustra etiam concilii auxilium imploravit, qui illi se non credere

palam profitetur : ita ut contra ipsum ; tanquam de fide notorie suspectum, imo vere hæreticum, absque ulteriori citatione, vel mora, ad condemnationem et damnationem ejus, tanquam hæretici ac ad omnium, et singularium subscriptarum pœnarum, et censurarum severitatem procedere possumus.

Nihilominus de eorumdem Fratrum nostrorum consilio, omnipotentis Dei imitantes clementiam, qui non vult mortem peccatoris, sed magis ut convertatur et vivat : omnium injuriarum hactenus nobis et Apostolicæ sedi illatarum obliti, omni qua possumus pietate uti decrevimus, et quantum in nobis est agere ut proposita mansuetudinis via, ad cor revertatur, et a prædictis recedat erroribus : ut ipsum tanquam filium illum prodigum ad gremium Ecclesiæ revertentem benigne recipiamus. Ipsum igitur Martinum et quoscumque ei adhærentes, ejusque receptatores, et fautores per viscera misericordiæ Dei nostri, et per aspersionem sanguinis Domini nostri Jesu Christi, quo et per quem humani generis Redemptio, et sanctæ Matris Ecclesiæ ædificatio facta est, ex toto corde hortamur, et obsecramus, ut ipsius Ecclesiæ pacem, unitatem et veritatem, pro qua ipse Salvator tam instanter oravit ad patrem, turbare desistant, et a prædictis tam perniciosis erroribus prorsus abstineant, inventuri apud nos, si effectualiter paruerint, et paruisse per legitima documenta nos certificaverint, paternæ charitatis affectum, et apertum mansuetudinis, et clementiæ fontem.

Inhibentes nihilominus eidem Martino ex nunc ut interim ab omni prædicatione seu prædicationis officio omnino desistat.

Alioquin ut ipsum Martinum si forte justitiæ et virtutis amor a peccato non retrahat, indulgentiæque spes ad pœnitentiam non reducat, pœnarum terror coerceat disciplinæ, eumdem Martinum ejusque adhærentes, complices, fautores, et receptatores tenore præsentium requirimus et monemus in virtute sanctæ obedientiæ, et sub prædictis omnibus et singulis pœnis eo ipso incurrendis directe præcipiendo mandamus, quatenus infra sexaginta dies, quorum viginti pro primo, viginti pro secundo, et reliquos viginti dies pro tertio et peremptorio termino assignamus, ab affixione præsentium in locis infrascriptis, immediate sequentes numerandos, ipse Martinus complices, fautores, adhærentes et receptatores prædicti, a præfatis erroribus, eorumque prædicatione, ac publicatione, et assertione, defensione quoque, et librorum seu scripturarum editione super eisdem, sive eorum aliquo omnino desistant, librosque ac scripturas omnes et singulas, præfatos errores seu eorum aliquos quomodolibet continentes, comburant vel comburi faciant.

Ipse etiam Martinus errores et assertiones hujusmodi omnino revocet, ac de revocatione hujusmodi per publica documenta in forma juris valida, in manibus duorum prælatorum consignata, ad nos infra alios similes sexaginta dies transmittenda, vel per ipsummet, si ad nos venire voluerit, quod magis placeret, cum præfato plenissimo salvo conductu, quem ex nunc concedimus deferenda, nos certiores efficiat ut de ejus vera obedientia nullus dubitationis scrupulus valeat remanere. Alias si quod absit, Martinus præfatus, complices, fautores, adhærentes et receptatores prædicti secus egerint, seu præmissa omnia et singula infra terminum prædictum cum effectu non adimpleverint Apostoli imitantes doctrinam, quæ hæreticum hominem post primam et secundam correctionem vitandum docuit, ex nunc prout ex tunc, et e converso, eumdem Martinum, complices, adhærentes, fautores et receptatores præfatos, et eorum quemlibet, tanquam aridos palmites in Christo non manentes, sed doctrinam contrariam catholicæ fidei inimicam sive scandalosam, seu damnatam, in non modicam offensam divinæ majestatis, ac universa-

lis Ecclesiæ et fidei catholicæ detrimentum et scandalum dogmatizantes, et prædicantem, claves quoque Ecclesiæ vilipendentes, notorios et pertinaces hæreticos eadem auctoritate fuisse et esse declarantes, eosdem ut tales harum serie condemnamus, et eos pro talibus haberi ab omnibus utriusque sexus Christi fidelibus supradictis volumus et mandamus, eosque omnes et singulos omnibus supradictis, et aliis contra tales a jure inflictis pœuis, et præsentium tenore subjicimus, et eisdem irretitos fuisse et esse, decernimus et declaramus.

Inhibemus præterea sub omnibus et singulis præmissis pœnis, eo ipso incurrendis, omnibus et singulis Christi fidelibus superius nominatis, ne scripta, etiam præfatos errores non continentia, ab eodem Martino quomodolibet condita vel edita, aut condenda, vel edenda, seu eorum aliqua, tanquam ab homine orthodoxæ fidei inimico ; atque ideo vehementer suspecta, et ut ejus memoria omnino deleatur de Christi fidelium consortio, legere, asserere, prædicare, laudare, imprimere, publicare, sive defendere per se vel alium seu alios, directe vel indirecte, tacite vel expresse, publice vel occulte, seu in domibus suis, sive aliis locis publicis vel privatis tenere, quoquomodo præsumant ; quinimo illa comburant, ut præfertur.

Monemus insuper omnes et singulos Christi fideles supradictos sub eadem excommunicationis latæ sententiæ pœna, ut hæreticos prædictos declaratos, et condemnatos, mandatis nostris non obtemperantes, post lapsum termini supradicti evitent, et quantum in eis est, evitari faciant ; nec cum eisdem vel eorum aliquo commercium, aut aliquam conversationem seu communionem habeant, nec eis necessaria ministrent.

Ad majorem præterea dicti Martini suorumque complicum, fautorum et adhærentium ac receptatorum prædictorum, sic post lapsum termini prædicti declaratorum hæreticorum, et condemnatorum confusionem, universis et singulis utriusque sexus Christi fidelibus, patriarchis, archiepiscopis, episcopis, patriarchalium, metropolitanorum, et aliarum cathedralium, collegiatarum, ac inferiorum ecclesiarum prælatis ; capitulis aliisque personis ecclesiasticis, sæcularibus, et quorumvis ordinum, etiam mendicantium præsertim ejus congregationis, cujus dictus Martinus est professus, et in qua degere vel morari dicitur regularibus, exemptis et non exemptis, nec non universis et singulis principibus, quacumque ecclesiastica vel mundana fulgentibus dignitate, regibus, imperatoris electoribus, ducibus, marchionibus, comitibus, baronibus, capitaneis, conductoribus, domicellis, communitatibus, universitatibus, potentatibus, civitatibus, terris, castris, et locis, seu eorum habitatoribus, civibus, et incolis, omnibusque et aliis et singulis supradictis, per universum orbem, præsertim in eadem Alemania constitutis, mandamus ; quatenus sub prædictis omnibus et singulis pœnis, ipsi vel eorum quilibet, præfatum Martinum complices, adhærentes, receptantes, et fautores personaliter capiant, et captos ad nostram instantiam retineant, et ad nos mittant reportaturi pro tam bono opere, a nobis et sede Apostolica remunerationem præmiumque condignum ; vel saltem eos et eorum quemlibet, de metropolitanis, cathedralibus, collegiatis, et aliis ecclesiis, domibus, monasteriis, conventibus, civitatibus, dominiis, universitatibus, communitatibus, castris, terris ac locis, respective tam clerici, et regulares, quam laici omnes et singuli supradicti omnino expellant.

Civitates vero, dominia, terras, castra, villas, comitatus, fortalitia, oppida, et loca quæcumque ubilibet consistentia, eorum et earum respective metropolitanas, cathedrales, collegiatas, et alias ecclesias, monasteria, prioratus, domus, conventus, et loca religiosa vel pia cujuscumque ordinis, ut præfertur, ad quæ præfatum Martinum, vel aliquem ex

prædictis declinare contigerit, quamdiu ibi permanserit, et triduo post recessum, ecclesiastico subjicimus interdicto.

Et ut præmissa omnibus innotescant mandamus insuper universis patriarchis, archiepiscopis, episcopis, patriarchalium, metropolitanarum, et aliarum cathedralium ac collegiatarum ecclesiarum prælatis, capitulis, aliisque personis ecclesiasticis, sæcularibus, et quorumvis ordinum supradictorum regularibus, fratribus, religiosis, monachis exemptis, et non exemptis supradictis, ubilibet, præsertim in Alemania constitutis, quatenus ipsi vel eorum quilibet sub similibus censuris et pœnis eo ipso incurrendis. Martinum omnesque et singulos supradictos qui elapso termino hujusmodi mandatis seu monitis nostris non paruerint, in eorum ecclesiis, Dominicis, et aliis festivis diebus, dum ibi major populi multitudo ad divina convenerit, declaratos hæreticos et condemnatos publice nuntient, faciantque et mandent ab aliis nuntiari, et ab omnibus arctius evitari.

Nec non omnibus Christi fidelibus, ut eos evitent pari modo sub prædictis censuris et pœnis ; et præsentes litteras, vel eorum transumptum sub forma infrascripta factum, in eorum ecclesiis, monasteriis, domibus, conventibus, et aliis locis, legi, publicari, atque affigi faciant. Excommunicamus quoque et anathematizamus omnes, et singulos, cujuscumque, status, gradus, conditionis, præeminentiæ, dignitatis, aut excellentiæ fuerint, qui quominus præsentes litteræ, vel earum transumpta, copiæ seu exemplaria in suis terris, et dominiis legi, affigi et publicari possint, fecerint, vel quoquo modo procuraverint, per se vel occulte, directe vel indirecte, tacite vel expresse.

Postremo, quia difficile foret præsentes litteras ad singula quæque loca deferri, inquibus necessarium foret, volumus et Apostolica auctoritate decernimus, quod earum transumptis manu publici Notarii confectis et subscriptis, vel in alma urbe impressis, et sigillo alicujus ecclesiastici prælati munitis, ubique stetur et plena fides adhibeatur, prout originalibus litteris staretur et adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Et ne præfatus Martinus, omnesque alii supradicti, quos præsentes litteræ quomodolibet concernunt, ignorantiam earumdem litterarum, et in eis contentorum omnium et singulorum prætendere valeant, litteras ipsas in Basilicæ Principis Apostolorum, et cancellariæ Apostolicæ nec non cathedralium ecclesiarum Brandeburgensis, Minensis et Mespurgensis valvis affigi et publicari debere volumus ; decernentes, quod earumdem litterarum publicatione sic facta, supradictum Martinum, omnesque alios et singulos prænominatos, quos litteræ hujusmodi quomodolibet concernunt, perinde arctent, ac si litteræ ipse die affixionis et publicationis hujusmodi eis personaliter lectæ et intimatæ forent ; cum non sit inverisimile, quod ea quæ tam patenter fiunt, debeant apud eos incognita remanere.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, seu si supradictis omnibus et singulis, vel eorum alicui, aut quibusvis aliis a sede Apostolica prædicta, vel ab ea potestatem habentibus, subquavis forma, etiam confessionali, cum quibusvis etiam fortissimis clausulis, aut ex quavis causa seu grandi consideratione, indultum vel concessum existat, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales id importantes, de indulto hujusmodi mentionem ; ejusdem indulti tenores, causas et formas perinde ac si de verbo ad verbum insererentur, ita ut omnino tollantur, præsentibus pro expressis habentes.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ damnationis, reprobationis, rejectionis, decreti, declarationis, inhibitionis, voluntatis, mandati,

hortationis, obsecrationis, inquisitionis, monitionis, assignationis, concessionis, damnationis, subjectionis, excommunicationis, et anathematizationis infringere, vel ei ausu temerario contrarie. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri ac Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romæ ; apud S. Petrum, anno incarnationis Dominicæ MDXX. 17. Kalendas Julii, Pontificatus nostris anno octavo.

Visa *R. Milanesius*
*Albergatus.*

---

## GREGORII XIII. PAPÆ

### BULLA

*Contra propositiones Michaelis Baii.*

—

### GREGORIUS EPISCOPUS

Ad futuram rei memoriam.

Provisionis nostræ debet provenire subsidio, ut ea quæ prædecessoribus nostris emanarunt, suadente maxime fidei catholicæ conservatione, ubicumque ipsis opus est, producantur. Quare nos tenorem litterarum felicis recordationis Pii Papæ V. prædecessoris nostri in ejus registro repertum describi, et præsentibus annotari fecimus qui tali est : « Pius Episcopus, Servus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam. Ex omnibus afflictionibus, quas in hoc loco a Domino constituti, tam lectuoso tempore sustinemus, ille animum nostrum præcipue excruciat dolor quod religio Christiana, tantis jam pridem turbinibus agitata, novis quotidie propositis opinionibus conflictetur, Christique populus antiqui hostis suggestione dissectus, in alios atque alios errores passim, et promiscue deferatur. Quantum vero ad nos attinet, totis viribus conamur, ut illi simul atque prosiliunt, penitus opprimantur. Magno etenim mœrore afficimur, quod plerique, spectatæ alioquin probitatis et doctrinæ, in varias sententias offensionis et periculi plenas, cum verbo tum scriptis prorumpunt, deque eis etiam in scholis invicem controversantur ; cujusmodi sunt sequentes :

I. Nec angeli, nec primi hominis adhuc integri merita, recte vocantur gratia.

II. Sicut opus malum ex natura sua est mortis æternæ meritorium, sic bonum opus ex natura sua est vitæ æternæ meritorium.

III. Et bonis Angelis, et primo homini, si in statu illo perseverasset usque ad ultimum vitæ, felicitas esset merces, et non gratia.

IV. Vita æterna homini integro, et Angelo promissa fuit intuitu bonum operum, et bona opera ex lege naturæ ad illam consequendam per se sufficiunt.

V. In promissione facta angelo, et primo homini continetur naturalis justitiæ constitutio, qua pro bonis operibus, sine alio respectu, vita æterna justis promittitur.

VI. Naturali lege constitutum fuit homini, ut si in obedientia perseveraret, ad eam vitam pertransiret, in qua mori non posset.

VII. Primi hominis integri merita fuerunt primæ creationis munera, sed juxta modum loquendi Scripturæ sacræ non recte vocantur gratia ; quo fit, ut tantum merita, non etiam gratia debeant nuncupari.

VIII. In redemptis per gratiam Christi, nullum inveniri potest bonum meri-

tum, quod sit gratis indigno collatum.

IX. Dona concessa homini integro, et Angelo, forsitan, non improbanda ratione, possunt dici gratia : sed quia secundum usum sacræ Scripturæ, nomine gratiæ, ea tantum munera intelliguntur, quæ per Jesum Christum male merentibus, et indignis conferuntur ; ideo neque merita, neque merces quæ illis redditur, gratia dici debet.

X. Solutio pœnæ temporalis, quæ, peccato dimisso, sæpe remanet, et corporis resurrectio, proprie nonnisi meritis Christi adscribenda est.

XI. Quod pie, et juste in hac vita mortali usque in finem vitæ conversati, vitam consequimur æternam, id non proprie gratiæ Dei, sed ordinationi naturali statim initio creationis constitutæ, justo Dei judicio deputandum est ; neque in hac retributione bonorum ad Christi meritum respicitur, sed tantum ad primam institutionem generis humani, in qua, lege naturali constitutum est, ut justo Dei judicio obedientiæ mandatorum vita æterna reddatur.

XII. Pelagii sententia est ; Opus bonum, citra gratiam adoptionis factum, non est regni cœlestis meritorium.

XIII. Opera bona a filiis adoptionis facta, non accipiunt rationem meriti ex eo, quod fiant per Spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei, sed tantum eo, quod sint conformia legi, quodque per ea præstatur obedientia legi.

XIV. Opera bona justorum non accipient in die judicii extremi ampliorem mercedem, quam justo Dei judicio mereantur accipere.

XV. Ratio meriti non constitit in eo, quod qui bene operatur habeat gratiam, et inhabitantem Spiritum Sanctum : sed in eo solum quod obedit divinæ legi.

XVI. Non est vera legis obedientia, quæ fit sine charitate.

XVII. Sentiunt cum Pelagio, qui dicunt, esse necessarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis sublimetur ad statum Deificum.

XVIII. Opera Catechumenorum, ut Fides et Pœnitentia ante remissionem peccatorum facta, sunt vitæ æternæ merita, quam vitam ipsi non consequentur, nisi prius præcedentium delictorum impedimenta tollantur.

XIX. Opera Justitiæ et Temperantiæ, quæ Christus fecit, ex dignitate personæ operantis, non traxerunt majorem valorem.

XX. Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur pœnam æternam.

XXI. Humanæ naturæ sublimatio, et exaltatio in consortium divinæ naturæ debita fuit integritati primæ conditionis, et proinde naturalis dicenda est, et non supernaturalis.

XXII. Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Romanos II. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter, quæ legis sunt faciunt*, intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus.

XXIII. Absurda est eorum sententia, qui dicunt hominem ab initio, dono quodam supernaturali, et gratuito, supra conditionem naturæ suæ fuisse exaltatum, ut fide, spe et charitate Deum supernaturaliter coleret.

XXIV. A vanis, otiosis hominibus secundum insipientiam philosophorum, excogitata est sententia, quæ ad Pelagianismum rejicienda est : hominem ab initio sic constitutum, ut per dona naturæ superaddita, fuerit largitate Conditoris sublimatus, et in Dei filium adoptatus.

XXV. Omnia opera infidelium sunt peccata, et philosophorum virtutes sunt vitia.

XXVI. Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio.

XXVII. Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio, nonnisi ad peccandum valet.

XXVIII. Pelagiamus est error, dicere, quod liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum.

XXIX. Non soli fures ii sunt et latrones, qui Christum, viam et ostium veritatis, et vitæ negant, sed etiam quicumque aliunde, quam per ipsum in via justitiæ (hoc est aliquam justitiam) conscendi posse docent.

XXX. Aut tentationi ulli, sine gratiæ ipsius adjutorio resistere hominem posse, sic ut in eam non inducatur, aut ab ea non superetur.

XXXI. Charitas perfecta, et sincera, quæ est ex corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta, tam Catechumenis, quam in pœnitentibus potest esse sine remissione peccatorum.

XXXII. Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum.

XXXIII. Catechumenus juste, recte, et sancte, vivit, et mandata Dei observat, ac legem, implet per charitatem, ante obtentam remissionem peccatorum, quæ in Baptismi lavacro demum percipitur.

XXXIV. Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur, ut auctor naturæ; et gratuiti, quo Deus amatur, ut beatificator, vana est, et commentitia, et ad illudendum sacris Litteris, et plurimis veterum testimoniis, excogitata.

XXXV. Omne, quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est.

XXXVI. Amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur, ex sola philosophia per relationem præsumptionis humanæ, cum injuria crucis Christi defenditur a nonnullis doctoribus.

XXXVII. Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est quod ex natura solis viribus ortum ducit, agnoscit.

XXXVIII. Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas qua mundus diligitur, quæ a Joanne prohibetur; aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum sanctum in corde diffusa, Deus amatur.

XXXIX. Quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit.

XLI. In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati.

XLI. Is libertatis modus qui est a necessitate, sub libertatis nomine non reperitur in Scripturis, sed solum nomen libertatis a peccato.

XLII. Justitia, qua justificatur per fidem impius, consistit formaliter in obedientia mandatorum, quæ est operum justitia, non autem in gratia aliqua animæ infusa, qua adoptatur homo in filium Dei, et secundum interiorem hominem renovatur, ac Divinæ naturæ consors efficitur, ut sic per Spiritum Sanctum renovatus, deinceps bene vivere, et Dei mandatis obedire possit.

XLIII. In hominibus pœnitentibus, ante Sacramentum absolutionis; et in catechumenis ante Baptismum, est vera justificatio, separata tamen a remissione peccatorum.

XLIV. Operibus plerisque, quæ a fidelibus fiunt, solum ut Dei mandatis pareant, cujusmodi sunt, obedire parentibus depositum reddere, ab homicidio, a furto, a fornicatione abstinere, justificantur quidem homines, quia sunt legis obedientia, et vera legis justitia, non tamen iis obtinent incrementa virtutum.

XLV. Sacrificium Missæ non alia ratione est sacrificium, quam generali illa, qua omne opus, quod fit, ut sancta societate, Deo homo inhæreat.

XLVI. Ad rationem, et definitionem peccati, non pertinet voluntarium; nec definitionis quæstio est, sed causæ, et originis, utrum omne peccatum debeat esse voluntarium.

XLVII. Unde peccatum originis vere habet rationem peccati sine ulla ratione, ac respectu ad voluntatem a qua originem habuit.

XLVIII. Peccatum originis est habituali parvuli voluntate voluntarium, et habitualiter dominatur parvulo, eo quod non gerit contrarium voluntatis arbitrium.

XLIX. Et ex habituali voluntate dominante fit, ut parvulus decedens sine

regenerationis Sacramento, quando usus rationis consecutus erit, actualiter Deum odio habeat. Deum blasphemet, et legi Dei repugnet.

L. Prava desideria, quibus ratio non consentit, et quæ homo invitus patitur, sunt prohibita præcepto. *Non concupisces.*

LI. Concupiscentia, sive lex membrorum et prava ejus desideria, quæ inviti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia.

LII. Quantum est ex vi transgressionis, tantum meritorum malorum a generante contrahunt, qui cum minoribus nascuntur vitiis, quam qui cum majoribus.

LIII. Definitiva hæc sententia, Deum homini nihil impossibile præcepisse, falso tribuitur Augustino, cum Pelagii sit.

LIV. Deus potuisset ab initio talem creare hominem qualis nunc nascitur.

LV. In peccato duo sunt actus, et reatus, transeunte autem actu, nihil manet nisi reatus, sive obligatio ad pœnam.

LVI. Unde in sacramento baptismi aut sacerdotis absolutione, proprie reatus peccati duntaxat tollitur, et ministerium sacerdotum solum liberat a reata.

LVII. Peccator pœnitens non vivificatur ministerio sacerdotis absolventis, sed a solo Deo, qui pœnitentiam suggerens, et inspirans, vivificat eum et ressuscitat, ministerio autem sacerdotis solum reatus tollitur.

LVIII. Quando per eleemosynas aliaque pœnitentiæ opera Deo satisfacimus pro pœnis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis nostris offerimus, sicut quidam errantes autumant, nam alioquin essemus, saltem aliqua ex parte, redemptores ; sed aliquid facimus cujus intuitu Christi satisfactio nobis applicatur, et communicatur.

LIX. Per passiones sanctorum in indulgentiis communicatas non proprie redimuntur nostra delicta, sed per communionem charitatis nobis eorum passiones impartiuntur, ut digni simus, qui pretio sanguinis Christi a pœnis pro peccatis debitis liberemur.

LX. Illa doctorum distinctio divinæ legis mandata bifariam impleri ; altero modo quantum ad præceptorum operum substantiam tantum ; altero quantum ad certum quemdam modum, videlicet secundum quem valeant operantem perducere ad regnum æternum, hoc est ad modum meritorum, commentitia est, et explodenda.

LXI. Illa quoque distinctio, qua opus dicitur bifariam bonum, vel quia ex objecto et omnibus circumstantiis rectum est, et bonum (quod moraliter bonum appellare consueverunt,) vel quia est meritorium regni æterni, eo quod sit a vivo Christi membro per spiritum charitatis, rejicienda est.

LXII. Sed et illa, distinctio, duplicis justitiæ ; alterius, quæ fit per Spiritum charitatis inhabitantem ; alterius, quæ fit ex inspiratione quidem Spiritus sancti cor ad pœnitentiam excitantis, sed nondum cor inhabitantis et in eo charitatem diffundentis, qua divinæ legis justificatio impleatur, similiter rejicitur.

LXIII. Item et illa distinctio duplicis vivificationis ; alterius, qua vivificatur peccator, dum ei pœnitentia, et vitæ novæ propositum, et inchoatio per Dei gratiam inspiratur ; alterius, qua vivificatur, qui vere justificatur et palmes vivus in vite Christo efficitur, pariter commentitia est, et Scripturis minime congruens.

LXIV. Nonnisi Pelagiano errore admitti potest usus aliquis liberi arbitrii bonus, sive non malus, et gratiæ Christi injuriam facit qui ita sentit, et docet.

LXV. Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.

LXVI. Homo peccat, etiam damnabiliter, in eo, quod necessario facit.

LXVII. Infidelitas pure negativa, in his, in quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.

LXVIII. Justificatio impii fit formaliter per obedientiam legis, non autem per

occultam communicationem, et inspirationem gratiæ, quæ per eam justificatos faciat implere legem.

LXIX. Homo existens in peccato mortali, sive in reatu æternæ damnationis, potest habere veram charitatem ; et charitas etiam perfecta potest consistere cum reatu æternæ damnationis.

LXX. Per contritionem etiam cum charitate perfecta, et cum voto suscipiendi sacramentum conjunctam, non remittitur crimen extra casum necessitatis, aut martyrii, sine actuali susceptione sacramenti.

LXXI. Omnes omnino justorum afflictiones, sunt ultiones peccatorum ipsorum : unde Job, et martyres, quæ passi sunt, propter peccata sua passi sunt.

LXXII. Nemo, præter Christum, est absque peccato originali ; hinc Beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesque ejus afflictiones in hac vita, sicut et aliorum justorum, fuerunt ultiones peccati actualis, vel originalis.

LXXIII. Concupiscentia in renatis relapsis in peccatum mortale, in quibus jam dominatur peccatum est, sicut et alii habitus pravi.

LXXIV. Motus pravi concupiscentiæ, sunt pro statu hominis vitiati, prohibiti præcepto, *Non concupisces ;* Unde homo eos sentiens, et non consentiens, transgreditur præceptum *Non concupisces*, quamvis transgressio in peccatum non deputetur.

LXXV. Quamdiu aliquid concupiscentiæ carnalis in diligente est, non facit præceptum ; *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*

LXXVI. Satisfactiones laboriosæ justificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem restantem post culpam condonatam.

LXXVII. Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio.

LXXVIII. Falsa est doctorum sententia, primum hominem potuisse a Deo creari, et institui sine justitia naturali.

Quas quidem sententias stricto coram nobis examine ponderatas, quamquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent, in rigore et proprio verborum sensu ab assertoribus intento, hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, et in pias aures offensionem immittentes respective ac quæcumque super iis verbo, scriptoque emissa, præsentium auctoritate damnamus circumscribimus, et abolemus ; deque eisdem et similibus posthac, quoque pacto, loquendi, scribendi, et disputandi facultatem quibuscumque interdicimus.

Qui secus fecerint, ipsos omnibus dignitatibus, gradibus, honoribus, beneficiis, et officiis perpetuo privamus ac etiam inhabiles ad quæcumque decernimus : vinculo quoque anathematis, eo ipso innodamus, a quo nullus Romano Pontifice inferior valeat ipsos, excepto mortis articulo liberare. Cæterum ut jam commoti his de rebus tumultus, et contracta odia facilius comprimi possint, simulque animarum saluti plenius consulatur, dilecto filio nostro Antonio, tituli Sancti Bartholomæi in insula presbytero cardinali Granvelano nuncupato, per Apostolica scripta mandamus, ut ipse quid ad perpetam dictarum sententiarum, et scripturarum abolitionem, quid ad arcenda hujusmodi proloquia, et disputationes quid denique ad unionem, et pacem, cum communi omnium, et Ecclesiæ catholicæ satisfactione componendam facto opus sit, in primis diligenter expendat : deinde in iis omnibus quæ pro communi salute, tranquillitate, et honore optimum judicaverit, salva semper Ecclesiæ prædictæ immunitate, etiam per alium seu alios fide, doctrina, et religione præstantes, ocius exequatur, faciatque quidquid decreverit, inviolate ab omnibus observari : contradictores quoslibet per censuras, pœnas prædictas, cæteraque juris, et facti remedia opportuna, appellatione postposita compescendo ; invocato etiam ad hoc, si opus fuerit au-

xilio brachii sæcularis. Non obstantibus quod forsitan aliquibus ab Apostolica sit sede Indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, et expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto hujusmodi mentionem : et quibuslibet aliis privilegiis, exemptionibus, indulgentiis, et litteris Apostolicis specialibus vel generalibus, quorumcumque tenorum existant : per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta, effectus præsentium impediri valeat quomodolibet, vel differri : et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ damnationis, circumscriptionis, abditionis et innodationis infringere ; vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorem Petri et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1567 Kalendis octobris, Pontificatus nostris anno secundo.

« Cæterum volumus, ut earumdem litterarum tenori hic inserto, illa ipsa omnino fides adhibeatur ubicumque et quandocumque, sive in judicio, sive alibi fuerit exhibitus, vel ostensus, sicut illius originalibus litteris prædictis adhiberetur, si ipsæ exhiberentur, vel ostenderentur, nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. »

Datum Romæ apud S. Petrum anno incarnationis Dominicæ 1579. quarto Kalendas Februarii, Pontificatus nostri anno octavo. *Posteriora verba sic interpunxerunt quidam discipula Baii.* Quas quidem sententias stricto coram nobis examine ponderatas, quamquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent in rigore, et proprio verborum sensu ab assertoribus intento, hæreticas, erroneas, etc., damnamus : Ex qua interpunctione inferebant nullam determinate, ideoque posse singulas posse defendi in sensu ab assertoribus intento : sed Urbanus VIII. in Generali Cong. die 26. 1644, produxit ex Archivii Bullam. *In eminenti,* in qua repetit verba S. Pii V. et comma ponitur post te *possent ;* erantque interpunctiones, uti pro primo retulimus. Postmodum Cajani dixerunt Bullam illam, *In eminenti* esse subreptitiam, quod damnavit Alexander VIII. Die 7 decemb. 1690. in propos. 31. uti referemus.

---

## INNOCENTII PAPÆ X.

### CONSTITUTIO

*De quinque Propositionibus ex Jansenii libro excerptis.*

—

INNOCENTIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Universis Christi fidelibus salutem et Apostolicam benedictionem.

Cum occasione impressionis libri, cui titulus, *Augustinus Cornelii Jansenii, Episcopi Iprensis,* inter alias ejus opiniones orta fuerit, præsertim in Galliis, controversia super quinque ex illis : complures Galliarum episcopi apud nos institerunt, ut easdem Propositiones nobis oblatas expenderemus, ac de unaquaque earum certam et perspicuam ferremus

sententiam. Tenor vero præfatarum propositionum est prout sequitur.

I. Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, et conantibus, secundum præsentes quas habent vires, sunt impossibilia : deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.

II. Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ, nunquam resistitur.

III. Ad merendum et demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.

IV. Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei : et in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare.

V. Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.

Nos quibus inter multiplices curas, quæ animum nostrum assidue pulsant, illa in primis cordi est, ut Ecclesia Dei nobis ex alto commissa, purgatis pravarum opinionum erroribus, tuto militare, et tanquam navis in tranquillo mari, sedatis omnium tempestatum fluctibus ac procellis, secure navigare, et ad optatum salutis portum pervenire possit.

Pro rei gravitate, coram aliquibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus ad id specialiter sæpius congregatis, ac pluribus in sacra Theologia magistris, easdem quinque Propositiones, ut supra nobis oblatas, fecimus singillatim diligenter examinari : eorumque suffragia, tum voce, tum scripto relata mature consideravimus : eosdemque magistros, variis coram nobis actis Congregationibus prolixe super eisdem, ac super earum qualibet disserentes audivimus.

Cum autem ab initio hujuscemodi discussionis ad divinum implorandum auxilium, multorum Christi fidelium preces, tum privatim, tum publice indixissemus, postmodum iteratis eisdem ferventius, ac per nos sollicite implorata Sancti spiritus assistentia, tandem divino Numine favente, ad infrascriptam devenimus declarationem et definitionem.

Primam prædictarum propositionum, *Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, et conantibus, secundum præsentes quas habent vires, sunt impossibilia, deest quoque illis gratia qua possibilia fiant :* Temerariam, impiam, blasphemam, anathemate damnandam, et hæreticam declaramus, et uti talem damnamus. Secundum, *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ, nunquam resistitur :* hæreticam declaramus, et uti talem damnamus.

Tertiam, *ad merendum et demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas a coactione :* hæreticam declaramus, et uti talem damnamus.

Quartam Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei : et in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare : falsam et hæreticam declaramus, et uti talem damnamus.

Quintam, Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse : falsam, temerariam, scandalosam, et intellectam eo sensu, ut Christus pro salute duntaxat prædestinatorum mortuus sit, impiam, blasphemam, contumeliosam, divinæ pietati derogantem, et hæreticam declaramus, et uti talem damnamus.

Mandamus igitur omnibus Christi fidelibus utriusque sexus, ne de dictis propositionibus sentire, docere, prædicare, aliter præsumant, quam in hac præsenti nostra declaratione et definitione continetur, sub censuris et pœnis contra hæreticos et eorum fautores in jure expressis.

Præcipimus pariter omnibus patriarchis, archiepiscopis, episcopis, aliisque

locorum Ordinariis, nec non hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, ut contradictores et rebelles quoscumque per censuras et pœnas prædictas cæteraque juris et facti remedia opportuna, invocata etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis, omnino coerceant et compescant.

Non intendentes tamen per hanc declarationem et definitionem super prædictis quinque Propositionibus factam, approbare ullatenus alias opiniones, quæ continentur in prædicto libro Cornelii Jansenii.

Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ 1625. pridiæ Kalendas Junii, Pontificatus nostri anno nono.

Hi daturius.

P. Gualterius.

P. Ciampinus.

---

## DECRETUM

## ALEXANDRI DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ VII.

*Prius adversus propositiones* 28. *scandalosas, et perniciosas in praxi.*

Feria V. die 24. Septembris 1665.

Sanctiosimus D. N. audivit, non sine magno animi sui mœrore, complures opiniones Christianæ disciplinæ relaxativas, et animarum perniciem inferentes ; partim antiquatas iterum suscitari, partim noviter prodire : et summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excrescere, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit alienus omnino ab Evangelica simplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina, et quæ si pro recta regula fideles in praxi sequerentur, ingens irreptura esset vitæ Christianæ corruptela : Quare ne ullo unque tempore viam salutis, quam suprema veritas Deus, cujus verba in æternum permanent, arctam esse definivit, in animarum perniciem dilatari, seu verius perverti contingeret, idem Sanctissimus D. N. ut oves sibi creditas ab ejusmodi spatiosa, lataque, per quam itur ad perditionem, via, pro Pastorali sollicitudine in rectam semitam evocaret, earumdem opinionum examen pluribus in sacra Theologia Magistris, ac deinde Eminentissimis, et Reverendissimis DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem generalibus Inquisitoribus serio commisit : qui tantum negotium strenue aggressi, eique sedulo incumbentes, et mature discussis usque ad hanc diem infrascriptis Propositionibus, super unaquaque ipsarum sua suffragia Sanctitati suæ sigillatim exposuerunt.

I. Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei, et charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.

II. Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

III. Sententia asserens, bullam Cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis, et aliorum criminum, quando publica sunt, et id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629. 18. Julii, in Consisterio sacræ congregationis eminentissimorum cardinalium visa et tolerata est.

IV. Prælati regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscumque sæculares ab hæresi occulta, et ab excommunicatione propter eam incursa.

V. Quamvis videnter tibi constet. Petrum esse hæreticum, non teneris denuntiare, si probare non possis.

VI. Confessarius, qui in sacramentali confessione tribuit pœnitenti chartam postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitasse in confessione, ac proinde non est denuntiandus.

VII. Modus evadendi obligationem denuntiandæ sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic potest ipsum absolvere absque onere denuntiandi.

VIII. Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post decretum Urbani VIII.

IX. Post Decretum Urbani potest Sacerdos, cui missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere collato illi minore stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.

X. Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere et sacrificium unum offerre : neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam, promissione etiam juramento firmata, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.

XI. Peccata in confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere.

XII. Mendicantes possunt absolvere a casibus episcopis reservatis, non obtenta ad id episcoporum facultate.

XIII. Satisfacit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur regulari, episcopo præsentato, sed ab eo injuste reprobato.

XIV. Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.

XV. Pœnitens propria auctoritate substituere sibi alium potest qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.

XVI. Qui beneficium curatum habent possunt sibi eligere in confessarium simplicem sacerdotem non approbatum ab Ordinario.

XVII. Est licitum religioso, vel clerico calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit ; uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus, vel ipsi, religioso, vel ejus religioni, publice et coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur.

XVIII. Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.

XIX. Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.

XX. Restitutio a S. Pio V. imposita beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam judicis, eo quod sit pœna.

XXI. Habens capellaniam collativam, aut quodvis aliud beneficium ecclesiasticum, si studio litterarum, vacet, satisfacit suæ obligationi, si officium per alium recitet.

XXII. Non est contra justitiam beneficia ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia ecclesiastica pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

XXIII. Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta, quia non vult se subjicere præcepto.

XXIV. Mollities, sodomia, et bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ, ideoque sufficit dicere in confessione se procurasse pollutionem.

XXV. Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit confessionis præcepto, dicens, commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.

XXVI. Quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest ju-

dex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.

XXVII. Si liber sit alicujus junioris et moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse a sede Apostolica tanquam improbabilem.

XXVIII. Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a principe promulgatam.

Quibus peractis dum similium propositionum examini cura, et studium impenditur, interea idem Sanctissimus re mature considerata statuit, et decrevit, prædictas propositiones, et unamquamque ipsarum, ut minimum tanquam scandalosas esse damnandas, et prohibendas, sicut eas damnat, ac prohibet; ita ut quicumque illas, aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, a qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, nisi a pro tempore existente Romano Pontifice absolvi.

Insuper districte in virtute sanctæ obedientiæ, et sub interminatione divini judici prohibet omnibus Christi fidelibus cujuscumque conditiones dignitatis, ac status, etiam speciali, ac specialissima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant. Sanctissimus D. N. post latum decretum die 24. Septembris proxime elapsi, quo viginti octo propositiones damnatæ fuerunt, examinatis sedulo, et accurate usque ad hanc diem infrascriptis aliis quadragesimum quintum numerum complentibus, per plures in sacra theologia magistros, ac per eminentissimos, et reverendissimos D. D. Cardinales adversus hæreticam pravitatem generales Inquisitores, eorum suffragia sigillatim super unaquaque ipsarum audivit.

## PROPOSITIONES ALIÆ.

XXIX. In die jejunii qui sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.

XXX. Omnes officiales, qui in republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificari, an labor sit compatibilis cum jejunio.

XXXI. Excusantur absolute a præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, etiamsi iter unius diei conficiant.

XXXII. Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova et lacticinia in Quadragesima obliget.

XXXIII. Restitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri potest per quascumque eleemosynas, quas antea beneficiarius de fructibus sui beneficii fecerit.

XXXIV. In die Palmarum recitans officium paschale satisfacit præcepto.

XXXV. Unico officio potest quis satisfacere duplici præcepto, pro die præsenti, et crastino.

XXXVI. Regulares possunt in foro conscientiæ uti privilegiis suis, quæ sunt expresse revocata per concilium Tridentinum.

XXXVII. Indulgentiæ concessæ regularibus, et revocatæ a Paulo V. hodie sunt revalidatæ.

XXXVIII. Mandatum Tridentini factum sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quam primum, est consilium non præceptum.

XXXIX. Illa particula *quam primum* intelligitur, cum sacerdos suo tempore confitebitur.

XL. Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem et sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, et pollutionis.

XLI. Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo *regalo*, dum deficiente illo, nimis ægre ageret vitam, et aliæ

epulæ tædio magno concubinarium afficerent, et alia famula nimis difficile inveniretur.

XLII. Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.

XLIII. Annuum legatum pro anima relictum non durat plus, quam per decem annos.

XLIV. Quoad forum conscientiæ, reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessant censuræ.

XLV. Libri prohibiti donec expurgentur possunt retineri, usque dum adhibita diligentia corrigantur.

Quibus nature pensatis, idem Sanctissimus statuit ac decrevit prædictas propositiones, et unamquamque ipsarum, ut minimum tanquam scandalosas esse damnandas et prohibendas, sicuti eas damnat ac prohibet. Ita ut quicumque illas etc. uti in priore decreto.

Insuper districte in virtute sanctæ obedientiæ etc. ut in priore etiam decreto.

---

## INNOCENTII DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ X.

### DECRETUM

*Contra propositiones* 65. *scandalosas, et in praxi perniciosas.*

Feria V. die 2. Martii 1679.

Sanctissimus D. N. Innocentius Papa XI. prædictus, ovium sibi a Deo creditarum saluti sedulo incumbens, et salubre opus in segregandis noxiis doctrinarum pascuis ab innoxiis a fel. record. Alexandro VII. Prædecessore suo inchoatum prosequi volens, plurimas propositiones, partim ex diversis vel libris, vel thesibus, seu scriptis excerptas, et partim noviter adinventas, Theologorum plurium examini, et deinde Eminentissimis, et Reverendissimis Dominis Cardinalibus contra hæreticam pravitatem generalibus Inquisitoribus subjecit. Quibus propositionibus sedulo, et accurate sæpius discussis, eorumdem Eminentissimorum Cardinalium, et theologorum votis per Sanctitatem suam auditis, idem Sanctissimus D. N. re postea mature considerata, statuit, et decrevit pro nunc sequentes propositiones, et unamquamque ipsarum, sicut jacent, ut minimum tanquam scandalosas, et in praxi perniciosas esse damnandas, et prohibendas, sicuti eas damnat, et prohibet. Non intendens tamen Sanctitas sua per hoc decretum alias propositiones in ipso non expressas, et Sanctitati suæ quomodolibet, et ex quacumque parte exhibitas, vel exhibendas, ullatenus approbare.

I. Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi. Ordinis sacerdotalis, aut episcopalis.

II. Probabiliter existimo judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.

III. Generatim dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.

IV. Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili.

V. An peccet mortaliter qui actus dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret condemnare non audemus.

VI. Probabile, est ne singulis quidem

rigorose quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum.

VII. Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, et non habemus aliam viam, qua justificari possumus.

VIII. Comedere, et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.

IX. Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum, omni penitus caret culpa ac defectu veniali.

X. Non tenemur proximum diligere actu interno, et formali.

XI. Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.

XII. Vix in sæcularibus invenies, etiam in regibus, superfluum statui; et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui.

XIII. Si cum debita moderationes facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, et de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere et desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.

XIV. Licitum est absoluto desiderio cupere mortem Patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas.

XV. Licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas.

XVI. Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, et secundum se.

XVII. Satis est actum Fidei semel in vita elicere.

XVIII. Si a potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo, et fidei gloriosum consulo; tacere ut peccaminosum per se non damno.

XIX. Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in se ipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.

XX. Hinc potest quis prudenter repudiare, assensum, quem habebat supernaturalem.

XXI. Assensus fidei supernaturalis, et utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis, imo cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus.

XXII. Nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita remuneratoris.

XXIII. Fides late dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo ad justificationem sufficit.

XXIV. Vocare Deum in testem mendacii levis non est tanto irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.

XXV. Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.

XXVI. Si quis, vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive quocumque alio fine juret se non fecisse aliquid, quod revera fecit; intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus.

XXVII. Causa justa utendi his amphibologiis est quoties id necessarium aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, et studiosa.

XXVIII. Qui mediante commendatione vel munere ad magistratum vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum: quod de mandato regis a similibus solet exigi: non habito respecfu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

XXIX. Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi.

XXX. Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre,

si aliter hæc ignominia vitari nequit ; idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, et post impactam alapam vel ictum fustis fugiat.

XXXI. Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.

XXXII. Non solum licitum est defendere defensione occisiva quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, et quæ nos possessuros speramus.

XXXIII. Licitum est tam hæredi, quam legatario contra injuste impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere, sicut et jus habenti in cathedram, vel præbendam contra eorum possessionem injuste impedientem.

XXXIV. Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.

XXXV. Videtur probabile omnem fœtum quamdiu in utero est, carere anima rationali, et tunc primum incipere eamdem habere, cum paritur, ac consequenter dicendum erit in nulo abortu homicidium committi.

XXXIV. Permissum est furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.

XXXVII. Famuli et famulæ domesticæ possunt occulte hæris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario quod recipiunt.

XXXVIII. Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.

XXXIX. Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.

XL. Contractus mohatra licitus est etiam respectu ejusdem personæ et cum contractu retrovenditionis prævie inito, cum intentione lucri.

XLI. Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, et nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quam futuram ; potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, et eo titulo ab usura excusari.

XLII. Usura non est, dum ultra sortem aliquod exigitur, tanquam ex benevolentia, et gratitudine debitum, sed solum si exigatur tanquam ex justitia debitum.

XLIII. Quidni nonnisi veniale sit detrahentis auctoritatem magnam, sibi noxiam, falso crimine elidere ?

XLIV. Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam, et honorem defendat ; Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in theologia.

XLV. Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed duntaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut e contra.

XLVI. Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale, imo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sicut illud pluris æstimetur, quam res spiritualis.

XLVII. Cum dixit concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes, mortaliter peccare, qui, nisi quos digniores, et Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, ad ecclesias promovent, Concilium, vel primo videtur per hoc, *digniores*, non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo ; vel secundo, locutione minus propria ponit digniores, ut excludat indignos, non vero dignos ; vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus.

XLVIII. Tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, et solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.

XLIX. Mollities jure naturæ prohibita non est ; unde si Deus eam non interdi-

xisset, sæpe esset bona, et aliquando obligatoria sub mortali.

L. Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium, ideoque sufficit in confessione dicere se esse fornicatum.

LI. Famulus, qui submissis humeris, scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, et multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta, ne a Domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.

LII. Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.

LIII. Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor, simul a diversis celebrantibus audit.

LIV. Qui non potest recitare matutinum, et laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.

LV. Præcepto communionis annuæ satisfit per sacrilegam Corporis Domini manducationem.

LVI. Frequens confessio, et communio etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis.

LVII. Probabile est sufficere attritionem naturalem, modo honestam.

LVIII. Non tenemur confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.

LIX. Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos, ratione magni concursus pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis, aut indulgentiæ.

LX. Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, vel Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat se dolere, et proponere emendationem.

LXI. Potest aliquando absolvi, qui in proxima peccandi occasione versatur, quam potest, et non vult omittere, quinimo directe, et ex proposito quærit, aut ei se ingerit.

LXII. Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.

LXIII. Licitum est quærere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali vel temporali, nostro, vel proximi.

LXIV. Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, et etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium sanctissimæ Trinitatis, et Incarnationis Domini nostri Jesu Christi.

LXV. Sufficit illa mysteria semel credidisse.

Quicumque autem cujusvis conditionis, status et dignitatis, illas vel illarum aliquam, conjunctim, vel divisim defenderit, vel ediderit, vel de eis disputative, publice aut privatim tractaverit, vel prædicaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidiat in excommunicationem latæ sententiæ, a qua non possit præterquam in articulo mortis ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, nisi pro tempore existente Romano Pontifice absolvi. Insuper districte in virtute sanctæ obedientiæ, et sub interminatione divini judicii prahibet omnibus Christi fidelibus, cujuscumque conditionis, dignitatis, et status, etiam speciali et specialissima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

Tandem ut ab injuriosis contentionibus doctores, seu scholastici, aut alii quicumque in posterum se abstineant, et ut paci et charitati consulatur, idem Sanctissimus in virtute sanctæ obedientiæ eis præcipit, ut tam in libris imprimendis, ac manuscriptis, quam in thesibus, disputionibus, ac prædicationibus caveant ab omni censura, et nota, necnon a quibuscumque conviciis contra eas proposi-

tiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur, donec a S. Sede recognitæ super iisdem propositionibus judicium proferatur.

---

CONSTITUTIO

INNOCENTII XI.

*Proscribentis octo et sexaginta Theses, quæ prætextu Orationis qui etis a Michæle de Molinos decebantur.*

—

INNOCENTIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuum rei memoriam.

Cœlestis pastor Christus Dominus, ut jacentes in tenebris mundum, variisque gentium erroribus involutum a potestate diaboli, sub qua misere post lapsum primi parentis tenebatur, sua ineffabili miseratione liberaret, carnem sumere, et in ligno crucis chirographo redemptionis nostræ affixo, in testimonium suæ in nos charitatis sese hostiam viventem Deo pro nobis offerre dignatus est, mox rediturus in cœlum Ecclesiam Catholicam sponsam suam tanquam civitatem sanctam Jerusalem descendentem de cœlo, non habentem rugam, neque maculam, unam, sanctamque in terris relinquens armis potentiæ suæ contra portas inferi circumvallatam, Petro Apostolorum principi, et successoribus ejus regendam tradidit, ut doctrinam ab ipsius ore haustam, sartam, tectamque custodirent, ne oves pretioso suo sanguine redemptæ pravarum opinionem pabulo in antiquos errores reciderent; quod præcipue Beato Petro mandasse sacræ Litteræ docent, cui enim Apostolorum, nisi Petro dixit : *Pasce oves mas;* et rursus, *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos?* Quare nobis, qui non nostris meritis, sed incrustabili Dei Omnipotentis consilio in ejusdem Petri cathedra pari potestate sedemus, semper fixum in animo fuit, ut populus Christianus eam sectaretur fidem, quæ a Christo Domino per Apostolos suos perpetua, et nunquam interrupta traditione prædicata fuit, quamque ipse usque ad sæculi consummationem permansuram esse promisit.

Cum igitur ad Apostolatum nostrum relatum fuisset quemdam *Michaelem de Molinos* prava dogmata, tum verbo, tum scripto docuisse, et in praxim deduxisse, quæ prætextu orationis quietis contra doctrinam, et usum a sanctis Patribus ab ipsis nascentis Ecclesiæ primordiis receptum, fideles a vera religione, et a christianæ pietatis puritate in maximos errores, et turpissima quæque inducebant : Nos, cui semper cordi fuit, ut fidelium animæ nobis ex alto commissæ purgatis pravarum opinionum erroribus, ad optatum salutis portum tuto pervenire possint, legitimis præcedentibus indiciis prædictum Michaelem de Molinos carceribus mancipari mandavimus, deinde coram nobis et vulnerabilibus nostris S. R. E. Cardinalibus, in tota Repub. christiana generalibus Inquisitoribus, Apostolica auctoritate specialiter deputatis, auditis pluribus in sacra theologia magistris, eorumque suffragiis tum voce, tum scripto susceptis, matureque perpensis : implorata etiam sancti Spiritus assistentia, cum prædictorum Fratrum nostrorum unanimi voto ad damnationem infrascriptarum propositionum ejusdem Michaelis de Molinos, a quo fuerunt pro suis recognitæ, et de quibus propositionibus tanquam a se dictatis, scriptis, communicatis et creditis ipse

convictus et respective confessus fuerat, ut latius in processu et decreto de decreto de mandato nostro lato die 28. Augusti præsentis anni 1867, devenire ut infra decrevimus.

PROPOSITIONES.

I. Oportet hominem suas potentias annihilare ; et hæc est via interna.

II. Velle operari active est Deum offendere, qui vult esse ipse solus agens ; et ideo opus est seipsum in Deo totum et totaliter derelinquere, et postea permanere valut corpus exanime.

III. Vota de aliquo faciendo sunt perfectionis impeditiva.

IV. Activitas naturalis est gratiæ inimica, impeditque Dei operationes, et veram perfectionem, quia Deus operari vult in nobis sine nobis.

V. Nihil operando anima se annihilat, et ad ipsum principium redit, et ad suam originem quæ est essentia Dei, in qua transformata remanet, ac divinizata, et Deus tunc in seipso remanet, quia tunc non sunt amplius duæ res unitæ, sed una tantum, et hac ratione Deus vivit, et regnat in nobis, et anima seipsam annihilat in esse operativo.

VI. Via interna est illa qua non cognoscitur, nec lumen, nec amor, nec resignatio et non oportet Deum cognoscere ; et hoc modo recte proceditur.

VII. Non debet anima cogitare, nec de præmio, nec de punitione, nec de paradiso, nec de inferno, nec de morte, nec de æternitate.

VIII. Non debet velle scire, an gradiatur cum voluntate Dei, an cum eadem voluntate resignata maneat, necne, nec opus est ut velit cognoscere suum statum, nec proprium nihil, sed debet ut corpus exanime manere.

IX. Non debet anima reminisci, nec sui, nec Dei, nec cujuscumque rei, et in via interna omnis reflexio est nociva, etiam reflexio ad suas humanas actiones, et ad proprios defectus.

X. Si propriis defectibus alios scandalizet, non est necessarium reflectere, dummodo non adsit voluntas scandalizandi ; et ad proprios defectus non posse reflectere, gratia Dei est.

XI. Ad dubia quæ occurrunt, an recte procedatur, necne, non est opus reflectere.

XII. Qui suum liberum arbitrium Deo donavit, de nulla re debet curam habere nec de inferno, nec de paradiso, nec debet desiderium habere propriæ perfectionis nec virtutem, nec propriæ sanctitatis, nec propriæ salutis, cujus spem expurgare debet.

XIII. Resignato Deo libero arbitrio, eidem Deo relinquenda est cogitatio, et cura de omni re nostra, et relinquere ut faciat in nobis sine nobis suam divinam voluntatem.

XIV. Qui Divinæ voluntati resignatus est, non convenit ut a Deo rem aliquam petat quia petere est imperfectio, cum sit actus propriæ voluntatis, et electionis, et est velle quod divina voluntas nostræ conformetur, et non quod nostra divinæ, et illud Evangelii, *Petite et accipietis*, non est dictum a Christo pro animabus internis, quæ nolunt habere voluntatem. Imo hujusmodi animæ eo perveniunt, ut non possint a Deo rem aliquam petere.

XV. Sicut non debent a Deo rem aliquam petere, ita nec illi ob rem aliquam gratias agere debent, quia utrumque est actus propriæ voluntatis.

XVI. Non convenit indulgentias quærere pro pœna propriis peccatis debita, quia melius est divinæ justitiæ satisfacere quam divinam misericordiam quærere ; quoniam illud ex puro Dei amore procedit, et istud ab amore nostri interessato ; nec est res Deo grata, nec meritoria, quia est velle crucem fugere.

XVII. Tradito Deo libero arbitrio et eidem relicta cura, et cogitatione animæ nostræ, non est amplius habenda ratio

tentationum ; nec eis alia resistentia fieri debet, nisi negativa, nulla adhibita industria ; et si natura commovetur, oportet sinere, ut commoveatur, quia est natura.

XVIII. Qui in oratione utitur imaginibus, figuris, speciebus, et propriis conceptibus, non adorat Deum in spiritu, et veritate.

XIX. Qui amat Deum eo modo, quo ratio argumentatur, aut intellectus comprehendit, non amat verum Deum.

XX. Asserere quod in oratione opus est sibi per discursum auxilium ferre, et per cogitationes, quando Deus animam non alloquitur, ignorantia est. Deus nunquam loquitur, ejus locutio est operatio ; et semper in anima operatur, quando hæc suis discursibus, cogitationibus, et operationibus eum non impedit.

XXI. In oratione opus est manere in fide obscura, et universali, cum quiete, et oblivione cujuscumque cogitationis particularis, ac distinctæ attributorum Dei, ac Trinitatis, et sic in Dei præsentia manere ad illum adorandum et amandum, eique inserviendum, sed absque productione actuum, quia Deus in his sibi non complacet.

XXII. Cognitio hæc per fidem non est actus a creatura productus, sed est cognitio a Deo creaturæ tradita quem creatura se habere non cognoscit, nec postea cognoscit se illam habuisse, et idem dicitur de amore.

XXIII. Mystici cum S. Bernardo in scala Claustralium distinguunt quatuor gradus, Lectionem, Meditationem, Orationem, et Contemplationem infusam. Qui semper in primo sistit, nunquam ad secundum pertransit. Qui semper in secundo persistit nunquam ad tertium pervenit, qui est nostra contemplatio acquisita, in qua per totam vitam persistendum est, dummodo Deus animam non trahat, absque eo quod ipsa id expectet, ad contemplationem infusam : et hac cessante, anima regredi debet ad tertium gradum, et in ipso permanere, absque eo quod amplius redeat ad secundum, aut primum.

XXIV. Qualescumque cogitationes in oratione occurrant, etiam impuræ, etiam contra Deum, Sanctos, fidem, et Sacramenta, si voluntarie non nutriantur, nec voluntarie expellantur, sed cum indifferentia, et resignatione tolerentur, non impediunt orationem fidei : imo eam perfectiorem efficiunt, quia anima tunc magis divinæ voluntati resignata remanet.

XXV. Etiamsi supervèniat somnus, et dormiatur, nihilominus fit oratio, et contemplatio actualis ; quia oratio et resignatio, resignatio et oratio idem sunt ; et dum resignatio perdurat, perdurat et oratio.

XXVI. Tres illæ viæ : purgativa, illuminativa, et unitiva est absurdum maximum, quod dictum fuerit in mystica ; cum non sit nisi unica via, scilicet via interna.

XXVII. Qui desiderat, et amplectitur devotionem sensibilem, non desiderat, nec quærit Deum, sed seipsum ; et male agit, cum eam desiderat, et eam habere conatur, qui per viam internam incedit, tam in locis sacris quam in diebus solemnibus.

XXVIII. Tædium rerum spiritualium bonum est siquidem per illud purgatur amor proprius.

XXIX. Dum anima interna fastidit discursus de Deo, et virtutes, et frigida remanet, nullum in se ipsa sentiens fervorem, bonum signum est.

XXX. Totum sensibile, quod exprimitur in vita spirituali, est abominabile, spurcum, et immundum.

XXXI. Nullus meditativus veras virtutes exercet internas, quæ non debent a sensibus cognosci. Opus est amittere virtutes.

XXXII. Nec ante nec post communionem alia requiritur præparatio, aut gratiarum actio pro istis animabus internis quam permanentia in solita resignatione passiva, quia modo perfectiore supplet omnes actus virtutem, qui possunt, et fiunt in via ordinaria. Et si hac occasione communionis insurgunt motus humilia-

tionis, petitionis, aut gratiarum actionis, reprimendi sunt, quoties non dignoscatur eos esse ex impulsu speciali Dei : alias sunt impulsus naturæ nondum mortuæ.

XXXIII. Male agit anima, quæ procedit per hanc viam internam, si in diebus solemnibus, vult aliquo conatu particulari excitare in se devotum aliquem sensum ; quoniam animæ internæ omnes dies sunt et æquales, omnes festivi. Et idem dicitur de locis sacris, quia hujusmodi animabus omnia loca æqualia sunt.

XXXIV. Verbis et lingua gratias agere Deo, non est pro animabus internis, quæ in silentio manere debent, nullum Deo impedimentum apponendo, quod operetur in illis ; et quo magis Deo se resignant, experiuntur se non posse Orationem Dominicam, seu Pater Noster recitare.

XXXV. Non convenit animabus hujus viæ internæ, quod faciant operationes, etiam virtuosas ex propria electione et activitate, alias non essent mortuæ : nec debent elicere actus amoris erga B. Virg. Sanctos, aut humanitatem Christi ; quia cum ista objecta sensibilia sint, talis est amor erga illa.

XXXVI. Nulla creatura nec B. Virgo, nec Sancti sedere debent nostro in corde, quia solus Deus vult illud occupare, et possidere.

XXXVII. In occasione tentationum, etiam furiosarum, non debet anima elicere actus explicitos virtutum oppositarum, sed debet in supradicto amore, et resignatione permanere.

XXXVIII. Crux voluntaria mortificationum pondus grave est, et infructuosum ideoque dimittenda.

XXXIX. Sanctiora opera, et pœnitentiæ, quas peregerunt Sancti, non sufficiunt ad removendam ab anima vel unicam adhæsionem.

XL. Beata Virgo nullum unquam opus exterius peregit, et tamen fuit Sanctis omnibus sanctior. Igitur ad sanctitatem perveniri potest absque opere exteriori.

XLI. Deus permittit, et vult ad nos humiliandos, et ad veram transformationem perducendos, quod in aliquibus animabus perfectis, etiam non arreptitiis, dæmon violentiam inferat earum corporibus, easque actus carnales committere faciat, etiam in vigilia, et sine mentis offuscatione, movendo physice illorum manus, et alia membra contra earum voluntatem. Et idem dicitur quoad alios per se peccaminosos, in quo casu non sunt peccata, quia his non adest consensus.

XLII. Potest dari casus, quod hujusmodi violentiæ ad actus carnales contingant eodem tempore ex parte duarum personarum scilicet maris, et fœminæ, et ex parte utriusque sequatur actus.

XLIII. Deus præteritis sæculis Sanctos efficiebat tyrannorum ministerio, nunc vero eos efficit sanctos ministerio dæmonum, qui causando in eis prædictas violentias, facit ut illi seipsos magis despiciant, atque annihilent, et se Deo resignent.

XLIV. Job blasphemavit, et tamen non peccavit labiis suis, quia fuit ex dæmonis violentia.

XLV. S. Paulus hujusmodi dæmonis violentias in suo corpore passus est, unde scripsit ; *Non quod volo bonum, hoc ago, sed quod nolo malum, hoc facio.*

XLVI. Hujusmodi violentiæ sunt medium magis proportionatum ad annihilandam animam, et ad eam ad veram transformationem et unionem perducendam, nec alia superest via, et hæc est via facilior, ut tutior.

XLVII. Cum hujusmodi violentiæ occurrunt, sinere oportet ut satanas operetur, nullam adhibendam industriam, nullumque proprium conatum, sed permanere debet homo in suo nihilo ; et etiamsi sequantur pollutiones, et actus obscœni propriis manibus, et etiam pejora, non opus est seipsum inquietari, sed foras emittendi sunt scrupuli, dubia, et timores, quia anima fit magis illuminata, magis roborata, magisque candi-

da, et acquiritur sancta libertas. Et præ omnibus non opus est hæc confiteri, et sanctissime fit non confitendo, quia hoc pacto superatur dæmon et acquiritur thesaurus pacis.

XLVIII. Satanas qui hujusmodi violentias infert, suadet deinde gravia esse delicta, ut anima se inquietet, ne in via interna ulterius progrediatur ; unde ad ejus vires, enervandas melius est ea non confiteri, quia non sunt peccata, nec etiam venialia.

XLIX. Job ex violentia dæmonis se propris manibus polluebat, eodem tempore quo mundas habebat ad Deum preces sic interpretando locum ex capite 19. Job.

L. David, Jeremias, et multi ex Sanctis prophetis hujusmodi violentias patiebantur harum impurarum operationum externarum:

LI. In sacra Scriptura multa sunt exempla violentiarum ad actus externos peccaminosos : uti illud de Sampsone, qui per violentiam seipsum occidit, cum Philisthæis conjugium iniit alienigena et cum Dalila meretrice fornicatus est, quæ alias erant prohibita, et peccata fuissent ; et Juditha, quæ Holoferni mentita fuit ; de Eliseo, qui pueris maledixit : de Elia, qui combussit duces cum turmis regis Achab. An vero fuerit violentia immediate a Deo peracta, vel dæmonum ministerio, ut in aliis animabus contingit in dubio relinquitur.

LII. Cum hujusmodi violentiæ etiam impuræ absque mentis offuscatione accidunt, tunc anima Deo potest uniri, et de facto semper magis unitur.

LIII. Ad cognoscendum in praxi, an aliqua operatio in aliis personis fuerit violentia, regula quam de hoc habeo, nedum sunt protestationes animarum illarum, quæ protestantur se dictis violentiis non consensisse aut jurare non posse, quod iis consenserint, et viderit, et videre quod sint animæ, quæ proficiunt in via interna ; sed regulam sumerem a lumine quodam actuali cogitatione humana ac Theologica superiore, quod me certo cognoscere facit cum interna certitudine quod talis operatio est violentia, et certus sum quod hoc lumen a Deo procedit, quia ad me provenit conjunctum cum certitudine quod a Deo proveniat et mihi nec umbram dubii relinquit in contrarium : eo modo quo interdum contingit quod Deus aliquid revelando, eodem tempore animam certam reddit, quod ipse sit qui revelat, et anima in contrarium non potest dubitare.

LIV. Spirituales vitæ ordinariæ in hora mortis se delusos invenient, et confusos, et cum omnibus passionibus in alio mundo purgandis.

LV. Per hanc viam internam pervenitur, etsi multa cum sufferentia, ad purgandas, et exstinguendas omnes passiones, ita quod nihil amplius sentitur, inquietudo sicut corpus mortuum, nec anima se amplius commoveri sinit.

LVI. Duæ leges, et duæ cupiditates, animæ una, et amoris proprii altera tandiu perdurant, quamdiu perdurat amor proprius; unde quando hic purgatus est, et mortuus, ut si per viam internam, non adsunt amplius illæ duæ leges, et duæ cupiditates, nec ulterius lapsus aliquis incurritur, nec aliquid sentitur amplius, ne quidem veniale peccatum.

LVII. Per contemplationem acquisitam pervenitur ad statum non faciendi amplius peccata nec mortalia, nec venialia.

LVIII. Ad hujusmodi statum pervenitur non reflectendo amplius ad proprias operationes, quia defectus ex reflexione oriuntur.

LIX. Via interna sejuncta est a confessione a confessariis, et a casibus conscientiæ a Theologia et philosophia.

LX. Animabus provectis quæ reflexionibus mori incipiunt, et eo etiam perveniunt ut sint mortuæ, Deus confessionem aliquando efficit impossibilem, et supplet ipse tanta gratia præservante, quantam, in sacramento reciperent ; et ideo hujusmodi animabus non est bo-

num in tali casu ad sacramentum pœnitentiæ accedere, quia id est in illis impossibile.

LXI. Anima cum ad mortem mysticam pervenit, non potest amplius aliud velle, quam quod Deus vult, quia non habet amplius voluntatem, et Deus illi eam abstulit.

LXII. Per viam internam pervenitur ad continuum statum immobilem in pace imperturbabili.

LXIII. Per viam internam pervenitur etiam ad mortem sensuum ; quinimo signum quod quis in statu nihilitatis maneat, id est mortis mysticæ, est si sensus exteriores non repræsentent amplius res sensibiles, unde sint, ac si non essent, quia non perveniunt ad faciendum, quod intellectus se ad eas applicet.

LXIV. Theologus minorem dispositionem habet, quam homo rudis, ad statum contemplativi : primo quia non habet fidem adeo puram ; secundo quia non est adeo humilis ; tertio quia non adeo curat propriam salutem ; quarto, quia caput refertum habet phantasmatibus, in speciebus, opinionibus, et speculationibus, et non potest in illum ingredi verum lumen.

LXV. Præpositis obediendum est in exteriore, et latitudo voti obedientiæ religiosorum tantummodo ad exterius pertingit. In interiore, vero aliter se res habet, quo solus Deus, et director intrant.

LXVI. Risu digna est nova quædam doctrina in Ecclesia Dei, quod anima quoad internum gubernari debeat ab episcopo : quod si episcopus non sit capax anima ipsum cum suo directore adeat. Novam dico doctrinam, quia nec sacra Scriptura, nec concilia, nec canones, nec bulla, nec sancti, nec authores eam unquam tradiderunt, nec tradere possunt, quia Ecclesia, non judicat de occultis, et anima jus habet eligendi quemcumque sibi bene visum.

LXVII. Dicere quod internum manifestandum est exteriori tribunali præpositorum, et quod peccatum sit id non facere, est manifesta deceptio, quia Ecclesia non judicat de occultis ; et propriis animabus præjudicant his deceptionibus et simulationibus.

LXVIII. In mundo non est facultas, nec jurisdictio ad præcipiendum, ut manifestentur epistolæ directoris quoad internum animæ, et ideo opus est animadvertere, quod hoc est insultus satanæ.

Quas quidem propositiones tanquam hæreticas, suspectas, erroneas, scandalosas, blasphemas, piarum aurium offensivas, temerarias, Christianæ disciplinæ relaxativas, eversivas, et seditiosas respective, ac quæcumque super iis verbo, scripto vel typis emissa, pariter cum voto eorumdem Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, et Inquisitorum generalium, damnavimus, circumscripsimus, et abolevimus ; deque eisdem, et similibus omnibus, et singulis posthac quoquo modo loquendi, scribendi, disputandi, easque credendi, tenendi, docendi, aut in praxim reducendi facultatem quibuscumque interdiximus, et contra facientes, omnibus dignitatibus, gradibus, honoribus beneficiis, et officiis ipso facto, perpetuo privavimus, et inhabiles ad quæcumque decrevimus vinculoque etiam anathemathis eo ipso innodavimus, a quo nisi a nobis, et a Romanis Pontificibus successoribus nostris valeat absolvi. Præterea eodem nostro decreto prohibuimus ; et damnavimus omnes libros, omniaque opera, quocumque loco, et idiomate impressa, nec non omnia manuscripta ejusdem *Michaelis de Molinos,* vetuimusque, ne quis, cujuscumque gradus, conditionis, vel status, etiam speciali nota dignus audeat sub quovis prætextu, quolibet pariter idiomate, sive sub ejusdem verbis sub æqualibus aut æquipollentibus, sive absque nomine, seu ficto, aut alieno nomine, ea imprimi facere, neque impressa, seu manuscripta legere, vel apud se retinere, sed Ordinariis locorum aut hæreticæ pravitatis Inquisitoribus statim tradere, et consignare teneantur, sub eisdem pœnis

superius inflictis, qui Ordinarii et Inquisitores statim ea igni comburi faciant.

Tandem ut prædictus *Michael de Molinos*, ob hæreses, errores et turpia facta prædicta, debitis pœnis in aliorum exemplum, et ipsius emendationem plecteretur, lecto in eadem nostra congregatione toto processu, et auditis dilectis filiis consultoribus nostræ sanctæ Inquisitionis officii in sacra theologia, et jure pontificio magistris, cum eorumdem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium unanimi voto, dictum *Michaelem de Molinos*, tanquam reum convictum, et confessum respective, et uti hæreticum formalem, licet pœnitentem, in pœnam arcti, et perpetui carceris, et ad peragendas alias pœnitentias salutares, prævia tamen abjuratione de formali per ipsum emittenda, servato juris ordine, damnavimus : Mandantes ut die et hora præfigendis in ecclesia Sanctæ Mariæ supra Minervam hujus almæ urbis, præsentibus omnibus venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, et Romanæ curiæ nostræ prælatis ; universoque populo ad id etiam per concessionem indulgentiam convocando, ex alto tenor processus, stante in suggestu eodem *Michaele de Molinos*, una cum sententia inde sequuta legeretur ; et [illegible] quam idem *de Molinos* habitu pœnitentiæ indutus prædictos errores, et hæreses publice abjurasset, facultatem dedimus dilecto filio nostri sancti officii commissario, ut eum a censuris, quibus innodatus erat, in forma Ecclesiæ consueta absolveret ; quæ omnia in executionem dictæ nostræ ordinationis die 3. septembris labentis anni solemniter adimpleta sunt.

Et licet supra narratum decretum de mandato nostro latum ad majorem fidelium cautelam typis editum publicis locis affixum et divulgatum fuerit ; nihilominus ne hujus Apostolicæ damnationis memoria futuris temporibus deleri possit, utque populus Christianus catholica veritate instructior per viam salutis incedere valeat, prædecessorum nostrorum summorum pontificum vestigiis inhærentes hac nostra perpetuo valitura constitutione supradictum decretum denuo approbamus, confirmamus, et debitæ executioni tradi mandamus, iterum supradictas propositiones definitive damnantes, et reprobantes, librosque, et manuscripta ejusdem *Michaelis de Molinos* prohibentes, et interdicentes sub eisdem pœnis, et censuris contra transgressores latis et inflictis.

Decernentes insuper præsentes litteras semper et perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, sicque per quoscumque judices Ordinarios, et delegatos, quavis auctoritate fungentes, et functuros ubique judicari et definiri debere, et sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Volumus autem ut præsentium transumptis, etiam impressis manu notarii publicii subscriptis, et sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem fides prorsus adhibeatur, quæ ipsis originalibus litteris adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, confirmationis, damnationis, reprobationis, punitionis, decreti, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romæ, apud S. Mariam Majorem, anno incarnationis Dominicæ 1687. 12. Kal. Decemb. Pontificatus nostri anno duodecimo.

DECRETUM

SS. D. N.

ALEXANDRI PAPÆ VIII.

24. Augusti, 1690.

Sanctissimus D. N. Alexander Papa VIII. non sine magno animi sui mœrore audivit duas Theses, seu propositiones, unam denuo, et in majorem perniciem fidelium suscitari, alteram de novo erumpere ; et cum sui pastoralis officii munus sit, oves sibi creditas a noxiis pascuis avertere, et ad salutaria semper dirigere, dictarum Thesium sive propositionum examen pluribus in sacra Theologia magistris, et deinde eminentissimis, et reverendissimis D. D. cardinalibus Inquisitoribus sedulo commisit, qui pluries re mature discussa infrascriptis Thesibus, seu propositionibus, super unaquaque ipsarum sua suffragia sanctitati suæ sigillatim exposuerunt.

I. Bonitas objectiva consistit in convenientia objecti cum natura rationali : formalis vero in conformitate ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative : *Hinc homo non tenetur amare, neque in principio, neque in decursu vitæ suæ moralis.*

II. Peccatum philosophicum, seu morale est actus humanus disconveniens naturæ rationali, et rectæ rationi : Theologicum vero et morale est transgressio libera divinæ legis. Philosophicum quantumvis grave, in illo, qui Deum, vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum.

Quibus peractis, Sanctissimus, omnibus plene et mature consideratis, primam thesim, seu propositionem declaravit hæreticam, et uti talem damnandam, et prohibendam esse sicuti damnat, et prohibet sub censuris, et pœnis contra hæreticos, et eorum fautores in jure expressis. Secundum thesim, seu propositionem declaravit scandalosam, temerariam, piarum aurium offensivam, et erroneam, et uti talem damnandam, et prohibendam esse sicuti damnat, et prohibet, ita ut quicumque illam docuerit, defenderit, ediderit, aut de ea etiam disputaverit publice, seu privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, a qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, nisi a pro tempore existente Romano Pontifice, absolvi Insuper districte in virtute sanctæ obedientiæ, et sub interminatione divini judicii prohibet omnibus Christi fidelibus, cujuscumque dignitatis, conditionis, et status, etiam speciali, et specialissima nota dignis, ne prædictam thesim seu propositionem ad praxim deducant.

---

DECRETUM

SS. D. N.

ALEXANDRI PAPÆ VIII.

*Contra Propositiones* 31.

Feria V. die 7. Decembris 1690.

Sanctissimus D. N. Alexander divina providentia Papa VIII. Prædictus : pro pastorali cura ovium a Christo Domino sibi commissa de earum salute sollicitus, ut inoffenso gradu per rectas semitas possint incedere, et pascua nimium per-

niciosa in pravis doctrinis exhibita vitare, unius supra triginta propositionum examen pluribus in sacra theologia magistris, et deinde eminentissimis, ac reverendissimis D. D. cardinalibus contra hæreticam pravitatem, generalibus Inquisitoribus commisit, qui tantum negotium diligenter aggressi, eique sedulo, ac pluries incumbentes, super unaquaque ipsarum sua suffragia Sanctitati suæ sigillatim detulerunt.

Propositiones autem sunt infrascriptæ, videlicet :

I. In statu naturæ lapsæ ad peccatum formale, et demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in causa sua peccato originali, et voluntate Adami peccantis.

II. Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hoc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa, non excusat a peccato formaliter.

III. Non licet sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam.

IV. Dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo, non pro solis electis, sed pro omnibus, et solis fidelibus.

V. Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt a Jesu Christo influxum, adeoque hinc recte inferes in illis esse voluntatem nudam, et inermem, sine omni gratia sufficienti.

VI. Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quam perniciosa est, sic ut proinde merito possimus petere : *A gratia sufficienti libera nos Domine.*

VII. Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio, vel mundi, si Dei Charitas Patris est ; si mundi concupiscentia carnis, hoc est, mala est.

VIII. Necesse est infidelem in omni opere peccare.

IX. Revera peccat, qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem, et disconvenientiam cum natura, sine ullo ad Deum offensum respectu.

X. Intentio, qua quis detestatur malum, et prosequitur bonum, mere ut cœlestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens.

XI. Omne, quod non est ex fide Christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est.

XII. Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides, et etiamsi videantur credere ; non est fides divina, sed humana.

XIII. Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.

XIV. Timor gehennæ non est supernaturalis.

XV. Attritio, quæ gehennæ, et pœnarum metu concipitur sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis.

XVI. Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni, induxit, non politia, aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex, et præscriptio, natura rei in ipsum quodam modo dictante.

XVII. Per illam praxim mox absolvendi, ordo pœnitentiæ est inversus.

XVIII. Consuetudo moderna quoad administrationem sacramenti pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, et multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu sed abusu.

XIX. Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali.

XX. Confessiones apud religiosos factæ, pleræque vel sacrilegæ sunt, vel invalidæ.

XXI. Parochianus potest suspicari de Mendicantibus, qui eleemosynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi, et incongrua pœnitentia seu satisfactione ob quæstum, seu lucrum subsidii temporalis.

XXII. Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de dilectis suis pœnitentiam egerint.

XXIII. Similiter arcendi sunt a sacra communione quibus nondum in est amor

Dei purissimus, et omnis mixtionis expers.

XXIV. Oblatio in Templo, quæ fiebat a B. M. V. die Purificationis suæ per duos pullos columbarum, unum in holocaustum, et alterum pro peccatis, sufficienter testantur, quod indiguerit purificatione et quod filius, qui offerebatur, etiam macula matris maculatus esset secundum verba legis.

XXV. Dei Patris sedentis simulacrum nefas est Christiano in templo collocare.

XXVI. Laus, quæ defertur *Mariæ* ut *Mariæ* vana est.

XXVII. Valuit aliquando baptismus sub hac forma collatus : *In nomine Patris*, etc., prætermissis illis : *Ego te paptizo.*

XXVIII. Valet Baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se revolvit. *Non intendo, quod facit Ecclesia.*

XXIX. Futilis, et toties convulsa est assertio de pontificis Romani supra concilium Œcumenicum auctoritate, atque in fidei quæstionibus decernendis infallibilitate.

XXX. Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere, et docere, non respiciendo ad ullam Pontificis bullam.

XXXI. Bulla Urbani VIII. *In eminenti*, est subreptitia.

Quibus mature consideratis, idem Sanctissimus statuit, et decrevit 31. supradictas propositiones, tamquam temerarias, scandalosas, male sonantes, injuriosas, hæresi proximas, hæresim sapientes, erroneas, schismaticas, et hæreticas respective esse damnandas, et prohibendas, sicuti eas damnat, et prohibet, ita ut quicumque illas, aut conjunctim, aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputative, publice, aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, a qua non possit præterquam in articulo mortis ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, nisi a pro tempore existente Romano pontifice absolvi.

Insuper districte in virtute sanctæ obedientiæ, et sub interminatione divini judicii prohibet omnibus Christi fidelibus, cujuscumque conditionis, dignitatis, et status, etiam speciali, et specialissima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

Non intendit tamen Sanctitas sua per hoc decretum alias propositiones in majori numero ultra supradictas 31. Jam exhibitas, et in hoc Decreto non expressas approbare.

---

## BREVE

## INNOCENTII XII.

*Præscribentis tres et viginti Theses, quæ prætextu Amoris erga Deum purissimi in Galliis docebantur.*

—

### INNOCENTIUS PAPA XII.

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei Memoriam.

Cum alias ad Apostolatus nostri notitiam, pervenerit, in lucem prodiisse librum quemdam Gallico idiomate editum, cui titulus ; *Explication des Maximes des Saints sur la vie intérieure, par Monsieur François de Salignac-Fénelon Archevêque-duc de Cambray, Précepteur des Messeigneurs les ducs de Bourgogne, d'Anjou et de Berry. A Paris chez Pierre Aubouin, Pierre Emery, Charles Ctou-*

*sier* 1867. Ingens vero subinde de non sana libri hujusmodi doctrina excitatus in Galliis rumor adeo percrebuerit, ut opportunam Pastoralis vigilantiæ nostræ opem efflagitaverit. Nos eumdem librum nonnullis ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, aliisque in sacra theologia magistris, mature ut rei gravitas, postulare videbatur, examinandum commisimus. Porro hi mandatis nostris obsequentes, postquam in quamplurimis congregationibus varias propositiones ex eodem libro excerptas diuturno, accuratoque examine discusserant, quid super earum singulis sibi videretur, tam voce, quam scripto nobis exposuerunt. Auditis igitur in pluribus itidem coram nobis desuper actis congregationibus memoratorum cardinalium, et in sacra theologia magistrorum sententis, dominici gregis nobis ab æterno pastore crediti periculis, quantum nobis ex alto conceditur, occurrere cupientes, motu proprio, ac ex certa scientia et matura deliberatione Nostri, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, librum prædictum ubicumque, et quocumque alio idiomate, seu quavis editione aut versione huc usque impressum, aut in posterum imprimendum, quippe ex cujus lectione, et usu fideles sensim in errores ab Ecclesia catholica jam damnatos induci possent, ac insuper tamquam continentem propositiones, sive in obvio earum verborum sensu, sive attenta sententiarum connexione, temerarias, scandalosas, male sonantes, piarum aurium offensivas, in praxi perniciosas, ac etiam respective erroneas, tenore præsentium damnamus, et reprobamus, ipsiusque libri impressionem, descriptionem, lectionem, retentionem, et usum omnibus et singulis Christi fidelibus, etiam specifica, et individua mentione, et expressione dignis sub pœna excommunicationis per contrafacientes ipso facto absque alia declaratione incurrenda, interdicimus et prohibemus : Volentes et apostolica auctoritate mandantes, ut quicumque supradictum librum penes se habuerint, illum statim atque præsentes litteræ eis innotuerint, locorum ordinariis, vel hæreticæ pravitatis inquisitoribus tradere, ac consignare omnino teneantur. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque etc. Cæterum propositiones in dicto libro contentæ, quas Apostolici censura judicii, sicut præmittitur, configendas duximus, ex Gallico idiomate in Latinum versæ, sunt tenoris, qui sequitur, videlicet.

I. Datur habitualis status amoris Dei qui est charitas pura, et sine ulla admixtione motivi proprii interesse. Neque timor pœnarum, neque desiderium remunerationum habent amplius in eo partem. Non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in amando inveniendam.

II. In statu vitæ contemplativæ, sive unitivæ amittitur omne motivum interessatum timoris, et spei.

III. Id, quod est essentiale in directione animæ, est, non aliud facere, quam sequi pedetentim gratiam cum infinita patientia, præcautione, et subtilitate. Oportet se intra hos limites continere, ut sinatur Deus agere, et nunquam ad purum amorem ducere, nisi quando Deus per unctionem interiorem incipit aperire cor huic verbo, quod adeo durum est animabus adhuc sibimet affixis, et ideo potest illas scandalizare, aut in perturbationem conjicere.

IV. In statu sanctæ indifferentiæ animus non habet amplius desideria voluntaria et deliberata propter suum interesse, exceptis iis occasionibus, in quibus toti suæ gratiæ fideliter non cooperatur.

V. In eodem statu sanctæ indifferentiæ nihil nobis, omnia Deo volumus. Nihil volumus, ut simus perfecti et beati propter interesse proprium, sed omnem perfectionem ac beatitudinem volumus, in quantum Deo placet efficere, ut velimus res istas impressione suæ gratiæ.

VI. In hoc sanctæ indifferentiæ statu

nolumus amplius salutem, ut salutem propriam, ut liberationem æternam, ut mercedem nostrorum meritorum, ut nostrum interesse omnium maximum : sed eam volumus voluntate plena, ut gloriam et beneplacitum Dei, ut rem, quam ipse vult, et quam nos vult velle propter ipsum.

VII. Derelictio non est nisi abnegatio, seu sui ipsius renuntiatio, quam Jesus Christus a nobis in Evangelio requirit, postquam externa omnia reliquerimus. Ista nostri ipsorum abnegatio non est, nisi quoad interesse proprium... Extremæ probationes, in quibus hæc abnegatio, seu sui ipsius derelictio exerceri debet, sunt tentationes, quibus Deus æmulator vult purgare amorem, nullum ei ostendendo perfugium, neque ullam spem quoad suum interesse proprium etiam æternum.

VIII. Omnia sacrificia, quæ fieri solent ab animabus quam maxime disinteressatis circa earum æternam beatitudinem sunt conditionata... Sed hoc sacrificium non potest esse absolutum in statu ordinario. In uno extremarum probationum casu hoc sacrificium fit aliquo modo absolutum.

IX. In extremis probationibus potest animæ invincibiliter persuasum esse persuasione reflexa, et quæ non est intimus conscientiæ fundus, se juste reprobatum esse a Deo.

X. Tunc anima divina a semeptisa expirat cum Christo in Cruce : dicens : Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me ? In hac involuntaria impressione desperationis conficit sacrificium absolutum sui interesse proprii quoad æternitatem.

XI. In hoc statu anima amittit omnem spem sui proprii interesse, sed nunquam amittit in parte superiori, id est, in suis actibus directis et intimis spem perfectam, quæ est desiderium desinteressatum promissionum.

XII. Director tunc potest huic animæ permittere, ut simpliciter acquiescat jacturæ sui proprii interesse et justæ condemnationi, quam sibi a Deo indictam credit.

XIII. Inferior Christi pars in cruce non communicavit superiori suas involuntarias perturbationes.

XIV. In extremis probationibus pro purificatione amoris fit quædam separatio partis superioris animæ ab inferiori... In ista separatione actus partis inferioris manant ex omnino cæca et involuntaria perturbatione ; non totum, quod voluntarium intellectuale est partis superioris.

XV. Meditatio constat discursivis actibus, qui a se invicem facile distinguuntur... Ista compositio actuum discursivorum, et reflexorum est propria exercitatio amoris interessati.

XVI. Datur status contemplationis adeo sublimis, adeoque perfectæ, ut fiat habitualis, ita ut quoties anima actu orat, sua oratio sit contemplativa, non discursiva. Tunc non amplius indiget redire ad meditationem, ejusque actus methodicos.

XVII. Animæ contemplativæ privantur intuitu distincto, sensibili, et reflexo Jesu Christi duobus temporibus diversis.... Primo, in fervore nascente earum contemplationis... Secundo, Anima amittit intuitum Jesu Christi in extremis probationibus.

XVIII. In statu passivo exercentur omnes virtutes distinctæ, non cogitando, quod sint virtutes. In quolibet momento aliud non cogitatur quam facere id, quod Deus vult, amplius et amor zelotypus simul efficit, ne quis sibi virtutem velit nec unquam sit adeo virtute præditus, quam cum virtuti amplius affixus non est.

XIX. Potest dici in hoc sensu, anima passiva ; et disinteressata, nec ipsum amorem vult amplius quatenus est id, quod Deus a nobis vult.

XX. In confitendo debent animæ transformatæ sua peccata detestari, et condemnare se, et desiderare remissionem

suorum peccatorum, non ut propriam purificationem, et liberationem, sed ut rem, quam Deus vult, et vult nos velle propter suam gloriam.

XXI. Sancti Mystici excluserunt a statu animarum transformatarum exercitationes virtutum.

XXII. Quamvis hæc doctrina (de puro amore) esset pura, et simplex perfectio Evangelica in universa traditione designata, antiqui Pastores non proponebant passim multitudini justorum nisi exercitia amoris interessati eorum gratiæ proportionata.

XXIII. Purus amor ipse solus constituit totam vitam interiorem, et tunc evadit unicum principium, et unicum motivum omnium actuum, qui deliberati et meritorii sunt.

Non intendimus tamen per expsessam propositionum hujusmodi reprobationem, alia in eodem libro contenta ullatenus approbare. Ut autem eædem præsentes Litteræ omnibus facilius innotescant, nec quispiam illarum ignorantiam valeat allegare, volumus pariter, et auctoritate præfata decernimus, ut illæ ad Valvas Basilicæ Apostolicæ ; necnon Curiæ Generalis in monte citatorio, et in acie campi Floræ de urbe, per aliquem ex cursoribus nostris, ut moris est, publicentur, illarumque exempla ibidem affixa relinquantur, ita ut sic publicatæ omnes et singulos, quos concernunt, perinde afficiant, ac si unicuique illorum personaliter notificatæ et intimatæ fuissent : utque ipsarum præsentium litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munutis, eadem prorsus fides tam in judicio ; quam extra illud ubique locorum habetur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 12. Martii 1699. Pontificatus nostri anno octavo.

## CLEMENTIS D. P. PAPÆ XI.

Damnatio quamplurium propositionum exceptarum ex libro Gallico idiomate impresso, et in plures tomos distributo sub titulo : Le Nouveau Testament en François, avec des réflexions morales sur chaque verset, etc. A Paris 1699. Ac aliter..... Abrégé de la morale de l'Evangile, des actes des Apôtres, des Epîtres de S. Paul, des Epîtres canoniques, et de l'Apocalypse, ou pensées Chrétiennes sur le Texte de ces livres sacrés, etc. A Paris 1693 et 1694.

Cum prohibitione ejusdem libri, et aliorum quorumcumque in ejus defensionem tam hactenus editorum, quam in posterum edendorum.

## CLEMENS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Universis Christi fidelibus salutem et Apostolicam Benedictionem.

Unigenitus Dei filius pro nostra, et totius mundi salute filius hominis factus, dum discipulos suos doctrina veritatis instrueret, universamque Ecclesiam suam in Apostolis erudiret, præsentia disponens, et futura prospiciens, præclaro ac saluberrimo documento nos admonuit, ut attenderemus a falsis prophetis, qui veniunt ad nos in vestimentis ovium, quorum nomine potissimum demonstrantur magistri illi mendaces, et in deceptione illusores, qui splendida pietatis specie prava dogmata latenter insinuantes, introducunt sectas perditionis sub imagine sanctitatis ; utque facilius incautis obrepant, quasi deponentes, lupinam pellem, et sese divinæ legis sententiis, velut qui-

busdam ovium velleribus obvolventes sanctarum Scripturarum, adeoque etiam ipsius Novi Testamenti verbis, quæ multipliciter in suam, aliorumque perditionem depravant, nequiter abutuntur : antiqui scilicet, a quo progeniti sunt mendacii parentis exemplo, ac magisterio edocti, nullam omnino esse ad fallendum expeditiorem viam, quam ut ubi nefarii erroris subintroducitur fraudulentia, ibi divinorum verborum prætendatur auctoritas.

His nos vere divinis monitis instructi, ubi primum non sine intima cordis nostri amaritudine, accepimus, librum quemdam Gallico idiomate olim impressum, et in plures tomos distributum sub titulo : Le Nouveau Testament en Français, avec des réflexions morales sur chaque verset, etc. A Paris 1699. Aliter vero : Abrégé de la morale de l'Evangile, des Actes des Apôtres, des Epîtres de S. Paul, des Epîtres canoniques, et de l'Apocalypse, ou pensées chrétiennes sur le texte de ces livres sacrés, etc. A Paris 1693 et 1694, tametsi alias a nobis damnatum, ac revera catholicis veritatibus pravarum doctrinarum mendacia multifariam permiscentem, adhuc tamen tanquam ab omni errore immunem, a pluribus haberi, Christi fidelium manibus passim obtrudi, ac nonnullorum nova semper tentantium consilia, et opera studiose nimis quaquaversus disseminari, etiam Latine redditum, ut perniciosæ institutionis contagium, si fieri possit pertranseat de gente in gentem, et de regno ad populum alterum ; versutis hujusmodi seductionibus, atque fallaciis creditum Nobis Dominicum gregem in viam perditionis sensim abduci summopere doluimus : adeoque pastoralis non minus curæ nostræ stimulis, quam frequentibus orthodoxæ fidei zelatorum querelis, maxime vero complurium venerabilium fratrum, præsertim Galliæ episcoporum, litteris ac precibus excitati, gliscenti morbo, qui etiam aliquando posset in deteriora quæque proruere, validiori aliquo remedio obviam ire decrevimus.

Et quidem ad ipsam ingruentis mali causam providæ nostræ considerationis intuitum convertentes, perspicue novimus summam hujusmodi libri perniciem ideo potissimum progredi, et invalescere, quod eadem intus lateat, et velut improba sanies, nonnisi secto ulcere foras erumpat ; cum liber ipse primo aspectu legentes specie quadam pietatis illiciat : *molliti enim sunt sermones ejus super oleum , sed ipsi sunt jacula*, et quidem intento arcu ita ad nocendum parata, *ut sagittent in obscuro rectos corde.* Nihil propterea opportunius, aut salubrius præstari a Nobis posse arbitrati sumus, quam si fallacem libri doctrinam generatim solummodo a nobis hactenus indicatam, pluribus singillatim ex eo excerptis propositionibus distinctius, ex eo excerptis propositionibus distinctius, et apertius explicaremus, atque universis Christi fidelibus noxia zizaniorum semina e medio tritici, quo tegebantur, educta velut ob oculos exponeremus.

Ita nimirum denudatis, et quasi in propatulo positis, non uno quidem aut altero, sed plurimis gravissimisque, tum pridem damnatis, tum etiam nove adinventis erroribus, plane confidimus, benedicente Domino, fore ut omnes, tandem apertæ jam manifestæque veritati cedere compellantur.

Id ipsum maxime e re Catholica futurum, et sedandis præsertim in florentissimo Galliæ regno exortis ingeniorum varie opinantium, jamque in acerbiores scissuras protendentium dissidiis apprime proficuum, conscientiarum denique tranquillitati perutile, et propemodum necessarium, non modo præfati episcopi sed et ipse in primis charissimus in Christo filius noster Ludovicus Francorum rex christianissimus, cujus eximium in tuenda catholicæ fidei puritate, extirpandisque erroribus zelum satis laudare non possumus, sæpius nobis est contestatus, repetitis propterea vere piis, et christia-

nissimo rege dignis officiis, atque ardentibus votis a nobis efflagitans, ut instanti animarum necessitati, prolata quantocius Apostolici censura judicii, consuleremus.

Hinc aspirante Domino, ejusque cœlesti ope confisi, salutare opus sedulo, diligenterque, ut rei magnitudo postulabat, aggressi sumus ; ac plurimas ex prædicto libro, juxta supra recensitas respective editiones, fideliter extractas, et tum Gallico, tum Latino idiomate expressas, propositiones a compluribus in sacra Theologia magistris, primo quidem coram duobus ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus accurate discuti : deinde vero coram nobis, adhibito etiam aliorum plurium cardinalium consilio, quam maxima diligentia, ac maturitate, singularum insuper propositionum cum ipsomet libri textu exactissime facta collatione, pluries iteratis congregationibus, expendi, et examinari mandavimus. Hujusmodi autem propositiones sunt quæ sequuntur, videlicet :

I. Quid aliud remanet animæ, quæ Deum, atque ipsius gratiam amisit, nisi peccatum, et peccati consecutiones, superba paupertas, et segnis indigentia, hoc est generalis impotentia ad laborem, ad orationem, et ad omne opus bonum ?

II. Jesu Christi gratia principium efficax boni cujuscumque generis, necessaria est ad omne opus bonum ; absque illa non solum nihil fit, sed nec fieri potest.

III. In vanum Domine præcipis, si tu ipse non das quod præcipis.

IV. Ita Domine : omnia possibilia sunt ei, cui omnia possibilia facis, eadem operando in illo.

V. Quando Deus non emollit cor par interiorem unctionem gratiæ suæ, exhortationes, et gratiæ exteriores non inserviunt, nisi ad illud magis obdurandum.

VI. Discrimen inter fœdus Judaicum, et Christianum est, quod in illo Deus exigit fugam peccati, et implementum legis a peccatore, relinquendo illum in sua impotentia ; in isto vero Deus peccatori dat, quod jubet, illum sua gratia purificando.

VII. Quæ utilitas pro homine in veteri fœdere, in quo Deus illum reliquit ejus propriæ infirmitati, imponendo ipsi suam legem ? Quæ vero felicitas non est, admitti ad fœdus, in quo Deus nobis donat, quod petit a nobis.

VIII. Nos non pertinemus ad novum fœdus nisi in quantum participes sumus ipsius novæ gratiæ, quæ opreatur in nobis id, quod Deus nobis præcipit.

IX. Gratia Christi est gratia suprema, sine qua confiteri Christum nunquam possumus et cum qua nunquam illum abnegamus.

X. Gratia est operatio manus omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest, aut retardare.

XI. Gratia non est aliud, quam voluntas Omnipotentis Dei jubentis, et facientis quod jubet.

XII. Quando Deus vult salvare animam, quocumque tempore, quocumque loco effectus indubitabilis sequitur voluntatem Dei.

XIII. Quando Deus vult animam salvam facere, et eam tangit interiori gratiæ suæ manu, nulla voluntas humana ei resistit.

XIV. Quantumcumque remotus a salute sit peccator obstinatus, quando Jesus se ei vivendum exhibet lumine salutari suæ gratiæ, oportet, ut se dedat, occurrat, sese humiliet, et adoret Salvatorem suum.

XV. Quando Deus mandatum suum, et suam æternam locutionem comitatur unctione sui spiritus, et interiori vi gratiæ suæ, operatur illam in corde obedientiam, quam petit.

XVI. Nullæ sunt illecebræ, quæ non cedant illecebris gratiæ, quia nihil resistit omnipotenti.

XVII. Gratia est vox illa Patris, quæ homines interius docet, ac eos venire facit ad Jesum Christum. Quicumque ad

eum non venit, postquam audivit vocem exteriorem Filii, nullatenus est doctus a Patre.

XVIII. Semen verbi, quod manus Dei irrigat, semper affert fructum suum.

XIX. Dei gratia nihil aliud est, quam ejus omnipotens voluntas : hæc est idea, quam Deus ipse nobis tradit in omnibus suis Scripturis.

XX. Vera gratiæ idea est, quod Deus vult sibi a nobis obediri ; et obeditur ; imperat, et omnia fiunt ; loquitur tamquam Dominus, et omnia sibi submissa sunt.

XXI. Gratia Jesu Christi est gratia fortis, potens, suprema, invincibilis, utpote quæ est operatio voluntatis Omnipotentis, sequela, et imitatio operationis Dei incarnantis, et ressuscitantis Filium suum.

XXII. Concordia omnipotens operationis Dei in corde hominis cum libero ipsius voluntatis consensu demonstratur illico nobis in Incarnatione, veluti fonte, atque Archetypo omnium aliarum operationum misericordiæ, et gratiæ, quæ omnes ita gratuitæ, atque ita dependentes a Deo sunt, sicut ipsa originalis operatio.

XXIII. Deus ipse nobis ideam tradidit omnipotentis operationis suæ gratiæ, eam significans per illam, quæ creaturas e nihilo produxit, et mortuis reddit vitam.

XXIV. Justa idea, quam Centurio habet de omnipotentia Dei, et Jesu Christi in sanandis corporibus solo motu suæ voluntatis, est imago ideæ quæ haberi debet de omnipotentia suæ gratiæ in sanandis animabus a cupiditate.

XXV. Deus illuminat animam, et eam sanat æque ac corpus sola sua voluntate, jubet, et, ipsi obtemperatur.

XXVI. Nullæ dantur gratiæ, nisi per fidem.

XXVII. Fides est prima gratia, et fons omnium aliarum.

XXVIII. Prima gratia, quam Deus concedit est peccatorum remissio.

XXIX. Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia.

XXX. Omnes, quos Deus vult salvare per Christum, salvantur infallibiliter.

XXXI. Desideria Christi semper habent suum effectum ; pacem intimo cordium infert, quando eis illam optat.

XXXII. Jesus Christus se morti tradidit ad liberandum pro semper suo sanguine primogenitos, id est electos, de manu Angeli exterminatoris.

XXXIII. Proh! quantum oportet bonis terrenis, et sibimet ipsi renuntiasse, ad hoc ut quis fiduciam habeat, sibi, ut ita dicam appropriandi Christum Jesum, ejus amorem, mortem, et mysteria, ut facit sanctus Paulus, dicens : *Qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me.*

XXXIV. Gratia Adami non producebat, nisi merita humana.

XXXV. Gratia Adami est sequela creationis, et erat debita naturæ sanæ, et integræ.

XXXVI. Differentia essentialis inter gratiam Adami, et status innocentiæ, ad gratiam Christianam est, quod primam unusquisque in propria persona recepisset ; ista vero non recipitur, nisi in persona Jesu Christi ressuscitati, cui nos uniti sumus.

XXXVII. Gratia Adami sanctificando illum in semetipso, erat illi proportionata, Gratia christiana nos sanctificando in Jesu Christo, est omnipotens, et digna filio Dei.

XXXVIII. Peccator non est liber, nisi ad malum, sine gratia liberatoris.

XXXIX. Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum, ardoris, nisi ad præcipitandum, virium, nisi ad se vulnerandum ; est capax omnis mali, et incapax ad omne bonum.

XL. Sine gratia nihil amare possumus nisi ad nostram condemnationem.

XLI. Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in philosophis ethnicis non potest venire, nisi a Deo, et sine gratia non producit, nisi vanitatem, præsum-

ptionem, et oppositionem ad ipsum Deum, loco affectuum adorationis, gratitudinis, et amoris.

XLII. Sola gratia Christi reddidit hominem aptum ad sacrificium fidei ; sine hoc nihil, nisi impuritas ; nihil, nisi indignitas.

XLIII. Primus effectus gratiæ baptismalis est facere, ut moriamur peccato : adeo ut spiritus, cor, sensus non habeant plus vitæ pro peccato, quam homo mortuus habeat pro rebus mundi.

XLIV. Non sunt, nisi duo amores, unde volitiones et actiones omnes nostræ nascuntur ; amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur ; et amor, quo nos ipsos, ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est non refert, et propter hoc ipsum fit malus.

XLV. Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat.

XLVI. Cupiditas, aut charitas, usum sensuum bonum, vel malum faciunt.

XLVII. Obedientia legis profluere debet ex fonte ; et hic fons est charitas : Quando Dei amor est illius principium interius, et Dei gloria ejus finis, tunc purum est, quod apparet exterius ; alioquin non est, nisi hypocrisis, aut falsa justitia.

XLVIII. Quid aliud esse possumus, nisi, nisi tenebræ, nisi oberratio, et nisi peccatum, sine Christo, et sine charitate.

XLIX. Ut nullum peccatum est sine amore nostri, ita nullum est opus bonum sine amore Dei.

L. Frustra clamamus ad Deum : Pater mi, si spiritus charitatis non est ille qui clamat.

LI. Fides justificat, quando operatur ; sed ipsa non operatur, nisi per charitatem.

LII. Omnia alia salutis media continentur in fide, tamquam in suo germine, et semine, sed hæc fides non est absque amore, et fiducia.

LIII. Sola charitas christiana modo facit (actiones christianas) per relationem ad Deum, et Jesum Christum.

LIV. Sola charitas est, quæ Deo loquitur ; eam solam Deus audit.

LV. Deus non coronat nisi charitatem ; qui currit ex alio impulsu, et ex alio motivo, in vanum currit.

LVI. Deus non remunerat nisi charitatem, quoniam charitas sola Deum honorat.

LVII. Totum deest peccatori, quando deest spes, et non est spes in Deo, ubi non est amor Dei.

LVIII. Nec Deus est, nec religio, ubi non est charitas.

LIX. Oratio impiorum est novum peccatum et quod Deus illis concedit, est novum in eos judicium.

LX. Si solus supplicii timor animat pœnitentiam, quo hæc est magis violenta, eo magis ducit ad desperationem,

LXI. Timor nonnisi manum cohibet ; cor autem tamdiu peccato addicitur, quandiu ab amore justitiæ non ducitur.

LXII. Qui a malo non abstinet, nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo, et jam est reus coram Deo.

LXIII. Baptizatus adhuc est sub lege, sicut Judæus, si legem non adimpleat, aut adimpleat ex solo timore.

LXIV. Sub maledictione legis numquam fit bonum ; quia peccatur sive faciendo malum, sive illud nonnisi ob timorem evitando.

LXV. Moyses, et prophetæ, sacerdotes, et doctores legis mortui sunt absque eo, quod ullum Deo dederint filium, cum non fecerint nisi mancipia per timorem.

LXVI. Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipsum venire cum brutalibus passionibus, neque adduci per instinctum naturalem, aut per timorem, sicuti bestiæ, sed per fidem, et per amorem, sicuti filii.

LXVII. Timor servilis non sibi repræsentat Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem.

LXVIII. Dei bonitas abbreviavit viam

salutis claudendo totum in fide, et precibus.

LXIX. Fides, usus, augmentum et præmium fidei, totum est donum puræ liberalitatis Dei.

LXX. Nunquam Deus affligit innocentes, et afflictiones semper serviunt, vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum peccatorem.

LXXI. Homo ob sui conservationem potest sese dispensare ab ea lege, quam Deus condidit propter ejus utilitatem.

LXXII. Nota ecclesiæ Christianæ est, quod sit catholica, comprehendens et omnes angelos cœli, et omnes electos, et justos terræ, et omnium sæculorum.

LXXIII. Quid est ecclesia, nisi cœtus filiorum Dei manentium in ejus sinu, adoptatorum in Christo, subsistentium in ejus persona, redemptorum ejus sanguine, viventium ejus spiritu, agentium per ejus gratiam, et expectantium gratiam futuri sæculi.

LXXIV. Ecclesia, sive integer Christus, Incarnatum Verbum habet ut caput, omnes vero sanctos ut membra.

LXXV. Ecclesia est unus solus homo, compositus ex pluribus membris, quorum Christus est caput, vita, subsistentia, et persona; Unus solus Christus compositus ex pluribus Sanctis, quorum est sanctificator.

LXXVI. Nihil spatiosius ecclesia Dei, quia omnes electi et justi omnium sæculorum illam componunt.

LXXVII. Qui non ducit vitam dignam filio Dei, et membro Christi, cessat interius habere Deum pro patre, et Christum pro capite.

LXXIII. Separatur quis a populo electo, cujus figura fuit populus Judaicus, et caput est ejus Christus, tam non vivendo secundum Evangelium, quam non credendo Evangelio.

LXXIX. Utile et necessarium est omni tempore, omni loco, et omni personarum generi studere, et cognoscere spiritum, mysteria, et pietatem Scripturæ.

LXXX. Lectio sacræ Scripturæ est pro omnibus.

LXXXI. Obscuritas sancti Verbi Dei non est laicis ratio dispensandi se ipsos ab ejus lectione.

LXXXII. Dies dominicus debet sanctificari a Christianis lectionibus pietatis, et super omnia sanctarum Scripturarum. Damnosum est velle Christianum ab hac lectione retrahere.

LXXXIII. Est illusio sibi persuadere, quod notitia Mysteriorum religionis non debeat communicari feminis lectione sacrorum Librorum. Non ex feminarum simplicitate, sed ex superba virorum scientia ortus est Scripturarum abusus, et natæ sunt hæreses.

LXXXIV. Abripere e Christianorum manibus Novum Testamentum, seu eis illud clausum tenere, auferendo eis modum istud intelligendi, est illis Christi os obturare.

LXXXV. Interdicere Christianis lectionem sacræ Scripturæ, præsertim Evangelii est interdicere usum luminis Filiis lucis, et facere, ut patiantur speciem quamdam excommunicationis.

LXXXVI. Eripere simplici populo hoc solatium, jungendi vocem suam voci totius Ecclesiæ, est usus contrarius praxi Apostolicæ et intentioni Dei.

LXXXVII. Modus plenus sapientia, lumine, et charitate, est dare animabus tempus portandi cum humilitate, et sentiendi statum peccati, petendi spiritum pœnitentiæ et contritionis, et incipiendi ad minus satisfacere justitiæ Dei antequam reconcilientur.

LXXXVIII. Ignoramus quid sit peccatum et vera pœnitentia, quando volumus statim restitui possessioni bonorum illorum, quibus nos peccatum spoliavit, et detrectamus separationis istius ferre confusionem.

LXXXIX. Quartus decimus gradus conversionis peccatoris est, quod cum sit jam reconciliatus, habet jus assistendi Sacrificio missæ.

XC. Ecclesia auctoritatem excommu-

nicandi habet, ut eam exerceat per primos pastores de consensu saltem præsumpto totius corporis.

XCI. Excommunicationis injuste metus nunquam debet nos impedire ab implendo debito nostro ; nunquam eximus ab Ecclesia, etiam quando hominum nequitia videmur ab ea expulsi, quando Deo Jesu Christo, atque Ecclesiæ per charitatem affixi sumus.

XCII. Pati potius in pace excommunicationem, et anathema injustum, quam prodere veritatem, est imitari sanctum Paulum : tantum abest, ut sit erigere se contra auctoritatem, aut scindere unitatem.

XCIII. Jesus quandoque sanat vulnera, quæ, præceps primorum pastorum festinatio infligit, sine ipsius mandato. Jesus restituit, quod ipsi inconsiderato zelo rescindunt.

XCIV. Nihil pejorem de Ecclesia opinionem ingerit ejus inimicis, quam videre illic dominatum exerceri supra fidem fidelium, et foveri divisiones propter res, quæ nec fidem lædunt nec mores.

XCV. Veritates devenerunt, ut sint lingua quasi peregrina Christianis, et modus eas prædicandi est veluti idioma incognitum : adeo remotus est a simplicitate Apostolorum, et supra communem captum fidelium ; neque satis advertitur, quod hic defectus sit unum ex signis maxime sensibilibus senectutis Ecclesiæ, et iræ Dei in filios suos.

XCVI. Deus permittit, ut omnes potestates sint contrariæ prædicatoribus veritatis, ut ejus victoria attribui non possit, nisi divinæ gratiæ.

XCVII. Nimis sæpe contingit membra illa, quæ magis sancte, ac magis stricte unita Ecclesiæ sunt, despici, atque tractari tamquam indigna, ut sint in Ecclesia, vel tanquam ab ea separata, sed Justus vivit ex fide, et non ex opinione hominum.

XCVIII. Status persecutionis, et pœnarum, quas quis tolerat, tanquam hæreticus, flagitiosus, et impius, ultima plerumque probatio est, et maxime meritoria utpote quæ facit hominem magis conformem Jesu Christo.

XCIX. Pervicacia, præventio, obstinatio in nolendo aut aliquid examinare, aut cognoscere se fuisse deceptum, mutant quotidie quoad multos in odorem mortis, id quod Deus in sua Ecclesia posuit, ut in ea esset odor vitæ, v. g. bonos libros, instructiones, sancta exempla etc.

C. Tempus deplorabile, quo creditur honorari Deus, persequendo veritatem, ejusque discipulos. Tempus hoc advenit... Haberi et tractari a religionis ministris tanquam impium, et indignum omni commercio cum Deo, tanquam membrum putridum capax corrumpendi omnia in societate Sanctorum, est hominibus piis morte corporis mors terribilior. Frustra quis sibi blanditur de suarum intentionum puritate, et zelo quodam religionis, persequendo flamma, ferro viros probos, si propria passione est excæcatus, aut abreptus aliena, propterea quod nihil vult examinare. Frequenter credimus, sacrificare Deo impium, et sacrificamus diabolo Dei servum.

CI. Nihil spiritui Dei, et doctrinæ Jesu Christi magis opponitur, quam communia facere juramenta in Ecclesia, quia hoc est multiplicare occasiones pejerandi, laqueos tendere infirmis, et idiotis et efficere, ut nomen, et veritas Dei aliquando deserviant consilio impiorum ?

Auditis itaque tum voce, tum scripto Nobis exhibitis præfatorum Cardinalium, aliorumque Theologorum suffragiis, divinique in primis luminis, privatis ad eum finem, publicisque etiam indictis precibus, implorato præsidio ; omnes et singulas propositiones præinsertas, tanquam falsas, captiosas, male sonantes, piarum aurium offensivas, scandalosas perniciosas, temerarias, Ecclesiæ, et ejus praxi injuriosas, neque in Ecclesiam solum, sed etiam in potestates sæculi contumeliosas,

seditiosas impias, blasphemas suspectas de hæresi, ac hæresim ipsam sapientes, nec non hæreticis, et hæresibus, ac etiam schismati faventes, erroneas, hæresi proximas pluries damnatas, ac demum etiam hæreticas, variasque hæreses, et potissimum illas, quæ in famosis Jansenii propositionibus, et quidem in eo sensu, in quo hæ damnatæ fuerunt acceptis, continentur, manifeste innovantes, respective, hac nostra perpetuo valitura constitutione declaramus, damnamus et reprobamus.

Mandamus omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, nec de dictis propositionibus sentire docere, prædicare aliter præsumant, quam in hac eadem nostra constitutione continetur, ita ut quicumque illas, vel illarum aliquam conjunctim, vel divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputative publice, aut privatim tractaverit, nisi forsam impugnando, ecclesiasticis censuris, aliisque contra similia perpetrantes a jure statutis pœnis ipso facto, absque alia declaratione subjaceat.

Cæterum per expressam præfatorum propositionum reprobationem alia in eodem libro contenta nullatenus approbare intendimus ; cum præsertim in decursu examinis, complures alias in eo deprehenderimus propositiones illis, quæ, ut supra dnmnatæ fuerunt, consimiles, et affines, iisdemque erroribus imbutas : nec sane paucas sub imaginario, quodam veluti grassantis hodie persecutionis obtentu, inobedientiam, et pervicaciam nutrientes, eosque falso Christianæ patientiæ nomine prædicantes ; quas propterea singillatim recensere, et nimis longum esse duximus, et minine necessarium ; ac demum, quod intolerabilius est, sacrum ipsum Novi Testamenti textum damnabiliter vitiatum comperimus, et alteri dudum reprobatæ versioni Gallicæ Montensi in multis conformem ; a vulgata vero editione, quæ tot sæculorum usu in Ecclesia probata est, atque ab orthodoxis omnibus pro authentica haberi debet, multipliciter discrepantem, et aberrantem, pluriesque in alienos, exoticos, ac sæpe noxios sensus, non sine maxima perversitate detortum.

Eumdem propterea librum, utpote per dulces sermones, et benedictiones, ut Apostolus loquitur, hoc est, sub falsa piæ institutionis imagine, seducendis innocentium cordibus longe accomodatum, sive præmissis, sive alio quovis titulo inscriptum, ubicumque, et quocumque alio idiomate, seu quavis editione, aut versione hactenus impressum, aut in posterum (quod absit) imprimendum, auctoritate Apostolica tenore præsentium iterum prohibemus ac similiter damnamus ; quemadmodum etiam alios omnes, et singulos in ejus defensionem tam scripto, quam typis editos, seu forsan (quod Deus avertat) edendos libros, seu libellos, eorumque lectionem descriptionem, retentionem, et usum omnibus, et singulis Christi fidelibus sub pœna excommunicationis per contrafacientes ipso facto incurrenda, prohibemus pariter, et interdicimus.

Præcipimus insuper Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Archiepiscopis, et Episcopis aliisque locorum Ordinariis, nec non hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, ut contradictores, et rebelles quoscumque per censuras, et pœnas præfatas, aliaque Juris, et facti remedia invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii sæcularis auxilio, omnino coerceant, et compellant.

Volumus autem, ut earumdem præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus publici Notarii subscriptis, et sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem fides prorsus adhibeatur, quæ ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis, damnationis, mandati, prohibitionis, et interdictionis infringere, vel ei ausu temerario con-

traire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ 1713. 6. Idus Septembris. pontificatus nostri anno decimo tertio.

---

## CONSTITUTIO

## PII PAPÆ VI.

*Qua Pistoriensis synodi damnantur propositiones.*

Damnatio quamplurium propositionem excerptarum ex libro italico idiomate impresso sub titulo : Atti e Decreti del concilio diocesano di Pistoja dell' anno 1786. In Pistoja per Atto Bracali stampatere vescovile. Con approvazione ; cum prohibitione ejusdem libri, et aliorum quorumcumque in ejus defensionem tam forsan editorum, quam in posterum edendorum.

Pius Episcopus, Servus servorum Dei, universis Christi fidelibus salutem, et Apostolicam benedictionem.

Auctorem fidei et consummatorem Jesum aspicientes, nos jubet Apostolus sedulo recogitare qualem quantamque ille sustinuit a peccatoribus adversum semetipsum contradictionem, ut ne, laboribus et periculis defatigati, deficiamus aliquando animis nostris, peneque concidamus. Hac saluberrima cogitatione muniri nos, ac refici tum maxime necessum est, cum adversus corpus ipsummet Christi, quod est Ecclesia, diræ istius, nec unquam desituræ conjurationis æstus acrius exardescit, ut a Domino confortati, et in potentia virtutis ejus scuto fidei protecti resistere possimus in die malo, et omnia tela nequissimi ignea extinguere. In hoc sane motu temporum ; in hac rerum perturbatissima conversione gravis est quidem bonis omnibus contra omnes cujusque generis Christiani nominis hostes colluctatio subeunda : gravior Nobis quibus pro credita pastorali Nostræ sollicitudini gregis totius cura et moderatione, major cunctis Christianæ religionis zelus incumbit : Verum in hac ipsa oneris gravitate, quæ humeris nostris imposita est, portandi onera omnium qui gravantur, quo magis conscii Nobis infirmitatis. Nostræ, eo firmiorem in spem erigit Nos, et sublevat Apostolici hujusce muneris in persona B. Petri divinitus instituta ratio, ut qui semel tradita sibi a Christo Ecclesiæ gubernacula nunquam derelicturus erat, ipse Apostolicæ gubernationis onera in illis portare non desineret, quos ei Deus protegendos perpetua successione, ac tuendos hæredes dedisset.

Et in hisce quidem ærumnis quæ undique circumstant ad cæterarum molestiarum velut cumulum accessit, ut unde oportuerat Nos gaudere, majorem inde tristitiam hauriremus. Quippe cum aliquis sacrosanctæ Ecclesiæ Dei præpositus sub sacerdotis nomine ipsum Christi populum a tramite veritatis in præceps deviæ persuasionis avertit, et hoc in amplissima urbe, tum plane est geminanda lamentatio, et major sollicitudo adhibenda.

Fuit sane non in ultimis terris, verum in media luce Italiæ, sub oculis Urbis, et prope Apostolorum limina ; fuit episcopus duplicis sedis honore insignis (Scipio de Riccis, antea episcopus Pistoriensis et Pratensis), quem ad Nos pro pastorali munere suscipiendo accedentem paterna charitate complexi sumus ; qui vicissim Nobis, atque huic Apostolicæ Sedi in ipso sacræ suæ ordinationis ritu debitam fidem et obedientiam solemni jurisjuran-

di religione obstrinxit. Atque is ipse non longo intervallo posteaquam a complexu Nostro cum osculo pacis dimissus, ad commissas sibi plebes accessit, coacervatorum perversæ sapientiæ magistrorum fraudibus circumventus, eo cæpit intendere, ut quam superiores antistites ex ecclesiastica regula laudabilem, et pacatam Christianæ institutionis formam jamjam pridem invexerant, ac pœne defixerant, non ille pro eo ac debebat, tueretur, coleret, perficeret, sed contra per speciem fictæ reformationis importunis inducendis novitatibus perturbaret, convelleret, funditus everteret.

Qui etiam cum et hortatu Nostro ad synodum diœcesanam animum adjunxisset, præfracta ejus in suo sensu pertinacia effectum est ut unde remedium aliquod vulnerum petendum erat, inde gravior pernicies enasceretur. Sane postquam synodus hæc Pistoriensis e latebris erupit, in quibus aliquandiu abdita delituit, nemo fuit de summa religione pie sapienterque sentiens, qui non continuo adverterit hoc fuisse auctorum consilium ut quæ antea per multiplices libellos pravarum doctrinarum semina sparserant, ea in unum velut corpus compingerent, proscriptos dudum errores exsuscitarent, Apostolicis, quibus proscripti sunt, decretis fidem auctoritatemque derogarent.

Quæ cum cerneremus, quo graviora sunt per sese, tanto impensius pastoralis Nostræ sollicitudinis opem efflagitare, mentem convertere non distulimus ad ea capienda consilia, quæ surgenti malo vel sanando, vel comprimendo accommodatiora viderentur. Atque inprimis sapientis moniti memores prædecessoris Nostri B. Zosimi ; ea quæ magna sunt, magnum pondus examinis desiderare, synodum ab episcopo editam primum quator episcopis, aliisque adjunctis e clero sæculari theologis examinandam commisimus, tum et plurium S. R. E. cardinalium, aliorumque episcoporum congregationem deputavimus, qui totam actorum seriem diligenter perpenderent, loca inter se dissita conferentes exerptas sententias discuterent, quorum suffragia coram Nobis voce et scripto edita excepimus ; qui et synodum universe reprobanda, et plurimas inde collectas propositiones, alias quidem per sese, alias attenta sententiarum connexione plus minusve acribus censuris perstringendas censuerunt ; quorum auditis perpensisque animadversionibus, illud quoque Nobis curæ fuit, ut selecta ex tota synodo præcipua quædam pravarum doctrinarum capita, ad quæ potissimum fusæ per synodum reprobandæ sententiæ directe vel indirecte referuntur, in certum deinceps ordinem redigerentur, eisdemque sua cuique peculiaris censura subjiceretur. Ne vero ex hac tametsi accuratissime peracta sive locorum collatione, sive sententiarum disquisitione, pervivaces homines obtrectandi occasionem arriperent, ut huic forte jam paratæ calumniæ obviam iretur sapienti consilio uti statuimus, quod in emergentibus hujusmodi periculosis noxiisve novitatibus reprimendis plures Nostri sanctissimi prædecessores, tum et gravissimi antistites, ac generales etiam synodi rite cauteque adhibitum, illustribus exemplis testatum commendatumque reliquissent. Norant illi versutam novatorum fallendi artem, qui catholicarum aurium offensionem veriti captionum suarum laqueos persæpe student subdolis verborum involucris obtegere, ut inter discrimina sensuum latens error lenius influat in animos, fiatque ut corrupta per brevissimam adjectionem aut commutationem veritate sententiæ, confessio quæ salutem operabatur, subtili quodam transitu vergat in mortem. Atque hæc quidem involuta, fallax disserendi ratio, cum in omni orationis genere vitiosa est, tum in synodo minime ferenda, cujus est hæc laus præcipua, eam in docendo dilucidam consectari dicendi rationem, quæ nullum offensionis periculum relinquat. Quo in genere proinde si quid peccatum sit, hac nequeat, quæ afferri solet, sub-

dola excusatione defendi quod quæ alicubi durius dicto exciderint, ea locis aliis planius explicata, aut etiam correcta reperiantur : quasi procax isthæc affirmandi, et negandi, ac secum pro libito pugnandi licentia, quæ fraudulenta semper fuit novatorum astutia ad circumventionem erroris, non potius ad prodendum, quam ad excusandum errorem valeret : aut quasi rudibus præsertim, qui in hanc vel illam forte inciderint partem synodi vulgari lingua omnibus expositæ, præsto semper essent alia, quæ inspicienda forent, dispersa loca, aut his etiam inspectis, satis cuique facultatis suppeteret ad ea sic per sese componenda, ut, quemadmodum perperam isti effutiunt, erroris omne periculum effugere valerent. Exitiosissimum profecto insinuandi erroris artificium, quod in Constantinopolitani antistis Nestorii litteris jam olim sapienter detectum, gravissima reprehensione prædecessor Noster Cœlestinus coarguit ; quibus nempe in litteris vestigatus veterator ille, deprehensus, et tentus, suo se multiloquio labefaciens, dum vera involvens obscuris, rursus utraque confundens, vel confiteretur negata vel niteretur negare confessa. Ad quas depellendas insidias nimium sæpe omni ætate renovatas non alia potior via inita est, quam ut iis exponendis sententiis, quæ sub latibulo ambiguitatis periculosam, suspiciosamque involvunt discrepantiam sensuum, perversa significatio notaretur, cui subesset error, quem catholica sententia reprobaret.

Quam et Nos moderationis plenam rationem eo libentius amplexi sumus, quo magis ad reconciliandos animos, et ad unitatem spiritus in vinculo pacis adducendos (quod favente Deo in pluribus gaudemus jam feliciter evenisse) magno fore adjumento prospeximus, providere primum, ne pertinacibus, si qui superer unt, quod Deus avertat, synodi sectatoribus integrum sit posthac ad novas turbas ciendas, justæ suæ damnationis consortes veluti ac socias sibi adsciscere scholas catholicas, quas invitas plane ac repugnantes, per detortam quamdam affinium vocabulorum similitudinem in expressa, quam, illæ testantur sententiarum dissimilitudine, in partes suas pertrahere nituntur. Deinde si quos imprudenter aliqua fefellit adhuc præconcepta mitior opinio de synodo, his etiam omnis conquerendi locus præcludatur, qui si recte sapiunt, ut videri volunt, ægre ferre nequeant doctrinas damnari sic denotatas, quæ errores præ se ferant, a quibus ipsi profitentur se longissime abesse.

Necdum tamen satis ex animo lenitati nostræ factum putavimus, seu verius charitati, quæ urget Nos erga fratrem nostrum, cui omni ope volumus, si adhuc possumus, subvenire. Charitas nempe illa urget Nos qua inductus prædecessor Noster Cœlestinus etiam contra fas, seu majori quam fas esse videretur, patientia sacerdotes corrigendos expectare non abnuebat. Magis enim cum Augustino Milevitanisque Patribus volumus, et optamus homines prava docentes pastorali cura in Ecclesia sanari, quam desperata salute ex illa resecari, si necessitas nulla compellat.

Quam ad rem, ne quod genus officii ad lucrandum fratrem prætermissum videretur, præfatum episcopum, antequam ad ulteriora progrederemur, amantissimis litteris ad eum jussu Nostro datis ad Nos acciendum duximus, polliciti fore ut benevolo animo a Nobis excip eretur, nec vetaretur quin, quæ in rem suam facere sibi viderentur, libere aperteque expromeret.

Nec vero spes Nos omnis deseruerat fieri posse, ut siquidem animum illum docibilem afferret, quem ex Apostoli sententia in episcopo maxime Augustinus requirebat cum simpliciter et candide, omni remota concertatione et acerbitate, recognoscenda ei proponerentur præcipua doctrinarum capita, quæ visa essent majori animadversione digna, tum

facile sese ipse colligens non dubitaret, quæ ambigue posita essent, in saniorem sensum exponere, quæve manifestam pravitatem præ se ferrent, aperte repudiare : atque ita magna cum sui nominis existimatione, tum lætissima bonorum omnium gratulatione, pacatissima qua fieri posset ratione, orti in Ecclesia strepitus optatissima correctione comprimerentur.

Nunc vero cum ille oblato beneficio, incommodæ valetudinis nomine, minus utendum sibi esse consuerit ; differre jam non possumus quin Apostolico Nostro muneri satisfaciamus. Non unius tantummodo alteriusve diœcesis periculum agitur : *Universalis Ecclesia quacumque novitate pulsatur.* Undique jam pridem non expectatur modo, verum assiduis repetis precibus efflagitatur supremæ Apostolicæ Sedis judicium. Absit ut vox Petri in illa unquam Sede sua contineseat, in qua perpetuo vivens ille ac præsidens præstat quærentibus fidei veritatem. Tuta non est in talibus longior conniventia, quia tantumdem pene criminis est connivere in talibus, quanti est tam irreligiosa prædicare.

Abscidendum igitur tale vulnus, quo non unum membrum læditur, sed totum corpus Ecclesiæ sauciatur. Atque divina opitulante, pietate, providendum ut, amputatis dissensionibus, fides catholica inviolata servetur, et his qui privata defendunt, ab errore revocatis, Nostra auctoritate quorum fides probata fuerit, muniantur.

Implorato itaque cum assiduis nostris, tum et piorum Christi fidelium privatis publicisque precibus, Spiritus sancti lumine, omnibus plene et mature consideratis, complures ex actis et decretis memoratæ synodi propositiones, doctrinas, sententias, sive expresse traditas sive per ambiguitatem insinuatas suis, ut præfatum est, cuique appositis notis, et censuris damnandas et reprobandas censuimus, prout hac Nostra perpetuo valitura constitutione damnamus et reprobamus :

Sunt autem quæ sequuntur :

*De obscuratione veritatum in Ecclesia.* (Ex decr. de Grat. § 1.)

I.

Propositio, quæ asserit : « postremis hisce sæculis sparsam esse generalem obscurationem super veritates gravioris momenti, spectantes ad religionem, et quæ sunt basis fidei, et moralis doctrinæ Jesu Christi. »

*Hæretica.*

—

*De potestate communitati Ecclesiæ attributa, ut per hanc pastoribus communicetur.* (Epist. Convoc.)

II.

Propositio, quæ statuit « potestatem a Deo datam Ecclesiæ ut communicaretur pastoribus, qui sunt ejus ministri pro salute animarum. »

Sic intellecta, ut a communitate fidelium in pastores derivetur ecclesiastici ministerii ac regiminis potestas.

*Hæretica.*

—

*De capitis ministerialis denominatione Romano Pontifici attributa,* (Decr. de fide, § 8.)

III.

Insuper quæ statuit « Romanum Pontificem esse caput ministeriale ; »

Sic explicata, ut Romanus Pontifex non a Christo in persona beati Petri, sed ab Ecclesia potestatem ministerii accipiat, qua velut Petri successor, verus Christi vicarius, ac totius Ecclesiæ caput pollet in universa Ecclesia.

*Hæretica.*

—

*De potestate Ecclesiæ quoad constituendam et sanciendam exteriorem disciplinam* (Decret. de Fide, §§ 13, 14.)

IV.

Propositio, affirmans : « abusum fore auctoritatis Ecclesiæ transferendo illam ultra limites doctrinæ ac morum, et eam extendendo ad res exteriores, et per vim exigendo id quod pendet a persuasione et corde, tum etiam, multo minus ad eam pertinere, exigere per vim exteriorem subjectionem suis decretis ; »

Quatenus indeterminatis illis verbis *extendendo ad res exteriores*, notet velut abusum auctoritatis Ecclesiæ, usum ejus potestatis acceptæ a Deo, qua usi sunt et ipsimet Apostoli in disciplina exteriore constituenda et sancienda.

*Hæretica.*

—

V.

Qua parte insinuat Ecclesiam non habere auctoritatem subjectionis suis decretis exigendæ aliter quam per media quæ pendent a persuasione.

Quatenus intendat Ecclesiam « non habere collatam sibi a Deo potestatem non solum dirigendi per consilia et suasiones, sed etiam jubendi per leges, ac devios contumacesque exteriore judicio ac salubribus pœnis coercendi atque cogendi ; »

Ex Bened. XIV. in brevi *Ad assiduas*, anni 1755. primatibus archiepiscopis et episcopis regni Poloniæ.

*Inducens in systema alias damnatum ut hæreticum.*

—

*Jura episcopis præter fas attributa.* (Decr. de Ord. § 25.)

—

VI.

Doctrina synodi, qua profitetur : « persuasum sibi esse episcopum accepisse a Christo omnia jura necessaria pro bono regimine suæ diœcesis ; »

Perinde ac si ad bonum regimen cujusque diœcesis necessariæ non sint superiores ordinationes spectantes sive ad fidem et mores, sive ad generalem disciplinam, quarum jus est penes summos Pontifices et concilia generalia pro universa Ecclesia,

*Schismatica*, ad minus *erronea.*

—

VII.

Item in eo quod hortatur episcopum « ad prosequendam naviter perfectiorem ecclesiasticæ disciplinæ constitutionem, idque, contra omnes contrarias consuetudines, exemptiones, reservationes, quæ adversantur bono ordini diœcesis, majori gloriæ Dei, et majori ædificationi fidelium ; »

Per id quod supponit episcopo fas esse proprio suo judicio et arbitratu statuere, et decernere contra consuetudines, exemptiones, reservationes, sive quæ in universa Ecclesia, sive etiam in unaquaque provincia locum habent, sine venia et interventu superioris hierarchiæ potestatis, a qua inductæ sunt aut probatæ, et vim legis obtinent,

*Inducens in schisma et subversionem hierarchici regiminis, erronea.*

—

VIII.

Item quod et sibi persuasum ait « jura episcopi a Jesu Christo accepta pro gubernanda Ecclesia nec alterari, nec impe-

diri posse ; et ubi contigerit horum jurium exercitium gravi de causa fuisse interruptum, posse semper episcopum, ac debere in originaria sua jura regredi quotiescumque exigit majus bonum suæ Ecclesiæ. »

In eo quod innuit jurium episcopalium exercitium nulla superiori potestate præpediri aut coerceri posse, quandocumque episcopus proprio judicio censuerit minus id expedire majori bono suæ Ecclesiæ,

*Inducens in schisma et subversionem hierarchici regiminis, erronea.*

—

*Jus perperam tributum inferioris ordinis sacerdotibus in decretis fidei et disciplinæ.* (Epist. convoc.)

IX.

Doctrina, quæ statuit « reformationem abusuum circa ecclesiasticam disciplinam in synodis diœcesanis ab episcopo et parochis æqualiter pendere, ac stabiliri debere ; ac sine libertate decisionis indebitam fore subjectionem suggestionibus et jussionibus episcoporum, »

*Falsa, temeraria, episcopalis auctoritatis læsiva ; regiminis hierarchici subversiva ; favens hæresi Arianæ a Calvino innovatæ.*

—

(Ex ep. convoc. Ex ep. ad vic. for. Ex orat. ad syn. § 8. Ex sess. 3.)

X.

Item doctrina, qua parochi aliive sacerdotes in synodo congregati pronuntiantur una cum episcopo judices fidei, et simul innuitur judicium in causis fidei ipsis competere jure proprio, et quidem etiam per ordinationem accepto,

*Falsa, temeraria, ordinis hierarchici subversiva, detrahens firmitati definitionum, judiciorumve dogmaticorum Ecclesiæ, ad minus erronea.*

—

*Orat. synod.* § 8.

XI.

Sententia enuntians veteri majorum instituto ab Apostolicis usque temporibus ducto, per meliora Ecclesiæ sæcula servato, receptum fuisse « ut decreta aut definitiones, aut sententiæ etiam majorum sedium non acceptarentur, nisi recognitæ fuissent, et approbatæ a synodo diœcesana. »

*Falsa, temeraria, derogans pro sua generalitate obedientiæ debitæ Constitutionibus Apostolicis, tum et sententiis ab hierarchica superiore legitima potestate manantibus, schisma fovens, et hæresim.*

—

*Calumniæ adversus aliquas decisiones in materia fidei ab aliquot sæculis emanatas.* (De Fide, § 12.)

XII.

Assertiones synodi complexive acceptæ circa decisiones in materia fidei ab aliquot sæculis emanatas, quas perhibet velut decreta ab una particulari Ecclesia, vel paucis pastoribus profecta, nulla sufficienti auctoritate suffulta, nata corrumpendæ puritati fidei ac turbis excitandis, intrusa per vim, et quibus inflicta sunt vulnera nimium adhuc recentia,

*Falsæ, captiosæ, temerariæ, scandalosæ, in Romanos pontifices et Ecclesiam injuriosæ, debitæ Apostolicis Constitutionibus obedientiæ derogantes, schismaticæ, perniciosæ, ad minus erroneæ.*

—

*De pace dicta Clementis IX* (Or. synod., § 2, in nota).

XIII.

Propositio relata inter acta synodi, quæ innuit Clementem IX. pacem Ecclesiæ reddidisse per approbationem distinctionis juris et facti in subscriptione formularii ab Alexandro VII præscripti,

*Falsa, temeraria, Clementi IX, injuriosa.*

—

XIV.

Quatenus vero ei distinctioni suffragatur, ejusdem fautores laudibus extollendo, et eorum adversarios vituperando,

*Temeraria, perniciosa, summis Pontificibus injuriosa, schisma fovens, et hæresim.*

—

*De coagmentatione corporis Ecclesiæ.* (Apprend. nº 28.)

XV.

Doctrina, quæ proponit Ecclesiam « considerandam velut unum corpus mysticum coagmentatum ex Christo capite, et fidelibus qui sunt ejus membra per unionem ineffabilem, qua mirabiliter evadimus cum ipso unus solus sacerdos, una sola victima, unus solus adorator perfectus Dei Patris in spiritu et veritate : »

Intellecta hoc sensu, ut ad corpus Ecclesiæ non pertineant nisi fideles qui sunt perfecti adoratores in spiritu et veritate,

*Hæretica.*

—

*De statu innocentiæ.* (De Grat. §§ 4, 7 ; de Sacra. in gen. § 1 ; de Pœnit. § 4.)

XVI.

Doctrina synodi de statu felicis innocentiæ qualem eum repræsentat in Adamo ante peccatum, complectente non modo integritatem, sed et justitiam interiorem cum impulsu in Deum per amorem charitatis, atque primævam sanctitatem aliqua ratione post lapsum restitutam ;

Quatenus complexive accepta innuit statum illum sequelam fuisse creationis, debitum ex naturali exigentia, et conditione humanæ naturæ, non gratuitum Dei beneficium ;

*Falsa, alias damnata in Baio et Quesnellio, erronea, favens hæresi Pelagianæ.*

—

*De immortalitate spectata ut naturali conditione hominis.* (De Bapt. § 2.)

XVII.

Propositio his verbis enuntiata : « Edocti ab Apostolo, spectamus mortem non jam ut naturalem conditionem hominis, sed revera ut justam pœnam culpæ originalis ; »

Quatenus sub nomine Apostoli subdole allegato insinuat mortem, quæ in præsenti statu inflicta est velut justa pœna peccati per justam subtractionem immortalitatis, non fuisse naturalem conditionem hominis, quasi immortalitas non fuisset gratuitum beneficium, sed naturalis conditio,

*Captiosa, temeraria, Apostolo injuriosa, alias damnata.*

—

*De conditione hominis in statu naturæ.* (De grat. § 10.)

XVIII.

Doctrina synodi enuntians « post

lapsum Adami Deum annuntiasse promissionem futuri liberatoris, et voluisse consolari genus humanum per spem salutis, quam Jesus Christus allaturus erat, tamen Deum voluisse ut genus humanum transiret per varios status, antequam veniret plenitudo temporum, ac primum ut in statu naturæ homo relictus propriis luminibus disceret de sua cæca ratione diffidere, et ex suis aberrationibus moveret se ad desiderandum auxilium superioris luminis ; »

Doctrina, ut jacet, captiosa atque intellecta de desiderio adjutorii superioris luminis in ordine ad salutem promissam per Christum, ad quod concipiendum homo relictus suis propriis luminibus supponatur sese potuisse movere,

*Suspecta, favens hæresi Semipelagianæ.*

—

*De conditione hominis sub lege.* (Ibid.)

XIX.

Item quæ subjungit hominem sub lege, « cum esset impotens ad eam observandam, prævaricatorem evasisse, non quidem culpa legis, quæ sanctissima erat, sed culpa hominis, qui sub lege sine gratia magis magisque prævaricator evasit, superadditque legem, si non sanavit cor hominis, effecisse ut sua mala cognosceret, et de sua infirmitate convictus desideraret gratiam Mediatoris ;

Qua parte generaliter innuit hominem prævaricatorem evasisse per observantiam legis, quam impotens esset observare ; quasi *impossibile aliquid potuit imperare qui justus est, aut damnaturus sit hominem pro eo quod non potuit evitare, qui pius est ;*

Ex S. Cæsario, serm. 73. in append. S. Augustini, serm. 273., edit. Maur.

Ex S. Aug. de Nat. et Gr. c. 43. de grat. et lib. arb. c. 16., Enar. in psal. 56. n. 1.

*Falsa, scandalosa, impia, in Baio damnata.*

—

XX.

Qua parte datur intelligi hominem sub lege sine gratia potuisse concipere desiderium gratiæ Mediatoris ordinatum ad salutem promissam per Christum ; « quasi non ipsa gratia faciat ut invocetur a nobis ; »

Ex concil. Araus. II, can. 3.

*Propositio, ut jacet, captiosa, suspecta, favens hæresi Semipelagianæ.*

—

*De gratia illuminante, et excitante.* (De Grat. § 11.)

XXI.

Propositio, quæ asserit « lumen gratiæ quando sit solum, non præstare nisi ut cognoscamus infelicitatem nostri status, et gravitatem nostri mali : gratiam in tali casu producere eumdem effectum quem lex producebat ; ideo necesse esse, ut Deus creet in corde nostro sanctum amorem, et inspiret sanctam delectationem esse proprie gratiam Jesu Christi, inspirationem contrariam amori in novis dominanti : hunc amorem sanctum, hanc sanctam delectationem charitatis, qua cognita sancto amore faciamus, hanc esse illam radicem, e qua germinant bona opera, hanc esse gratiam Novi Testamenti, quæ nos liberat a servitute peccati et constituit filios Dei. »

Quatenus intendat eam solam esse proprie gratiam Jesu Christi, quæ creat in corde sanctum amorem : et quæ facit ut faciamus, sive etiam qua homo liberatus a servitute peccati constituitur filius Dei, et non sit etiam proprie gratia Christi ea gratia, qua cor hominis tangitur per illuminationem Spiritus sancti (Trid. sess. VI, cap. V), nec vera detur interior gratia Christi, cui resistitur.

*Falsa*, captiosa, *inducens in errorem in secundo propositione Jansenii damnatum ut hæreticum eumque renovans.*

—

*De fide velut prima gratia.* (De fide, § 1.)

XXII.

Propositio, quæ innuit fidem, « a qua incipit series gratiarum, et per quam velut primam vocem vocamur ad salutem, et Ecclesiam, esse ipsammet excellentem virtutem fidei, qua homines fideles nominantur, et sunt ; »

Perinde ac prior non esset gratia, illa quæ ut prævenit voluntatem sic prævenit et fidem,

Ex S. Aug. de dono persev. c. 16, n. 41.

*Suspecta de hæresi eamque sapiens, alias in Quesnellio damnata, erronea.*

—

*De duplici amore.* (De Grat. § 8.)

XXIII.

Doctrina synodi de duplici amore dominantis cupiditatis, et charitatis dominantis, enuntians hominem sine gratia esse sub servitute peccati : ipsumque in eo statu per generalem cupiditatis dominantis influxum omnes suas actiones inficere et corrumpere.

Quatenus insinuat in homine, dum est sub servitute, sive in statu peccati, destitutus gratia illa qua liberatur a servitute peccati et constituitur filius Dei, sic dominari cupiditate, ut per generalem hujus influxum omnes illius actiones in se inficiantur et corrumpantur : aut opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quacumque ratione fiant, sint peccata.

Quasi in omnibus suis actibus peccator serviat dominanti cupiditati,

*Falsa, perniciosa, inducens in errorem a Tridentina damnatum ut hæreticum, iterum in Baio damnatum*, art. 40. § 12.

—

XXIV.

Qua vero parte inter dominantem cupiditatem et charitatem dominantem nulli ponuntur affectus medii a natura ipsa insiti, suapteque natura laudabiles, qui una cum amore beatitudinis, naturalique propensione ad bonum, remanserunt velut extrema lineamenta, et reliquiæ imagines Dei ;

Ex S. August. de spir. et lit. c. 28.

Perinde ac si inter dilectionem divinam, quæ nos perducit ad regnum, et dilectionem humanam illicitam, quæ damnatur, non daretur dilectio humana licita, quæ non reprehenditur,

Ex S. August. serm. 349, de char. edit. Maur.

*Falsa, alias damnata.*

—

*De timore servili.* (De pœnit. § 3.)

XXV.

Doctrina, quæ timorem pœnarum generatim perhibet duntaxat non posse dici malum, si saltem pertingit ad cohibendam manum ;

Quasi timor ipse gehennæ, quam fides docet peccato infligendam, non sit in se bonus et utilis, velut donum supernaturale, ac motus a Deo inspiratus præparans ad amorem justitiæ,

*Falsa temeraria, perniciosa, divinis donis injuriosa, alias damnata, contraria doctrinæ concilii Tridentini, tum et communi Patrum sententiæ :* opus esse, *juxta consuetum ordinem præparationis ad justitiam*, ut intret timor primo per quem veniat charitas ; timor medicamentum, charitas sanitas.

Ex S. August. in epist. Joan. cap. 4, tract. 9, n. 4, 5.
In Joann. evang. tract. 41, n. 10.
Enarratione in psal. 127, n. 7.
Sermone 137, de verbis Apostoli, c. 13.
Sermone 161, de verbis Apostoli, n. 8.
Sermone 349, de charitate, n. 7.

—

*De pœna decedentium cum solo originali*, (De Bapt. §. 3.)

XXVI.

Doctrina, quæ velut fabulam Pelagianam explodit locum illum inferorum (quem limbi puerorum nomine fideles passim designant), in quo animæ decedentium cum sola originali culpa pœna damni citra pœnam ignis puniantur ;

Perinde ac si hoc ipso quod qui pœnam ignis removent, inducerent locum illum, et statum medium expertem culpæ et pœnæ inter regnum Dei et damnationem æternam, qualem fabulantur Pelagiani.

*Falsa, temeraria in scholas catholicas injuriosa.*

—

*De sacramentis, ac primum de forma sacramentali cum adjuncta conditione.* (De Bapt. §. 12.)

XXVII.

Deliberatio synodi, qua prætextu adhæsionis ad antiquos canones in casum dubii baptismatis, propositum suum declarat de omittenda formæ conditionalis mentione,

*Temeraria, praxi, legi, auctoritati Ecclesiæ contraria.*

—

*De participatione victimæ in sacrificio Missæ,* (De Euch. §. 6.)

XXXVIII.

Propositio synodi, qua postquam statuit « victimæ participationem esse partem sacrificio essentialem, subjungit non tamen se damnare ut illicitas Missas illas, in quibus adstantes sacramentaliter non communicant, ideo quia isti participant licet minus perfecte de ipsa victima spiritu illam recipiendo ; »

Quatenus insinuat ad sacrificii essentiam deesse aliquid in eo sacrificio, quod peragatur sive nullo adstante, sive adstantibus qui nec sacramentaliter, nec spiritualiter de victima participant : et quasi damnandæ essent ut illicitæ Missæ illæ in quibus, solo sacerdote communicante, nemo adsit qui sive sacramentaliter, sive spiritualiter communicet,

*Falsa, erronea, de hæresi suspecta, eamque sapiens.*

—

*De ritus consecrationis efficacia.* (De Euch. §. 2.)

XXIX.

Doctrina synodi, qua parte tradere instituens fidei doctrinam de ritu consecrationis, remotis quæstionibus scholasticis circa modum quo Christus est in Eucharistia, a quibus parochos docendi munere fungentes abstinere hortatur, duobus his tantum propositis : 1° Christum post consecrationem vere, realiter, substantialiter esse sub speciebus ; 2° Tunc omnem panis et vini substantiam cessare solis remanentibus speciebus : prorsus omittit ullam mentionem facere transsubstantionis, seu conversionis totius substantiæ panis in corpus, et totius substantiæ vini in sanguinem, quam velut articulum fidei Tridentinum concilium definivit et quæ in solemni fidei professione continetur ;

Quatenus per inconsultam istiusmodi suspiciosamque omissionem notitia subtrahitur tum articuli ad fidem pertinentis, tum etiam vocis ab Ecclesia consecratæ ad illius tuendam professionem adversus hæreses, tenditque ideo ad ejus oblivionem inducendam quasi ageretur ad quæstione mere scholastica.

*Perniciosa, derogans expositioni veritatis catholicæ circa dogma transsubstantiationis favens hæreticis.*

—

*De applicatione fructus sacrificii.* (De Euch. §. 3.)

XXX.

Doctrina synodi, qua dum profitetur « credere sacrificii oblationem extendere se ad omnes, ita tamen ut in liturgia fieri possit specialis commemoratio aliquorum tam vivorum quam defunctorum, precando Deum peculiariter pro ipsis ; » dein continuo subjicit : « Non tamen quod credamus in arbitrio esse sacerdotis applicare fructus sacrificii cui vult, imo damnamus hunc errorem velut magnopere offendentem jura Dei qui solus distribuit fructus sacrificii cui vult, et secundum mensuram quæ ipsi placet : » unde et consequenter traducit « velut falsam opinionem invectam in populum, quod illi cui eleemosynam subministrant sacerdoti sub conditione quod celebret unam missam, specialem fructum ex ea percipiant ; »

Sic intellecta, ut præter peculiarem commemorationem et orationem specialis ipsa oblatio, seu applicatio sacrificii, quæ fit a sacerdote, non magis prosit, cæteris paribus, illis quibus applicatur, quam aliis quibusque ; quasi nullus specialis fructus proveniret ex speciali applicatione, quam pro determinatis personis, aut personarum ordinibus faciendam commendat ac præcipit Ecclesia, speciatim a pastoribus pro suis ovibus ; quod velut ex divino præcepto descendens a sacra Tridentina synodo diserte est expressum,

Sess. 23, cap. 1. de Reform.
Bened. XIV. constit. cum semper oblatas, §. 2.

*Falsa, temeraria, perniciosa, Ecclesiæ injuriosa, inducens in errorem alias damnatum in Wicleffo.*

—

*De convenienti ordine in cultu servando.* (De Euch. §. 5.)

XXXI.

Propositio synodi enuntians conveniens esse pro divinorum officiorum ordine, et antiqua consuetudine, ut in unoquoque templo unum tantum sit altare, sibique ideo placere morem illum restituere,

*Temerario, perantiquo, pio multis adhinc sæculis in Ecclesia præsertim Latina vigenti et probato mori injuriosa.*

—

*Ibid.*

XXXII

Item præscriptio vetans ne super altaria sacrarum reliquiarum thecæ floresve apponantur,

*Temeraria, pio ac probato Ecclesiæ mori injuriosa.*

—

*Ibid.* §. 6.

XXXIII.

Propositio synodi, qua cupere se ostendit ut causæ tollerentur, per quas ex parte inducta est oblivio principiorum ad liturgiæ ordinem spectantium, « revocando illam ad majorem rituum simplicitatem, eam vulgari lingua exponendo, et elata voce proferendo ; »

Quasi vigens ordo liturgiæ ab Ecclesia

receptus et probatus, aliqua ex parte manasset ex oblivione principiorum, quibus illa regi debet,

*Temeraria, piaram aurum offensiva, in Ecclesiam contumeliosa, favens hæreticorum in eam conviciis.*

—

*De ordine pœnitentiæ.* (De Pœnit. §. 7.)

XXXIV.

Declaratio synodi, qua postquam præmisit ordinem pœnitentiæ canonicæ sic ad Apostolorum exemplum ab Ecclesia statutum fuisse, ut esset communis omnibus, nec tantum pro punitione culpæ, sed præcipue pro dispositione ad gratiam, subdit, se « in ordine illo mirabili, et augusto totam agnoscere dignitatem sacramenti adeo necessarii, liberam a subtilitatibus, quæ ipsi decursu temporis adjunctæ sunt ; »

Quasi per ordinem, quo sine peracto canonicæ pœnitentiæ cursu hoc sacramentum per totam Ecclesiam administrari consuevit, illius fuisset dignitas imminuta.

*Temeraria, scandalosa inducens in contemptum dignitatis sacramenti, prout per Ecclesiam totam consuevit administrari, Ecclesiæ ipsi injuriosa.*

—

*De Pœnit.* §. 10. n. 24.

XXXV.

Propositio his verbis concepta : « Si charitas in principio semper debilis est, de via ordinaria ad obtinendum augmentum hujus charitatis, oportet ut sacerdos præcedere faciat eos actus humiliationis et pœnitentiæ, qui fuerunt omni ætate ab Ecclesia commendati ; redigere hos actus ad paucas orationes, aut ad aliquod jejunium post jam collatam absolutionem, videtur potius materiale desiderium conservandi huic sacramento nudum nomen pœnitentiæ, quam medium illuminatum, et aptum ad augendum illum fervorum charitatis, qui debet præcedere absolutionem, longe quidem absumus ab improbanda praxi imponendi pœnitentias etiam post absolutionem adimplendas : si omnia nostra bona opera semper adjunctos habent nostros defectus, quanto magis veneri debemus ne plurimas imperfectiones admiserimus in difficillimo et magni momenti opere nostræ reconciliationis ; »

Quatenus innuit pœnitentias, quæ imponuntur adimplendæ post absolutionem, spectandas potius esse velut supplementum pro defectibus admissis in opere nostræ reconcilationis, quam ut pœnitentias vere sacramentales et satisfactorias pro peccatis confessis : quasi ut vera ratio sacramenti non nudum nomen servetur, oporteat de via ordinaria ut actus humiliationis et pœnitentiæ, qui imponuntur per modum satisfactionis sacramentalis, præcedere debeant absolutionem,

*Falsa temeraria, communi praxi Ecclesiæ injuriosa, inducens in errorem hæreticali nota in Petro de Osma confixum.*

—

*De prævia necessaria dispositione pro admittendis pœnitentibus ad reconciliationem* (De Grat. §. 15.)

XXXVI.

Doctrina synodi, qua postquam præmisit : « Quando habebuntur signa non æquivoca amoris Dei dominantis in corde hominis, posse illum merito judicari dignum qui admittatur ad participationem sanguinis Jesu Christi, qua fit in sacramentis, subdit, supposititicias conversiones, quæ fiunt per attritionem, nec efficaces esse solere, nec durabiles ; consequenter pastorem animarum debere insistere signis non æquivocis charitatis, antequam admittat suos pœnitentes ad

sacramenta quæ signa, ut deinde tradit (§. 18.), Pastor deducere poterit ex stabili cessatione a peccato, et fervore in operibus bonis, quem insuper fervorem charitatis perhibet (De Pœnit. § 10.) velut dispositionem quæ debet præcedere absolutionem ; »

Sic intellecta, ut non solum contritio imperfecta, quæ passim attritionis nomine donatur, etiam quæ juncta sit cum dilectione, qua homo incipit diligere Deum tanquam omnis justitiæ fontem, nec modo contritio charitate formata, sed et fervor charitatis dominantis, et ille quidem diuturno experimento per fervorem in operibus bonis probatus, generaliter et absolute requiratur, ut homo ad sacramenta, et speciatim pœnitentes ad absolutionis beneficium admittantur.

*Falsa temeraria, quietis animarum perturbativa, tutæ ac probatæ in Ecclesia praxi contraria, sacramenti efficaciæ detrahens et injuriosa.*

—

*De auctoritate absolvendi.* (De Pœnit. §. 10. n. 6.)

XXXVII.

Doctrina synodi, quæ de auctoritate absolvendi accepta per ordinationem enuntiat « post institutionem diœcesium et parochiarum conveniens esse ut quisque judicium hoc exerceat super personas sibi subditas sive ratione territorii, sive jure quodam personali, propterea quod aliter confusio induceretur et perturbatio ; »

Quatenus post institutas diæceses et parochias enuntiat tantummodo conveniens esse ad præcavendam confusionem, ut absolvendi potestas exerceatur super subditos ; sic intellecta tanquam ad validum usum hujus potestatis non sit necessaria ordinaria, vel subdelegata illa jurisdictio, sine qua Tridentinum declarat nullius momenti esse absolutionem a sacerdote prolatam,

*Falsa, temeraria, perniciosa, Tridentino contraria et injuriosa, erronea.*

—

*Ibid.* §. 11.

XXXVIII.

Item doctrina, qua postquam synodus professa est « se non posse non admirari illam adeo venerabilem disciplinam antiquitatis, quæ, ut ait, ad pœnitentiam non ita facile, et forte nunquam eum admittebat, qui post primum peccatum et primam reconciliationem relapsus esset in culpam, subjungit, per timorem perpetuæ exclusionis a communione et pace, etiam in articulo mortis, magnum frenum illis injectum iri, qui parum considerent malum peccati, et minus illud timent ; »

*Contraria can.* 13, *concilii Nicæni* 1, *Decretali Innocentii* 1, *ad Exuperium Tolos, tum et decretali Cœlestini* 1, *ad episcopos Viennens. et Narbonens. provinciæ, redolens pravitatem quam in ea Decretali sanctus Pontifex exhorret.*

—

*De peccatorum venialium confessione.* (De Pœnit. §. 12.)

XXXIX.

Declaratio synodi de peccatorum venialium confessione quam optare se ait non tantopere frequentari ne nimium contemptibiles reddantur hujusmodi confessiones,

*Temeraria, perniciosa, sanctorum ac piorum praxi a sancti conc. Trid. probatæ, contraria.*

—

*De indulgentiis.* (De Pœnit. §. 16).

XL.

Propositio, asserens « indulgentiam secundum suam præcisam notionem aliud non esse quam remissionem partis ejus pœnitentiæ, que per canones statuta erat peccanti ; »

Quasi indulgentia præter nudam remissionem pœnæ canonicæ non etiam valeat ad remissionem pœnæ temporalis pro peccatis actualibus debitæ apud divinam justitiam,

*Falsa, temeraria, Christi meritis injuriosa, dudum in art.* 19. *Lutheri damnata.*

—

*Ibid.*

XLI.

Item in eo quod subditur, « scholasticos suis subtilitatibus inflatos invexisse thesaurum male intellectum meritorum Christi et sanctorum, et claræ notioni absolutionis a pœna canonica substituisse confusam, et falsam applicationis meritorum ; »

Quasi thesauri Ecclesiæ, unde Papa dat indulgentias, non sint merita Christi et sanctorum,

*Falsa, temeraria, Christi et sanctorum meritis injuriosa, dudum in art.* 17. *Lutheri damnata.*

—

*Ibid.*

XLII.

Item in eo quod superaddit, « luctuosius adhuc esse quod chimerica isthæc applicatio transferri solita sit in defunctos, »

*Falsa temeraria, piarum aurium offensiva, in Romanos Pontifices, et in praxim et sensum universalis Ecclesiæ injuriosa, inducens in errorem, hæreticali nota in Petro de Osma confixum, iterum damnatum in art.* 2. *Lutheri.*

—

*Ibid.*

XLIII.

In eo demum quod impudentissime invehitur in tabellas indulgentiarum, alteria privilegiata, etc.,

*Temeraria, piarum aurium offensiva, scandalosa, in summos Pontifices atque in praxim tota in Ecclesia frequentatam contumeliosa.*

—

*De reservatione casuum.* (De Pœnit. § 19).

XLIV.

Propositio synodi, asserens « reservationem casuum nunc temporis aliud non esse quam improvidum ligamen pro inferioribus sacerdotibus, et sonum sensu vacuum pro pœnitentibus assuetis non admodum curare hanc reservationem, »

*Falsa, temeraria, male sonans, perniciosa, concilio Tridentino contraria, superioris hierarchicæ potestatis læsiva.*

—

*Ibid.*

XLV.

Item de spe quam ostendit fore « ut reformato Rituali, et ordine pœnitentiæ nullum amplius locum habituræ sint hujusmodi reservationes ; »

Prout attenta generalitate verborum innuit per reformationem Ritualis et ordinis pœnitentiæ factam ab episcopo, vel synodo, aboleri posse casus quos

Tridentina synodus (sess. 4. c. 7). declarat Pontifices maximos potuisse pro suprema potestate sibi in universa Ecclesia tradita peculiari suo judicio reservare,

*Propositio falsa, temeraria, concilio Tridentino et summorum Pontificum auctoritati derogans et injuriosa.*

—

*De censuris.* (De Pœnit. §§. 20, 22.)

XLVI.

Propositio, asserens « effectum excommunicationis exteriorem duntaxat esse, quia tantummodo natura sua excludit ab exteriore communicatione Ecclesiæ ; »

Quasi excommunicatio non sit pœna spiritualis, ligans in cœlo, animas obligans,

Ex S. August. ep. 250. Auxilio episcop. 50 tract. in Joann. n. 12.

*Falsa, perniciosa, in art.* 23. *Lutheri damnata, ad minus erronea.*

—

§ §. 21, 23.

XLVII.

Item quæ tradit necessarium esse juxta leges naturales et divinas, ut sive ad excommunicationem, sive ad suspensionem præcedere debeat examen personale, atque adeo sententias dictas ipso facto, non aliam vim habere, nisi seriæ comminationis sine ullo actuali effectu,

*Falsa temeraria, perniciosa, Ecclesiæ potestati injuriosa, erronea.*

—

§. 22.

XLVIII.

Item quæ pronuntiat « inutilem ac vanam esse formulam nonnullis ab hinc sæculis inductam absolvendi generaliter ab excommunicationibus, in quas fidelis incidere potuisset, »

*Falsa temeraria, praxi Ecclesiæ injuriosa.*

—

§. 24.

XLIX.

Item quæ damnat ut nullas et invalidas « suspensiones ex informata conscientia, »

*Falsa, perniciosa, in Trid. injuriosa.*

—

*Ibid.*

L.

Item in eo quod insinuat soli episcopo fas non esse uti potestate quam tamen ei defert Tridentinum (sess. 14. c. 1. de Ref.) suspensionis ex informata conscientiæ legitime infligendæ,

*Jurisdictionis prælatorum Ecclesiæ læsiva.*

—

*De Ordine* (De Ordine, §. 4.)

LI.

Doctrina synodi, quæ perhibet in promovendis ad ordines hanc de more, et instituto veteris disciplinæ rationem servari consuevisse, « ut si quis clericorum distinguebatur sanctitate vitæ, et dignus æstimabatur qui ad Ordines sacros ascenderet, ille solitus erat promoveri ad diaconatum, vel sacerdotium, etiamsi inferiores ordines non suscepisset : neque tum talis ordinatio dicebatur per saltum, ut postea dictum est. »

—

§. 5.

LII.

Item quæ innuit non alium titulum ordinationum fuisse, quam deputationem ad aliquod speciale ministerium, qualis præscripta est in concilio Chalcedonensi : subjungens (§. 6), quandiu Ecclesia sese his principiis in delectu sacrorum ministrorum conformavit, ecclesiasticum Ordinem floruisse, verum beatos illos dies transiisse, novaque principia subinde introducta, quibus corrupta fuit disciplina in delectu ministrorum sanctuarii.

—

§. 7.

LIII.

Item quod inter hæc ipsa corruptionis principia refert, quod recessum sit a vetere instituto, quo, ut ait (§. 3), Ecclesia insistens Apostoli vestigiis neminem ad sacerdotium admittendum statuerat, nisi qui conservasset innocentiam baptismalem ;

Quatenus innuit corruptam fuisse disciplinam per decreta et instituta,

1° Sive quibus ordinationes per saltum vetitæ sunt ;

2° Sive quibus pro ecclesiarum necessitate et commoditate probatæ sunt ordinationes sine titulo specialis officii, velut, speciatim a Tridentino ordinatio ad titulum patrimonii ; salva obedientia, qua sic ordinati ecclesiarum necessitatibus deservire debent iis obeundis officiis, quibus pro loco ac tempore ab episcopo admoti fuerint, quemadmodum ab Apostolicis temporibus in primitiva Ecclesia fieri consuevit ;

3° Sive quibus jure canonico facta est criminum distinctio, quæ delinquentes reddunt irregulares : quasi per hanc distinctionem Ecclesia recesserit a spiritu Apostoli, non excludendo generaliter et indistincte ab ecclesiastico ministerio omnes quoscumque qui baptismalem innocentiam non conservassent ;

*Doctrina singulis suis partibus falsa, temeraria, ordinis pro ecclesiarum necessitate et commoditate inducti perturbativa, in disciplinam per canones, et speciatim per Trid. decreta probatam, injuriosa.*

—

§. 23.

LIV.

Item quæ velut turpem abusum notat unquam prætendere eleemosynam pro celebrandis Missis, et sacramentis administrandis, sicuti et accipere quemlibet proventum dictum *stolæ*, et generatim quodcumque stipendium et honorarium, quod suffragiorum aut cujuslibet parochialis functionis occasione offeretur ;

Quasi turpis abusus crimine notandi essent ministri Ecclesiæ dum secundum receptum et probatum Ecclesiæ morem et institutum utuntur jure promulgato ab Apostolo accipiendi temporalia ab his quibus spiritualia ministrantur,

*Falsa, temeraria, ecclesiastici ac pastoralis juris læsiva, in Ecclesiam ejusque ministros injuriosa.*

—

§. 14.

LV.

Item qua vehementer optare se profitetur, ut aliqua ratio inveniretur minutuli cleri (quo nomine inferiorum ordinum clericos designat) a cathedralibus et collegiatis submovendi, providendo aliter, nempe per probos, et provectioris ætatis laicos, congruo assignato stipendio, ministerio inserviendi missis et aliis officiis velut acolythi, etc , ut olim, inquit, fieri solebat quando ejus generis officia, non ad meram speciem pro ma-

joribus Ordinibus suscipiendis redacta erant ;

Quatenus reprehendit institutum, quo cavetur, ut minorum ordinum functiones per eos tantum præstentur, exerceanturve, qui in illis constituti adscriptive sunt (Concil. prov. IV. Mediol.) : idque ad mentem Tridentini (sess. 23, c. 17.) ut sanctorum Ordinum a diaconatu ad ostiariatum functiones ab Apostolicis temporibus in Ecclesia laudabiliter receptæ, et in pluribus locis aliquandiu intermissæ juxta sacros canones revocentur, nec ab hæreticis tamquam otiosæ traducantur,

*Suggestio temeraria, piarum aurium offensiva, ecclesiastici ministerii perturbativa, servandæ, quoad fieri potest, in celebrandis mysteriis decentiæ imminutiva, et in minorum Ordinum munera et functiones, tum in disciplinam per canones, et speciatim per Trid. probatam injuriosa, favens hæreticorum in eam conviciis et calumniis.*

—

§. 18.

LVI.

Doctrina, quæ statuit conveniens videri in impedimentis canonicis, quæ proveniunt ex delictis in jure expressis nullam unquam nec concedendam nec admittendam esse dispensationem,

*Æquitatis et moderationis canonicæ a sacro concilio Tridentino probatæ læsiva, auctoritati et juribus Ecclesiæ derogans.*

—

*Ibid.* §. 22.

LVII.

Præscriptio synodi quæ generaliter et indiscriminatim velut abusum rejicit quamcumque dispensationem, ut plus quam unum residentiale beneficium uni eidemque conferatur ; item in eo quod subjungit, certum sibi esse juxta Ecclesiæ spiritum plus quam uno beneficio tametsi simplici neminem frui posse,

*Pro sua generalitate derogans moderationi, Trident. sess. 7. c. 5. et sess. 25. c. 17.*

—

*De sponsalibus et matrimonio.* (*Libell. memor.* circa sponsalia, etc. §. 2.)

LVIII.

Propositio, quæ statuit sponsalia proprie dicta actum mere civilem continere, qui ad matrimonium celebrandum disponit, eademque civilium legum præscripto omnino subjacere ;

Quasi actus disponens ad sacramentum non subjaceat sub hac ratione juri Ecclesiæ.

*Falsa, juris Ecclesiæ quoad effectus etiam e sponsalibus vi canonicarum sanctionum profluentes læsiva, disciplinæ ab Ecclesia constitutæ derogans.*

—

*De matrim.* §§. 7. 11. 12.

LIX.

Doctrina synodi, asserens « ad supremam civilem potestatem duntaxat originarie spectare contractui matrimonii apponere impedimenta ejus generis quæ ipsum nullum reddunt, dicunturque dirimentia, quod jus originarium præterea dicitur cum jure dispensandi essentialiter connexum subjungens, supposito assensu, vel conniventia principum potuisse Ecclesiam juste constituere impedimenta dirimentia ipsum contractum matrimonii ; »

Quasi Ecclesia non semper potuerit, ac possit in Christianorum matrimoniis jure proprio impedimenta constituere, quæ matrimonium non solum impediant, sed et nullum reddant quoad vinculum, qui-

bus Christiani obstricti teneantur etiam in terris infidelium, in eisdemque dispensare,

*Canonum* 3. 4. 9. 12. *sess.* 24. *concil. Trid. eversiva, hæretica.*

—

*Cit. libel. memor. circa sponsal.* §. 10.

LX.

Item rogatio synodi ad potestatem civilem, ut « e numero impedimentorum tollat cognationem spiritualem, atque illud quod dicitur publicæ honestatis, quorum origo reperitur in Collectione Justiniani, tum ut restringat impedimentum affinitatis et cognationis ex quacumque licita aut illicita conjunctione provenientis ad quartum gradum juxta civilem computationem per lineam lateralem et obliquam ita tamen ut spes nulla relinquatur dispensationis obtinendæ ; »

Quatenus civili potestati jus attribuit sive abolendi, sive restringendi impedimenta Ecclesiæ auctoritate constituta vel comprobata ; item qua parte supponit Ecclesiam per potestatem civilem spoliari posse jure dispensandi super impedimentis ab ipsa constitutis vel comprobatis,

*Libertatis ac potestatis Ecclesiæ subversiva, Tridentino contraria, ex hæreticali supra damnato principio profecta.*

—

*De officiis, exercitationibus, institutionibus ad religiosum cultum pertinentibus.*

*Et primum de odoranda humanitate Christi.*

(De Fide, §. 3.)

LXI.

Propositio, quæ asserit « adorare directe humanitatem Christi, magis vero aliquam ejus partem, fore semper honorem divinum datum creaturæ. »

Quatenus per hoc verbum directe intendat reprobare ad adorationis cultum, quem fideles dirigunt ad humanitatem Christi, perinde ac si talis adoratio, qua humanitas, ipsaque caro vivifica Christi adoratur non quidem propter se et tanquam nuda caro, sed prout unita divinitati, foret honor divinus impertitus creaturæ, et non potius una eademque adoratio, qua Verbum incarnatum cum propria ipsius carne adoratur,

Ex concil. C. P. V. Gen. can. 9.

*Falsa, captiosa, pio ac debito cultui humanitati Christi a fidelibus præstito ac præstando detrahens et injuriosa.*

—

*De orat.* §. 10.

LXII.

Doctrina, quæ devotionem erga sacrastissimum cor Jesu rejicit inter devotiones quas notat velut novas, erroneas, aut saltem periculosas ;

Intellecta de hac devotione, qualis est ab Apostolica Sede probata,

*Falsa, temeraria, perniciosa, piarum aurium offensiva, in Apostolicam Sedem injuriosa.*

—

*De orat.* §. 10. et *Append.* n. 32.

LXIII.

Item in eo quod cultores cordis Jesu hoc etiam nomine arguit, quod non advertant sanctissimam carnem Christi, aut ejus partem aliquam, aut etiam humanitatem totam cum separatione, aut præcisione a divinitate adorari non posse cultu latriæ ;

Quasi fideles cor Jesu adorarent cum separatione vel præcisione a divinitate, dum illud adorant, ut est cor Jesu, cor nempe personæ Verbi, cui inseparabiliter unitum est, ad eum modum, quo exsangue corpus Christi in triduo mortis

sine separatione aut præcisione a divinitate adorabile fuit in sepulcro,

*Captiosa, in fideles cordis Christi cultores injuriosa.*

—

*De ordine præscripto in piis exercitationibus obeundis* (De orat. §. 14. Append. n. 34.)

LXIV.

Doctrina, quæ velut superstitiosam universe notat quamcumque efficaciam, « quæ ponatur in determinato numero precum et piarum salutationum, »

Tanquam superstitiosa censenda esset efficacia, quæ sumitur non ex numero in se spectato, sed ex præscripto Ecclesiæ certum numerum precum, vel externarum actionum præfinientis pro indulgentiis consequendis, pro adimplendis pœnitentiis, et generatim pro sacro et religioso cultu rite et ex ordine peragendo, »

*Falsa, temeraria, scandalosa, perniciosa, pietati fidelium injuriosa, Ecclesiæ auctoritate derogans, erronea,*

—

*De Pœnit.* §. 10.

LXX.

Propositio enuntians « irregularem strepitum novarum institutionum, quæ dictæ sunt exercitia, vel missiones.... forte nunquam, aut saltem perraro eo pertingere ut absolutam conversionem operentur, et exteriores illos commotionis actus, qui apparuere, nil aliud fuisse quam transeuntia naturalis concussionis fulgura, »

*Temeraria, male sonans, perniciosa, mori pio salutariter per Ecclesiam frequentato, et in verbo Dei fundato, injuriosa.*

—

*De modo jungendæ vocis populi cum voce Ecclesiæ in precibus publicis.* (*De orat.* §. 24.)

LXVI.

Propositio asserens « fore contra Apostolicam praxim et Dei consilia, nisi populo faciliores viæ pararentur, vocem suam jungendi cum voce totius Ecclesiæ ; »

Intellecta « de usu vulgaris linguæ in liturgicas preces » inducendæ.

*Falsa, temeraria, ordinis pro mysteriorum celebratione præscripti perturbativa, plurium malorum facile productrix.*

—

*De lectione sacra Scripturæ.* (Ex nota in fine Decr. de Gratia.)

LXVII.

Doctrina perhibens a lectione sacrarum Scripturarum non nisi veram impotentiam excusare, subjungens ultro se prodere obscurationem, quæ ex hujusce præcepti neglectu orta est super primarias veritates religionis.

*Falsa, temeraria, quietis animarum perturbativa, alias in Quesnelio damnata.*

—

*De proscriptis libris in Ecclesia publice legendis.* (De orat. § 29.)

LXVIII.

Laudatio, qua summopere synodus cemmendat Quesnellii commendationes in Novum Testamentum, aliaque aliorum Quesnellianis erroribus faventium opera licet proscripta, eademque parochis proponit, ut ea tamquam solidis religionis principiis referta in suis quisque parœciis populo post reliquas functiones perlegant,

*Falsa, scandalosa, temeraria, seditiosa, Ecclesiæ injuriosa, schisma fovens et hæresim.*

—

*De sacris imaginibus.* (De orat. §. 17)

LXIX.

Præscripto, quæ generaliter et indistincte inter imagines ab Ecclesia auferendas, velut rudibus erroris occasionem præbentes, notat imagines Trinitatis incomprehensibilis.

*Propter sui generalitatem temeraria, ac pio per Ecclesiam frequentato mori contraria, quasi nullæ exstent imagines sanctissimæ Trinitatis communiter approbatæ, ac tuto permittendæ.*

Ex brevi *Sollicitudini nostræ,* Bened. XIV. an. 1745.

—

LXX.

Item doctrina et præscriptio generatim reprobans omnem specialem cultum, quem alicui speciatim imagini solent fideles impendere, et ad ipsam potius quam ad aliam confugere,

*Temeraria, perniciosa, pio per Ecclesiam frequentato mori, tum et illi Providentiæ ordini injuriosa, quo ita Deus nec in omnibus memoriis sanctorum ista fieri voluit, qui dividit propria unicuique prout vult.*

Ex S. Aug. ep. 78. clero, senioribus, et universæ plebi Ecclesiæ Hipponen.

—

LXXI.

Item quæ vetat ne imagines præsertim B. Virginis ullis titulis distinguantur præterquam denominationibus, quæ sint analogæ mysteriis de quibus in sacra Scriptura expresse fit mentio ;

Quasi nec adscribi possent imaginibus piæ aliæ denominationes, quas vel in ipsismet publicis precibus Ecclesia probat et commendat,

*Temeraria, piarum aurium offensiva, venerationi B. præsertim Virgini debitæ injuriosa.*

—

LXXII.

Item quæ velut abusum exstirpari vult morem quo velatæ asservatur certæ imagines,

*Temeraria, frequentato in Ecclesia, et ad fidelium pietatem fovendam inducto mori contraria.*

—

*De festis.* (Libel. memorial. pro. fest. reform. § 3).

LXXIII.

Propositio enuntians novorum festorum institutionem ex neglectu in veteribus observandis, et ex falsis notionibus naturæ et finis earumdem solemnitatum originem duxisse.

*Falsa, temeraria, scandalosa, Ecclesiæ injuriosa, favens hæreticorum in dies festos per Ecclesiam celebratos conviciis.*

—

*Ibid.* § 8.

LXXIV.

Deliberatio synodi de transferendis in diem Dominicum festis per annum institutis : idque pro jure, quod persuasum sibi esse ait episcopo competere super disciplinam ecclesiasticam in ordine ad res mere spirituales ; ideoque et præceptum Missæ audiendæ abrogandi diebus in quibus, ex pristina Ecclesiæ lege, viget etiamnum id præceptum : tum etiam in eo quod superaddit de transferendis in adventum episcopali auctori-

tate jejuniis per annum ex Ecclesiæ præcepto servandis ;

Quatenus adstruit episcopo fas esse jure proprio transferre dies ab Ecclesia præscriptos pro festis jejuniisve celebrandis aut indictum Missæ audiendæ præceptum, abrogare.

*Propositio falsa, juris conciliorum generaliam et summorum Pontificum læsiva, scandalosa, schismati favens.*

—

*De juramentis.* (Libell. memorial. pro juram. reform. § 5.)

LXXV.

Doctrina, quæ perhibet beatis temporibus nascentis Ecclesiæ juramenta visa esse a documentis divini præceptoris, atque ab aurea evangelicas implicitate adeo aliena, ut « ipsummet jurare sine extrema et ineluctabili necessitate reputatus fuisset actus irreligiosus, homine christiano indignus : insuper continuatam Patrum seriem demonstrare juramenta communi sensu pro vetitis habita fuisse : » indeque progreditur ad improbanda juramenta, quæ curia ecclesiastica, jurisprudentiæ feudalis, ut ait, normam secuta in investituris et in sacris ipsis episcoporum ordinationibus adoptavit : statuitque adeo implorandem a sæculari potestate legem pro abolendis juramentis, quæ in curiis etiam ecclesiasticis exiguntur pro suscipiendis muniis et officiis, et generatim pro omni actu curiali.

*Falsa, Ecclesiæ injuriosa, juris Ecclesiastici læsiva, disciplinæ per canones inductæ et probatæ subversiva.*

—

*De collationibus ecclesiasticis.* (De collat. ecclesiast. § 1.)

LXXVI.

Insectatio, qua synodus scholatiscam exagitat, velut eam « quæ viam aperuit invehendis novis et inter se discordantibus systematibus, quoad veritates majoris pretii, ac demum adduxit probabilismum et laxismum ; »

Quatenus in shcolasticam rejicit privatorum vitia qui abuti ea potuerunt, aut abusi sunt,

*Falsa, temeraria, in sanctissimos viros et doctores, qui magno catholicæ religionis bono scholasticam excoluere, injuriosa, favens infestis in eam hæreticorum conviciis.*

—

*Ibid.*

LXXVII.

Item in eo quod subdit, « mutationem formæ regiminis ecclesiastici, qua factum est ut ministri Ecclesiæ in oblivionem venirent suorum jurium, quæ simul sunt eorum obligationes, eo demum rem adduxisse ut oblitterari faceret primivitas notiones ministerii ecclesiastici et sollicitudinis pastoralis ; »

Quasi per mutationem regiminis congruentem disciplinæ in Ecclesia constitutæ et probatæ oblitterari unquam potuerit, et amitti primitiva notio ecclesiastici ministerii, pastoralisve sollicitudinis.

*Propositio falsa, temeraria, erronea.*

—

§ 4.

LXXVIII.

Præscriptio synodi de ordine rerum tractandarum in collationibus, qua posteaquam præmisisit, « in quolibet articulo distinguendum id quod pertinet ad fidem et ad essentiam religionis, ab eo quod est proprium disciplinæ, subjungit, in hac ipsa (disciplina) distinguendum quod est necessarium, aut utile ad retinendos in spiritu fideles ab eo quod est inutile, aut onerosius, quam libertas

filiorum novi fœderis patiatur, magis vero ab eo quod est periculosum aut noxium, ut pote inducens ad superstitionem et materialismum ; »

Quatenus pro generalitate verborum comprehendat, et præscripto examini subjiciat etiam disciplinam ab Ecclesia constitutam et probatam quasi Ecclesia quæ spiritu Dei regitur disciplinam constituere posset non solum inutilem, et onerosiorem, quam libertas christiana patiatur, sed et periculosam, noxiam, inducentem in superstitionem et materialismum,

*Falsa, temeraria, scandalosa, perniciosa, piarum aurium offensiva. Ecclesiæ ac spiritui Dei, quo ipsa regitur, injuriosa, ad minus erronea.*

—

*Convicia adversus aliquas sententias in scholis catholicis usque adhuc agitatas.* (Orat. ad synod. § 2.)

LXXIX.

Assertio, quæ conviciis et contumeliis insectatur sententias scholis catholicis agitatas, et de quibus Apostolica Sedes nihil adhuc definiendum aut pronuntiandum censuit,

*Falsa, temeraria, in scholas catholicas injuriosa, debitæ Apostolicis Constitutionibus obedientiæ derogans.*

—

*De tribus regulis fondamenti loco a synodo pro reformatione Regularium.* (Libell. memorial. pro reform. regularium, § 9.)

LXXX.

Regula prima quæ statuit universe et indiscriminatim « statum regularem aut monasticum natura sua componi non posse cum animarum cura, cumque vitæ pastoralis muneribus, nec adeo in partem venire posse ecclesiasticæ hierarchiæ, quin éx adverso, pugnet cum ipsiusmet vitæ monasticæ principitis, »

*Falsa, et perniciosa, in sanctissimos Ecclesiæ Patres et præsules, qui regularis vitæ instituta cum clericalis ordinis muneribus consociarunt, injuriosa pio, vetusto, probato Ecclesiæ mori, summorumque Pontificum sanctionibus contraria ; quasi monachi, quos morum gravitas et vitæ ac fidei institutio sanctæ commendant non rite, nec modo sine religionis offensione, sed et cum multa utilitate Ecclesiæ clericorum officiis aggregentur.*

Ex S. Siricio, epist. decret. ad merium Tarracon. c. 13.

—

LXXXI.

Item in eo quod subjungit, sanctos Thomam et Bonaventuram sic in luendis adversus summos homines mendicantium institutis versatos esse, ut in eorum defensionibus minor æstus accuratio major desideranda fuisset,

*Scandalosa, in sanctissimos doctores injuriosa, impiis damnatorum auctorum contumeliis favens.*

—

LXXXII.

« Regula 2ª multiplicationem ordinum ac diversitatem naturaliter inferre perturbationem et confusionem ; item in eo quod præmittit, § 4, regularium fundatores qui post monastica instituta prodierunt, ordines superaddentes ordinibus, reformationes reformationibus, nihil aliud effecisse quam primariam mali causam magis magisque dilitare ; »

Intellecta de ordinibus et institutis a sancta Sede probatis, quasi distincta piorum munerum varietas, quibus distincti ordines addicti sunt, natura sua perturbationem et confusionem parere debeat,

*Falsa, columniosa, in sanctos fundatores*

*eorumque fideles alumnos, tum et in ipsos summos Pontifices injuriosa.*

—

LXXXIII.

Regula 3ª, qua postquam præmisit « parvum corpus degens intra civilem societatem, quin fere sit pars ejusdem, parvamque monarchiam figit in statu, semper esse periculosum, » subinde hoc nomine criminatur privata monasteria, communis instituti vinculo sub uno præsertim capite consociata velut speciales totidem monarchias civili reipublicæ periculosas et noxias,

*Falsa, temeraria, regularibus institutis a sancta Sede ad religionis profectum approbatis injuriosa, favens hæreticorum in eadem instituta insectationibus et calumniis.*

—

*De systemate, seu ordinationum complexione ducta ex allatis regulis, octo sequentibus articulis comprehensa pro reformatione regularium.* (§ 10.)

LXXXIV.

§ 55.

Art. 1. De uno duntaxat ordine in Ecclesia retinendo, ac de seligenda præ cæteris regula sancti Benedicti, cum ob sui præstantiam, tum ob præclara illius ordinis merita : sic tamen ut in his quæ forte occurrent temporum conditioni minus congrua, instituta vitæ ratio apud Portum-Regium lucem præferat ad explorandum quid addere, quid detrahere conveniat ;

2. Ne compotes fiant ecclesiasticæ hierarchiæ, qui se huic ordini adjunxerint, nec ad sacros Ordines promoveantur, præterquam ad summum unus vel duo, initiandi tanquam, curati capellani monasterii, reliquis in simplici laicorum ordine remanentibus ;

3. Unum in unaquaque civitate admittendum monasterium, idque extra mœnia civitatis in locis abditioribus et remotioribus collocandum ;

4. Inter occupationes vitæ monasticæ pars sua labori manuum inviolate servanda, relicto tamen congruo tempore psalmodiæ impendendo, aut etiam, si cui libuerit, litterarum studio. Psalmodia deberet esse moderata, quia nimia ejus prolixitas parit præcipitantiam, molestiam, evagationem. Quo plus auctæ sunt psalmodiæ, orationes, preces, tantumdem peræqua proportione omni tempore imminutus fervor est, sanctitasque regularium ;

5. Nulla foret admittenda distinctio monachos inter sive choro, sive ministeriis addictos ; inæqualitas isthæc gravissimas omni tempore lites excitavit, ac discordias, et a communitatibus regularium spiritum charitatis expulit ;

6. Votum perpetuæ stabilitatis nunquam tolerandum. Non illud norant veteres monachi qui tamen Ecclesiæ consolatio et christianismi ornamentum exstiterunt. Vota castitatis, paupertatis et obedientiæ non admittentur instar communis et stabilis regulæ. Si quis ea vota, aut omnia, aut aliqua facere voluerit, consilium et veniam ab episcopo postulabit, qui tamen nunquam permittet ut perpetua sint, nec anni fines excedant. Tantummodo facultas dabitur ea renovandi sub iisdem conditionibus ;

7. Omnem episcopus habebit inspectionem in eorum vitam, studia, progressum in pietate, ad ipsum pertinebit monachos admittere, et expellere, semper tamen accepto contubernalium consilio ;

8. Regulares ordinum, qui adhuc remanent licet sacerdotes, in hoc monasterium admitti etiam possent, modo in silentio et solitudine propriæ sanctificationi vacare cuperent : quo casu dispensationi locus fieret in generali regula numero 2° statuta, sic tamen ne vitæ institutionem sequantur ab aliis discre-

pantem, adeo ut non plus quam una, aut ad summum duæ in diem Missæ celebrentur, satisque cæteris sacerdotibus esse debeat una cum communitate concelebrare.

*Item pro reformatione monialium.* (§ 11.)

Vota perpetua usque ad annum 40, aut 45, non admittenda. Moniales solidis exercitationibus, speciatim labori addicendæ : a carnali spiritualitate qua pleræque destinentur, avocandæ : expendendum utrum, quod ad ipsas attinet, satius foret monasterium in civitate relinqui ;

Systema vigentis atque jam antiquitus probatæ ac receptæ disciplinæ subversivum, perniciosum, Constitutionibus Apostolicis, et plurium conciliorum etiam generalium tum speciatim Tridentini sanctionibus oppositum et injuriosum, favens hæreticorum in monastica vota et regularia instituta stabiliori consiliorum evangelicorum professioni addicta, conviciis et calumniis.

*De nationali concilio convocando.* (Libel. memoril. pro convoc. concil. national. § 1.)

—

## LXXXV.

Propositio enuntians qualemcumque cognitionem ecclesiasticæ historiæ sufficere, ut fateri quisque debeat convocationem concilii nationalis unam esse ex viis canonicis, qua finiantur in Ecclesia respectivarum nationum controversiæ spectantes ad religionem ;

Sic intellecta, ut controversiæ ad fidem et mores spectantes in Ecclesia quacumque subortæ, per nationale concilium irrefragabili judicio finiri valeant : quasi inerrantia in fidei et morum quæstionibus nationali concilio competeret.

*Schismatica hæretica.*

Mandamus igitur omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, ne de dictis propositionibus et doctrinis sentire, docere, prædicare præsumant, contra quas in hac Nostra constitutione declaratur, ita ut quicumque illas vel earum aliquam conjunctim vel divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputando publice vel privatim tractaverit, nisi forsitan impugnando, ecclesiasticis censuris aliisque contra similia perpetrantes a jure statutis pœnis, ipso facto, absque alia declaratione subjaceat.

Cæterum, per hanc expressam præfatarum propositionum et doctrinarum reprobationem, alia in eodem libro contenta nullatenus approbare intendimus ; cum præsertim in eo complures deprehensæ fuerint propositiones et doctrinæ sive illis, quæ supra damnatæ sunt, affines, sive quæ communis ac probatæ cum doctrinæ et disciplinæ temerarium contemptum, tum maxime infensum in Romanos pontifices et Apostolicam Sedem animum præ se ferunt.

Duo vero speciatim notanda censemus, quæ de augustissimo sanctissimæ Trinitatis mysterio, § 2. Decreti de Fide, si non pravo animo, imprudentius certe synodo exciderunt, quæ facile rudes præsertim et incautos in fraudem impellere valeant. Primum, dum posteaquam rite præmisit Deum in suo esse unum et simplicissimum permanere, continuo subjungens ipsum Deum in tribus personis distingui, perperam discedit a communi et probata in christianæ doctrinæ institutionibus formula, qua Deus unus quidem in tribus personis distinctis dicitur non in tribus personis distinctus : cujus formulæ commutatione hoc vi verborum subrepit erroris periculum, ut essentia divina distincta in personis putetur, quam fides catholica sic vnam in personis distinctis confitetur, ut eam si-

mul profiteatur in se prorsus indistinctam.

Alterum, quod de ipsimet tribus divinis personis tradit, eas secundum earum proprietates personales, et incommunicabiles exactius loquendo exprimi, seu appellari Patrem, Verbum, et Spiritum sanctum, quasi minus propria et exacta foret appellatio Filii tot Scripturæ locis consecrata, voce ipsa Patris e cœlis et e nube delapsa, tum formula baptismi a Christo præscripta, tum et præclara illa confessione, qua beatus ab ipsomet Christo Petrus est pronuntiatus ; ac non potius retinendum esset quod edoctus ab Augustino Angelicus præceptor vicissim ipse docuit in nomine Verbi eamdem proprietatem importari, quæ in nomine Filii, dicente nimirum Augustino, *eo dicitur Verbum quo filius.*

Neque silentio prætereunda insignis ea fraudis plena synodi temeritas, quæ pridem improbatam ab Apostolica Sede conventus Gallicani declarationem an. 1682, ausa sit non amplissimis modo laudibus exornare, sed quo majorem illi auctoritatem conciliaret, eam in decretum de Fide inscriptum insidiose includere articulos in illa cententos palam adoptare, et quæ sparsim per hoc ipsum, decretum tradita sunt horum articulorum publica et solemni professione obsignare. Quo sane non solum gravior longe se nobis offert de synodo, quam prædecessoribus Nostris fuerit de comitiis illis expostulandi ratio, sed et ipsimet Gallicanæ Ecclesiæ non levis injuria irrogatur, quam dignam synodus existimaverit, cujus auctoritas in patrocinium vocaretur errorum, quibus illud est contaminatum Decretum.

Quamobrem quæ acta conventus Gallicani mox ut prodierunt, prædecessor Noster ven. Innocentius XI per litteras in forma Brevis diei XI. Aprilis anni MDCLXXXII. post autem expressius Alexander VIII. Constit. *Inter multiplices* diei IV. Augusti anni MDCXC. pro Apostoli sui muneris ratione improbarunt, rescinderunt, nulla et irrita declararunt, multo fortius exigit a Nobis pastoralis sollicitudo recentem horum factam in synodo vitiis affectam adoptionem, velut temerariam, scandalosam ac præsertim post edita prædecessorum Nostrorum decreta, huic Apostolicæ Sedi summopere injuriosam reprobare ac damnare, prout eam præsenti hac Nostræ constitutione reprobamus et damnamus ac pro reprobata et damnata haberi volumus.

Ad id genus fraudis pertinet quod synodus in hoc ipso decreto de Fide quamplures articulos complexa, quo Lovaniensis Facultatis theologi ad Innocentii XI. judicium detulerunt, tum et alios duodecim a card. de Noailles Benedicto XIII. oblatos, non dubitaverit ex reprobato secundo Ultrajectensi concilio vanum vetusque commentum exsuscitare, temereque his verbis jactare in vulgus, nempe universæ Europæ notissimum esse, eos articulos Romæ severissimo examini subjectos fuisse, et non solum a qualicumque censura immunes exiisse, sed etiam a laudatis Romanis pontificibus fuisse commendatos : cujus tamen assertæ commendationis non modo nullum exstat authenticum documentum, quin potius eidem refragantur acta examinis, quæ in Nostræ supremæ inquisitionis tabulis asservantur, e quibus id tantum apparet, nullum super iis prolatum fuisse judicium.

Hisce propterea de causis librum hunc ipsum, cui titulus : Atti e Decreti del concilio diocesano di Pistoja dell anno MDCCLXXXVI. In Pistoja per Atto Bracali stampatore vescovile. Con approvazione ; sive promisso, sive quovis alio titulo inscriptum, ubicumque, quocumque idiomate, quavis editione, aut et versione hactenus impressum aut imprimendum, auctoritate Apostolica tenore præsentium prohibemus et damnamus, quemadmodum etiam alios omnes libros in ejus, sive doctrinæ defensionem, tam scripto quam typis forsan jam editos, seu, quod Deus avertat, edendos, eorumque lectio-

nem, descriptionem, retentionem, et usum omnibus et singulis Christi fidelibus sub pœna excommunicationis per contra facientes ipso facto incurrendæ, prohibemus pariter et interdicimus.

Præcipimus insuper venerabilibus fratribus, patriarchis, archiepiscopis et episcopis aliisque locorum Ordinariis, nec non hæreticæ pravitatis inquisitoribus ut contradictores et rebelles quoscumque per censuras et pœnas præfatas, aliaque juris et facti remedia, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii sæcularis auxilio, omnino coerceant et compellant. Volumus autem ut earumdem præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem fides prorsus adhibeatur, quæ ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostræ declarationis, et damnationis mandati, prohibitionis et interdictionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo nonagesimo quarto, quinto Kalendas septembris, pontificatus Nostri anno vigesimo.

Ph. Card. Prodatarius.

R. Card. Bsachius de Honestis.

---

SS. D. N.

## PAPÆ GREGORII XVI.

### ENCYCLICA.

Ad omnes Episcopos.

Mirari vos arbitramur, quod ab imposita nostræ humilitati Ecclesiæ universæ procuratione nondum litteras ad vos dederimus, prout et consuetudo vel a primis temporibus invecta et benevolentia in vos nostra postulasset. Erat id quidem Nobis quidem maxime in votis, ut dilataremus illico super vos cor nostrum, atque in communicatione spiritus ea vos adloqueremur voce, qua confirmare Fratres in persona beati Petri jussi fuimus? Verum probe nostis, quanam malorum ærumnarumque procella primis pontificatus nostri momentis in eam subito altitudinem maris acti fuerimus, in qua, nisi dextera Dei fecisset virtutem, ex teterrima impiorum conspiratione Nos congemuissetis demersos. Refugit animus tristissima tot discriminum recensione susceptum inde mœrorem refricare ; Patrique potius omnis consolationis benedicimus, qui, disjectis perduellibus, præsenti Nos eripuit periculo, atque, turbulentissima sedata tempestate dedit a metu respirare. Proposuimus illico vobiscum communicare consilia ad sanandas contritiones Israel, sed ingens curarum moles, quibus in concilianda publici ordinis restitutione obruti fuimus, moram tunc Nostræ huic objecit voluntati.

Nova interim accessit causa silentii ob factiosorum insolentiam, qui signa perduellionis iterum attollere conati sunt.

Nos quidem tantam hominum pervicaciam, quorum effrenatus furor impunitate diuturna, impensæque Nostræ benignitatis indulgentia non deliniri, sed ali potius conspiciebatur, debuimus tandem,

ingenti licet cum mœrore, ex collata Nobis divinitus auctoritate virga compescere ; ex quo, prout jam probe conjicere potestis, operosior in dies instantia nostra quotidiana facta est.

Ast cum quod ipsum iisdem ex causis distuleramus, jam possessionem Pontificatus in Lateranensi Basilica ex more institutoque majorum adiverimus, omni demum abjecta cunctatione, ad vos properamus, Venerabiles Fratres, testemque Nostræ erga vos voluntatis epistolam damus lætissimo hoc die, quo de Virginis Sanctissimæ in Cœlum Assumptæ triumpho solemnia festa peragimus, ut quam Patronam ac sospitam inter maximas quasque calamitates persensimus, ipsa et scribentibus ad vos Nobis adstet propitia, mentemque Nostram cœlesti afflatu suo in ea inducat consilia, quæ christiano gregi futura sint quam maxime salutaria.

Mœrentes quidem, animoque tristitia confecto venimus ad vos, quos pro vestro in religionem studio, ex tanta, in qua ipsa versatur, temporum acerbitate maxime anxios novimus. Vere enim dixerimus, horam nunc esse potestatis tenebrarum ad cribrandos, sicut triticum filios electionis : « Vere luxit, et defluxit, terra . . . . infecta ab habitatoribus suis, quia trangressi sunt leges, mutaverunt jus, dissipaverunt fœdus sempiternum ?

Loquimur, Venerabiles Fratres, quæ vestris ipsi oculis conspicitis, quæ communibus idcirco lacrymis ingemiscimus. Alacris exultat improbitas, scientia impudens, dissoluta licentia, despicitur sanctitas sacrorum, et quæ magnam vim, magnamque necessitatem possidet, divini cultus majestas ab hominibus nequam improbatur, polluitur, habetur ludibrio. Sana hinc pervertitur doctrina errores-que omnis generis disseminantur audacter. Non leges sacrorum, non jura, non instituta, non sanctiores quælibet disciplinæ tutæ sunt ab audacia loquentium iniqua. Vexatur acerrime Romana hæc Nostra Beatissimi Petri sedes, in qua posuit Christus Ecclesiæ Firmamentum, et vincula unitatis in dies magis labefactantur, abrumpuntur, divina Ecclesiæ auctoritas oppugnatur, ipsiusque juribus convulsis, substernitur ipsa terrenis rationibus, ac per summam injuriam odio populorum subjicitur, in turpem redacta servitutem. Debita Episcopis obedientia infringitur eorumque jura conculcantur. Personant horrendum in modum Academiæ ac Gymnasia novis opinionum monstris, quibus non occulte amplius et cuniculis petitur catholica fides, sed horrificum ac nefarium ei bellum aperte jam et propalam infertur. Institutis enim exemploque Præceptorum corruptis adolescentium animis ingens Religionis clades, morumque perversitas teterrima percrebuit. Hinc porro freno religionis sanctissimæ projecto, per quam unam regna consistunt, dominatusque vis ac robur firmatur, conspicimus ordinis publici exitium, labem principatus, omnisque legitimæ potestatis conversionem invalescere. Quæ quidem tanta calamitatum congeries ex illarum in primis conspiratione societatum est repetenda, in quas quidquid in hæresibus, et in sceleratissimis quibusque sectis sacrilegum, flagitiosum, ac blasphemum est, quasi in sentinam quamdam, cum omnium sordium concretione confluxit.

Hæc, Venerabiles Fratres, et alia complura, et fortassis etiam graviora, quæ in præsens percensere longum esset, ac vos probe nostis, in dolore esse, Nos jubent, acerbo sane ac diuturno, quos in Cathedra Principis Apostolorum constitutos zelus universæ Domus Dei comedat præ cæteris, opus est. Verum cum eo nos loci positos esse agnoscamus, quo deplorare duntaxat innumera hæc mala non sufficiat, nisi et ea convellere pro viribus connitamur : ad opem fidei vestræ confugimus, vestramque pro Catholici gregis salute sollicitudinem advocamus, Venerabiles Fratres, quorum spectata virtus ac religio et singularis prudentia et sedula adsiduitas animos Nobis

addit, atque in tanta rerum asperitate afflictos consolatione sustentat perjucunda, Nostrarum quippe est partium, vocem tollere, omniaque conari, ne aper de silva demoliatur vineam, neve lupi mactent gregem : nostrum est, oves in ea duntaxat pabula compellere, quæ salutaria iisdem sint, nec vel tenui suspicione perniciosa. Absit, Carissimi, absit, ut, quando tanta premant mala, tanta impendeant discrimina, suo desint muneri pastores, et perculsi metu dimittant oves, vel, vel, abjecta cura gregis otio turpeant, ac desidia. Agamus idcirco in unitate spiritus communem nostram, seu verius Dei causam, et contra communes hostes pro totius populi salute una omnium sit vigilantia, una contentio.

Id porro apprime præstabitis, si quod vestri muneris ratio postulat, attendatis vobis et doctrinæ, illud assidue revolventes animo, universalem Ecclesiam quacumque novitate pulsari : atque S. Agathonis Pontificis monitu nihil de iis, quæ sunt regulariter definita, minui debere, nihil mutari, nihil adjici, sed ea et verbis, et sensibus illibata esse custodienda. Immota inde consistet firmitas unitatis, quæ hac B. Petri Cathedra suo veluti fundamento continetur, ut unde in Ecclesias omnes venerandæ communionis jura dimanant, ibi universis et murus sit, et securitas et portus expers fluctuum, et bonorum thesaurus innumerabilium.

Ad eorum itaque retundendam audaciam, qui vel jura Sanctæ hujus Sedis infringere conantur, vel dirimere ecclesiarum cum ipsa conjunctionem, qua una eædem nituntur et vigent, maximum fidei in eam ac venerationis sinceræ studium inculcate, inclamantes cum S. Cypriano, falso confidere se esse in ecclesia, qui cathedram Petri deserat, super quam fundata est Ecclesia.

In hoc ideo elaborandum vobis est, assidueque vigilandum, ut fidei depositum custodiatur in tanta hominum impiorum conspiratione, quam ad illud diripiendum perdendumque factam lamentamur. Meminerint omnes, judicium de sana doctrina qua populi imbuendi sunt, atque Ecclesiæ universæ regimen et administrationem penes Romanum Pontificem esse, cui plena pascendi, regendi, et gubernandi universalem Ecclesiam potestas a Christo Domino tradita fuit, uti Patres Florentini concilii diserte declararunt ! Est autem singulorum Episcoporum cathedræ Petri fidelissime adhærere, depositum sancte religioseque custodire, et pascere, qui in eis est, gregem Dei ; presbyteri vero subjecti sint, oportet, episcopis, quos uti animæ parentes suscipiendos ab ipsis esse, monet Hieronymus, nec unquam obliviscantur, se vetustis etiam canonibus vetari, quidpiam in suscepto ministerio agere, ac docendi et concionandi munus sibi sumere sine sententia Episcopi, cujus fidei populus est creditus, et a quo pro animabus ratio exigetur. Certum denique firmumque sit, eos omnes, qui adversus præstitutum hunc ordinem aliquid moliantur, statum Ecclesiæ, quantum in ipsis est perturbare.

Nefas porro est, atque ab eo venerationis studio prorsus alienum, qua Ecclesiæ leges sunt excipiendæ, sancitam ab ipsa disciplinam, qua et sacrorum procuratio, et morum norma, et jurium Ecclesiæ, ministrorumque ejus ratio continetur, vesana opinandi libidine improbari, vel ut certis juris naturæ principiis infestam notari vel mancam dici atque imperfectam civilique auctoritati subjectam. Cum autem, ut Tridentinorum Patrum verbis utamur, constet Ecclesiam eruditam fuisse a Christo Jesu, ejusque Apostolis, atque a Spiritu sancto illi omnem veritatem in dies suggerente edoceri, absurdum plane est, ac maxime in eam injuriosum, restaurationem ac regenerationem quamdam obtrudi, quasi necessariam, ut ejus incolumitati et incremento consulatur, perinde ac si cen-

seri ipsa possit vel defectui, vel obscurationi, vel aliis hujuscemodi incommodis obnoxia; quo quidem molimine eo spectant novatores, ut recentis humanæ institutionis jaciantur fundamenta, illudque ipsum eveniat, quod detestatur Cyprianus, ut, quæ divina res est humana fiat Ecclesia? Perpendant vero qui consilia id genus machinantur, uni Romano Pontifici ex S. Leonis testimonio Canonum dispensationum esse creditam, ipsiusque duntaxat esse, non vero privati hominis, de paternarum regulis sanctionum quidpiam decernere; atque ita, quemadmodum scribit S. Gelasius, decreta Canonum librare, decessorumque præcepta metiri, ut quæ necessitas temporum restaurandis Ecclesiis relaxanda deposcit adhibita consideratione diligenti, temperentur.

Hic autem vestram volumus excitatam pro religione constantiam adversus fœdissimam clericalem cœlibatum conjurationem, quam nostis effervescere in dies latius, connitentibus cum perditissimis nostri ævi philosophis nonnullis etiam ex ipso ecclesiastico ordine, qui personæ obliti, munerisque sui, ac blanditiis abrepti voluptatum, eo licentiæ proruperunt, ut publicas etiam atque iteratas aliquibus in locis ausi sint adhibere Principibus postulationes ad disciplinam illam sanctissimam perfringendam, sed piget de turpissimis hisce conatibus longo vos sermone distinere, vestræquæ potius religioni fidentes committimus, ut legem maximi momenti, in quam lascivientium tela undique sunt intenta, sartam tectam custodiri, vindicari, defendi ex sacrorum canonum præscripto, omni ope contendatis.

Honorabile deinde christianorum connubium, quod Sacramentum magnum nuncupavit Paulus in Christo et Ecclesia, communes nostras curas efflagitat, ne quid adversus ipsius sanctitatem, ac de indissolubili ejusdem vinculo minus recte sentiatur, vel tentetur induci. Impense id jam commendarat suis ad vos litteris felicis recordationis Prædecessor Noster Pius VIII. adhuc tamen infesta eidem molimina succrescunt. Docendi itaque sunt sedulo populi, matrimonium semel rite initum dirimi amplius non posse, nexisque connubio Deum indidisse perpetuam vitæ societatem, nodumque necessitudinis, qui exsolvi, nisi morte, non possit. Memores, sacris illud rebus adnumerari, et Ecclesiæ proinde subjici, præstitutas de ipso, ejusdem Ecclesiæ leges habeant ob oculos, iisque pareant sancte, accurateque, ex quarum executione omnino pendet ejusdem connubii vis, robur, ac justa consociatio; Caveant, ne quod sacrorum canonum placitis. Conciliorumque decretis officiat, ulla ratione admittant, probe gnari, exitus infelices illa habitura esse conjugia, quæ vel adversus Ecclesiæ disciplinam vel non propitiato prius Deo, vel solo æstu libidinis, junguntur, quin de sacramento, ac de mysteriis, quæ, illo significantur, ulla teneat sponsos cogitatio.

Alteram nunc persequimur causam malorum uberrimam, quibus afflictari in præsens comploramus Ecclesiam, indifferentismum scilicet, seu pravam illam opinionem, quæ improborum fraude ex omni parte percrebuit, qualibet fidei professione æternam posse animæ salutem comparari, si mores ad recti honestique normam exigantur. At facili sane negotio in re perspicua, planeque evidenti errorem exitiosissimum a populis vestræ curæ concreditis propelletis, Admonente enim Apostolo, unum esse Deum, unam fidem, unum baptisma, extimescant, qui e religione qualibet patere ad portum beatitudinis aditum comminiscuntur reputentque animo ex ipsius Servatoris testimonio, esse se contra Christum, quia cum Christo non sunt seque infeliciter dispergere, quia cum ipso non colligunt, ideoque abusque dubio æternum esse perituros, nisi teneant Catholicam fidem, eamque integram, inviolatamque servarint Hieronymum audiant, qui cum intres partes schismate scissa

esset Ecclesia, narrat, se tenacem propositi, quando aliquis rapere ipsum ad se nitebatur, constanter clamitasse : « Si quis cathedræ Petri jungitur, meus est. » Falso autem sibi quis blandiretur, quod et ipse in aqua sit regeneratus, opportune enim responderet, Augustinus : « Ipsam formam habet etiam sarmentum, quod præcisum est de vite ; sed quid illi prodest forma si non vivit de radice ? »

Atque ex hoc putidissimo indifferentismi fonte absurda illa fluit ac erronea sententia, seu potius deliramentum, asserendam esse ac vindicandam cuilibet libertatem conscientiæ : Cui quidem pestilentissimo errori viam sternit plena illa, atque immoderata libertas opinionum, quæ in sacræ, et civilis rei labem late grassatur, dictitantibus per summam impudentiam nonnullis, aliquid ex ea commodi in religionem promanare, at quæ pejors mors animæ, quam libertas erroris ? inquiebat Augustinus. Freno quippe omni adempto quo homines contineantur in semitis veritatis, proruente jam in præceps ipsorum natura ad malum inclinata, vere apertum dicimus puteum abyssi ! e quo vidit Joannes ascendere fumum quo obscuratus est sol, locustis ex eo prodeuntibus in vastitatem terræ. Inde enim animorum immutationes, inde adolescentium in deteriora corruptio, inde in populo sacrorum, rerumque, ac legum sanctissimarum contemptus, inde uno verbo pestis rei publicæ præ qualibet capitalior, cum experientia teste vel a prima antiquitate notum sit, civitates, quæ opibus, imperio, gloria floruere, hoc uno malo concidisse, libertate immoderata opinionum, licentia concionum, rerum novandarum cupiditate.

Huc spectat deterrima illa, ac numquam statis exsecranda et detestabilis libertas artis librariæ ad scripta quælibet edenda in vulgus, quam tanto convicio audent nonnulli efflagitare ac promovere. Perhorrescimus, Venerabiles Fratres intuentes, quibus monstris doctrinarum, seu potius quibus errorum portentis obruamur, quæ longe ac late ubique disseminantur ingenti librorum multitudine, libellisque, et scriptis mole quidem exiguis, malitia tamen permagnis, e quibus maledictionem egressam illacrymamur super faciem terræ. Sunt tamen, proh dolor ! qui eo impudentiæ abripiantur, ut asserant pugnaciter, hanc errorum colluviem inde prorumpentem satis cumulate compensari ex libro aliquo, qui in hac tanta pravitatum tempestate ad Religionem ac veritatem propugnandam edatur. Nefas profecto est, omnique jure improbatum patrari data opera malum certum ac majus, quia spes sit, inde boni aliquid habitum iri. Numquid venena libere spargi, ac publice vendi, comportarique, imo et ebibi debere, sanus quis dixerit, quod remedii quidpiam habeatur, quo qui utuntur, cripi eos ex interitu identidem contingat ?

Verum longe alia fuit Ecclesiæ disciplina in exscindenda malorum librorum peste vel ab Apostolorum ætate, quos legimus grandem librorum vim publice combussisse. Satis sit, leges in Concilio Lateranensi V. in eam rem datas perlegere, et Constitutionem, quæ deinceps a Leone X. fel. rec. prædecessore nostro fuit edita, ne id quod ad fidei augmentum, ac bonarum artium propagationem salubriter est inventum, in contrarium convertatur, ac Christi fidelium saluti detrimentum pariat ? Id quidem et Tridentinis Patribus maxime curæ fuit, qui remedium tanto huic malo adhibuere, edito saluberrimo decreto de Indice librorum quibus impura doctrina contineretur, conficiendo : « Pugnandum est acriter, inquit Clemens XIII. fel. rec. Prædecessor Noster in suis de noxiorum librorum proscriptione encyclicis litteris, pugnandum est acriter, quantum res ipsa efflagitat, et pro viribus tot librorum mortifera exterminanda pernicies ; nunquam enim materia subtrahetur erroris, nisi pravitatis facinorosa elementa in

flammis combusta depereant. » Ex hac itaque constanti omnium ætatum sollicitudine, qua semper sancta hæc Apostolica sedes suspectos et noxios libros damnare, et de hominum manibus extorquere enisa est, patet luculentissime, quantopere falsa, temeraria, eidemque Apostolicæ Sedi injuriosa, et fecunda malorum in Christiano populo ingentium sit illorum doctrina, qui nedum censuram librorum veluti gravem nimis, et onerosam rejiciunt, sed eo etiam improbitatis progrediuntur, ut eam prædicent a recti juris principiis abhorrere, jusque illius discernendæ, habendæque audeant Ecclesiæ denegare.

Cum autem circumlatis in vulgus scriptis doctrinas quasdam promulgari acceperimus, quibus debita erga Principes fides atque submissio labefactatur, facesque perduellionis ubique incenduntur : cavendum maxime erit, ne populi inde decepti a recti semita abducantur. Animadvertant omnes, non esse juxta Apostoli monitum, « potestatem nisi a Deo ; quæ autem sunt, a Deo ordinatæ sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, et qui resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. » Quocirca et divina et humana jura in eos clamant, qui turpissimis perduellionis seditionumque machinationibus a fide in Principes desciscere, ipsosque ab imperio deturbare connituntur.

Atque hac plane est causa ne tanta se turpitudine fœdarent veteres Christiani, sævientibus licet persecutionibus, optime tamen eos de Imperatoribus, ac de imperii incolumitate meritos fuisse constat, idque nedum fide in iis quæ sibi mandabantur Religioni non contraria, accurate prompteque perficiendis, sed et constantia, et effuso etiam in præliis sanguine luculentissime comprobasse « Milites Christiani, ait S. Augustinus servierunt Imperatori infideli ; ubi veniebatur ad causam Christi, non agnoscebant, nisi illum qui in cœlis erat. Distinguebant Dominum æternum a Domino temporali, et tamen subdidi erant propter Dominum æternum etiam Domino temporali. » Hæc quidem sibi ob oculos proposuerat Mauritus Martyr invictus, Legionis Thebanæ Primicerius quando, ut S. Eucherius refert, hæc respondit : « Milites sumus Imperator, tui, sed tamen servi, quod libere confitemur Dei... Et nunc non hæc ultima vitæ necessitas in rebellionem coegit : tenemus ecce arma, et non resistimus, quia mori, quam occidere satius volumus. » Quæ quidem veterum Christianorum in principes fides eo etiam illustrior effulget si perpendatur cum Tertulliano, tunc temporis Christianis « non defuisse vim numerorum, et copiarum, si hostes exertos agere voluissent. Hesterni sumus, inquit ipse et vestra omnia implevimus. Urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum.. Cui bello non idonei, non prompti fuissemus, etiam impares copiis, qui tam libenter trucidamur, si non apud istam disciplinam magis occidi liceret, quam occidere ?... Si tanta vis hominum in aliquem Orbis remoti sinum abrupissemus a vobis, suffudisset itaque pudore Dominationem vestram tot qualiumcumque amissio civium, immo et ipsa destitutione punisset. Procul dubio expavissetis ad solitudinem vestram ;... quæsissetis, quibus imperatis : plures hostes, quam cives vobis remansissent ; nunc autem pauciores hostes habetis præ multitudine Christianorum. »

Præclara hæc immobiles subjectionis in principes exempla, quæ ex sanctissimis Christianæ religionis præceptis necessario profiscebantur, detestandam illorum insolentiam, et improbitatem condemnant, qui projecta, effrenataque procacis libertatis cupiditate æstuantes, toti in eo sunt, ut jura quæque principatuum labefactent, atque convellant, servitutem sub libertatis specie populis illaturi. Huc sane scelestissima deliramenta, consiliaque conspirarunt Waldensium, Beguardorum, Wiclefistarum, aliorum-

que hujusmodi filiorum Belial, qui humani generis sordes, ac dedecora fuere, merito idcirco ab Apostolica hac sede toties anathemate confixi. Nec alia profecto ex causa omnes vires intendunt veteratores isti, nisi ut cum Luthero ovantes gratulari sibi possint « liberos se esse ab omnibus » : quod ut facilius celeriusque assequantur, flagitiosiora quælibet audacissime aggrediuntur.

Neque lætiora et religioni, et principatui ominari possumus ex eorum votis qui Ecclesiam a Regno separari, mutuamque imperii cum sacerdocio concordiam abrumpi discupiunt. Constat quippe, pertimesci ab impudentissimæ libertatis amatoribus concordiam illam, quæ semper rei et sacræ et civili fausta extitit ac salutaris.

At ad cæteras acerbissimas causas, quibus solliciti sumus, et in communi discrimine dolore quodam angimur præcipuo, accessere consociationes quædam, statique cœtus, quibus, quasi agmine facto cum cujuscumque etiam falsæ religionis ac cultus sectatoribus simulata quidem in religionem pietate, vere tamen novitatis, seditionumque ubique promovendarum cupidine, libertas omnis generis prædicatur, perturbationes in sacram et civilem rem excitantur, sanctior quælibet auctoritas discerpitur.

Hæc perdolenti sane animo, fidentes tamen in eo, qui imperat ventis et facit tranquillitatem, scribimus ad vos venerabiles fratres, ut induti scutum fidei, contendatis præliari strenue prælia Domini. Ad vos potissimum pertinet, stare pro muro contra omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei. Exerite gladium spiritus, quod est verbum Dei, habeantque a vobis panem, qui esuriunt justitiam, adsciti ut sitis cultores gnavi in vinea Domini, id unum agite, in hoc simul laborate, ut radix quælibet amaritudinis ex agro vobis commisso evellatur, omnique enecato semine vitiorum convalescat ibi seges læta virtutum. Eos in primis affectu paterno complexi, qui ad sacras præsertim disciplinas et ad philosophicas quæstiones animum appulere, hortatores auctoresque iisdem sitis ne solius ingenii sui viribus freti imprudenter a veritatis semita in viam abeant impiorum. Meminerint, Deum esse « sapientiæ ducem, emendatoremque sapientium, » ac fieri non posse, ut sine Deo Deum discamus, qui per verbum docet homines scire Deum superbi, sed potius insipientis hominis est fidei mysteria, quæ exsuperant omnem sensum, humanis examinare ponderibus, nostræque mentis rationi confidere, quæ naturæ humanæ conditione debilis est, et infirma.

Cæterum communibus hisce votis pro rei et sacræ et publicæ incolumitate, Carissimi in Christo filii nostri viri Principes sua faveant ope, et auctoritate, quam sibi collatam considerent non solum ad mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiæ præsidium. Animadvertant sedulo, pro illorum imperio et quiete geri, quidquid pro Ecclesiæ salute laboratur ; imo pluris sibi suadeant fidei causam esse debere quam regni, magnumque sibi esse perpendant, dicimus cum S. Leone Pontifice, « si ipsorum diademati de manu Domini etiam fidei addatur corona. » Positi quasi parentes, et tutores populorum, veram, constantem, opulentam iis quietem parient, et tranquillitatem, si in eam potissimum curam incumbant, ut incolumis sit religio et pietas in Deum qui habet scriptum in femore : *Rex Regum et Dominus dominantium.*

Sed ut omnia hæc prospere ac feliciter eveniant, levamus oculos manusque ad sanctissimam Virginem Mariam, quæ sola universas hæreses interemit, nostraque maxima fiducia, imo tota ratio est spei nostræ. Suo ipsa patrocinio in tanta Dominici gregis necessitate studiis, consiliis, actionibusque nostris exitus secundissimos imploret. Id et ab Apostolorum principe Petro, et ab ejus coapostolo Paulo humili prece efflagitemus, ut stetis omnes pro muro, ne fundamentum

aliud ponatur præter id quod positum est. Hac jucunda spe freti, confidimus, Auctorem consummatoremque fidei Jesum Christum consolaturum tandem esse nos omnes in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis, cœlestisque auxilii auspicem Apostolicam benedictionem, vobis, Venerabiles Fratres, et ovibus vestræ curæ traditis permanenter impertimur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem XVIII. Kalendis septembris die solemni Assumptionis, ejusdem B. S. Mariæ anno Dominicæ Incarnationis MDCCCXXXII. Pontificatus Nostri Anno II.

---

## DAMNATIO ET PROHIBITIO

*operum Georgii Hermes*

PER BREVE

## GREGORII XVI.

26. sept. 1835.

Damnantur hoc Brevi Introductionis in theologiam Christiano-Catholicam pars 1. et 2. Monasterii 1819. et 1829. et Dogmatices pars 1. Monasterii 1834. Decreto S. Congr. Ind. d. 7. Jan. 1836. Summus Pontifex declarari mandavit, etiam partem 2 et 3. Dogmatices comprehendi decreto d. 26. Sept. 1835. Pius vero IX. d. 25. Jul. 1847. utrumque decretum confirmavit.

Ad augendas, quibus die noctuque premimur, angustias illud etiam calamitosissimum ac summopere deplorandum accedit, quod inter eos, qui pro religione editis operibus certant, nonnulli simulate se intrudere audeant, qui similiter, pro eadem videri volunt et ostendant se dimicare, ut retenta religionis specie, veritate autem despecta, facilius possint per philosophiam seu per vanas eorum philosophicas commentationes et inanem fallaciam incautos seducere atque pervertere, hinc et populos decipere, fidentiusque inimicis palam sævientibus adjutrices porrigere manus. Quapropter, ut nobis impiæ et insidiosæ quorumdam horum scriptorum molitiones innotuerunt, non distulimus per nostras encyclicas aliasque Apostolicas litteras callida eorum et prava denuntiare consilia erroresque damnare, simul et exitiales patefacere fraudes, quibus divinam Ecclesiæ constitutionem et ecclesiasticam disciplinam, imo et totum ipsum publicum ordinem funditus evertere vaferrime contendunt.

Et quidem tristissimo facto comprobatum est, eos deposito tandem simulationis velo, per duellionis vexillum contra quamcumque a Deo constitutam potestatem alte jam extulisse. Verum non hæc sola subest gravissima lugendi causa. Præter enim eos, qui omnium catholicorum scandalo se perduellibus devoverunt, ad amaritudinem nostrarum cumulum, in theologicum etiam studium prodeunt, qui novitatis cupidine et æstu semper discentes et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes, magistri existunt erroris, qui veritatis discipuli non fuerunt. Peregrinis quippe improbandisque doctrinis sacra ipsi inficiunt studia et publicum etiam, si quod tenent in scholis et academiis, docendi magisterium profanare non debitant, ipsumque, quod tueri se jactant, sacratissimum adulterare dignoscuntur fidei depositum. Atque inter hujusmodi erroris magistros ex constanti et fere communi per Germaniam fama adnumeratur Georgius Hermes, utpote qui audacter a regio, quem universa traditio et SS. Patres in exponendis ac vindicandis fidei veritatibus tramite stravere, deflectens, quin in et superbe contemnens et damnans, tenebrosam

ad errorem omnigenum viam moliatur in dubio positivo tanquam basi omnis theologicæ inquisitionis, et in principio, quod statuit, rationem principem normam ac unicum medium esse, quo homo assequi possit supernaturalium veritatum cognitionem.....

Hos igitur libros tradi jussimus theologis Germanicæ linguæ peritissimis omni ex parte diligentissime perscrutandos... Tandem rem totam ex integro discutiendam et examinandam deferri voluimus ad Venerabiles Fratres nostros S. R. E. Cardinales in tota republica christiana Inquisitores Generales. Hi autem omni studio, prout rei gravitas postulabat, cuncta et singula expendentes, post maturam discussionem coram nobis habitam dijudicarunt, evanescere auctorem in cogitationibus suis, pluraque in dictis operibus contexere absurda et a doctrina catholicæ Ecclesiæ aliena; præsertim vero circa naturam fidei et credendorum regulam; circa sacram Scripturam, traditionem, revelationem et Ecclesiæ magisterium; circa motiva credibilitatis; circa argumenta, quibus existentia Dei adstrui confirmarique consuevit; circa ipsius Dei essentiam, sanctitatem, justitiam, libertatem, ejusdemque finem in operibus, quæ a theologis vocantur ad extra; necnon circa gratiæ necessitatem, ejusdemque ac donorum distributionem, retributionem præmiorum, et pœnarum inflictionem; circa protoparentum statum, peccatum originale, ac hominis lapsi vires; eosdemque libros tanquam continentes doctrinas et propositiones respective falsas, temerarias, captiosas, in scepticismum et indifferentismum inducentes, erroneas, scandalosas, in catholicas scholas injuriosas, fidei divinæ eversivas, hæresim sapientes ac alias ab Ecclesia damnatas, prohibendos et damnandos esse censuerunt.

Nos itaque auditis præfatorum Cardinalium suffragiis et omnibus plene perpensis de eorum consilio, ac etiam motu proprio, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, prædictos libros, ubicumque et quocumque idiomate, seu quavis editione aut versione hucusque impressos, aut in posterum, quod absit, imprimendos, tenore præsentium damnamus et reprobamus, ac in indicem librorum prohibitorum referri mandamus; hortantes et obstetantes in Domino Venerabiles Fratres Patriarchas, Archiepiscopos et Episcopos aliosque locorum ordinarios, ut memores districti ac durissimi judicii, quod eis a pastorum principe fiet de instructione, regimine et custodia gregis ipsis commissi, nedum memoratos libros a scholis repellere, verum etiam proprias oves ab hujusmodi venenatis pascuis omni cura et sollicitudine avertere satagant.

---

SS. D. N.

## PAPÆ PII IX.

### CONSTITUTIO

*Qua definitur B. Mariæ immaculata conceptio.*

Ineffabilis Deus, cujus viæ misericordia et veritas, cujus voluntas, omnipotentia, et cujus sapientia attingit a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter, cum ab omni æternitate præviderit luctuosissimam totius humani generis ruinam ex Adami transgressione derivandam, atque in mysterio a sæculis abscondito primum suæ bonitatis opus decreverit per Verbi incarnationem sacramento occultiore complere, ut contra misericors suum propositum homo diabolicæ iniquitatis versutia actus in culpam non periret, et quod in primo Adamo casurum erat in secundo felicius eri-

géretur, ab initio et ante sæcula unigenito Filio suo matrem, ex qua caro factus in beata temporum plenitudine nasceretur, elegit atque ordinavit, tantoque præ creaturis universis est prosequutus amore, ut in illa una sibi propensissima voluntate complacuerit. Quapropter illam longe ante omnes angelicos spiritus, cunctosque Sanctos cœlestium omnium charismatum copia de thesauro divinitatis deprompta ita mirifice cumulavit, ut ipsa ab omni prorsus peccati labe semper libera ac tota pulchra et perfecta eam innocentiæ et sanctitatis plenitudinem præ se ferret, qua major sub Deo nullatenus intelligitur, et quam præter Deum nemo assequi cogitando potest. Et quidem decebat omnino, ut perfectissimæ sanctitatis splendoribus semper ornata fulgeret, ac vel ab ipsa originalis culpæ labe plane immunis amplissimum de antiquo serpente triumphum referret tam venerabilis mater, cui Deus pater unicum filium suum, quem de corde suo æqualem sibi genitum tanquam seipsum diligit, ita dare disposuit, ut naturaliter esset unus idemque communis Dei Patris et Virginis Filius, et quam ipse Filius substantialiter facere sibi matrem elegit, et de qua Spiritus sanctus voluit, et operatus est, ut conciperetur et nasceretur ille, de quo ipse procedit.

Quam originalem augustæ Virginis innocentiam cum admirabili ejusdem sanctitate præcelsaque Dei matris dignitate omnino cohærentem catholica Ecclesia, quæ a Sancto semper edocta Spiritu columna est ac firmamentum veritatis, tanquam doctrinam possidens divinitus acceptam, et cœlestis revelationis deposito comprehensam multiplici continenter ratione, splendidisque factis magis in dies explicare, proponere, ac fovere nunquam destitit. Hanc enim doctrinam ab antiquissimis temporibus vigentem, ac fidelium animis penitus insitam, et sacrorum Antistitum curis studiisque per catholicum orbem mirifice propagatam ipsa Ecclesia luculentissime significavit, cum ejusdem Virginis Conceptionem publico fidelium cultui ac venerationi proponere non dubitavit. Quo illustri quidem facto ipsius Virginis Conceptionem veluti singularem, miram, et a reliquorum hominum primordiis longissime secretam, et omnino sanctam colendam exhibuit, cum Ecclesia nonnisi de Sanctis dies festos concelebret. Atque idcirco vel ipsissima verba, quibus divinæ Scripturæ de increata Sapientia loquuntur, ejusque sempiternas origines repræsentant, consuevit tum in ecclesiasticis officiis, tum in sacrosancta liturgia adhibere, et ad illius Virginis primordia transferre, quæ uno eodemque decreto cum divinæ Sapientiæ incarnatione fuerant præstituta. Quamvis autem hæc omnia penes fideles ubique pro recepta ostendant, quo studio ejusmodi de immaculata Virginis conceptione doctrinam ipsa quoque Romana Ecclesia, omnium Ecclesiarum mater et magistra, fuerit prosequuta, tamen illustria hujus Ecclesiæ facta digna plane sunt, quæ nominatim recenseantur, cum tanta sit ejusdem Ecclesiæ dignitas, atque auctoritas, quanta illi omnino debetur, quæ est catholicæ veritatis et unitatis centrum, in qua solum inviolabiliter fuit custodita religio, et ex qua traducem fidei reliquæ omnes Ecclesiæ mutuentur oportet. Itaque eadem Romana Ecclesia nihil potius habuit quam eloquentissimis quibusque modis immaculatam Virginis conceptionem, ejusque cultum et doctrinam asserere, tueri, promovere et vindicare. Quod apertissime planissimeque testantur et declarant tot insignia sane acta Romanorum pontificum decessorum nostrorum, quibus in persona Apostolorum principis ab ipso Christo Domino divinitus fuit commissa suprema cura atque potestas pascendi agnos et oves, confirmandi fratres et universam regendi et gubernandi Ecclesiam.

Enim vero prædecessores nostri vehementer gloriati sunt apostolica sua auctoritate festum conceptionis in Romana Ecclesia instituere, ac proprio officio,

propriaque missa, quibus prærogativa immunitatis ab hæreditaria labe manifestissime asserebatur, augere, honestare, et cultum jam institutum omni ope promovere, amplificare sive erogatis indulgentiis, sive facultate tributa civitatibus provinciis, regnisque, ut deiparam sub tituto immaculatæ conceptionis patronam sibi deligerent, sive comprobatis sodalitatibus, congregationibus, religiosisque familiis ad immaculatæ conceptionis honorem institutis, sive laudibus eorum pietati delatis qui monasteria, xenodochia, altaria, templa sub immaculati conceptus titulo erexerint, aut sacramenti religione interposita immaculatam Deiparæ conceptionem strenue propugnare spoponderint. Insuper summopere lætati sunt decernere conceptionis festum ab omni Ecclesia esse habendum eodem censu ac numero, quo festum cum octava ab universa Ecclesia celebrandum, et ab omnibus inter ea quæ præcepta sunt, sancte colendum, ac pontificiam capellam in patriarchali nostra Liberiana basilica die Virginis Conceptioni sacro quotannis esse peragendam, æque exoptantes in fidelium animis quotidie magis fovere hanc de immaculata deiparæ conceptionis doctrinam, eorumque pietatem excitare ad ipsam virginem sine labe originali conceptam colendam, et venerandam, gavisi sunt quam libentissime facultatem tribuere, ut in Lauretanis litaniis, et in ipsa missæ præfatione immaculatus ejusdem virginis proclamaretur conceptus, atque adeo lex credendi ipsa supplicandi lege statueretur. Nos porro tantorum prædecessorum vestigiis inhærentes, non solum quæ ab ipsis pientissime sapientissimeque fuerant constituta probavimus, et recepimus, verum etiam memores institutionis Sixti IV, proprium de immaculata conceptione officium auctoritate nostra munivimus, illiusque usum universæ Ecclesiæ lætissimo prorsus animo concessimus.

Quoniam vero quæ ad cultum pertinent intimo plane vinculo cum ejusdem objecto conserta sunt, neque rata et fixa manere possunt, si illud anceps sit, et in ambiguo versetur, idcirco decessores nostri Romani pontifices omni cura conceptionis cultum amplificantes, illius etiam objectum ad doctrinam declarare et inculcare impensissime studuerunt. Etenim clare aperteque docuere festum agi de virginis conceptione atque uti falsam, et ab Ecclesiæ mente alienissimam proscripserunt illorum opinionem, qui non conceptionem ipsam, sed sanctificationem ab Ecclesia coli arbitrarentur et affirmarent. Neque mitius cum iis agendum esse existimarunt, qui ad labefactandam de immacula virginis conceptione doctrinam, excogitato inter primum atque alterum conceptionis instans et momentum discrimine, asserebant, celebrari quidem conceptionem, sed non pro primo instanti atque momento. Ipsi namque prædecessores nostri suarum partium esse duxerunt, et beatissimæ Virginis conceptionis festum et conceptionem pro primo instanti tanquam verum cultus objectum omni studio tueri ac propugnare. Hinc decretoria plane verba, quibus Alexander VII decessor noster sinceram Ecclesiæ mentem declaravit inquiens ; « sane vetus est Christi fidelium erga ejus beatissimam matrem virginem Mariam pietas sentientium, ejus animam primo instanti creationis, atque infusionis in corpus fuisse speciali Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Jesu-Christi ejus filii humani generis redemptoris, a macula peccati originalis præservatam immunem, atque in hoc sensu ejus conceptionis festivitatem solemni ritu colentium et celebratium. »

Atque illud in primis solemne quoque fuit iisdem decessoribus nostris doctrinam de immaculata Dei matris conceptione sartam tectamque omni cura, studio et contentione tueri. Etenim non solum nullatenus passi sunt, ipsam doctrinam quovis modo a quoquo piam notari atque traduci, verum etiam longe ulterius progressi perspicuis declarationibus, itera-

tisque vicibus edixerunt, doctrinam, qua immaculatam virginis conceptionem profitemur esse suoque merito haberi cum ecclesiastico cultu plane consonam, eamque veterem, ac prope universalem et ejusmodi, quam Romana Ecclesia sibi fovendam, tuendamque susceperit, atque omnino dignam, quæ in sacra ipsa liturgia, solemnibusque precibus usurparetur. Neque his contenti, ut ipsa de immaculato virginis conceptu doctrina inviolata persisteret, opinionem huic doctrinæ adversam sive publice, sive privatim defendi posse severissime prohibuere, eamque multiplici veluti vulnere confectam esse voluerunt, quibus repetitis luculentissimis declarationibus, ne inanes viderentur, adjecere sanctionem ; quæ omnia laudatus prædecessor noster Alexander VII. his verbis est complexus :

« Nos considerantes, quod sancta Romana ecclesia de intemeratæ semper virginis Mariæ conceptione festum solemniter celebrat, et speciale ac proprium super hoc officium olim ordinavit juxta piam, devotam, et laudabilem institutionem, quæ a Sixto IV. prædecessore nostro tunc emanavit ; volentesque laudabili huic pietati et devotioni, et festo, ac cultu secundum illam exhibito ; in ecclesia Romana post ipsius cultus institutionem numquam immutato, Romanorum pontificum prædecessorum nostrorum exemplo, favere nec non tueri pietatem, et devotionem hanc colendi, et celebrandi beatissimam virginem, præveniente scilicet Spiritus sancti gratia, a peccato originali præservatam, cupientesque in Christi grege unitatem spiritus in vinculo pacis, sedatis offensionibus et jurgiis, amotisque scandalis conservare, ad præfatorum episcoporum cum ecclesiarum suarum capitulis, ac Philippi regis ejusque regnorum oblatam nobis instantiam, ac preces ; constitutiones et decreta, a Romanis pontificibus prædecessoribus nostris, et præcipue a Sixto IV. Paulo V. et Gregorio XV. edita in favorem sententiæ asserentis, animam beatæ Mariæ virginis in sui creatione, et in corpus infusione, Spiritus sancti gratia donatam, et a peccato originali præservatam fuisse, nec non et in favorem festi, et cultus conceptionis ejusdem virginis deiparæ secundum piam istam sententiam, ut præfertur, exhibiti, innovamus, et sub censuris et pœnis in eisdem constitutionibus contentis, observari mandamus. Et insuper omnes et singulos, qui præfatas constitutiones, seu decreta ita pergent interpretari, ut favorem per illas dictæ sententiæ, et festo seu cultui secundum illam exhibito, frustrentur ; vel qui hanc eamdem sententiam festum seu cultum in disputationem revocare, aut contra ea quoquo modo directe, vel indirecte aut quovis prætextu, etiam definibilitatis ejus examinandæ, sive sacram Scripturam, aut sanctos Patres, sive doctores glossandi vel interpretandi denique alio quovis prætextu seu occasione scripto seu voce loqui concionari, tractare, disputare, contra ea quidquam determinando, aut asserendo, vel argumenta contra ea afferendo, et insoluta relinquendo, aut alio quovis inexcogitabili modo disserendo ausi fuerint ; præter pœnas et censuras in constitutionibus Sixti IV. contentas, quibus illos subjacere volumus, et per præsentes subjicimus, etiam concionandi, publice legendi, seu docendi, et interpretandi facultate, ac voce activa, et passiva in quibuscumque electionibus eo ipso absque alia declaratione privatos esse volumus ; nec non ad concionandum, publice legendum, docendum, et interpretandum perpetuæ inhabilitatis pœnas ipso facto incurrere absque alia declaratione ; a quibus pœnis nonnisi a nobis ipsis, vel a successoribus nostris Romanis pontificibus absolvi, aut super iis dispensari possint : necnon eosdem aliis pœnis nostro, et eorumdem Romanorum pontificum successorum nostrorum arbitrio infligendis, pariter subjacere volumus, prout subjicimus per præsentes, innovantes Pauli V. et Gre-

gorii XV. superius memoratas constitutiones sive decreta.

Ac libros, in quibus præfata sententia, festum, seu cultus secundum illam in dubium revocatur, aut contra ea quomodocumque, ut supra, aliquid scribitur aut legitur, seu locutiones, conciones, tractatus et disputationes contra eadem continentur ; post Pauli V. supra laudatum decretum edita, aut in posterum quomodolibet edenda ; prohibemus sub pœnis et censuris in indice librorum prohibitorum contentis ; et ipso facto absque declaratione pro expresse prohibitis haberi volumus et mandamus. »

Omnes autem norunt quanto studio hæc de immaculata deiparæ virginis conceptione doctrina spectatissimis religiosis familiis, et celebrioribus theologicis academiis, ac præstantissimis rerum divinarum scientia doctoribus fuerit tradita, asserta ac propugnata, omnes pariter norunt quantopere solliciti fuerint sacrorum antistites vel in ipsis ecclesiasticis conventibus palam publiceque profiteri, sanctissimam Dei genitricem Virginem Mariam ob prævisa Christi dominici redemptoris merita nunquam originali subjacuisse peccato, sed præservatam omnino fuisse ab originis labe, et idcirco sublimiori modo redemptam, quibus illud profecto gravissimam, et omnino maximum accedit, ipsam quoque Tridentinam synodum, cum dogmaticum de peccato originali ederet decretum, quo juxta sacrarum Scripturarum, sanctorumque Patrum ac probatissimorum conciliorum testimonia statuit, ac definivit, omnes homines nasci originali culpa infectos tamen solemniter declarasse, non esse suæ intentionis in decreto ipso tantaque definitionis amplitudine comprehendere beatam, et immaculatam virginem Dei genitricem Mariam. Hac enim declaratione Tridentini patres ipsam beatissimam virginem ab originali labe solutam pro rerum temporumque adjunctis satis innuerunt, atque adeo perspicue significarunt, nihil ex divinis Litteris, nihil ex traditione, Patrumque auctoritate rite afferri posse, quod tantæ virginis prærogativæ quovis modo refragetur.

Et re quidem vera hanc de immaculata beatissimæ virginis conceptione doctrinam quotidie magis gravissimo Ecclesiæ sensu, magisterio, studio, scientia, ac sapientia tam splendide explicatam, declaratam, confirmatam, et apud omnes catholici orbis populos, ac nationes mirandum in modum propagatam in ipsa Ecclesia semper extitisse veluti a majoribus acceptam, ac revelatæ doctrinæ charactere insignitam illustri venerandæ antiquitatis Ecclesiæ orientalis et occidentalis monumenta validissime testantur. Christi enim Ecclesia sedula depositorum apud se dogmatum custos, et vindex, nihil in his unquam permutat, nihil minuit, nihil addit, sed omni industria vetera fideliter, sapienterque tractando, si qua antiquitus informata sunt et patrum fides sevit, ita limare, expolire studet, et prisca illa cœlestis doctrinæ dogmata accipiant evidentiam, lucem, distinctionem, sed retineant plenitudinem, integritatem, proprietatem, ac in suo tantum genere crescant, in eodem scilicet dogmate eodem sensu, eademque sententia. Equidem Patres Ecclesiæque scriptores cœlestibus edocti eloquiis nihil antiquius habuere, quam in libris ad explicandas Scripturas, vindicanda dogmata erudiendosque fideles elucubratis summam virginis sanctitatem, dignitatem, atque ab omni peccati labe integritatem, ejusque præclaram de teterrimo humani generis hoste victoriam multis mirisque modis certatim prædicare atque efferre. Quapropter enarrantes verba quibus Deus præparata renovandis mortalibus suæ pietatis remedia inter ipsa mundi primordia prænuntians et deceptoris serpentis retulit audaciam, et nostri generis spem mirifice erexit inquiens: *Inimicitias ponam inter te et mulierem semen tuum et semen illius*, docuere divino hoc oraculo clare aperteque præmonstratum fuisse misericordem humani generis redemptorem, scilicet unigenitum

Dei Filium Christum Jesum, ac designatam beatissimam ejus Matrem virginem Mariam, ac simul ipsissimas utriusque contra diabolum inimicitias insigniter expressas, quocirca sicut Christus Dei hominumque mediator humana assumpta natura delens quod adversus nos erat chirographum decreti, illud cruci triumphator affixit, sic sanctissima virgo arctissimo, et indissolubili vinculo cum eo conjuncta una cum illo, et per illum sempiternas contra venenosum serpentem inimicitias exercens, ac de ipso plenissime triumphans illius caput immaculato pede contrivit.

Hunc eximium, singularemque virginis triumphum, excellentissimamque innocentiam, puritatem, sanctitatem, ejusque ab omni peccati labe integritatem, atque ineffabilem cœlestium omnium gratiarum, virtutum, ac privilegiorum copiam, et magnitudinem iidem Patres viderunt tum in arca illa Noe, quæ divinitus constituta a communi totius mundi naufragio plane salva et incolumis evasit, tum in scala illa, quam de terra ad cœlum usque pertingere vidit Jacob, cujus gradibus angeli Dei ascendebant, et descendebant cujusque vertici ipse innitebatur Dominus ; tum in rubo illo, quem in loco sancto Moyses undique ardere, ac inter crepitantes ignis flammas non jam comburi aut jacturam vel minimam pati, sed pulchre virescere ac floscere conspexit : tum in illa inexpugnabili turri a facie inimici, ex qua mille clypei pendent, omnisque armatura fortium ; tum in horto illo concluso, qui nescit violari, neque corrumpi ullis insidiarum fraudibus ; tum in corusca illa Dei civitate, cujus fundamenta in montibus sanctis ; tum in augustissimo illo Dei templo, quod divinis refulgens splendoribus plenum est gloria Domini ; tum in aliis ejusdem generis omnino plurimis, quibus excelsam deiparæ dignitatem, ejusque illabatam innocentiam, et nulli unquam nævo obnoxiam sanctitatem insigniter prænuntiatam fuisse Patres tradiderunt.

Ad hanc eamdem divinorum munerum veluti summam, originalemque Virginis, de qua natus est Jesus, integritatem describendam iidem Prophetarum adhibentes eloquia non aliter ipsam augustam Virginem concelebrarunt, ac uti columbam mundam, et sanctam Jerusalem, et excelsum Dei thronum, et arcam sanctificationis et domum, quam sibi æterna ædificavit sapientia, et Reginam illam, quæ deliciis afluens, et innixa super dilectum suum, ex ore Altissimi prodivit omnino perfecta, speciosa ac penitus cara Deo, et nullo unquam labis nævo maculata. Cum vero ipsi Patres, Ecclesiæque Scriptores animo menteque reputarent, beatissimam Virginem ab Angelo Gabriele sublimissimam Dei Matris dignitatem ei nuntiante, ipsius Dei nomine et jussu gratia plenam fuisse nuncupatum, docuerunt hac singulari solemnique salutatione nunquam alias audita ostendi, Deiparam fuisse omnium divinarum gratiarum sedem ; omnibusque divini Spiritus charismatibus exornatam, imo eorumdem charismatum infinitum prope thesaurum ; abypsumque inexhaustam, adeo ut nunquam maledicto obnoxia, et una cum filio perpetuæ benedictionis particeps ab Elisabeth divino acta Spiritu audire meruerit : *Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui.*

Hinc non luculenta minus, quam concors eorumdem sententia, gloriosissimam Virginem, cui fecit magna, qui potens est, ea cœlestium omnium donorum vi, ea gratiæ plenitudine, eaque innocentia emicuisse, qua veluti ineffabile Dei miraculum, immo omnium miraculorum apex, ac digna Dei Mater extiterit, et ad Deum ipsum pro ratione creatæ naturæ, quam proxime accedens omnibus, qua humanis, qua angelicis præconiis celsior evaserit. Atque idcirco ad originalem Dei Genitricis innocentiam, justitiamque vindicandam, non eam modo cum Heva adhuc virgine, adhuc innocente, adhuc

incorrupta, et nondum mortiferis fraudulentissimi serpentis insidiis decepta sæpissime contulerunt, verum etiam mira quadam verborum, sententiarumque varietate prætulerunt. Heva enim serpenti misere obsequuta et ab originali excidit innocentia, et illius mancipium evasit, sed beatissima Virgo originale domum jugiter augens, quin serpenti aures unquam præbuerit, illius vim potestatemque virtute divinitus accepta funditus labefactavit.

Quapropter nunquam cessarunt Deiparam appellare vel lilium inter spinas, vel terram omnino intactam, virgineam, illibatam, immaculatam, semper benedictam, et ab omni peccati contagione liberam, ex qua novus formatus est Adam, vel irreprehensibilem, lucidissimum, amœnissimumque innocentiæ, immortalitatis, ac deliciarum paradisum a Deo ipso consitum et ab omnibus venenosi serpentis insidiis defensum, vel lignum immarcescibile, quod peccati vermis nunquam corruperit, vel immortalitatis thesaurum, vel unam et solam non mortis sed [vitæ filiam, non iræ sed gratiæ germen, quod semper virens ex corrupta infectaque radice singulari Dei providentia præter statas communesque leges efloruerit. Sed quasi hæc, licet splendidissima, satis non forent, propriis definitisque sententiis edixerunt, nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habendam esse quæstionem de sancta Virgine Maria, cui plus gratiæ collatum fuit ad vincendum omni ex parte peccatum ; tum professi sunt gloriosissimam Virginem fuisse parentum reparatricem, posterorum vivificatricem, a sæculo electam, ab altissimo sibi præparatam, a Deo, quando ad serpentem ait : *Inimicitias ponam inter te et mulierem*, prædictam, quæ procul dubio venenatum ejusdem serpentis caput contrivit, ac propterea affirmarunt, eamdem beatissimam Virginem fuisse per gratiam ab omni contagione et corporis, et animæ, et intellectus, ac semper cum Deo conversatam, et sempiterno fœdere cum illo conjunctam, nunquam fuisse in tenebris, sed semper in luce, et idcirco idoneum plane exstitisse Christo habitaculum non pro habitu corporis, sed pro gratia originali.

Accedunt nobilissima effata, quibus de Virginis Conceptione loquentes testati sunt, naturam gratiæ cessisse ac stetisse tremulam pergere non sustinentem ; nam futurum erat, ut Dei Genitrix Virgo non antea ex Anna conciperetur, quam gratia fructum ederet ; concipi siquidem primogenitum oportebat, ex qua concipiendus esset omnis creaturæ primogenitus. Testati sunt carnem Virginis ex Adam sumptam maculas Adæ non admisisse, ac propterea beatissimam Virginem tabernaculum esse ab ipso Deo creatum Spiritu sancto formatum, et pupureæ revera operæ quod novus ille Beseleel auro intextum variumque effinxit, eamdemque esse meritoque cebebrari ut illam, quæ proprium Dei opus primum extiterit, ignitis maligni telis latuerit, et pulchra natura, ac labis prorsus omnis nescia, tanquam aurora undequaque rutilans in mundum prodiverit in sua conceptione Immaculata. Non enim decebat, ut illud vas electionis communibus lacesseretur injuriis, quoniam plurimum a cæteris differens, natura communicavit non culpa, immo prorsus decebat ut sicut Unigenitus in cœlis Patrem habuit, quem Seraphim ter Sanctum extollunt, ita matrem haberet in terris, quæ nitore sanctitatis nunquam caruerit. Atque hæc quidem doctrina adeo majorum mentes, animosque occupavit, ut singularis et omnino mirus penes illos invaluerit loquendi usus, quo Deiparam sæpissime compellarunt immaculatam omnique ex parte immaculatam, innocentem et innocentissimam, illibatam et undequaque illibatam, et ab omni peccati sorde alienissimam, totam puram, totam intemeratam, ipsam prope puritatis et innocentiæ formam pulchritudine pulchriorem, venustate venustiorem, san-

ctiorem sanctitate, solamque sanctam purissimamque anima et corpore, quæ supergressa est omnem integritatem et Virginitatem, ac sola tota facta domicilium universarum gratiarum sanctissimi Spiritus, et quæ, solo Deo excepto, extitit cunctis superior, et ipsis Cherubim et Seraphim, et omni exercitu Angelorum *natura pulchrior, formosior, et sanctior*, cui prædicandæ cœlestes et terrenæ linguæ minime sufficiunt. Quem usum ad sanctissimæ quoque Liturgiæ monumenta atque ecclesiastica officia sua veluti sponte fuisse traductum, et in illis passim recurrere, ampliterque dominari nemo ignorat, cum in illis Deipara invocetur et prædicetur voluti una incorrupta pulchritudinis columba, veluti rosa semper vigens, et undequaque purissima et semper immaculata semperque beata, ab celebretur uti innocentia, quæ nunquam fuit læsa, et altera Heva, quæ Emmanuelem peperit.

Nil igitur mirum si de Immaculata Deiparæ Virginis conceptione doctrinam judicio Patrum divinis litteris consignatam, tot gravissimis eorumdem testimoniis traditam, tot illustribus venerandæ antiquitatis monumentis expressam et celebratam, ac maximo gravissimoque Ecclesiæ judicio propositam et confirmatam tanta pietate, religione et amore ipsius Ecclesiæ Pastores, populique fideles quotidie magis profiteri sint gloriati, ut nihil iisdem dulcius, nihil carius, quam ferventissimo affectu Deiparam Virginem absque labe originali conceptam ubique colere, venerari, invocare, et prædicare. Quamobrem ab antiquis temporibus sacrorum Antistites, Ecclesiastici viri, regulares ordines, ac vel ipsi imperatores et reges ab hac Apostolica sede enixe efflagitarunt, ut Immaculata sanctissimæ Dei genitricis conceptio veluti catholicæ fidei dogma definiretur.

Quæ postulationes hac nostra quoque ætate iteratæ fuerunt, ac potissimum felicis recordationis Gregorio XVI. prædecessori Nostro, ac Nobis ipsis oblatæ sunt tum ab episcopis, tum a clero sæculari, tum a religiosis familiis, ac summis principibus et fidelibus populis.

Nos itaque singulari animi nostri gaudio hæc omnia probe noscentes, ac serio considerantes, vix dum licet immeriti arcano divinæ providentiæ consilio ab hanc sublimen Petri Cathedram evecti totius Ecclesiæ gubernacula tractanda suscepimus, nihil certe antiquius habuimus, quam pro summa nostra vel a teneris annis erga sanctissimam Dei Genitricem Virginem Mariam veneratione, pietate et effectu ea omnia peragere, quæ adhuc in Ecclesiæ votis esse poterant, ut beatissimæ Virginis honor augeretur, ejusque prærogativæ uberiori luce niterent. Omnem autem maturitatem adhibere volentes constituimus peculiarem VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium religione, consilio, ac divinarum rerum scientia illustrium congregationem, et viros ex clero tum sæculari, tum regulari, theologicis disciplinis apprime excultos selegimus, ut ea omnia, quæ Immaculatam Virginis Conceptionem respiciunt, accuratissime perpenderent, propriamque sententiam ad nos deferrent. Quamvis autem nobis ex receptis postulationibus de definienda tandem aliquando Immaculata Virginis Conceptione perspectus esset plurimorum sacrorum Antistitum sensus, tamen Encyclicas Litteras die 2. Februarii anno 1849. Cajetæ datas ad omnes venerabiles Fratres totius catholici orbis sacrorum Antistites misimus ut, adhibitis ad Deum precibus, nobis scripto etiam significarent, quæ esset suorum fidelium erga Immaculatam Deiparæ Conceptionem pietas, ac devotio, et quid ipsi præsertim Antistides de hac ipsa definitione ferenda sentirent, quidve exoptarent, ut, quo fieri solemnius posset, supremum Nostrum judicium proferremus.

Non mediocri certe solatio affecti fuimus ubi eorumdem Venerabilium Fratrum ad Nos responsa venerunt. Nam iidem incredibili quadam jucunditate,

lætitia, ac studio Nobis rescribentes non solum singularem suam, et proprii cujusque cleri, populique fidelis erga Immaculatum beatissimæ Virginis Conceptum pietatem, mentemque denuo confirmarunt, verum etiam communi veluti voto Nobis expostularunt, ut Immaculata ipsius Virginis Conceptio supremo Nostro judicio et auctoritate definiretur. Nec minori certe interim gaudio perfusi sumus, cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinales commemoratæ peculiaris Congregationis et prædicti Theologi consultores a Nobis electi pari alacritate et studio post examen diligenter adhibitum hanc de Immaculata Deiparæ Conceptione definitionem a Nobis efflagitaverint.

Post hæc illustribus Prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, ac rite recteque procedere optantes indiximus et habuimus consistorium, in quo Venerabiles fratres nostros sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinales alloquuti sumus, eosque summa animi Nostri consolatione audivimus a nobis exposcere, ut dogmaticam de Immaculata Deiparæ virginis conceptione definitionem emittere vellemus.

Itaque plurimum in Domino confisi advenisse temporum opportunitatem pro Immaculata Santissimæ Dei Genitricis Virginis Mariæ conceptione definienda, quam divina eloquia, veneranda traditio, perpetuus Ecclesiæ sensus, singularis catholicorum Antistitum, ac fidelium conspiratio et insignia prædecessorum nostrorum acta, constitutiones mirifice illustrant atque declarant ; rebus omnibus diligentissime perpensis, et assiduis fervidisque ad Deum precibus effusis, minime cunctandum Nobis esse censuimus supremo Nostro judicio Immaculatam ipsius Virginis Conceptionem sancire, definire, atque ita pientissimis catholici orbis desideriis, nostræque in ipsam Sanctissimam Virginem pietati satisfacere, ac simul in Ipsa Unigenitum Filium suum Dominum Nostrum Jesum Christum magis atque magis honorificare, cum in filium redundet quidquid honoris et laudis in Matrem impenditur.

Quare postquam nunquam intermisimus in humilitate et jejunio privatas Nostras et publicas Ecclesiæ preces Deo patri per filium ejus offerre, ut Spiritus sancti virtute mentem Nostram dirigere, et confirmare dignaretur, implorato universæ cœlestis Curiæ præsidio, et advocato cum gemitibus paraclito Spiritu, eoque sic adspirante, ad honorem Sanctæ et individuæ Trinitatis, ad decus et ornamentum Virginis Deiparæ, ad exaltationem Fidei catholicæ, et Christianæ Religionis augmentum auctoritate Domini nostri Jesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli, ac Nostra declaramus pronuntiamus et definimus, doctrinam quæ tenet beatissimam Virginem Mariam in primo instanti suæ Conceptionis fuisse singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Jesu Salvatoris humani generis ab omni originalis culpæ labe præservatam immunem, esse a Deo revelatam, atque idcirco ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credendam. Quapropter si qui secus ac a Nobis definitum est, quod Deus avertat, præsumpserint corde sentire, ii noverint, ad porro sciant, se proprio judicio condemnatos, naufragium circa fidem passos esse, et ab unitate Ecclesiæ defecisse, ac præterea facto ipso suo semet pœnis e jure statutis subjicere si quod corde sentiunt, verbo aut scripto, vel alio quovis externo modo significare ausi fuerunt.

Repletum quidem est gaudio os Nostrum et lingua Nostra exultatione, atque humillimas maximasque Christo Jesu Domino Nostro agimus et semper agemus gratias, quod singulari suo beneficio Nobis licet immerentibus concesserit hunc honorem atque hanc gloriam et laudem sanctissimæ suæ Matri offerre et decernere. Certissima vero spe et omni prorsus fiducia nitimur fore, ut ipsa beatissima Virgo, quæ tota pulchra et Immaculata venenosum crudelissimi ser-

ventis caput contrivit, et salutem attulit mundo, quæque Prophetarum, Apostolorumque præconium, et honor Martyrum omniumque Sanctorum lætitia et corona, quæque tutissimum cunctorum periclitantium perfugium, et fidissima auxiliatrix, ac totius terrarum orbis potentissima apud unigenitum filium suum mediatrix, et conciliatrix, ac præclarissimum Ecclesiæ sanctæ decus et ornamentum, firmissimumque præsidium, cunctas semper interemit hæreses, et fideles populos gentesque a maximis omnis generis calamitatibus eripuit, ac Nos ipsos a tot ingruentibus periculis liberavit, velit validissimo suo patrocinio efficere, ut sancta Mater Catholica Ecclesia cunctis amotis difficultatibus, cunctisque profligatis erroribus ubicumque gentium, ubicumque locorum, quotidie magis vigeat, floreat, ac regnet a mari usque ad mare et a flumine usque ad terminos orbis terrarum, omnique pace, tranquillitate, ac libertate fruatur, ut rei veniam, ægri medelam, pusilli corde robur, afflicti consolationem, periclitantes adjutorium obtineant, et omnes errantes discussa mentis caligine ad veritatis ac justitiæ semitam redeant, ac fiat unum ovile et unus pastor.

Audiant hæc Nostra verba omnes Nobis carissimi Catholicæ Ecclesiæ filii, et ardentiori usque pietatis, religionis, et amoris studio pergant colere, invocare, exorare, beatissimam Dei Genitricem Virginem Mariam sine labe originali conceptam, atque hanc dulcissimam misericordiæ et gratiæ Matrem in omnibus periculis, angustiis, necessitatibus, rebusque dubiis ac trepidis cum omni fiducia confugiant. Nihil enim timendum, nihilque desperandum Ipsa duce, Ipsa auspice, Ipsa propitia, Ipsa protegente, quæ maternum sane in nos gerens animum, nostræque salutis negotia tractans de universo humano genere est sollicita, et cœli terræque Regina a Domino constituta ac super omnes Angelorum choros Sanctorumque ordines exaltata adstans a dextris Unigeniti filii sui Domini Nostri Jesu Christi maternis suis precibus validissime impetrat, et quod quærit invenit, ac frustrari non potest.

Denique ut ad universalis Ecclesiæ notitiam hæc Nostra de Immaculata conceptione beatissimæ Virginis Mariæ definitio deducatur, has Apostolicas Nostras Litteras, ad perpetuam rei memoriam extare voluimus, mandantes ut harum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides ab omnibus adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo hominum liceat paginam hanc Nostræ declarationis pronuntiationis, ac definitionis infringere, vel ei ausu temerario adversari et contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo octingentesimo quinquagesimo quarto, VIII idus decembris anno MDCCCLIV. Pontificatus Nostri anno nono.

Pius PP. IX.

---

SS. D. N.

## PAPÆ PII IX.

### ENCYCLICA

Ad omnes Episcopos.

Quanta cura ac pastorali vigilantia Romani Pontifices Prædecessores nostris

exsequentes demandatum sibi ab ipso Christo Domino in persona Beatissimi Petri Apostolorum Principis officium, munusque pascendi agnos et oves nunquam intermiserint universum Dominicum gregem sedulo enutrire verbis fidei, ac salutari doctrina imbuere, eumque venenatis pascuis arcere, omnibus quidem ac Vobis præsertim compertum, exploratumque est, Venerabiles Fratres. Et sane eidem Decessores Nostri augustæ catholicæ religionis, veritatis ac justitiæ assertores et vindices, de animarum salute maxime solliciti nihil potius unquam habuere, quam sapientissimis suis Litteris, et Constitutionibus retegere et damnare omnes hæreses et errores, qui Divinæ fidei nostræ catholicæ Ecclesiæ doctrinæ, morum honestati, ac sempiternæ hominum saluti adversi, graves frequenter excitaverunt tempestates, et christianam civilemque rempublicam miserandum in modum funestarunt. Quocirca iidem Decessores Nostri Apostolica fortitudine continenter obstiterunt nefariis iniquorum hominum molitionibus, qui despumantes tamquam fluctus feri maris confusiones suas, ac libertatem promittentes, cum servi sint corruptionis, fallacibus suis opinionibus, et perniciosissimis scriptis catholicæ religionis civilisque societatis fundamenta convellere, omnemque virtutem ac justitiam de medio tollere, omniumque animos mentesque depravare, et incautos imperitamque præsertim juventutem a recta morum disciplina avertere, eamque miserabiliter corrumpere, in erroribus laqueos inducere, ac tandem ab Ecclesiæ catholicæ sinu avellere conati sunt.

Jam vero, uti vobis. Venerabiles Fratres, apprime notum est, Nos vix dum arcano divinæ providentiæ consilio nullis certe Nostris meritis ad hanc Petri Cathedram evecti fuimus, cum videremus summo animi Nostri dolore horribilem sane procellam tot pravis opinionibus excitatam, et gravissima, ac nunquam satis lugenda damna, quæ in christianum populum ex tot erroribus redundant pro Apostolici Nostri ministerii officio illustria prædecessorum Nostrorum vestigia sectantes Nostram extulimus vocem ac pluribus in vulgus editis encyclicis Epistolis et Allocutionibus in Consistorio habitis, aliisque Apostolicis Litteris præcipuos tristissimæ nostræ ætatis errores damnavimus, eximiamque vestram episcopalem vigilantiam excitavimus, et universos catholicæ Ecclesiæ Nobis carissimos filios etiam atque etiam monuimus et exhortati sumus, ut tam diræ contagia pestis omnino horrerent et devitarent. Ac præsertim Nostra prima Encyclica epistolo die 9 novembris anno 1846. vobis scripta, binisque allocutionibus, quarum altera die 9 decembris anno 1854. Altera vero 9. Junii anno 1862. in consistorio a Nobis habita fuit, monstrosa opinionum portenta damnavimus, quæ hac potissimum ætate cum maximo animarum damno et civilis ipsius societatis detrimento dominantur, quæque non solum catholicæ Ecclesiæ, ejusque salutari doctrinæ, ac venerandis juribus, verum etiam sempiternæ naturali legi a Deo in omnium cordibus insculpæ, rectæque rationi maxime adversantur, et ex quibus alii prope omnes originem habent errores.

Etsi autem haud omiserimus potissimos hujusmodi errores sæpe proscribere et reprobare, tamen catholicæ Ecclesiæ causa, animarumque salus Nobis divinitus commissa, atque ipsius humanæ societatis bonum, omnino postulant, ut iterum pastoralem vestram sollicitudinem excitemus ad alias pravas profligandas opiniones, quæ ex eisdem erroribus, veluti ex fontibus erumpunt. Quæ falsæ ac perversæ opiniones eo magis detestandæ sunt, quod eo potissimum spectant, ut impediatur et amoveatur salutaris illa vis, quam catholica Ecclesia ex divini sui auctoris institutione, et mandato libere exercere debet usque ad consummationem sæculi non minus erga singulos homines, quam erga nationes,

populos summosque eorum Principes, utque de medio tollatur mutua illa inter Sacerdotium et Imperium consiliorum societas et concordia, quæ rei cum sacræ tum civili fausta semper extitit ac salutaris ! Etenim probe noscitis, Venerabiles fratres, hoc tempore non paucos reperiri, qui civili consortio impium absurdumque *Naturalismi* uti vocant, principium applicantes audent docere « optimam societatis publicæ rationem civilemque progressum omnino requirere, ut humana societas constituatur et gubernetur, nullo habito ad religionem respectu, ac si ea non existeret, vel saltem nullo facto veram inter falsasque religiones discrimine. » Atque contra sacrarum Litterarum, Ecclesiæ, sanctorumque Patrum doctrinam, asserere non dubitant. « Optimam esse conditionem societatis, in qua Imperio non agnoscitur officium coercendi sancitis pœnis violatores catholicæ religionis, nisi quatenus pax publica postulet. » Ex qua omnino falsa socialis regiminis idea haud timent erroneam illam fovere opinionem catholicæ Ecclesiæ, animarumque saluti maxime exitialem a rec. mem. Gregorio XVI. prædecessore Nostro deliramentum appellatam ? nimirum « libertatem conscientiæ, et cultuum esse proprium cujuscumque hominis jus, quod lege proclamari, et asseri debet in omni recte constituta societate, et jus civibus inesse ad omnimodam libertatem nulla vel ecclesiastica vel civili auctoritate coarctandam, quo suos conceptus quoscumque sive voce, sive typis, sive alia, ratione palam publiceque manifestare, ac declarare valeant. » Dum vero id temere affirmant haud cogitant et considerant, quod libertatem perditionis prædicant, et quod « si humanis persuasionibus semper disceptare sit liberum, nunquam deesse poterunt, qui veritati audeant resultare, et de humanæ sapientiæ loquacitate confidere, cum hanc nocentissimam vanitatem quantum debeat fides et sapientia christiana vitare ex ipsa Domini nostri Jesu Christi, institutione cognoscat. »

Et quoniam ubi a civili societate fuit amota religio, ac repudiata divinæ revelationis doctrina et auctoritas, vel ipsa germana justitiæ humanique juris notio tenebris obscuratur et amittitur, atque in veræ Justitiæ legitimique juris locum materialis substituitur vis, inde liquet cur nonnulli certissimis sanæ rationis principiis penitus neglectis posthabitisque audeant conclamare, « voluntatem populi, publica, quam dicunt, opinione vel alia ratione manifestatam constituere supremam legem ab omni divino humanoque jure solutam, et in ordine politico facta, consummata, eo quod consummata sunt vim juris habere, » verum ecquis non videt, planeque sentit hominum societatem religionis ac veræ justitiæ vinculis solutam nullum aliud profecto propositum habere posse : nisi scopum comparandi, cumulandique opes, nullamque aliam in suis actionibus legem sequi, nisi indomitam animi cupiditatem inserviendi propriis voluptatibus et commodis ? Ea propter hujusmodi homines acerbo sane odio insectantur Religiosas Familias quamvis de re christiana, civili, ac litteraria summopere meritas et blaterant, easdem nullam habere legitimam existendi rationem, atque ita hæreticorum commentis plaudunt. Nam ut sapientissimæ rec. mem. Pius VI. Decessor Noster docebat « regularium abolitio lædit statum publicæ professionis consiliorum evangelicorum, lædit vivendi rationem in Ecclesia commendatam tanquam Apostolicæ doctrinæ consentaneam, lædit ipsos insignes fundatores, quos super altaribus veneramur, qui non a Deo inspirati eas constituerint societates ! » Atque etiam impie pronuntiant, auferendam esse civibus Ecclesiæ facultatem qua eleemosynas Christianæ caritatis causa palam erogare valeant : ac de medio tollendam legem « qua certis aliquibus diebus opera servilia propter Dei cultum prohibentur » falacissime prætexentes, com-

memoratam facultatem et legem optimæ publicæ æconomiæ principiis obsistere. Neque contenti amovere religionem a publica societate, volunt religionem ipsam a privatis etiam arcere familiis. Etenim funestissimum *Communismi* et *Socialismi* docentes ac profitentes errorem asserunt « societatem domesticam seu familiam totam suæ existentiæ rationem a jure dumtaxat civili dimanere, ac pendere jura omnia parentum in filios, cum primis vero jus institutionis, educationisque curandæ. » Quibus impiis opinionibus, machinationibusque in id præcipue intendunt fallacissimi isti homines, ut salutifera catholicæ Ecclesiæ doctrina ac vis a juventutis institutione et educatione prorsus eliminetur, ac teneri flexibilesque juvenum animi perniciosis quibusque erroribus, vitiisque misere inficiantur ac depraventur. Siquidem omnes, qui rem tum sacram, tum publicam perturbare, ac rectum societatis ordinem evertere, et jura omnia divina et humana delere sunt conati, omnia nefaria sua consilia, studia et operam in improvidam præsertim juventutem decipiendam ac depravandam, ut supra innuimus, semper contulerunt, omnemque spem in ipsius juventutis corruptela collocarunt. Quocirca veluti certissima historiæ monumenta splendide testantur, tot magna in christianam, civilem, et litterariam rempublicam commoda redundarunt, quibuscumque infandis modis divexare, et edicere, ipsum Clerum « utpote vero, utilique scientiæ et civilitatis progressui inimicum ab omni juventutis instituendæ educandæque cura et officio esse amovendum. »

At vero alii instaurantes prava ac toties damnata novatorum commenta, insigni impudentia audent Ecclesiæ et hujus Apostolicæ Sedis supremam auctoritatem a Christo Domino ei tributam civilis auctoritatis arbitrio subjicere, et omnia ejusdem Ecclesiæ et Sedis jura denegare circa ea quæ ad exteriorem ordinem pertinent. Namque ipsos minime pudet affirmare « Ecclesiæ leges non obligare in conscientia, nisi cum promulgantur a civili potestate ; acta et decreta Romanorum Pontificum ad religionem et Ecclesiam spectantia indigere sanctione et approbatione, vel minimum assensu potestatis civilis ; constitutiones Apostolicas, quibus damnantur clandestinæ societates, sive in eis exigatur, sive non exigatur juramentum de secreto servando, earumque asseclæ et fautores anathemate mulctantur, nullam habere vim in illis orbis regionibus ubi ejusmodi aggregationes tolerantur a civili gubernio ; excommunicationem a Concilio Tridentino et Romanis Pontificibus latam in eos, qui jura possessionesque Ecclesiæ invadunt, et usurpant, niti confusione ordinis spiritualis, ordinisque civilis ac politici ad mundanum dumtaxat bonum prosequendum ; Ecclesiam nihil debere decernere, quod obstringere possit fidelium conscientias in ordine ad usum rerum temporalium ; Ecclesiæ jus non competere violatores legum suarum pœnis temporalibus coercendi ; conforme esse sacræ theologiæ, jurisque publici principiis, bonorum proprietatem, quæ ab Ecclesia a Familiis religiosis, aliisque locis piis possidentur, civili gubernio asserere, et vindicare. » Neque erubescunt palam publiceque profiteri hæreticorum effatum et principium, ex quo tot perversæ oriuntur sententiæ, atque errores. Dictitant enim « Ecclesiasticam potestatem non esse jure divino distinctam et independentem a potestate civili, neque ejusmodi distinctionem, et independantiam servari posse quin ab Ecclesia invadantur et usurpentur essentialia jura potestatis civilis. » Atque silentio præterire non possumus eorum audaciam, qui sanam non sustinentes doctrinam contendunt « illis Apostolicæ Sedis judiciis, et decretis, quorum objectum ad bonum generale Ecclesiæ, ejusdemque jura, ac disciplinam spectare declaratur, dummodo fidei morumque dogmata non attingat, posse assensum et obedientiam detractari absque peccato, et

absque ulla catholicæ professionis jactura. » Quod quidem quantopere adversetur catholico dogmati plenæ potestatis Romano Pontifici ab ipso Christo Domino divinitus collatæ universalem pascendi, regendi, et gubernandi Ecclesiam, nemo est qui non clare aperteque videat et intelligat.

In tanta igitur depravatarum opinionum perversitate, Nos Apostolici Nostri officii probe memores, ac de sanctissima nostra religione, de sana doctrina, et animarum salute Nobis divinitus commissa, ac de ipsius humanæ scietas bono maxime solliciti, Apostolicam Nostram vocem iterum extollere existimavimus. Itaque omnes et singulas pravas opiniones ac doctrinas singillatim hisce Litteris commemoratas, auctoritate Nostra Apostolica reprobamus, proscribimus atque damnamus, easque ab omnibus catholicæ Ecclesiæ filiis, veluti reprobatas, proscriptas atque damnatas omnino haberi volumus et mandamus.

Ac præter ea, optime scitis, Venerabiles Fratres, hisce temporibus omnis veritatis justitiæque osores, et acerrimos nostræ religionis hostes, per pestiferos libros, libellos, et ephemerides toto terrarum orbe dispersas populis illudentes, ac malitiose mentientes alias impias quasque disseminare doctrinas. Neque ignoratis, hæc etiam nostra ætate, nonnullos reperiri, qui Satanæ spiritu permoti, et incitati eo impietatis devenerunt, ut Dominatorem Dominum Nostrum Jesum Christum negare, ejusque Divinitatem scelerata procacitate oppugnare non paveant. Hic vero haud possumus, quin maximis meritisque laudibus Vos efferamus, Venerabiles Fratres, qui episcopalem vestram vocem contra tantam impietatem omni zelo attollere minime omisistis.

Itaque hisce nostris Litteris Vos iterum amantissime alloquimur, qui in sollicitudinis nostræ partem vocati summo nobis inter maximas Nostras acerbitates solatio, lætitiæ, et consolationi estis propter egregiam, qua præstatis religionem, pietatem, ac propter mirum illum amorem, fidem, et observantiam, qua Nobis et huic Apostolicæ sedi concordissimis animis obstricti gravissimum episcopale vestrum ministerium strenue ac sedulo implere contenditis. Etenim ab eximio vestro pastorali zelo expectamus ut assumentes gladium spiritus, quod est verbum Dei, et confortati in gratia Domini Nostri Jesu Christi velitis ingeminatis studiis quotidie magis prospicere ; ut fideles curæ vestræ concrediti « abstineant ab herbis noxiis, quas Jesus Christus non colit, quia non sunt plantatio Patris. » Atque eisdem fidelibus inculcare nunquam desinite, omnem veram felicitatem in homines ex augusta nostra religione, ejusque doctrina et exercitio redundare, ac beatum esse populum, cujus Dominus Deus ejus. Docete « catholicæ Fidei fundamento regna subsistere, et nihil tam mortiferum, tam præceps ad casum, tam expositum ad omnia pericula, si hoc solum nobis putantes posse sufficere, quod liberum arbitrium, cum nasceremur, accepimus, ultra jam a Domino nihil quæramus, id est, auctoris nostri obliti, ejus potentiam, ut nos ostendamus liberos abjuremus. Atque etiam ne omittatis docere regiam potestatem non ad solum mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiæ præsidium esse collatam, et nihil esse quod civitatem Principibus, et Regibus majori fructui, gloriæque esse possit, quam si, ut sapientissimus fortissimusque alter Prædecessor Noster S. Felix Zenoni Imperatori perscribebat, Ecclesiam catholicam... sinant uti legibus suis, nec libertati ejus quemquam permittant obsistere..... Certum est enim hoc rebus suis esse salutare, ut, cum de causis Dei agatur, juxta ipsius constitutum regiam voluntatem Sacerdotibus Christi studeant subdere, non præferre. » Sed si semper, Venerabiles Fratres, nunc potissimum in tantis Ecclesiæ, civilisque societatis calamitatibus, in tanta adversariorum contra rem catholicam, et hanc Apostolicam Sedem conspiratio-

ne, tantaque errorum congerie, necesse omnino est, ut adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Quocirca omnium fidelium pietatem excitare existimavimus, ut una Nobiscum Vobisque clementissimum luminum et misericordiarum Patrem ferventissimis humillimisque precibus sine intermissione orent, et obsecrent, et in plenitudine fidei semper confugiant ad Dominum Nostrum Jesum Christum, qui redemit nos Deo in sanguine suo, ejusque dulcissimum cor flagrantissimæ erga nos caritatis victimam enixe jugiterque exorent, ut amoris sui vinculis omnia ad seipsum trahat, utque omnes homines sanctissimo suo amore inflammati secundum Cor ejus ambulent, digne Deo per omnia placentes, in omni bono opere fructificantes. Cum autem sine dubio gratiores sint Deo hominum preces, si animis ab omni labe pueris ad ipsum accedant, idcirco cœlestes Ecclesiæ thesauros dispensationi Nostræ commissos Christi fidelibus Apostolica liberalitate reserare censuimus, ut iidem fideles ad veram pietatem vehementius incensi, ac per Pœnitentiæ Sacramentum a peccatorum maculis expiati fidentius suas preces ad Deum effundant, ejusque misericordiam et gratiam consequantur.

Hisce igitur Litteris auctoritate Nostra Apostolica omnibus et singulis utriusque sexus catholici orbis fidelibus Plenariam indulgentiam ad instar Jubilæi concedimus intra unius tantum mensis spatium usque ad totum futurum annum 1865. et non ultra, a Vobis, Venerabiles Fratres, aliisque legitimis locorum Ordinariis statuendum, eodem prorsus modo et forma, qua ab initio supremi Nostri Pontificatus concessimus per Apostolicas Nostras Litteras in forma brevis die 20. mensis Novembris anno 1846. datas, et ad universum episcopalem vestrum ordinem missas, quarum initium « Arcano Divinæ Providentiæ consilio, » et cum omnibus eisdem facultatibus, quæ per ipsas Litteras a Nobis datæ fuerunt. Volumus tamen, ut ea, omnia serventur, quæ in commemoratis Litteris præscripta sunt, et ea excipiantur quæ excepta esse declaravimus. Atque id concedimus, non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque, etiam speciali et invidua mentione, ac derogatione dignis. Ut autem omnis dubitatio et difficultas amoveatur, earumdem Litterarum exemplar ad vos perferri jussimus.

« Rogemus Venerabiles Fratres, de intimo corde et de tota mente misericordiam Dei, quia et ipse addidit dicens : misericordiam autem meam non dispergam ab eis. Petamus, et accipiemus, et si accipiendi mora et tarditas fuerit quoniam graviter offendimus, pulsemus, quia et pulsanti aperietur, si non modo pulsent ostium preces, genitus, et lacrymæ nostræ, quibus insistere et immorari oportet, et si sit unanimis oratio... unusquisque oret Deum non pro se tantum, sed pro omnibus fratribus, sicut Dominus orare nos docuit. » Quo vero facilius Deus Nostris Vestrisque, et omnium fidelium precibus, votisque annuat, cum omni fiducia deprecatricem apud eum adhibeamus Immaculatam sanctissimamque Deiparam Virginem Mariam, quæ cunctas hæreses interemit in universo mundo, quæque omnium nostrum amantissima Mater « tota suavis est... ac plena misericordiæ..... omnibus esse exorabilem, omnibus clementissimam præbet, omnium necessitates amplissimo quodam miseratur affectu. » Atque utpote Regina adstans a dextris Unigeniti Filii sui Domini nostri Jesu Christi in vestitu dearanto circumamicta varietate nihil est, quod ab Deo impetrare non valeat. Suffragia quoque petamus Beatissimi Petri Apostolorum Principis et coapostoli ejus Pauli, omniumque Sanctorum cœlitum, qui facti jam amici Dei pervenerunt ad cœlestia regna, et coronati possident palmam, ac de sua im-

mortalitate securi, de nostra sunt salute solliciti.

Denique cœlestium omnium donorum copiam Nobis a Deo ex anima adprecantes singularis Nostræ in Vos caritatis pignus Apostolicam Benedictionem ex intimo corde profectam Vobis ipsis Venerabiles Fratres, cunctisque Clericis Laicisque fidelibus curæ vestræ commissis peramanter impertimus.

Datum Romæ apud S. Petrum die VIII. Decembris anno 1864. decimo a Dogmatica Definitione immaculatæ Conceptionis Deiparæ Virginis Mariæ.

Pontificatus Nostri anno Decimonono.

Pius P. P. IX.

## SYLLABUS.

Complectens præcipuos nostræ ætatis errores qui notantur in allocutionibus consistorialibus in encyclicis aliisque Apostolicis litteris sanctissimi Domini Nostri Pii Papæ IX.

### I.

### *Pantheismus, Naturalismus et Rationalismus absolutus.*

1. Nullum supremum, sapientissimum, providentissimumque Numen divinum existit ab hac rerum universitate distinctum, et Deus idem est ac rerum natura, et idcirco mimutationibus obnoxius, Deusque reapse fit in homine et mundo, atque omnia Deus sunt ei ipsissimam Dei habent substantiam ; ac una eademque res est Deus cum mundo, et proinde spiritus cum materia, necessitas cum libertate, verum cum falso, bonum cum malo, et justum cum injusto.

Alloc. *Maxima quidem* 9. junii 1862.

2. Neganda est omnis Dei actio in homines et mundum.

Alloc. *Maxima quidem* 9. junii 1862.

3. Humana ratio, nullo prorsus Dei respectu habito, unicus est veri et falsi, boni et mali arbiter, sibi ipsi est lex et naturalibus suis viribus ad hominum ac populorum bonum curandum sufficit.

Alloc. *Maxima quidem* 9. junii 1862.

4. Omnes religionis veritates ex nativa humanæ rationis vi derivant : hinc ratio est princeps norma qua homo cognitionem omnium cujuscumque generis veritatum assequi possit ac debeat.

Epist. encycl. *qui pluribus* 9 novembris 1846.

Epist. encycl. *singulari quidem* 17. martii 1856.

Alloc. *Maxima quidem* 9. junii 1862.

5. Divina revelatio est imperfecta et idcirco subjecta continuo et indefinito progressui qui humanæ rationis progressioni respondeat.

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9. novembris 1846.

Alloc. *Maxima quidem* 9. junii 1862.

6. Christi fides humanæ refragatur rationi ; divinaque revelatio non solum nihil prodest, verum etiam nocet hominis perfectioni.

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9. novembris 1846.

Alloc. *Maxima quidem* 9. junii 1862.

7. Prophetiæ et miracula in Sacris Litteris exposita et narrata sunt, poetarum commenta, et christianæ fidei mysteria philosophicarum investigationum summa ; et utriusque Testamenti libris mythica continentur inventa ; ipseque Jesus Christus est mythica fictio.

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9. novembris 1846.

Alloc. *Maxima* 9. junii 1862.

II.

*Nationalismus moderatus.*

8. Quum ratio humana ipsi religioni æquiparetur, idcirco theologicæ disciplinæ perinde ac philosophicæ tractandæ sunt.

Alloc. *Singulari quadam perfusi* 9. decembris 1854.

9. Omnia indiscriminatim dogmata religionis christianæ sunt objectum naturalis scientiæ seu philosophiæ ; et humana ratio historice tantum exculta potest ex suis naturalibus viribus et principiis ad veram de omnibus etiam recenditioribus dogmatibus scientiam pervenire, modo hæc dogmata ipsi rationi tanquam objectum proposita fuerint.

Epist. ad Archiep. Frising *Gravissimas* 11. decembris 1862.

Epist. ad eumdem *Tuas libenter* 21. decembris 1863.

10. Quam aliud sit philosophus, aliud philosophia, ille jus et officium habet se submittendi auctoritati, quam veram ipse probaverit ; at philosophia neque potest, neque debet alii sese submittere auctoritati.

Epist. ad Archiep. Frising. *Gravissimas* 11. decembris 1862.

Epist. ad eumdem *Tuas libenter* 21. decembris 1853.

11. Ecclesia non solum non debet in philosophiam unquam animadvertere, verum etiam debet ipsius philosophiæ tolerare errores, eique relinquere ut ipsa se corrigat.

Epist. ad Archiep. Frising. *Gravissimas* 11. decembris 1862.

12. Apostolicæ Sedis, Romanarumque congregationum decreta liberum scientiæ progressum impediunt.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter* 21. decembris 1862.

13. Methodus et principia quibus antiqui Doctores scholastici Theologiam excoluerunt, temporum nostrorum necessitatibus scientiarumque progressui minime congruunt.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter* 21. decembris 1863.

14. Philosophia tractanda est nulla supernaturalis revelationis habita ratione.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter* 21. decembris 1863.

NB. Cum rationalismi systemate cohærent maximam partem errores Antonii Gunther qui damnatur in Epist. ad Card. Archiep. Coloniensem *Eximiam tuam* 15. junii 1847. et in Epist. ad Episc. Wratislamiensem, *Dolore haud mediocri*, 30. Aprilis 1860.

III.

*Indifferentissimus, Latitudinarismus.*

15. Liberum cuique homini est eam amplecti ac profiteri religionem, quam rationis lumine quis ductus veram putaverit.

Litt. Apostol. *Multiplices inter* 10. junii 1851.

Alloc. *Maxima quidem* 9. junii 1862.

16. Homines in cujusvis religionis cultu viam æternæ salutis reperire æternamque salutem assequi possunt.

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9. novembris 1846.

Adhoc. *Ubi primum* 17. decembris 1847.

Epist. encycl. *singulari quidem* 17. martii 1856.

17. Saltem bene sperandum est de æterna illorum omnium salute, qui in vera Christi Ecclesia nequaquam versantur.

Alloc. *singulari quadam* 9. decembris 1854.

Epist. encycl. *Quanto conficiamur* 17. augusti 1863.

18. Protestantismus non aliud est quam diversa veræ ejusdem christianæ religionis forma, in qua æque ac in Ecclesia catholica Deo placere datum est.

Epist. encycl. *Noscitis et Nobiscum* 8. decembris 1849.

## IV.

*Socialismus, Communismus, Societate clandestinæ, Societates biblicæ, Societates clericoliberales.*

Ejusmodi petes sæpe gravissimisque verborum formulis reprobantur in Epist. encycl. *Qui pluribus* 9. novembris 1846; in Alloc. *Quibus quantisque* 20. april. 1849; in Epist. encycl. *Noscitis et Nobiscum* 8. dec. 1849; in Alloc. *singulari quadam* 9. decem. 1854; in Epist. encycl. *Quando confeciamur mœrore* 10. augusti 1863.

## V.

*Errores de Ecclesia ejusque juribus.*

19. Ecclesia non est vera perfectaque societas plane libera, nec pollet suis propriis et constantibus juribus sibi a divino suo fundatore collatis, sed civilis potestatis est definire quæ sint Ecclesiæ jura ac limites, intra quos eadem jura exercere queat.

Alloc. *Singulari quadam* 9. decembris 1854.

Alloc. *Multis grabibusque* 17. decembris 1860.

Alloc. *Maxima quidem* 9. junii 1862.

20. Ecclesiastica potestas suam auctoritatem exercere non debet absque civilis gubernii venia et assensu.

Alloc. *Meminit unusquisque* 30. septembris 1861.

21. Ecclesia non habet potestatem dogmatice definiendi, religionem catholicæ Ecclesiæ esse unice veram religionem.

Litt. apost. *Multiplices inter* 10. junii 1851.

22. Obligatio, quæ catholici magistri et scriptores omnino adstringuntur, coarctatur in iis tantum, quæ ab infallibili Ecclesiæ judicio veluti fidei dogmata ab omnibus credenda proponuntur.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter* 21. decembris 1863.

23. Romani Pontifices et Concilia œcumenica a limitibus suæ potestatis recesserunt, jura Principum usurparunt, atque etiam in rebus fidei et morum definiendis errarunt.

Litt. apost. *Multiplices inter* 10. junii 1851.

24. Ecclesia vis inferendæ potestatem non habet, neque potestatem ullam temporalem directam vel indirectam.

Litt. Apost. *ad Apostolicæ* 22. augusti 1851.

25. Præter potestatem episcopatui inhærentem, alia est attributa temporalis potestas a civili imperio vel expresse vel tacite concessa, revocanda propterea, cum libuerit, a civili imperio.

Litt. *Ad apostolicæ* 22. augusti 1851.

26. Ecclesia non habet nativum ac legitimum jus acquirendi ac possidendi.

Alloc. *Nunquam fore* 15. decembris 1856.

Epist. encycl. *Incredibili* 17. septembris 1863.

27. Sacri Ecclesiæ ministri Romanusque Pontifex ob omni rerum temporalium cura ac dominio sunt omnino excludendi.

Alloc. *Maxima quidem* 9. junii 1862.

28. Episcopis, sine gubernii venia fas non est vel ipsas apostolicas litteras promulgare.

Alloc. *Nunquam fore* 15. decembris 1856.

29. Gratiæ a Romano Pontifice concessæ existimari debent tamquam irritæ, nisi per gubernium fuerint imploratæ.

Alloc. *Nunquam fore* 15. decembris 1856.

30. Ecclesiæ et personarum ecclesias-

ticarum immunitas a jure civili ortum habuit.

Litt. Apostol. *Multiplices inter* 10. junii 1851.

31. Ecclesiasticum forum pro temporalibus clericorum causis sive civilibus sive criminalibus omnino de medio tollendum est, etiam inconsulta et reclamante Apostolica sede.

Alloc. *Acerbissimum* 27. septembris 1852.

Alloc. *Nunquam fore* 15. decembris 1856.

32. Absque ulla et naturalis juris æquitatis violatione potest abrogari personalis immunitas, qua clerici ab onere subeundæ exercendæque militiæ eximuntur; hanc vero abrogationem postulat civilis progressus maxime in societate ad formam liberioris regiminis constituta.

Epist. ad Episc. Montisregal. *Singularis Nobisque* 27. sept. 1864.

33. Non pertinet unice ad ecclesiasticam jurisdictionis potestatem proprio ac nativo jure dirigere theologicarum rerum doctrinam.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter* 21. decembris 1863.

34. Doctrina comparantium Romanum Pontificem principi libero et agenti in universa Ecclesia, doctrina est quæ medio ævo prævaluit.

Litt. Apostol. *Ad apostolicæ* 22. augusti 1851.

35. Nihil vetat, alicujus concilii generalis sententia aut universorum populorum facto, summum Pontificatum ab Romano episcopo atque Urbe ad alium episcopum aliamque civitatem transferri

Litt. Apostol. *Ad apostolicæ* 22. augusti 1851.

36. Nationalis concilii definitio nullam aliam admittit disputationem, civilisque administratio rem ad hosce terminos exigere potest.

Litt. Apostol. *Ad apostolicæ* 22. augusti 1851.

37. Institui possunt nationales Ecclesiæ ab auctoritate Romani Pontificis subductæ planeque divisæ.

Alloc. *Multis gravibusque* 17. decembris 1860.

Alloc. *Jamdudum cernimus* 18. martii 1861.

38. Divisioni Ecclesiæ in orientalem atque occidentalem nimia Romanorum Pontificum arbitria contulerunt.

Litt. Apost. *Ad apostolicæ* 22. augusti 1851.

## VI.

*Errores de societate civili tum in se, tum in suis ad Ecclesiam relationibus spectata.*

39. Reipublicæ status, utpote omnium jurium origo et fons jure quodam pollet nullis circumscriptum limitibus.

Alloc. *Maxima quidem* 9. junii 1862.

40. Catholicæ Ecclesiæ doctrina humanæ societatis bono et commodis adversatur.

Epist. encyclic. *Qui pluribus* 9. novem. 1846.

Alloc. *Quibus quantisque* 9. aprilis 1849.

41. Civili potestati vel ab infideli imperante exercitæ competit potestas indirecta negativa in Sacra; eidem proinde competit nedum jus quod vocant *exequatur*, sed etiam jus *appellationis*, quam nuncupant, *ab abusu*.

Litt. Apost. *ad Apostolicæ* 22. augusti 1851.

42. In conflictu legum utriusque potestatis, jus civile prævalet.

Litt. Apost. *Ad apostolicæ* 22. augusti 1851.

43. Laica potestas auctoritatem habet rescindendi declarandi ac faciendi irritas solemnes conventiones (vulgo Concordata) super usu jurium ad ecclesiasticam immunitatem pertinentium cum Sede

Apostolicâ initas, sine hujus consensu, immo et ea reclamante.

Alloc. *In consistoriali* 1. novembris 1850.

Alloc. *Multis gravibusque* 17. decembris 1860.

44. Civilis auctoritas potest se immiscere rebus quæ ad religionem, mores et regimen spirituale pertinent. Hinc potest de instructionibus judicare, quas Ecclesiæ pastores ad conscientiarum normam pro suo munere edunt, quin etiam potest de divinorum sacramentorum administratione et dispositionibus ad ea suscipienda necessariis decernere.

Alloc. *In consistoriali* 1. novembris 1850.

Alloc. *Maxima quidem* 9. junii 1862.

45. Totum scholarum publicarum regimen, in quibus juventus christianæ alicujus reipublicæ instituitur, episcopalibus dumtaxat seminariis aliqua ratione exceptis, potest ac debet attribui auctoritati civili, et ita quidem attribui, ut nullum alii cuicumque auctoritati recognoscatur jus immiscendi se in disciplina scholarum ; in regimine studiorum, in graduum collatione, in delectu aut approbatione magistrorum.

Alloc. *In consistoriali* 1. novembris 1850.

Alloc. *Quibus luctuosissimis* 5. septembris 1851.

46. Immo in ipsis clericorum seminariis methodus studiorum adhibenda civili auctoritati subjicitur.

Alloc. *Nunquam fore* 15. decembris 1856.

47. Postulat optima civilis societatis ratio, ut populares scholæ, quæ patent omnibus cujusque e populo classis pueris, ac publica universim Instituta, quæ litteris serverioribusque disciplinis tradendis et educationi juventutis curandæ sunt destinata, eximantur ab omni Ecclesiæ auctoritate, moderatrice vi et ingerentia, plenoque civilis ac politicæ arbitrio subjiciantur ad imperantium placita et ad communium ætatis opinionum amussim.

Epist. ad Archiep. Friburg. *Quum non sine* 14. julii 1863.

48. Catholicis viris probari potest ea juventutis instituendæ ratio, quæ sit a catholica fide ab Ecclesiæ potestate sejuncta, quæque rerum dumtaxat naturalium scientiam ac terrenæ socialis vitæ fines tantummodo vel saltem primarium spectet.

Epist. ad Archiep. Friburg, *Quum non sine* 14. julii 1864.

49. Civilis auctoritas potest impedire quominus sacrorum Antitistes et fideles populi cum Romano Pontifice libere ac mutuo communicent.

Alloc. *Maxima quidem* 9. junii 1862.

50. Laica auctoritas habet per se jus præsentandi episcopos et potest ab illis exigere ut ineant diœcesum procuratione antequam ipsi canonicam a S. Sede institutionem et apostolicas litteras accipiant.

Alloc. *Nunquam fore* 15. decembris 1856.

51. Immo laicum gubernium habet jus deponendi ab exercitio pastoralis ministerii episcopos, neque tenetur obedire Romano Pontifici in iis quæ episcopatum et episcoporum respiciunt institutionem.

Litt. Apost. *Multiplices inter* 10. junii 1851.

Alloc. *Acerbissimum* 27. septembris 1852.

52. Gubernium potest suo jure immutare ætatem ab Ecclesia præscriptam pro religiosa tam mulierum quam virorum professione, omnibusque religiosis familiis indicere ut neminem sine suo permissu ad solemnia vota nuncupanda admittant.

Alloc. *Nunquam fore* 15. decembris 1856.

53. Abrogandæ sunt leges quæ adreligiosarum familiarum statum tutandum, earumque jura et officia pertinent ; immo potest civile gubernium iis omnibus auxilium præstare, qui suscepto religiosæ vitæ instituto deficere ac solemnia vota

frangere velint, pariterque potest religiosas easdem familias perinde ac collegiatas Ecclesias et beneficia simplicia etiam juris patronatus penitus extinguere, illorumque bona et reditus civilis potestatis administrationi et arbitrio subjicere et vindicare.

Alloc. *Acerbissimum* 27. septembris 1852.

Alloc. *Probe memineritis* 22. januarii 1855.

Alloc. *Cum sæpe* 26. julii 1855.

54. Reges et Principes non solum ab Ecclesiæ jurisdictione eximuntur. Verum etiam in quæstionibus jurisdictionis dirimendis superiores sunt Ecclesia.

Litt. Apost. *Multiplices inter* 10. junii 1851.

55. Ecclesia a statu, statusque ab Ecclesia sejungendus est.

Alloc. *Acerbissimum* 27. septembris 1852.

## VII.

*Errores de Ethica naturali et christiana.*

56. Morum leges divina haud egent sanctione, minimeque opus est ut humanæ leges ad naturæ jus conformentur aut obligandi vim a Deo accipiant.

Alloc. *Maxima quidem* 9. junii 1862.

57. Philosophicarum rerum morumque scientia, itemque civiles leges possunt et debent a divina et ecclesiastica auctoritate declinare.

Alloc. *Maxima quidem* 9. junii 1862.

58. Aliæ vires non sunt agnoscendæ nisi illæ quæ in materia positæ sunt, et omnis morum disciplina honestaque collocari debet in cumulandis et augendis quovis modo divitiis ac in voluptatibus explendis.

Alloc. *Maxima quidem* 9. julii 1832.

60. Auctoritas nihil aliud est nisi numerus et materialium virium summa.

Alloc. *Maxima quidem* 9. junii 1862.

61. Fortunata facti injustitia nullum juris sanctitati detrimentum affert.

Alloc. *Jamdudum cernimus* 18. Martii 1861.

62. Proclamandum est et observandum principium quod vocant de non interventu.

Alloc. *Novos et ante* 28. septembris 1869.

63. Legitimis principibus obedientiam detrectare, immo et rebellare licet.

Epist. encyclic. *Qui pluribus* 9. novembris 1846.

Alloc. *Quisque vestrum* 4. octobris 1847.

Epist. encyc. *Noscitis et nobiscum* 8. decembris 1849.

Litt. Apostol. *Cum catholica* 28. martii 1860.

64. Tum cujusque sanctissimi juramenti violatio, tum quælibet scelesta flagitiosaque actio sempiternæ legi repugnans, non solum haud esse improbanda verum etiam omnino licita, summisque laudibus efferenda, quando id pro patriæ amore agatur.

Alloc. *Quibus quantisque* 20. aprilis 1849.

## VIII.

*Errores de matrimonio christiano.*

65. Nulla ratione ferri potest, Christum evexisse matrimonium ad dignitatem sacramenti.

Litt. Apostol. *Ad apostolicæ* 22. augusti 1851.

66. Matrimonii sacramentum non est nisi quid contractui accessorium ab eoque separabile, ipsumque sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm est.

Litt. Apostol. *Ad apostolicæ* 22. augusti 1851.

67. Jure naturæ matrimonii vinculum non est indissolubile, et in variis casibus divortium proprie dictum auctoritate civili sanciri potest.

Litt. Apostol. *Ad apostolicæ* 22. augusti 1851.

Alloc. *Acerbissimum* 27. septembris 1852.

68. Ecclesia non habet potestatem impedimenta matrimonium dirimentia inducendi, sed ea potestas civili auctoritati competit a qua impedimenta existentia tollenda sunt.

Litt. Apostol. *Multiplices inter* 10. junii 1851.

69. Ecclesia sequioribus sæculis dirimentia impedimenta inducere cœpit, non jure proprio, sed illo jure usa, quod a civili potestate mutuata erat.

Litt. Apostol. *Ad apostolicæ* 22. augusti 1851.

70. Tridentini canones qui anathematis censuram illis inferunt qui facultatem impedimenta dirimentia inducendi Ecclesiæ negare audeant, vel non sunt dogmatici vel de hac mutuata potestate intelligendi sunt.

Litt. Apostol. *Ad apostolicæ* 22. augusti 1851.

71. Tridentini forma sub infirmitatis pœna non obligat ubi lex civilis aliam formam præstituat, et velit hac nova forma interveniente matrimonium valere.

Litt. Apostol. *Ad apostolicæ* 22. augusti 1851.

72. Bonifacius VIII. votum castitatis in ordinatione emissum nuptias nullas reddere primus asseruit.

Litt. Apostol. *Ad apostolicæ* 22. augusti 1851.

73. Vi contractus mere civilis potest inter christianos constare veri nominis matrimonium ; falsumque est, aut contractum matrimonii inter christianos semper esse sacramentum, aut nullum esse contractum, si sacramentum excludatur.

Litt. Apostol. *Ad apostolicæ* 22. augusti 1851.

Littera di S. S. Pio IX. al Re di Sardegna, 9. settembre 1852.

Alloc. *Acerbissimum* 27. septembris 1852.

NB. Huc facere possunt duo alii errores de clericorum cœlibatu abolendo et de statu matrimonii statui virginitatis anteferendo, Confodiuntur prior in Epist. encycl. *Qui pluribus* 9. novembris 1846. posterior in litteris apost. *Multiplices inter* 10. junii 1851.

## IX.

*Errores de civili Romani Pontificis principatu.*

74. De temporalis regni cum spirituali compatibilitate disputant inter se christianæ et catholicæ Ecclesiæ filii.

Litt. Apostol. *Ad Apostolicæ* 22. Augusti 1851.

75. Abrogatio civilis imperii, quo apostolica Sedes petitur, ad Ecclesiæ libertatem felicitatemque vel maxime conduceret.

Alloc. *Quibus quantisque* 20. Aprilis 1849.

NB. Præter hos errores explicite notatos, alii complures implicite reprobantur proposita et asserta docrina, quam catholici omnes firmissime retinere debeant, de civili Romani pontificis principatu. Ejusmodi doctrina luculenter traditur in Alloc. *Quibus quantisque* 20. aprilis 1849 ; in Alloc. *Si semper antea* 20. maii 1850 ; in Litt. Apost. *Cum catholica Ecclesia* 26. mart. 1860 ; in Alloc. *Jamdudum* 18 mart. 1861 ; in Alloc. *Maxima quidem* 9. junii 1862.

## X.

*Errores qui ad liberalismum hodiernum referuntur.*

76. Ætate hac nostra non amplius expedit, religionem catholicam haberi tamquam unicam status religionem, cæteris quibuscumque cultibus exclusis.

Alloc. *Nemo vestrum* 26. julii 1855.

77. Hinc laudabiliter in quibusdam catholici nominis regionibus lege cautum est, ut omnibus illuc immigrantibus liceat publicum proprii cujusque cultus exercitium habere.

Alloc. *Acerbissimum* 30. septembris 1852.

79. Enim vero falsum est, civilem cujusque cultus libertatem, itemque plenam potestatem omnibus attributam quaslibet opiniones cogitationesque palam publiceque manifestandi conducere ad populorum mores animosque facilius corrumpendos ac indifferentismi pestem propagandam.

Alloc. *Nunquam fore* 15. decembris 1856.

80. Romanus Pontifex postet ac debet cum progressu, cum liberalismo et cum recenti civilitate sese reconciliare et componere.

Alloc. *Jumdudum cernimus* 18. martii 1861.

---

DAMNATIO ERRORUM

## JACOBI FROHSCHAMMER

Venerabili Fratri

*Gregorio archiepiscopo Monacensi et Frisingensi*

## PIUS PP. IX.

Venerabilis Frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Gravissimas inter acerbitates, quibus undique premimur, in hac tanta temporum perturbatione et iniquitate vehementer dolemus, cum noscamus, in variis Germaniæ regionibus reperiri nonnullos catholicos etiam viros, qui sacram theologiam ac philosophiam tradentes minime dubitant quamdam inauditam adhuc in Ecclesia docendi scribendique libertatem inducere, novasque et omnino improbandas opiniones palam publiceque profiteri, et in vulgus disseminare. Hinc non levi mœrore affecti fuimus.

Venerabilis Frater, ubi tristissimus ad nos venit nuntius, presbyterum Jacobum Frohschammer in ista Monacensi academia philosophiæ doctorem hujusmodi docendi scribendique licentiam præ cæteris adhibere, eumque suis operibus in lucem editis perniciosissimos tueri errores, Nulla igitur interposita mora nostræ congregationi libris notandis præpositæ mandavimus, ut præcipua vólumina, quæ ejusdem presbyteri Frohchammer nomine circumferuntur cum maxima diligentia sedulo perpenderet, et omnia ad nos referret. Quæ volumina germanice scripta titulum habent — Introductio in Philosophiam — De Libertate scientiæ — Athenæum — quorum primum anno 1858. alterum anno 1861. tertium vero vertente hoc anno 1862.

istis Monacensibus typis in lucem est editum. Itaque eadem Congregatio nostris mandatis diligenter obsequens summo studio accuratissimum examen instituit, omnibusque semel iterumque serio ac mature ex more discussis et perpensis judicavit, auctorem in pluribus non recte sentire, ejusque doctrinam a veritate catholica aberrare. Atque id ex duplici præsertim parte, et primo quidem propterea quod auctor tales humanæ rationi tribuat vires, quæ rationi ipsi minime competunt, secundo vero, quod eam omnia opinandi, et quidquid semper audendi libertatem eidem rationi concedat, ut ipsius Ecclesiæ jura, officium et auctoritatis de medio animo tollantur. Namque auctor in primis edocet, philosophiam, si recta ejus habeatur notio, posse non solum percipere et intelligere ea christiana dogmata, quæ naturalis ratio cum fide habet communia (tamquam commune scilicet perceptionis objectum) verum etiam ea, quæ christianam religionem fidemque maxime et proprie efficiunt, ipsumque scilicet supernaturalem hominis finem, et ea omnia quæ ad ipsum spectant, atque sacratissimum Dominicæ Incarnationis myterium ad humanæ rationis et philosophiæ provinciam pertinere, rationemque, dato hoc objecto, suis propriis principiis scienter ad ea posse pervenire. Etsi vero aliquam inter hac et illa dogmata distinctionem auctor inducat, et hæc ultima minori jure ratione attribuat, tamen clare aperteque docet, etiam hæc contineri inter illa, quæ veram propriamque scientiæ seu philosophiæ materiam constituunt. Quocirca ex ejusdem auctoris sententia concludi omnino possit ac debeat, rationem in abditissimis etiam divinæ sapientiæ ab bonitatis, immo etiam et liberæ ejus voluntatis mysteriis, licet posito revelationis objecto, posse ex seipsa, non jam ex divinæ auctoritatis principio, sed ex naturalibus suis principiis et viribus ad scientiam seu certitudinem pervenire. Quæ auctoris doctrina quam falsa sit et erronea nemo est, qui christianæ doctrinæ rudimentis vel leviter imbutus non illico videat, planeque sentiat. Namque si isti philosophiæ cultores vera ac sola rationis et philosophiæ disciplinæ tuerentur principia et jura, debitis certe laudibus essent persequendi. Siquidem vera ac sana philosophia nobilissimum suum locum habet, cum ejusdem philosophiæ sit, veritatem diligenter inquirere, humanamque rationem licet primi hominis culpa obtenebratam, nullo tamen modo extinctam recte ac sedulo excolere, illustrare, ejusque cognitionis objectum, ac permultas veritates percipere, bene intelligere, promovere, earumque plurimas uti Dei existentiam, naturam, attributa, quæ etiam fides credenda proponit, per argumenta ex suis principiis petita demonstrare, vindicare, defendere, atque hoc modo viam munire ad hæc dogmata fide rectius tenenda, et ad illa etiam reconditiora dogmata, quæ sola fide percipi primum possunt, ut illa aliquo modo a ratione intelligantur. Hæc quidem agere, atque in his versari debet severa et pulcherrima veræ philosophiæ scientia. Ad quæ præstanda si viri docti in Germaniæ academiis enitantur pro singulari inclytæ illius rationis ad severiores gravioresque disciplinas excolendas perpensione, eorum studium a nobis comprobatur et commendatur, cum in sacrarum rerum utilitatem profectumque convertant quæ illi ad suos usus invenerint. At vero in hoc gravissimo sane negotio tolerare numquam possumus, ut omnia temere permisceantur, utque ratio illas etiam res, quæ ad fidem pertinent, occupet atque perturbet, cum certissimi, omnibusque notissimi sint fines, ultra quos ratio nunquam suo jure est progressa, vel progredi potest. Atque ad hujusmodi dogmata ea omnia maxime et apertissime spectant, quæ supernaturalem hominis elevationem, ac supernaturale ejus cum Deo commercium respiciunt, atque ad hunc finem revelata noscuntur. Et

sane cum hæc dogmata sint supra naturam, idcirco naturali ratione, ac naturalibus principiis attingi non possunt. Numquam siquidem ratio suis naturalibus principiis ad hujusmodi dogmata scienter tractanda effici potest idonea, quod si hæc isti temere asseverare audeant, sciant, se certe non a quorumlibet doctorum opinione, sed a communi, et nunquam immutata Ecclesiæ doctrina recedere. Ex divinis enim Litteris, et Sanctorum Patrum traditione constat, Dei quidem existentiam, qui fidem nondum susceperunt, naturali rationis lumine cognosci, sed illa reconditiora dogmata Deum solum manifestasse, dum notum facere voluit, mysterium, quod absconditum fuit a sæculis et generationibus, et ita quidem, ut postquam *multifariam multisque modis olim locutus est patribus in prophetis, novissime nobis locutus est in filio, per quem fecit et sæcula... Deum enim nemo vidit unquam. Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris ipse enarravit.* Quapropter Apostolus, qui gentes Deum per ea, quæ facta sunt, cognovisse testatur, disserens de gratia et veritate quæ per Jesum Christum facta est, *loquimur*, inquit, *Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est... quam nemo principum hujus sæculi cognovit... Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum... Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim hominum scit que sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Ita et quæ Dei sunt nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.* Hisce aliisque fere innumeris divinis eloquiis inhærentes SS. Patres in Ecclesiæ doctrina tradenda continente distinguere curarunt rerum divinarum notionem, quæ naturalis intelligentiæ vi omnibus est communis, ab illarum notitia, quæ per Spiritum sanctum fide suscipitur, et constanter docuerunt, per hanc ea nobis in Christo revelari mysteria, quæ non solam humanam philosophiam, verum etiam angelicam naturalem transcendunt, quæque etiamsi divina revelatione innotuerint, et ipsa fide fuerint suscepta, tamen sacro adhuc ipsius fidei velo tecta et obscura caligine obvoluta permanent quamdiu in hac mortali vita peregrinamur a Domino. Ex his omnibus patet alienam omnino esse a catholicæ Ecclesiæ doctrina sententiam, qua idem Froshschammer assere non dubitat, omnia indiscriminatim christianæ religionis dogmata esse objectum naturalis scientiæ, seu philosophiæ, et humanam rationem historice tantum excultam, modo hæc dogmata ipsi rationi tanquam objectum proposita fuerint, posse ex suis naturalibus viribus et principiis ad veram de omnibus etiam reconditioribus dogmatibus scientiam pervenire. Nunc vero in memoratis ejusdem auctoris scriptis alia dominatur sententia, quæ catholicæ Ecclesiæ doctrinæ ac sensui plane adversatur. Etenim eam philosophiæ tribuit libertatem, quæ non scientiæ libertas, sed omnino reprobanda et intoleranda philosophiæ licentia sit appellanda. Quadam enim distinctione inter philosophum et philosophiam facta, tribuit philosopho jus et officium se submittendi auctoritati, quam veram ipse probaverit, sed utrumque philosophiæ ita denegat, ut nulla doctrinæ revelatæ ratione habita, asserat, ipsam nunquam debere ac posse auctoritati se submittere. Quod esset tolerandum et forte admittendum, si hæc dicerentur de jure tantum, quod habet philosophia suis principiis, seu methodo, ac suis conclusionibus uti, sicut et aliæ scientiæ, ac si ejus libertas consisteret in hoc suo jure utendo, ita ut nihil in se admitteret, quod non fuerit ab ipsa suis conditionibus acquisitum, aut fuerit ipsi alienum. Sed hæc justa philosophiæ libertas suos limites noscere et experiri debet. Nunquam enim non solum philosopho, verum etiam philosophiæ licebit, aut aliquid contrarium dicere iis quæ divina revelatio, et Ecclesiæ auctoritas de aliqua philosophiæ conclusione, quæ hucusque libera erat, proferre constituit.

Accedit etiam, ut idem auctor philosophiæ libertatem, seu potius effrænatam licentiam tam acriter, tam temere propugnet, ut minime vereatur asserere Ecclesiam non solum non debere in philosophiam unquam animadvertere, verum etiam debere ipsius philosophiæ tolerare errores, eique relinquere, ut ipsa se corrigat, ex quo evenit ut philosophi hanc philosophiæ libertatem necessario participent, atque ita etiam ipsi ab omni lege solvantur. Ecquis non videt quam vehementer sit rejicienda, reprobanda, et omnino damnanda hujusmodi Frohschammer sententia atque doctrina? Etenim Ecclesia ex divina sua institutione et divinæ fidei depositum integrum inviolatumque diligentissime custodire, et animarum saluti summo studio debet continenter advigilare, ac summa cura ea omnia amovere et eliminare, quæ vel fidei adversari, vel animarum salutum quovis modo in discrimen adducere possunt. Quocirca Ecclesia ex potestate sibi a divino suo Auctore commissa non solum jus, sed officium præsertim habet non tolerandi, sed proscribendi ac damnandi omnes errores, si ita fidei integritas, et animarum salus postulaverint, et omni philosopho, qui Ecclesiæ filius esse velit, ac etiam philosophiæ officium incumbit nihil unquam dicere contra ea, quæ Ecclesia docet, et ea retractare, de quibus eos Ecclesia monuerit. Sententiam autem quæ contrarium edocet, omnino erroneam et ipsi fidei Ecclesiæ, ejusque auctoritati vel maxime injuriosam esse edicimus et declaramus. Quibus omnibus accurate perpensis, de eorumdem VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium Congregationis libris notandis præpositæ consilio, ac motu proprio, et certa scientia, matura deliberatione Nostra, deque Apostolicæ Nostræ potestatis plenitudine prædictos libros presbyteri Frohschammer tamquam continentes propositiones et doctrinas respective falsas, erroneas, Ecclesiæ, ejusque auctoritati ac juribus injuriosas reprobamus, damnamus, ac pro reprobatis et damnatis ab omnibus haberi volumus, atque eidem Congregationi mandamus, ut eosdem libros, in indicem prohibitorum librorum referat. Dum vero hæc tibi significamus, Venerabilis Frater, non possumus non exprimere magnum animi nostri dolorem, cum videamus hunc filium eorumdem librorum auctorem qui cæteroquin de Ecclesia benemereri potuisset, infelici quodam cordis impetu misere abreptum in vias abire, quæ ad salutem non ducunt, ac magis magisque a recto tramite aberrare. Cum enim alius ejus liber de animarum origine prius fuisset damnatus, non solum se minime submisit, verum etiam libris denuo docere, et nostram Indicis Congregationem contumeliis cumulare, ac multa alia contra Ecclesiæ agendi rationem temere mendaciterque pronuntiare. Quæ omnia talia sunt, ut iis merito atque optimo jure indignari potuissemus. Sed nolumus adhuc paternæ nostræ caritatis viscera erga illum deponere, et idcirco te Venerabilis Frater, excitamus, ut velis eidem manifestare cor Nostrum paternum, et acerbissimum dolorem, cujus ipse est causa, ac simul ipsum saluberrimis monitis hortari et monere, ut Nostram, quæ communis est omnium Patris vocem audiat, ac resipiscat, quemadmodum catholicæ Ecclesiæ filium decet, et ita nos omnes lætitia afficiat, ac tandem ipse feliciter experiatur quam jucundum sit non vana quadam et perniciosa libertate gaudere, sed Domino adhærere, cujus *jugum suave est, et onus leve* cujus *eloquia casta igne examinata*, cujus judicia *vera, justificata in semetipsa*, et cujus *universæ viæ misericordia et veritas*.

Denique hac etiam occasione libentissime utimur, ut iterum testemur et confirmemus præcipuam Nostram in te benevolentiam. Cujus quoque pignus esse volumus Apostolicam benedictionem, quam intimo cordis affectu tibi ipsi, Venerabilis Frater, et gregi tuæ curæ commisso peramanter impertimur.

Datum Romæ apud S. Petrum die 11. decembris anno 1862.

Pontificatus Nostri anno decimo septimo.

Pius P. P. IX.

---

SS. D. N.

## PII PAPÆ IX.

*De conventu quorumdam Doctorum Germaniæ.*

Venerabili Fratri Gregorio archiepisco Monacensi et Frinsingensi.

—

PIUS PAPA IX.

Venerabilis Frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Tuas libenter accepimus litteras die 7. proxime elapsi mensis octobris datas, ut nos certiores faceres de conventu in ista Monacensi civitate proximo mense septembris a nonnullis Germaniæ theologis, doctisque catholicis viris habito de variis argumentis, quæ ad theologicas præsertim ac philosophicas tradendas disciplinas pertinent. Ex litteris tibi nostro jussu scriptis a Venerabili Fratre Matthæo archiepiscopo Neocæsariensi, nostro et apostolicæ hujus sedis apud istam regiam aulam nuntio, vel facile noscere potuisti, Venerabilis Frater, quibus nos sensibus affecti fuerimus, ubi primum de hoc proposito conventu nuntium accepimus, et postquam agnovimus quomodo commemorati theologi et viri ad hujusmodi conventum invitati et congregati fuere. Nihil certe dubitare volebamus de laudabili fine, quo hujus conventus auctores fautoresque permoti fuere, ut scilicet omnes catholici viri doctrina præstantes, collatis consiliis, conjunctisque viribus, germanam catholicæ Ecclesiæ scientiam promoverent, eamque a nefariis ac perniciosissimis tot adversariorum opinionibus conatibusque vindicarent ac defenderent. Sed in hac sublimi principis Apostolorum cathedra, licet immerentes, collati asperrimis hisce temporibus sacrorum antistitum auctoritas, si unquam alias ad unitatem et integritatem catholicæ doctrinæ custodiendam vel maxime est necessaria, et ab omnibus sarta tecta servari debet, non petuimus non vehementer mirari videntes memorati conventus invitationem privato nomine factam et promulgatam, quin ullo modo intercederet impulsus, auctoritas, et missio ecclesiasticæ potestatis, ad quam propio ac nativo jure unice pertinet advigilare ac dirigere theologicarum præsertim rerum doctrinam. Quæ sane res, ut optime noscis, omnino nova, ac prorsus inusitata in Ecclesia est. Atque idcirco voluimus, te, Venerabilis Frater, noscere hanc nostram fuisse sententiam, ut cum de te, tum ab aliis Venerabilibus Fratribus sacrorum in Germania anstistibus probe judicari posset de scopo per conventus programma enuntiato, si nempe talis esset, ut veram Ecclesiæ utilitatem afferret, eodem autem tempore certi eramus, te, venerabilis Frater, pro pastorali tua sollicitudine ac zelo omnia consilia et studia esse adhibiturum, ne in eodem conventu tum catholicæ fidei ac doctrinæ integritas, tum obedientia quam omnes cujusque classis et conditionis catholici homines Ecelesiæ auctoritati ac magisterio præstare omnino debent, vel minimum detrimentum caperent.

Ac dissimulare non possumus, non levibus nos angustiis affectos fuisse, quando iidem verebamur, ne hujusmodi conventu sine ecclesiastica auctoritate

congregato exemplum præberetur sensim usurpandi aliquid ex jure Ecclesiastici regiminis et authentici magisterii, quod divina institutione proprium est Romano pontifici, et episcopis in unione et consensione cum S. Petri successore, atque ita, ecclesiastico ordine perturbato, aliquando unitas et obedientia fidei apud aliquos labefactaretur. Atque etiam timebamus, ne in ipso conventu quædam enuntiarentur ac tenerentur opiniones et placita, quæ in vulgus præsertim emissa et catholicæ doctrinæ puritatem, et debitam subjectionem in periculum ac discrimen vocarent. Summo enim animi nostri dolore recordabamur, Venerabilis Frater, hanc apostolicam sedem pro gravissimi sui muneris officio debuisse ultimis hisce temporibus censura notare, ac prohibere nonnullorum Germaniæ scriptorum opera, qui cum nescirent decedere ab aliquo principio, seu methodo falsæ scientiæ, aut hodiernæ fallacis philosophiæ præter voluntatem, uti confidimus, inducti fuere ad proferendas ac docendas doctrinas dissentientes a vero nonnullorum sanctissimæ fidei nostræ dogmatum sensu et interpretatione, quique errores ab Ecclesia jam damnatos e tenebris excitarunt et propriam divinæ revelationis et fidei indolem et naturam in alienum omnino sensum explicaverunt. Noscebamus etiam Venerabilis Frater, nonnullos ex catholicis, qui severioribus disciplinis excolendis operam navant, humani ingenii viribus nimium fidentes, errorum periculis haud fuisse absterritos, ne in asserenda fallaci et minime sincera scientiæ libertate abriperentur ultra limites, quos prætergredi non sinit obedientia debita erga magisterium Ecclesiæ ad totius revelatæ veritatis integritatem servandam divinitus institutum. Ex quo evenit, ut hujusmodi catholici misere decepti et iis sæpe consentiant, qui contra hujus apostolicæ Sedis ac nostrarum congregationum decreta declamant, ac blaterant ea liberum scientiæ progressum impedire, et periculo se exponunt sacra illa frangendi obedientiæ vincula, quibus ex Dei voluntate eidem apostolicæ huic obstringuntur Sedi, quæ a Deo ipso veritatis magistra et vindex fuit constituta. Neque ignorabamus, in Germania etiam falsam invaluisse opinionem adversus veterem scholam, et adversus doctrinam summorum illorum doctorum, quos propter admirabilem eorum sapientiam et vitæ sanctitatem universalis veneratur Ecclesia. Qua falsa opinione ipsius Ecclesiæ auctoritas in discrimen vocatur, quandoquidem ipsa Ecclesia non solnm per tot continentia sæcula permisit, ut ex eorumdem doctorum methodo, et ex principiis communi omnium catholicarum scholarum consensu sancitis theologica excoleretur scientia, verum etiam sæpissime summis laudibus theologicam eorum doctrinam extulit, illamque veluti fortissimum fidei propugnaculum et formidanda contra suos inimicos arma vehementer commendavit.

Hæc sane omnia pro gravissimi supremi nostri Apostolici ministerii munere, ac pro singulari illo amore quo omnes Germaniæ catholicos, carissima Dominici gregis partem, prosequimur, nostrum sollicitabant et angebant animum tot aliis pressum angustiis, ubi, accepto memorati conventus nuntio, res supra expositas tibi significandas curavimus. Postquam vero per brevissimum nuntium ad nos relatum fuit, te, Venerabilis Frater, hujusce conventus auctorum precibus annuentem tribuisse veniam celebrandi eumdem conventum, ac sacrum solemni ritu peregisse, et consultationes in eodem conventu juxta catholicæ Ecclesiæ doctrinam habitas fuisse, et postquam ipsius conventus viri per eumdem nuntium Apostolicam nostram imploraverunt benedictionem, nulla interposita mora, piis illorum votis obsecundavimus. Summa vero anxietate tuas expectabamus litteras, ut a te, Venerabilis Frater, accuratissime noscere possemus ea omnia quæ ad eumdem

conventum quovis modo possent pertinere. Nunc autem cum a te acceperimus quæ scire vel maxime cupiebamus, ea spe nitimur fore ut hujusmodi negotium quemadmodum asseris, Deo auxiliante in majorem catholicæ in Germania Ecclesiæ utilitatem cedat. Equidem cum omnes ejusdem conventus viri, veluti scribis, asseruerint, scientiarum progressum et felicem exitum in devitandis ac refutandis miserrimæ nostræ ætatis erroribus omnino pendere ab intima erga veritates revelatas adhæsione quas catholica docet Ecclesia, ipsi noverunt, ac professi sunt illam veritatem, quam veri catholici scientiis excolendis et evolvendis dediti semper tenuere ac tradiderunt. Atque hac veritate innixi potuerunt ipsi sapientes ac veri catholici viris scientias easdem tuto excolere, explanare, easque utiles certasque reddere. Quod quidem obtineri non potest, si humanæ rationis lumen finibus circumscriptum, eas quoque veritates investigandi quas propriis viribus et facultatibus assequi potest non veneretur maxime, ut par est, infallibile et increatum divini intellectus lumen, quod in christiana revelatione undique mirifice elucet. Quamvis enim naturales illæ disciplinæ suis propris ratione cognitis principiis nitantur, catholici tamen earum cultores divinam revelationis veluti rectricem stellam præ oculis habeant oportet, qua prælucente sibi a syrtibus et erroribus caveant, ubi in suis investigationibus et commentationibus animadvertant, posse se illis adduci, ut sæpissime accidit, ad ea proferenda, quæ pius minusve adversentur infallibili rerum veritati quæ a Deo revelata fuere.

Hinc dubitare nolumus, quin ipsius conventus viri commemoratam veritatem noscentes ac profitentes, uno eodumque tempore plane rejicere ac reprobare voluerint recentem illam ac præposteram philosophandi rationem, quæ etiamsi divinam revelationem veluti historicum factum admittat, tamen ineffabiles veritates ab ipsa revelatione propositas humanæ rationis investigationibus supponit, perindo ac si illæ veritate rationi subjectæ essent, vel ratio suis viribus et principiis posset consequi intelligentiam et scientiam omnium supernarum sanctissimæ fidei nostræ veritatum et mysteriorum, quæ ita supra humanam rationem sunt, ut hæc nunquam effici possit idonea ad illa suis viribus et ex naturalibus suis principiis intelligenda, aut demonstranda.

Ejusdem vero conventus viros debitis prosequimur laudibus, propterea quod rejicientes, uti existimamus, falsam inter philosophum et philosophiam distinctionem, de qua in aliis Nostris Litteris ad te scriptis loquuti sumus, noverunt et asseruerunt omnes catholicos in doctis suis commentationibus debere ex conscientia dogmaticis infallibilis catholicæ Ecclesiæ obedire decretis. Dum vero debitas illis deferimus laudes, quod professi sint veritatem quæ ex catholicæ fidei obligatione necessario oritur, persuadere Nobis volumus, noluisse obligationem, qua catholici magistri ac scriptores omnino adstringuntur, coartare in iis tantum quæ ab infallibili Ecclesiæ judicio veluti fidei dogmata ab omnibus credenda proponuntur. Atque etiam Nobis persuademus, ipsos noluisse declarare, perfectam illam erga revelatas veritates adhæsionem, quam agnoverunt necessariam omnino esse ad verum scientiarum progressum assequendum, et ad errores confutandos, obtineri posse, si dumtaxat dogmatibus ab Ecclesia expresse definitis fides et obsequium adhibeatur. Namque etiamsi ageretur de illa subjectione quæ fidei divinæ actu est præstanda, limitanda tamen non est ad ea quæ expressis œcumenicorum conciliorum aut Romanorum Pontificum hujusque Apostolicæ Sedis decretis definita sunt, sed ad ea quoque extendenda quæ ordinario totius Ecclesiæ per orbem dispersæ magisterio tanquam divinitus revelata traduntur, ideoque universali et constanti consensu a catholicis

theologis ad fidem pertinere retinentur. Sed cum agatur de illa subjectione qua ex conscientia ii omnes catholici obstringuntur qui in contemplatrices scientias incumbunt, ut novas suis scriptis Ecclesiæ afferant utilitates, idcirco ejusdem conventus viri recognoscere debent, sapientibus catholicis haud satis esse ut præfata Ecclesiæ dogmata recipiant ac venerentur, verum etiam opus esse ut se subjiciant tum decisionibus, quæ ad doctrinam pertinentes a Pontificiis Congregationibus proferuntur, tum iis doctrinæ capitibus, quæ communi et constanti catholicorum consensu retinentur ut theologicæ veritates et conclusiones ita certæ, ut opiniones èisdem doctrinæ capitibus adversæ, quamquam hæreticæ dici nequeant, tamen aliam theologicam merentur censuram. Itaque haud existimamus viros, qui commemorato Monacensi interfuere conventui, ullo modo potuisse aut voluisse obstare doctrinæ nuper expositæ quæ ex veræ theologiæ principiis in Ecclesia retinetur, quinimmo ea fiducia sustentamur fore ut ipsi in severioribus excolendis disciplinis velint ad enuntiatæ doctrinæ normam, se diligenter conformare. Quæ Nostra fiducia præsertim nititur iis litteris, quas per te, Venerabilis Frater. Nobis miserunt. Si quidem eisdem litteris, cum summa animi Nostri consolatione ipsi profitentur, sibi in cogendo conventu mentem nunquam fuisse vel minimam sibi arrogare auctoritatem, quæ ad Ecclesiam omnino pertinet, ac simul testantur noluisse eumdem dimittere conventum, quin primum declararent summam observantiam, obedientiam, ac filialem pietatem, qua Nos et hanc Petri cathedram catholicæ unitatis centrum prosequuntur. Cum igitur hisce sensibus supremam Nostram et Apostolicæ hujus Sedis potestatem auctoritatemque ipsi recognoscant, ac simul intelligant, gravissimum officium Nobis ab ipso Christo Domino commissum regendi ac moderandi universam suam Ecclesiam, ac pascendi omnem suum gregem salutaris doctrinæ pascuis, et continenter ad vigilandi, ne sanctissima fides ejusque doctrina ullum unquam detrimentum patiatur, dubitare non possumus, quin ipsi severioribus disciplinis excolendis tradendis, sanæque doctrinæ tuendæ operam navantes, uno eodemque tempore agnoscant, se debere et religiose exsequi regulas ab Ecclesia semper servatas, et obedire omnibus decretis quæ circa doctrinam a Suprema Nostra Pontificia auctoritate eduntur.

Hæc autem omnia tibi communicamus, ac summopere optamus et ea iis omnibus significes viris, qui in memorato conventu fuere dum, si opportunum esse censuerimus, haud omittemus alia tibi, et Venerabilibus Fratribus Germaniæ sacrorum Antistibus hac super re significare, postquam tuam et eorumdem Antistitum sententiam intellexerimus de hujusmodi conventuum opportunitate. Deum pastoralem tuam sollicitudinem ac vigilantiam iterum vehementer excitamus, ut una cum aliis Venerabilibus Fratribus sacrorum in Germania Antistibus, curas omnes cogitationesque in tuendam et propagandam sanam doctrinam assidue conferas. Neque omittas omnibus inculcare, ut profanas omnes novitates diligenter devitent, neque ab illis se decipi unquam patiantur, qui falsam scientiæ libertatem, ejusque non solum verum profectum, sed etiam errores tamquam progressus impudenter jactant. Atque pari studio et contentione ne desinas omnes hortari, ut maxima cura et industria in veram christianam et catholicam sapientiam incumbant, atque, uti par est, in summo pretio habeant veros solidosque scientiæ progressus, qui sanctissima ac divina fide duce magistra in catholicis scholis habiti fuerunt, utque theologicas præsertim disciplinas excolant secundum principia et constantes doctrinas, quibus unanimiter innixi sapientissimi doctores immortalem sibi nominis laudem et maximam Ecclesiæ scientiæ utilitatem ac splendorem pepererunt. Hoc sane modo

catholici viri in scientiis excolendis poterunt, Deo auxiliante, magis in dies quantum homini fas est, noscere, evolvere, et explanare veritatum thesaurum, quas in naturæ et gratiæ operibus Deus posuit, ut homo, postquam illas rationis et fidei lumine noverit, suamque vitam ad eas sedulo conformaverit, possit in æternæ gloriæ claritate summam veritatem, Deum scilicet, sine ullo velamine intueri, eoque felicissime in æternum perfrui et gaudere.

Hanc autem occasionem libentissimo animo amplectimur, ut denuo testemur et confirmemus præcipuam Nostram in te caritatem. Cujus quoque pignus esse volumus Apostolicam benedictionem, quam effuso cordis affectu tibi ipsi, Venerabilis Frater, et gregi tuæ curæ commisso peramanter impertimus.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, die 21. decembris anno 1863. Pontificatus Nostri anno decimo octavo.

PIUS P. P. IX.

---

CONDEMNATIO ERRORUM

A. GUNTHERII

*Dilecto Filio Nostro Joanni Tituli S. Laurentii in Vicinali Presbytero S. R. E. Cardinali De Geissel Archiepiscopo Coloniensi.*

PIUS PP. IX.

Dilecto Filii Noster, Salutem et Apostolicam benedictionem.

Eximiam tuam Nobisque plane cognitam pastoralem in catholica doctrina tuenda curam et sollicitudinem non mediocri certe animi Nostri jucunditate undique elucere perspeximus in Litteris, quas, dilecte Filii Noster, die 16. proximi mensis aprilis ad Nos dedisti super decreto Pontificia Nostra Auctoritate sancito, atque, a Nostra Indicis Congregatione, die mensis januarii hujus anni edito, quo opera dilecti Filii presbyteri Antonii Günther proscripta fuerunt. Nos quidem pro Apostolici Nostri ministerii officio nullis unquam parcentes curis, nullisque laboribus, ut fidei depositum Nobis divinitus concreditum integrum, inviolatumque custodiatur, ubi primum a pluribus Venerabilibus Fratribus spectatissimis Germaniæ Sacrorum Antistibus accepimus, non pauca Güntheri libris contineri, quæ ipsi in sinceræ fidei, et catholicæ veritatis perniciem cedere arbitrabantur, nulla interposita mora eidem Congregationi commisimus, ut ex more opera ejusdem Güntheri accurate diligenterque excuteret, perpenderet, examinaret, ac deinde omnia ad Nos referret. Cum igitur ipsa Congregatio, Nostris mandatis obsequuta, suoque munere functa omnem in hoc gravissimo sane, maximique momenti negotio curam et operam scite riteque collocaverit, nullumque prætermiserit studium in Güntheriana doctrina accuratissimo examine noscenda, ac ponderanda, animadvertit plura in Güntheri libris reperiri omnino improbanda ac damnanda, utpote quæ catholicæ Ecclesiæ doctrinæ maxime adversarentur. Hinc rebus omnibus a Nobis etiam perpensis, eadem Congregatio decretum illud suprema Nostra Auctoritate probatum, Tibique notissimum edidit, quo Güntheriana opera prohibentur, et interdicuntur, quod quidem decretum Nostra auctoritate sancitum Nostroque jussu vulgatum sufficere plane debebat, ut quæstio omnis penitus dirempta censeretur, et omnes, qui catholico gloriantur nomine, clare aperteque intelligerent sibi esse omnino obtemperandum, et sinceram haberi non posse doctrinam Guntherianis libris contentam, ac nemini

deinceps fas esse, doctrinam iis libris traditam tueri, ac propugnare, et illos libros sine debita facultate legere, ac retinere. A quo quidem obedientiæ, debitique obsequii officio nemo immunis propterea videri, censerique poterat, quod in eodem decreto vel nullæ nominatim propositiones notarentur, vel nulla certa, in stataque adhiberetur censura. Ipsum enim per se valebat decretum, ne qui sibi integrum putarent ab iis, quæ Nos comprobavimus, utcumque discedere, Sed vehementer errant, qui generalis ejusmodi prohibitionis causam inde profectam esse arbitrantur, quod ipsa Congregatio nullas singillatim Güntherianorum operum sententias, nullasque præcise opiniones censura dignas deprehenderit. Etenim non sine dolore apprime noscimus in iisdem operibus erroneum, ac perniciosissimum, et ab hac Apostolica Sede sæpe damnatum rationalismi systema ampliter dominari, itemque novimus, in iisdem libris ea inter alia non pauca legi, quæ a catholica fide, sinceraque explicatione de unitate divinæ substantiæ in Tribus distinctis, sempiternisque Personis non minimum aberrant. In compertis pariter habemus, neque meliora, neque accuratiora esse, quæ traduntur de Sacramento Verbi incarnati, deque unitate divinæ Verbi personæ in duabus naturis divina et humana. Noscimus, iisdem libris doceri et statui, quæ catholicæ de suprema Dei libertate a quavis necessitate soluta in rebus procreandis plane adversantur. Atque illud etiam vel maxime improbandum ac damnandum, quod Güntherianis libris humanæ rationi et philosophiæ, quæ in religionis rebus non dominari, sed ancillari omnino debet, magisterii jus temere attribuatur, ac propterea omnia perturbentur, quæ firmissima manere debent tum de perenni fidei immutabilitate, quæ una semper, atque eadem est, dum philosophia, humanæque disciplinæ, neque semper sibi constant, neque sunt a multiplici errorum varietate immunes.

Accedit, nec ea Sanctos Patres reverentia haberi, quam Conciliorum canones præscribunt, quamque splendidissima Ecclesiæ lumina omnino promerentur, nec ab iis in catholicas scholas dicteriis abstineri, quæ recolendæ memoriæ Pius VI. decessor Noster solemniter damnavit. Neque silentio præteribimus, in Güntherianis libris vel maxime violari sanam loquendi formam, ac si liceret verborum Apostoli Pauli oblivisci (2 Tim. 13), aut horum, quæ gravissime monuit Augustinus : « Nobis ad certam regulam loqui fas est, ne verborum licentia etiam de rebus, quæ his significantur, impiam gignat opinionem » (de civit. Dei. lib. X. cap. xxiii). Ex quibus omnibus profecto vides, dilecte Fili Noster, qua cura et studio cum tibi, tum Venerabilibus Fratribus Episcopis Tuis suffraganeis sit invigilandum, ut ab istis diœcesibus Güntheriana opera amoveantur, et qua singulari sollicitudine excubandum, ne doctrina eisdem operibus contenta, et jam proscripta ullo unquam modo sive in philosophicis, sive in theologicis disciplinis a quovis in posterum tradatur, aut comprobetur. Jam vero dum Güntheri opera damnanda esse censuimus, ac censemus, haud possumus, quin Tibi significemus, ipsum dilectum Filium presbyterum Antonium Günther non mediocri Nos affecisse consolatione, quandoquidem obsequentissimis suis Litteris, die 10. mensis Februarii ad Nos scriptis cum summa sui nominis laude amplissimis verbis semel iterumque professus est, nihil sibi potius, quam supremæ Nostræ et hujus apostolicæ Sedis auctoritati semper obtemperare, et idcirco se humillime subjicere commemorato decreto de suis operibus promulgato, hoc autem egregium sane Güntheri exemplum pari animi Nostri gaudio imitati sunt plures dilecti Filii doctores Theologiæ, Philosophiæ, Historiæ ecclesiasticæ, et canonici Juris in variis Germaniæ Lyceis, ac primarii Güntherianæ doctrinæ asseclæ, qui suis ad Nos datis Litteris

contestati sunt, se commemorato decreto humillime subjicere, nihilque sibi magis cordi esse, quam Pontificiæ Nostræ, et hujus sanctæ Sedis auctoritati ex animo obedire. Dum vero hac re summopere lætamur, in eam porro spem erigimur fore, ut alii omnes Güntherianæ doctrinæ sectatores christianam tum ipsius auctoris, tum horum animi docilitatem, et obedientiam, debitamque magisterio Nostro subjectionem Deo bene juvante æmulari velint, atque ipsa ipsius auctoris coronam augeant, et nostram expleant, cumulentque lætitiam. Habes, dilecte Fili Noster, quæ tibi de hoc argumento rescribenda esse existimavimus, atque hac etiam occasione libentissime utimur, ut iterum ostendamus et confirmemus præcipuam, qua te in Domino complectimur, benevolentiam. Cujus quoque certissimum pignus esse volumus Apostolicam Benedictionem, quam toto cordis affectu tibi ipsi dilecte Fili Noster, et gregi tuæ vigilantiæ commisso peramanter impertimur.

Datum Bononiæ die 15 Junii, anno 1857. Pontificatus Nostri anno undecimo.

Pius P. P. IX.

---

*Venerabili Fratri Henrico Episcopo Wratislaviensi.*

PIUS PP. IX.

Venerabilis Frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Dolore haud medicri litteris, quas nuper ad nos dedisti, percepimus dissidia catholicorum per Antonii Giintheri philosophiam enata, posteaquam Sedes Apostolica de hujus scriptoris operibus et doctrina judicasset, nondum esse penitus extincta, propterea quod cum alibi, tunc in ista Wratislaviensi Academia, etiam inter sacræ doctrinæ magistros reperiantur, qui nonnulla saltem Güntherianæ dogmata retinere atque defendere multis videantur. Quorum unus, dilectus scilicet Filius Joannes B. Baltzer, Wratislaviensis ecclesiæ canonicus, cum libellum, in quo de hominis natura disseretur, tibi, Venerabilis Frater, tradidisset, precibus ejus obsecundans libellum eumdem ad nos transmisisti, rogans, ut Nostro judicio, quid de doctrina in eo contenta sentiendum sit definiretur. Ac Nos quidem tuum, Venerabilis Frater, studium catholicæ doctrinæ tuendæ magnopere laudantes, atque pro muneris Nostri officio nihil magis curæ habentes quam fidei depositum ubique terrarum intactum custodire interque Christi fideles servare unitatem Spiritus in vinculo pacis, Baltzeri scriptum nonnullis hujus almæ Urbis Theologis discutiendum tradidimus. Quorum fida relatione compertum Nobis est, in eo doctrinam eamdem, quæ in Güntheri libris traditur et ante horum proscriptionem, Baltzero quoque propugnabatur, retineri; nihilque aliud agi, nisi ut hæc doctrina demonstretur et verbo Dei scripto ac tradito conformis, nec ulla ratione contraria esse iis, quæ SS. Concilia nominatim Concilium œcumenicum VIII. et Viennense sub Clemente V statuerunt, aut ipsi Nos litteris ad dilectum Filium Nostrum Cardinalem Presbyterum de Geissel Archiepiscopum Coloniensem die 15 Junii 1857. datis judicavimus, dicentes hominem corpore et anima ita absolvi, ut anima, eaque rationalis, sit vera, per se atque immediata, corporis forma. At vero Nos non modo his verbis catholicam de homine doctrinam declaravimus, sed etiam hanc ipsam catholicam doctrina Güntheri lædi pronuntiavimus. Ad quod si Baltzer animum advertisset, intellexisset, sane, doctrinam de homine, quam in suo scri-

pto profitetur, tanquam ecclesiastis dogmatibus consentaneam defendere, idem esse atque Nosmet incusare, quod in Güntheriana doctrina judicanda erraverimus. Notatum præterea est, Baltzerum in illo suo libello, cum omnem controversiam ad hoc revocasset sitne corpori vitæ principium proprium ab anima rationali ipsa discretum, eo temeritatis progressum esse, ut oppositam sententiam et appellaret hæreticam et pro tali habendam esse multis verbis argueret. Quod quidem non possumus non vehementer improbare, considerantes, hanc sententiam, quæ unum in homine ponit vitæ principium, animam scilicet rationalem, a qua corpus quoque et motum et vitam omnem et sensum accipiat, in Dei Ecclesia esse communissimam, atque doctoribus plerisque, et probatissimis quidem maxime, cum Ecclesiæ dogmate ita videri conjunctam, ut hujus sit legitima solaque vera interpretatio, nec proinde sine errore in fide possit negari.

Quæ cum tibi, Venerabilis Frater, ex certa scientia et motu proprio, rescribimus, ardentes cupimus, imo fidenter speramus fore, ut dilectus Filius Joannes Baltzer et cæteri, qui huic aliisque Güntheri opinionibus a Nobis reprobatis quocumque modo adhæserint, jam se erga hanc Ecclesiam quam Christus Dominus reliquarum omnium Matrem et Magistram esse voluit, dociles et morigeros exhibeant, quemadmodum et Baltzer ipse et alii dudum laudabiliter sunt polliciti. Te vero Venerabilis Frater, hortamur, ut Apostoli exemplo in captivitatem redigens omnem intellectum in obsequium Christi hanc plenam submissionem ab iis præsertim, qui alios docent, auctoritate tua postules, licentiam autem eorum, qui forte audire detractent, potestate quam dedit tibi Deus, coerceas.

Superest, ut tibi, Venerabilis Frater, ac gregi universo tuis curis, commisso apostolicam Benedictionem toto cordis affectu impertiamur.

Datum Romæ apud S. Petrum die 30 Aprilis anno 1860. Pontificatus Nostri anno decimo quarto.

Pius PP. IX.

FINIS TOMI OCTAVI

# INDEX

## LIBRORUM ET DUBIORUM QUÆ IN TOMO OCTAVO CONTINENTUR.


LIBER I.

*De quæsitis variis circa Sacramenta.*

*Dubium* 1 De Baptismo in Capillis, an sit validus, et an repetendus. pag. 3
2 An baptizandus sit iterum sub conditione, qui a Ministro Calvinista baptizatus fuit. 7
3 Utrum hæc sit valida forma Baptismi : *Ego te Christizo, vel te Christianum facio, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* 9
Peccata quæ fiunt contra obedientiam superioris, non sunt omnia in eadem specie infima inobedientiæ, *ibid.* n. 119. Peccata mortalia non sunt in eadem specie infima, in ratione mortalis, *ibid.* Peccatum aliter per meritum de condigno, aliter per satisfactionem peccatoris condignam deletur, *ibid.* n. 137.

Peccatum veniale quandoque punitur pœna æterna, in habente peccatum mortale, *ibid.* n. 129. Peccatum veniale non tollitur sine gratuita Dei condonatione, n. 130.

De peccato Adæ an Ecclesia gaudeat propter bonum redemptionis inde secutum, IV, I; *de Pœnit.* n. 31. Peccatum omne non habet rationem injuriæ, *ibid.* disput. II. n. 10. Peccatum an ametur ab eo qui amat compensationem pro peccato, *ibid.* n. 25. Peccatum præteritum an compensatio includat, n. 32. Peccatum an includatur in objecto volito per justitiam vindicativam, n. 36.

De peccato si non sit dolor per se, non potest esse justitia vindicativa, IV, II; *de Pœnit.* n. 44, *et seq.* Peccati odium, prout offensa Dei est, potest esse actus alterius virtutis quam charitatis, 56. Peccatum mortale proprium comprehenditur sub objecto pœnitentiæ, IV, III; *de Pœnit.* n. 6 et 7. An peccata venialia etiam, *ibid.* n. 8. An peccatum habituale, et originale, n. 12. Eorum discrimen in ordine ad pœnitentiam, *ibid.* Peccatum habituale quomodo possit esse objectum retractationis, n. 13. Peccatum dimissum potest esse objectum pœnitentiæ, n. 15. An pro eo pœnitentia velit compensationem, *ibid.* Peccata aliena an sint objectum pœnitentiæ, n. 22 *et seq.* Peccatum alienum et proprium an differant specie in ratione motivi, 29 *et seq.* Ad peccata aliena an extendantur habitus acquisiti pœnitentiæ, 34.

Peccati detestatio et dolor quomodo differant inter se, vide *Detestatio.* Peccator an aliquando amet Deum super omnia, IV, V; *de Pœnit.* n. 24. A peccato ita desistendum, ut potius subeundæ essent pœnæ inferni, quo sensu peccator desiderare possit, *ibid.* n. 30. Peccatum præteritum posse pœna inferni impediri, an peccator desiderare debeat, 31 et 32. Peccatum quo sensu sit odibilius quam carentia æternæ beatitudinis, 34. Peccatum unum supra alia utrum contritio detestetur, 39. Vide *Contritio.* Peccatum minus qui eligit an peccet, 41 et 42. Peccatum gravius in casu impossibili qui eligeret an peccaret, 43 *et seq.* Peccatum personale comparatur cum originali habituali, 58. Item originale actuale cum veniali actuali, 59.

Peccatum veniale non committendum etiamsi quis sciat se esse in statu peccati, et putet se non posse liberari nisi sacramento pœnitentiæ : ad illudque obtinendum necesse esset mentiri venialiter, *ibid.* n. 60 *et seq.* Peccatum veniale actuale cum originali actuali comparatur, 65 *et seq.* Peccatum veniale magis fugiendum quam originale, quo sensu, 68 *et seq.* Peccatum unum veniale an possimus detestari sine aliis, 81. An etiam unum mortale sine aliis, 82.

In peccatore in statu peccati, an maneat habitus pœnitentiæ, IV, VI; *de Pœnit.* n. 17. Ad peccati mortalis remissionem, quantum pœnitentia necessaria, *ibid.* disput. VII. *per totam.* Vide *Pœnitentia.*

Peccatum habituale quid sit, et in quo formaliter consistat, IV, VII; *de Pœnit.* n. 2 *et seq.* Difficultas hujus quæstionis, *ibid.* Variæ sententiæ de peccato habituali, *ibid.* n. 3. Prima : peccatum habituale esse morbidam qualitatem relictam in anima. Secunda : esse habitum vitiosum relictum ex peccato actuali, *ibid.* Tertia : esse reatum, seu obligationem ad pœnam, relictam ex actuali, n. 4. Varii modi hanc sententiam explicandi, et difficultates quibus est obnoxia, n. 5. *et seq.* Quarta : peccatum habituale esse : peccasse et non satisfecisse, n. 8.

Refertur sententia docens privationem gratiæ esse peccatum habituale. Hujus sententiæ satis apud artiquos et recentiores communis, variæ impugnationes, *ibid.* n. 9 *et seq.* Potior impugnatio est quia peccatum veniale actuale non est privatio gratiæ, nec esse potest, n. 13. Ad hoc argumentum solvendum multæ adducuntur solutiones quæ expenduntur et rejiciuntur, n. 20 *et seq.* Alia sententia : peccatum habituale esse peccatum actuale præteritum moraliter perseverans in homine, quandiu non retractatur, n. 30 *et seq.* Impugnatur hæc sententia, 31 *et seq.* Negatio condonationis vel non retractationis non potest esse mera conditio essentialiter requisita, *ibid.* Retractatio peccati non requiritur essentialiter ad illud delendum, 36. Auctores illius sententiæ

male confundunt voluntatem virtualem, habitualem, et moralem, 38. Voluntas moraliter perseveram quæ? 40.

Explicatur vera sententia de essentia peccati habitualis: IV, VII; *de Pœnit.* n. 44 *et seq.* Potest aliquis actus, postquam physice transiit, manere moraliter, *ibid.* Quid sit perseverantia moralis peccati, 45. Peccatum habituale est peccatum actuale moraliter perseverans ad reddendum hominem exosum Deo, n. 48. Potest actus præteritus perseverare moraliter in ordine ad aliquem effectum, non ad alios, 47. Ex peccato resultat Deo duplex jus adversus hominem, 49. Quid sit illud jus, 50. Negatio condonationis non potest esse merum connotatum, sed ejus est pars intrinseca, 53 et 55. Contra hanc sententiam variæ proponuntur et solvuntur difficultates, 56 *et seq.* Peccatum habituale, quomodo sit intrinsecum, 65. An peccatum habituale sit effectus peccati actualis, 66. Negatio satisfactionis condignæ an debeat intrare compositionem peccati habitualis, 67.

Peccatum mortale non aufert omnem vim meritorum præcedentium, *ibid.* n. 71 *et seq.* In peccatorem quale sit odium Dei, 92. Peccati originalis macula quæ sit, *ibid.* n. 98. Peccatum Adæ potuit condonari respectu illius, et tamen manere in filiis, n. 102. Peccatoris retractatio an essentialiter requiratur ad tollendum peccatum habituale, *ibid.* n. 106. Ex peccato actuali duplex denominatio relinquitur in homine, 111 *et seq.* Peccatum an possit condonari antequam fiat, 125 *et seq.* Peccato transacto, quod Deus condonasset antequam fieret, an maneret homo peccator, sine alia retractatione, aut condonatione, 127. An vero remaneret justus, *ibid.*

Peccatum quando Deus condonat, quod sit objectum voluntatis ejus, IV, VII; *de Pœnit.* n. 129 *et seq. per tot. sect.* An sit negatio sui odii erga peccatorem, 138. Voluntas Dei condonantis peccatum, est voluntas effectiva tollendi titulum ortum ex peccato, 148 *et seq.*

Peccatum an tollatur absolutione, ante infusionem gratiæ, *ibid.* n. 159 *et seq.* In peccatore quomodo non sit aliquod debitum in instanti justificationis, 166. De quo debito intelligatur, 168. Peccata omnia an contineant malitiam contra pœnitentiam, 186 *et seq.*

Post peccatum statim ad contritionem non obligamur, *ibid.* n. 196. Post peccatum pœnitentiæ obligatio unde oriatur, 237. Peccatum licet Deus remisisset sine pœnitentia ulla, tamen adhuc ex jure naturæ maneret debitum, 252. Vide *Pœnitentia.*

Peccatum an sit aliquid irremissibile, IV, VIII; *de Pœnit.* n. 2. Objectiones contra affirmativam opinionem allatæ ex Scripturis, exponuntur et dissolvuntur, *ibid.* n. 6 *et seq.* Peccatum mortale potentius est ad offendendum Deum quam contritio ad eum placandum, n. 120. Peccatum habituale an expellatur a visione Dei, 130 *et seq.*

Ad peccati venialis remissionem utrum gratiæ habitualis infusio sit necessaria, IV, IX; *de Pœnit.* n. 1 *et seq.* Duplex hujus quæstionis sensus, *ibid.*

Peccati venialis maculam non expellit formaliter gratia habitualis, *ibid.* n. 3. Peccatum veniale, licet non opponatur charitati, opponitur tamen fervori charitatis, n. 9. Ad peccati venialis remissionem quis actus pœnitentiæ requiratur, 12 *et seq.* Peccatum veniale, saltem de potentia absoluta, tolli potest sine ullo actu pœnitentiæ, *ibid.* n. 12. Variæ Doctorum sententiæ, *ibid.* Ad peccati venialis remissionem requiritur contritio, vel dilectio Dei super omnia, vel attritio cum sacramento, *ibid.* Peccatum veniale non remittitur nisi simul remittatur mortale, *ibid.* Peccati maculam non tollit de condigno contritio, *ibid.* n. 16. Ideo requiritur condonatio Dei, etiam posita contritione, n. 19.

Peccatum veniale non dimittiturne sine aliqua ejus displicentia saltem virtuali, n. 23. Peccatum veniale aliter tolli potest quam per contritionem perfectam, n. 28. Peccata venialia quomodo quædam per attritionem remittantur, quædam vero non, n. 31. Peccatum veniale quomodo post mortem tollatur, 34. Peccata venialia utrum per sacramenta tollantur ex opere operato, 43 *et seq.* Peccata venialia quomodo per aquam benedictam et similia tollantur, 58 *et seq.* Ubi novem actiones numerantur, quibus tolluntur, hæ tamen non fuerunt institutæ ad hoc ex opere operato, 59.

Peccata remissa utrum redeant, vel redire possint quoad culpam, IV, X; *de Pœnit.* n. 1 *et seq.* Difficultas non est de ipso actu, sed de culpa habituali, *ibid.* n. 2. Peccati semel condonati macula, nec de facto, nec etiam de potentia absoluta potest redire, n. 9. Peccata utrum redeant vel redire possint quoad debitum pœnæ, n. 31 *et seq.* Ubi an veniali correspondeat pœna æterna. Peccatum veniale per se meretur pœnam temporalem, quæ per accidens fit æterna, ex conjunctione cum peccato mortali, 39.

Per peccatum non moriuntur, sed mortificantur merita præcedentia, *ibid.* disput. XI. n. 2. Post peccatum primum potuit Deus privare hominem omni spe recuperandi merita priora, *ibid.* n. 13.

Peccata an sint pars sacramenti pœnitentiæ, disput. XII. n. 22

Peccatis per contritionem sublatis, quomodo verificetur sensus verborum formæ absolutionis, disput. XIII. n. 73. Quando confessio est de solis peccatis venialibus, quomodo gratia in sacramento pœnitentiæ conferatur, *ibid.* n. 75. Peccatum qui non fecit, ei extrema unctio dari non potest, 81.

Non peccandi amplius propositum utrum requiratur ad sacramentum pœnitentiæ, IV, XIV; *de Pœnit.* n. 51. Vide *Propositum.* Peccata venialia confitens quem dolorem habere debeat, *ibid.* n. 104. An efficacem 105. Illa confiteri sine ullo dolore an sit mortale, 108 *et seq.* De illis in confessione explicatis an sit habendus dolor sub peccato mortali, n. 17 *et seq.*

Peccati occasio proxima et remota quæ? *ibid.* n. 149. Propter occasionem proximam quando neganda sit absolutio, 150. Ad peccatum in communi an sit occasio proxima, n. 161. Peccati consuetudo an debeat a pœnitenti fateri, si interrogetur a confessario, 172. Peccata venialia qui

sola confitetur, mortalis alicujus immemor, an teneatur, dum recordatur, illud eodem anno confiteri, *ibid.* disput. xv. n. 173.

Peccatum quod fit in ipso instanti baptismi, an sit materia sacramenti pœnitentiæ, IV, xvi; *de Pœnit.* n. 1 *et seq.* Peccata alia, non minus quam peccatum fictionis, an sint materia sacramenti pœnitentiæ, *ibid.* n. 4. De peccatis quæ sunt materia confessionis, et præsertim de peccatis dubiis, n. 45. Peccatum novum, ut antiquum an liceat confiteri, 52. Peccata aliqua an omittere possit qui facit confessionem generalem, 56. Peccata dubia confitendi an sit obligatio, 58. Peccatum dictum ut dubium, an debeat iterum, cessante dubio, dici est certum, 77. Hujus difficultatis gravitas exponitur, 79. Peccata confessa cum aliquo numero, *plus* vel *minus*, ad quem numerum extendere se debeant, eorumque verborum explicatio, 94. De peccato veniali quod non fecit, se accusare, an sit peccatum mortale, 99. Peccatum mortale commissum negare, est peccatum mortale, tanto magis quam tacere, 100. Quid de mortali antea confesso, 101.

Utrum circumstantiæ aggravantes in eadem specie peccati sint in confessione aperiendæ, V, xvi; 104 *et seq.* Vide *Circumstantiæ.* In peccati objecto an debeat numerus explicari in confessione, *ibid.* n. 126. Ad peccatum inductio an sit explicanda in confessione, 142. Ad peccatum potest aliquis inducere tripliciter, 157. Vide *Luxuria, Sodomia.*

Peccati complicem an possit pœnitens in confessione explicare, *ibid.* n. 391 *et seq.* Vide *Complex.* Peccati circumstantiæ ex violentia, ex modo intentionis, ex consuetudine, ex ignorantia, ex conscientia erronea, ex furto rei suæ, quæ creditur aliena, ex furto plumbi, quod creditur aurum, etc. explicantur, 497 *et seq.* Peccati periculum prævisum an debeat in confessione explicari, 511. Peccatum commissum in die sacra, an gravetur ex illa circumstantia quæ sit in confessione aperienda, 515 *et seq.*

Peccata secundum numerum manifestanda sunt, si id commode fieri possit, 535. Peccatorum distinctio numerica, vel unitas unde desumenda sit, et in primis circa peccata externa, 536. In peccatis mere internis, unde sumenda sit unitas, vel pluralitas numerica, 562. Peccatorum numerum quando pœnitens difficile solet explicare an possit dicere multitudinem confusam, aut durationem status mali, 573. Peccatorum confessio quando sit reiteranda, 596.

Peccatum mortale aliquod qui tacuit in confessione, an debeat confessionem reiterare, *ibid.* n. 599. Peccatum qui per ignorantiam omisit, an debeat confessionem reiterare, 611.

Peccatum unum solum dicens infirmus an possit absolvi, V, xviii; *de Pœnit.* n. 1 *et seq.* Peccatum nullum dicens, sed doloris et contritionis signa exhibens an possit absolvi, *ibid.* n. 24 *et seq.*

De peccatis venialibus et mortalibus antea confessis, quis sit in ordine ad illa legitimus minister, V, xviii; *de Pœnit.* n. 41. Peccata reservata cui confessionis ministro confiteri possint, *ibid.* disput. xx *per totam.* Vide *Casus, Reservatio.* Peccatum reservatum habens an possit absolvi directe ab omni alio mortali a prælato saltem inferiore, *ibid.* n. 29.

Peccata audita olim in confessione quomodo revelarentur, *ibid.* disput. xxiii, n. 19. Peccatorum venialium confessio non minus obligat ad sigillum quam mortalium confessio, n. 23. Peccata omnia etiam venialia sunt materia sigilli confessionis, 50. Peccatum veniale alicujus qui dicit, addens se ex confessione scire, peccat mortaliter, 51. Objectum etiam et circumstantiæ peccatorum sunt materia sigilli, 52. An peccatum committendum sit materia sigilli, *ibid.* Peccata non solum vera, sed etiam illa quæ peccata non sunt, et a pœnitente dicuntur, quia talia esse putat, sub sigillo manent, 59. Peccata publica et aliunde nota an sub sigillo cadant, 61 et 62. Peccatum sine persona an liceat revelare, 63. An peccatum civitatum, 64, etc. Vide *Sigillum.* De peccatore publico non absoluto quomodo loqui debeat confessarius, 85.

Peccatori publico non disposito quando negatur absolutio, si ipse postea petat eucharistiam, neganda est, *ibid.* n. 88. Peccatum externum reservatum an committeret confessarius, qui peccaret mortaliter revelando in confessione, quod in confessione audivit, *ibid.* n. 145.

Peccator non potest proprie satisfacere, V, xxiv; *de Pœnit.* n. 24. In peccato opus bonum volitum, et postea in gratia susceptum et perfectum, an de condigno satisfaciat, *ibid.* n. 30. Pœnæ extrinsecæ an sint satisfactoriæ de condigno, n. 76. An sufficiat tolerantia sine actu, 77. Pro peccatis satisfieri potest Deo per quælibet mala, 79 *et seq.*

Quæ verba sufficiant ad peccatum reservatum contra votum obedientiæ, et quid quando non dicuntur ipsi superiori immediate, sed per alium, VIII, libro iv. *Dubio* 22.

Peccatum celebrantis in peccato mortali habet duas malitias, III, viii; *de Sacram. in gen.* n. 161. Ad peccatum mortale quo sensu sufficiat advertentia sufficiens, VI, xxiii; 18.

PECULIUM.

De peculio filii, quomodo ad eum pertineat ejus dominium, V, v; *de Justitia,* n. 14 *et seq.* Peculium filii quadruplex, *ibid.* Peculium Castrense quæ comprehendat, n. 15. De peculio quasi castrensi, 16. Notarii et procuratoris lucrum an sit quasi castrense, 17. Quid de lucro artificum, 18. Donata filio ad officia publica a rege, vel regina pertinent ad hoc peculium, 19. Quid de iis quæ clerici acquirunt, 20 et 21. An hoc procedat in omnibus clericis, 22. De peculio adventitio, 23. Ususfructus quando maneat perpetuo in patre, 24. Vide *Ususfructus.* De peculio profectitio quæ comprehendat, 37. Quid quando dubitatur an patris intuitu donatur aliquid filio, 38. Quid si dubitetur an pater sit motivum adæquatum sine

quo non daretur, 39. Quid si dubitetur an ex rebus patris lucrum ortum sit, 40 et 41. An filius possit exigere a patre pretium sui laboris et operæ, 42. In dubio an præsumatur filius gratis laborare, 43. Resolutio cujusdam casus practici, 44.

PECUNIA.

Pecunia data servo, prius injuria ei illata in fama, an acquiratur domino, V, III; 45. Pecunia mutuo data, in qualibet monetæ specie reddi potest, VII, XXV; 124. Quid si in pacto exigatur eadem moneta, *ibid.* n. 125. An reddendus sit idem numerus nummorum, 126. Quid si interim prohibeatur ea moneta, 127. Qui scit brevi minuendum valorem monetæ, an possit pacisci de valore eodem, 128. Quid si sciat brevi augendum, an possit exigere eumdem numerum, 129.

De pecunia donata et legata ad fundationem collegii, quando episcopus non consentit fundationi, quid sit faciendum, VIII, libro IV; *Dubio* 32. An nomine pecuniæ numeratæ veniat massa rudis, VIII, libro VI; *Dubio* 11.

PELAGIUS.

Pelagii error fuit damnatus obiter a concilio Tridentino II, VI; 61.

PENETRATIO.

Penetratio caloris cum humiditate non facit quod calor magis gravitet, III, X; *de Euchar.* n. 11.

PENSIO.

Pensio rei alienæ an debeat reddi domino VI, XVIII; 50. Vide *Locatio.*

PERCUSSOR.

Obligatur percussor ad restituendum pro aliis damnis secutis, VI, XI; 29. Hac obligatio an transeat ad hæredes percussoris, 30. In foro conscientiæ transit, 31. Pro quibus damnis debeat restituere, 32. An sit detrahendum aliquid pro labore quem percussus excusat, 33.

PERICULUM.

Periculum prævisum an sit in confessione explicandum, V, XVI; 511.

PERFECTIO.

Perfectio illa major quæ versatur in eligendo objecto perfectiori moraliter, non est obligatio naturæ intellectualis, II, II; *de Incarn.* n. 62. Perfectio moralis actuum internorum Dei non crescit ex majore perfectione actus voliti, *ibid.* n. 63. Perfectiones divinæ quantumvis intelligantur ut condistinctæ virtualiter ab aliis, semper retinent in se perfectionem divinam, n. 66. Perfectiones primariæ intelliguntur illæ quæ si deessent in Deo, Deus non esset infinitè perfectus; secundariæ, quæ si per impossibile deessent, adhuc Deus ille qui tunc esset, maneret infinite perfectus, n. 90. Perfectiones relativæ omnes sunt æquales, 92. Perfectiones divinæ simpliciter possunt considerari, 93. Perfectiones divinas habere aliquam inæqualitatem inter se, secundum nostrum concipiendi modum, aliquo sensu dici potest, 94.

PERMUTATIO.

Permutatio an sit contractus innominatus, VI, XXII; 8. Permutatio an perficiatur consensu, *ibid.* n. 18.

PERSECUTIO.

Persecutionem fugere, an præceperit Christus, VI, X; 47.

PERSEITAS.

Datur quidam modus perseitatis accidentalis in accidentibus eucharistiæ, III, IX; *de Euchar.* n. 18.

PERSEVERANTIA.

Perseverantia virtualis quid sit, I, I; 187. Perseverantia peccati mortalis quid sit. IV, VII; *de Pœnit.* n. 45.

PERSONA.

Personabilitas Verbi nullo modo est cognoscibilis a creatura sine Dei revelatione, II, I; *de Incarn.* n. 5. Hypostasim, seu personam Christi non posse dici compositum multi asserunt theologi, *ibid.* disput. x, n. 2. Verius tamen asseritur a recentioribus esse compositam, *ibid.* Potest simpliciter affirmari personam Christi esse compositam, sine ullo addito, vel reduplicatione, *ibid.* Persona quid sit, et quomodo definiatur, *ibid.* disput. XII. n. 4. An possit divinitus persona, vel suppositum creatum, terminare aliam naturam, *ibid.* n. 88. An in rigore dici possit : persona divina assumpsit hominem, *ibid.* disput. XIII, n. 14 et 15. Personalitas Verbi sanctificat formaliter humanitatem, etiam prout condistinguitur a natura divina, *ibid.* disput. XVI. n. 31.

Persona Verbi non est in eucharistia ex vi Verborum, III, VIII ; *de Euchar.* n. 117.

Personæ circumstantia an sit necessario in confessione explicanda, V, XVI ; *de Pœnit.* n. 297 *et seq.* Personæ conjunctio an sit declaranda in odio, vel injuria, *ibid.* 298. Personæ quæ peccanti in delectatione interna objicitur, circumstantia an debeat in confessione explicari, 363 *et seq.*

PERTINACIA.

Pertinacia an et qualis in hæretico requiratur? II, XX ; *de Fide*, n. 154 *et seq.* Pertinaciæ etymologia, *ibid.* n. 155. An pertinacia dari possit antequam errans admoneatur de suo errore, n. 156 *et seq.* An sufficiat ad pertinaciam requisitam, si quis ab episcopo, vel Inquisitoribus monitus, non acquiescat, 159.

PESTIS.

Peste grassante, qui teneantur audire confessiones, V, XXII ; n. 13.

PETENS.

Petens prius, vel aliquis debitoris amicus, an possit aliis creditoribus præferri VI, XX ; 166 *et seq.*

PETRUS.

Petrus cur ab apostolo Paulo reprehensus, propter mores Judaicos, quibus utebatur, I, XIV ; 146.

PIGNUS.

*De pignore et hypotheca.* Pignus et hypotheca quid sint, et quomodo differant. VII, XXXII ; 23. Quomodo perficiatur hic contractus, *ibid.* n. 24. Pignus et hypotheca quotuplex sit, 25. Quæ res possint pignori, seu hypothecæ subjici, 26. Quæ non possint, 27. Quid de homine libero, 28. Quid de re libera, 29. Pignus dare quando possit procurator, vel minister, 30. De tutore et curatore quid ? 31. Quid si res oppignerata variationem accipiat, 32. An semper transeat cum hoc onere ad alios possessores, 33. Alia ad pignora spectantia, 35.

*De pignoris venditione.* Creditor quando possit pignus vendere, *ibid.* n. 36. Quid si non præcessit pactum vendendi, 37. Quid si non inveniatur emptor, 39. Pignus an reddi debeat, soluta parte pretii, 39. Creditor quando transferat dominium pignoris in emptorem, 40. Pignus, si erat Ecclesiæ, vel minoris, quid ? 41. Creditor an teneatur emptori de pignoris evictione, 42. Quid, si debitor solvendo non sit, an debeat creditor factus locupletior, reddere emptori, 43.

POENA.

Pœna æterna an necessario credenda, I, XIII 115. Pœnæ spiritualis hæreticorum ; prima et antiquissima hæreticorum pœna, excommunicatio est, II, XXIII ; *de Fide* ; n. 1. Aliæ pœnæ spirituales hæreticorum, *ibid.* n. 118. Pœna hæreticorum est non posse in loco sacro sepeliri, *ibid.* Irregularitas est speciali modo pœna hæresis, *ibid.* n. 119. Pœna infamiæ ipso jure afficiuntur hæretici, 135. Pœna privationis beneficiorum afficiuntur hæretici, 139. Pœna confiscationis hæreticis imposita, *ibid.* disput. XXIV, n. 1.

Pœnæ corporales hæreticorum, *ibid.* disput. XXIV. n. 36. Pœna capitali quinam hæretici afficiantur, *ibid.* n. 39. Pœna relapsorum in hæresim, 40. Aliæ pœnæ temporales et corporales, 71. Pœna perpetui carceris, *ibid.* Pœna exilii, tri remium, et fustigationis, 74. Pœna portandi sacci benedicti, *ibid.* Pœnæ fautoribus hæreticorum impositæ, *ibid.* disput. XXV. n. 17 *et seq.* Pœnæ suspectorum de hæresi, *ibid.* n. 25 *et seq.* Pœnæ schismaticorum, *ibid.* disput. XXIII. n. 37 *et seq.* Pœnæ filiis et nepotibus hæreticorum impositæ, *ibid.* disput. XXV. n. 49.

Pœnam æternam condonat gratia, vel commutat in temporalem, ex libera Dei voluntate, IV, II ; *de Pœnit.* n. 30 *et seq.* Pœnæ reatus an sit objectum pœnitentiæ, *ibid.* disput. III. n. 46. Supra pœnam æternam quomodo contritio doleat de peccatis, disput. V. n. 30 *et seq.* Vide *Contritio.* Pœnæ inferni nobis eligibiliores quam pec-

catum, quo sensu, *ibid.* Vide *Infernus.* Absque pœna æterna an possit remitti culpa mortalis, *ibid.* n. 69. Sine pœnæ reatu an tollatur reatus culpæ, disput. VII ; n. 78. *et seq.* Ad pœnæ partem non solum, sed ad integram, aut fere integram, jus retinere posset Deus si voluisset, licet culpam condonasset, *ibid.* n. 87. Pœnæ æternæ reatus an manere possit dimissa culpa, n. 90. Pœna an condonari possit absque culpa, 95 *et seq.*

Pœna an simul tota remittatur, remissa culpa, IV. VIII ; *de Pœnit.* n. 42. Vide *Reatus.* Pœnæ aliquid an semper cum culpa remittatur, *ibid.* n. 55. Quinque difficilia in opinione Suarez referuntur, 56 *et seq.* An per contritionem plus pœnæ remittatur nunc quam in lege veteri, 67 et 68. Pœnæ reatus sicut potest solum ex parte remitti, an sic etiam possit et reatus culpæ, 72 *et seq.*

Quoad pœnæ debitum, utrum peccata redeant, vel redire possint, IV, X ; *de Pœnit.* n. *et seq.* Ubi an veniali correspondeat pœna æterna in inferno. Pœnam temporalem meretur peccatum veniale, quæ per accidens fit æterna, ex conjunctione cum peccato mortali, *ibid.* n. 39.

Pœnæ violantis sigillum confessionis, V, XXIII ; *de Pœnit. et seq.*

Pro pœnæ temporalis debito an possit homo satisfacere de condigno, *ibid.* disput. XXIV. n. 1. *et seq.* Vide *Debitum. Satisfactio.* Pœnæ non totum debitum semper aufertur, culpa dimissa, *ibid.* n. 1. Pœnæ debitum dupliciter expiari potest, *ibid.* Pœnæ temporalis reatus an maneat ex mera voluntate Dei, *ibid.* n. 2. An ex natura rei, et ipsius justificationis, *ibid.* Pœnæ æternæ reatum aufert gratia sanctificans ex natura sua, *ibid.* n. 3. Pœnæ reatus expiatio potest impetrari sine satisfactione, n. 20 *et seq.* Pœnæ remissio potest impetrari defuncto sine satisfactione, *ibid.* n. 21. Pro pœna an possit satisfieri in statu puræ naturæ, n. 31.

Pœnæ et passiones ab extrinseco, et necessario provenientes, an et quomodo possint esse satisfactoriæ, V, XXIV ; *de Pœnit.* n. 20. *et seq.* De effectu satisfactionis sacramentalis circa remissionem pœnæ, *ibid.* disput. XXV. n. 20 *et seq.* An quælibet satisfactio a confessario imposita, tollat omnem reatum pœnæ peccatis confessis, debitæ, *ibid.* n. 17. Quid si sacerdos pœnam a se impositam putet esse æqualem pœnæ temporali peccato pœnitentis debitæ, 18. Liberari pœnitentem per hanc pœnam ab omni reatu pœnæ temporalis negat communior et vera sententia, 19 *et seq.* An melior dispositio pœnitentis faciat quod satisfactio a confesserio imposita, satisfaciat pro majori debito pœnæ, 26. An pœna satisfactoria habeat aliquem effectum ante absolutionem, 28.

Pro pœnæ debito satisfacere pro invicem, an et quomodo possint fideles, V, XXVI ; I *et seq. per tot. sect.* Non per solam impetrationem remissio pœnæ obtinetur, *ibid.* Pœnæ suæ reatum minuit indirecte applicans satisfactionem suam pro alio, *ibid.* n. 20. vers. *Hinc obiter infero.* Ad pœnæ remissionem per sacramenta ex opere operato, non solum concurrunt merita Christi, sed etiam ejus satisfactiones, disput. XXVII. n. 51.

Pœnam gravem non meretur, qui ignorat culpam gravem, V, VIII ; 54.

PŒNITENTIA.

Pœnitentiæ actus quot et qui, IV, disput. IV. *per totam.* Vide *Actus.* Pœnitentia est propriè virtus IV, I ; *de Pœnit.* n. I. Pœnitentia non est aggregatum ex omnibus virtutibus, disput. II. n. 1. Pœnitentia an sit justitia, *ibid.* n. 3. *et seq.* Pœnitentiæ objectum formale, disput. II et III. Vide *Objectum.* Pœnitentia si esset justitia, obligaret statim, disput. II. n. 12 *et seq.* Pœnitentiæ definitionem et variis auctoribus afferuntur, *ibid.* n. 17. Pœnitentia an posset velle vitare peccatum, ex eodem motivo circa quod non potuit ferri ante commissum peccatum, *ibid.* n. 18. *et seq.* Per pœnitentiæ sacramentum quid in recto importetur, *ibid.* sectione III. *per totam.* Pœnitentia non est quæ possit esse per se sine dolore de peccato, *ibid.* n. 44 *et seq.*

Pœnitentia est virtus reconciliatrix, quæ tendit ad hoc ut Deum aversum nobis reconciliet, *ibid.* n. 51. Differt a charitate, n. 52. Et a religione, 57 et 58. Non est virtus theologica. 59 *et seq.*

Pœnitens quibus motivis uti possit ad dolendum de peccato, *ibid.* n. 55. Pœnitentiæ aliqua virtus infusa concedi potest, quæ respiciat bonum compensationis, sive in debitis contractis ex justitia, sive in offensis, *ibid.*

Pœnitentia quæ sit, et quæ non sit necessaria ad salutem, *ibid.* n. 65.

Pœnitentia quos actus imperet, IV, III ; 2. An imperet actus alienos, *ibid.* n. 3. Pœnitentia an compensationem velit pro peccato dimisso, n. 15. Pœnitentia an odio habeat actus indeliberatos, 16. Pœnitentiæ habitus acquisiti, sunt species coordinatæ, 24. Quomodo ad odium peccati conducant, 25 *et seq.* Pœnitentiæ habitus infusi an extendantur ad peccata aliena, 34. Pœnitentia an debeat desiderare pœna inferni impediri peccatum præteritum, *ibid.* disput. V. n. 31. et 32.

*De pœnitentiæ habitu et subjecto*, disput. VI *per totam.* An fuerit in Christo, B. Virgine et Adamo *ibid.* n. 2. A pœnitentiæ habitu aliqui actus qui in nobis sunt, potuerunt esse in Christo, B. Virgine, Adamo, Beatis, Innocentibus et Angelis, n. 4. An ad eos actus debuerint poni habitus ejusdem rationis cum nostro, an alius diversus, n. 5. Pœnitentiæ habitus infusus an detur in peccatore in statu peccati, 17.

De pœnitentiæ necessitate ad remissionem peccati mortalis, IV, VII: 1. *et seq.* De necessitate pœnitentiæ ex præcepto, *ibid.* n. 170. *et seq.* Quid de hac re senserit S. Thomas, *ibid.* n. 171. Explicatur ejus mens, 177. Pœnitentiæ præceptum quo tempore obliget, 193. *et seq.* Obligat in mortis articulo, 194. An statim post peccatum, 195. Pœnitentiæ omissio non provenit communiter ex affectu ad peccatum præteritum, 199. Ad pœnitentiæ sacramentum cum sola attritione cognita veniens, an excusetur a mortali, 201.

Pœnitentiæ præceptum cum sit affirmativum non semper obligat, *ibid.* n. 203. Difficultates ex hac doctrina orientes enodantur, 204. *et seq.* Prima ex modo loquendi Scripturæ, *ibid.* Secunda ex præcepto correctionis fraternæ, 205. Tertia ex obligatione liberandi se a corporali morbo, 216. Quarta ex necessitate gratiæ habitualis, 220. Quinta ex legibus amicitiæ semel cum Deo initæ, 224. Sexta ex reverentia Deo patri nostro et domino debita, 225. Septima ex inimicitia Dei quam incurrit peccator, quod est gravissimum malum, 227. Octava ex obligatione recuperandæ fidei amissæ, 229.

Pœnitentiæ præceptum an solum in articulo mortis obliget, *ibid.* n. 234. *et seq.* Pœnitentiæ obligatio post peccatum unde oriatur, 237. Pœnitentiæ obligatio confunditur cum obligatione servandi alia præcepto, 239. Pœnitentiæ præceptum non obligat eodem tempore pro omnibus personis, 241. Pœnitentiam an egerit pœnitens dolendo de peccatis commissis post ultimam confessionem, non debet in confessione interrogari, 242. *et seq.*

Pœnitentiæ præceptum an sit positivum, IV, VII; 249. An etiam naturale, *ibid.* An sit a Deo dispensabile, 253. *et seq.* Sine pœnitentia ulla, si Deus remisisset offensam, adhuc ex naturæ jure maneret debitum, 252. Præcepto naturali pœnitentiæ non obligatur ad habendum actum doloris formalis, qui habuit actum retractationis: Sicut neque justificatus cum actu doloris efficacis manet etiam illo obligatus, 257. Pœnitentiæ naturale præceptum an de se ad sæpius pœnitendum obliget, 259.

Per pœnitentiam utrum possint omnia peccata deleri, IV, VIII; I. *et seq.* Nullum esse de facto peccatum quod per pœnitentiam tolli non possit, veritas catholica est, *ibid.* n. 3. Objectiones contra hanc doctrinam, prima ex aliquibus Scripturæ locis, n. 6, Secunda specialiter ex D. Paulo, 8. Tertia ex I. Joannis, cap. 5. Quarta ex Matthæo et Marco, 10. An aliqui non possint pœnitere, 12. Certiores aliquæ propositiones; prima: Omnes reprobi habuerunt aliquam impotentiam saltem consequentem, pœnitendi, *ibid.* Nulla statuta a Deo lex est, ut quisquis ad talem cumulum peccatorum postquam devenerit, omni careat deinceps auxilio ad pœnitendum, n. 13. Omnes peccatores de facto non habent potentiam proximam ad pœnitendum, 14. Quoties peccator vult efficaciter pœnitere, non deest illi concursus Dei ab pœnitendum, 15. Nullus est peccator in hac vita cui, si cogitet de peccatis, desit potentia proxima saltem physica ad verum de peccatis dolorem concipiendum, 17. An de facto dari possit aliquis peccator, qui per pœnitentiam sua peccata delere non possit, 18. An detur peccator aliquis in hac vita, qui ob præcedentia peccata, non possit amplius pœnitere et dolere de suis peccatis, 24. Omnis homo viator potest pœnitere et converti, 27. Quod probatur ex modo loquendi Scripturæ, *ibid.* Ex modo loquendi Patrum, 28. Ex ipso statu viatoris, 29. In quibusdam peccatoribus impotentiam pœnitendi nihilominus videntur agnoscere Patres, 31. Unde videtur verisimile cum statu viatoris posse conciliari impotentia moralis pœnitentiæ, 34. Conciliantur hæ duæ opiniones, 35. Quomodo aliqui ita indurati sint, ut moraliter non possint converti, 37. An dæmones et animæ damnatæ habeant potentiam physicam ad dolendum et pœnitendum de peccatis, 22.

Pœnitentia perfecta, seu contritio, utrum deleat omnem reatum pœnæ, IV, VIII; *de Pœnit.* n. 33. *et seq.* Pœnitentiæ quis actus requiratur ad peccati venialis remissionem, *ibid.* disput. IX, n. 12. Sine ullo actu pœnitentiæ peccatum veniale tolli potest, saltem de potentia absoluta, *ibid.* Pœnitentiæ sacramentum dupliciter remittit peccata venialia, n. 54.

De pœnitentiæ effectu in ordine ad recuperationem gratiæ et virtutum, IV, XI; 1. *et seq. per tot. disput.* Vide *Gratia*, *Meritum.* Per pœnitentiam homo semper resurgit ad majorem gratiam, quam antea haberet, *ibid.* 54.

Pœnitentiæ sacramenti varia nomina, *ibid.* disput. XII. n. 1. Pœnitentiæ sacramentum ab aliis distinctum est a Christo Domino institutum, *ibid.* n. 3. *et seq.* Hæreses de hoc sacramento, *ibid.* In pœnitentiæ sacramento cur non exigatur vox intelligibilis a pœnitente, n. 7. Pœnitentiæ sacramentum non fuit in lege veteri, 9. Sacramenti pœnitentiæ partes, 12. Intentio an sit pars sacramenti pœnitentiæ, 17. An peccata sint pars sacramenti pœnitentiæ, 21. Pœnitentis actus concurrunt moraliter ad causandam gratiam, 34. Satisfactio est pars sacramenti pœnitentiæ, 40.

Ad sacramenti pœnitentiæ formam, an verba sint necessaria, et quæ, IV, XIII; 1. *et seq.* An verba proprie dicta requirantur, *ibid.* Quæ verba requirantur, n. 8. In pœnitentiæ sacramenti forma quem effectum habeant verba, 40. *et seq.* In sacramento pœnitentiæ confertur vera remissio peccatorum, etiam quoad culpam, virtute absolutionis sacramentalis, 48. In sacramenti pœnitentiæ forma quem sensum habeant verba, 61. *et seq.* De sacramenti pœnitentiæ forma, liberior Tostati sententia, *ibid.*

In sacramento pœnitentiæ quomodo conferatur gratia, quando confessio est de solis venialibus, 75.

Utrum sacramenti pœnitentiæ contritio sit, pars et quomodo, IV, XIV; I. Dolor est pars illius essentialis, *ibid.* n. 4. Ad sacramenti pœnitentiæ valorem an requiratur quod dolor præcedat confessionem, n. 12. *et seq.* Ad pœnitentiæ sacramentum quomodo actus doloris referri debeat a pœnitente, 36. Ad pœnitentiæ sacramentum utrum requiratur propositum non peccandi de cætero, 51. Pœnitentiæ sacramentum an possit dari validum et informe ex defectu doloris, 65. *et seq.* Duæ theologorum sententiæ referuntur, 66. *et seq.* Pœnitentiæ sacramentum quando fuit validum et informe, an postea, ablato obice, suum causet effectum, 90. *et seq.* Sacramentum pœnitentiæ an possit esse validum et informe ex defectu integritatis confessionis, 103.

De peccatis omnibus ejusdem speciei an dolor esse debeat, *ibid.* n. 141. Quæ venialia dentur pro materia sacramenti pœnitentiæ, 142. Peccatum veniale, si committatur post dolorem, an ille totaliter retractetur, 143.

Pœnitens interrogatus an debeat fateri consuetudinem peccandi præteritam, *ibid.* 172. Præceptum pœnitentiæ an sit naturale, 181. An contra pœnitentiam omnia peccata contineant malitiam, 186. *et seq.*

Pœnitentiæ actus an possit ex fine extrinseco vitiari, IV, xv ; 188. Pœnitentiæ actus imperatus aliquando potest procedere ex imperio absoluto quidem, sed non determinando omnino instans ; aliquando vero procedit ex imperio determinante omnino, et imperante illum fieri absolute pro hoc ipso instanti. Exponitur doctrina Auctoris, contra quam aliquæ difficultates aliquæ exortæ resolvuntur, 233.

Sacramenti pœnitentiæ materia an sit peccatum quod fit in ipso instanti baptismi, IV, xvi ; 1 *et seq.* Sacramenti pœnitentiæ materia, an sint peccata fictionis sicut et alia, *ibid.* n. 4.

Pœnitens utrum possit et debeat explicare in confessione complicem sui peccati, V, xvi ; n. 391 *et seq.* Pœnitentem an aliquando possit obligare confessarius ad declarandum complicem, 424. Vide constitutionem Benedicti XIV. in calce tomi viii. contra detestandam praxim nonnullorum confessariorum complicis nomen inquirentium, pag. 474. Necnon ejusdem constitutionem contra confessarios suos pœnitentes ad turpia sollicitantes, quo casu neganda absolutio donec pœnitens complicem ei ad quem de jure pertinet, denuntiaverit, in calce ejusdem tomi, pag. 421.

Pœnitens an aliquam circumstantiam tacere possit propter detrimentum quod sibi vel alteri timet, *ibid.* n. 526 *et seq.* Pœnitens quando, et quomodo possit, propter difficultatem explicandi numerum peccatorum, dicere multitudinem confusam, aut status mali durationem, 573. Pœnitentem an debeat remittere confessarius ut se examinet, et an excusetur si id non faciat, 593. Qui pœnitentiam non implevit, an debeat confessionem repetere, 600.

Pœnitentiæ signum non dans, nec confessionem petens, an sacramentaliter possit absolvi, V, xvii ; 33.

In pœnitentiæ sacramento an sacerdos solus sit minister, ubi an laicus in aliquo casu possit absolvere, V, xviii ; 1 *et seq.* Pœnitentiæ sacramenti quis sit minister in mortis articulo, *ibid.* n. 13 *et seq.* Vide Sacerdos. Pœnitentiæ sacramenti quis sit minister ordinarius, disput. xix. n. 1 *et seq.* Ad pœnitentiæ sacramentum ministrandum an sufficiat jurisdictio delegata, vel dubia, vel probabilis, *ibid.* n. 28 *et seq.*

Sacramentum pœnitentiæ fit diversum per absolutiones diversas, V, xx ; 80.

Pœnitenti quænam interrogationes a confessario faciendæ, V, xxii ; 14. Pœnitentem an confessarius interrogationibus interrumpere debeat, *ibid.* n. 15. Pœnitentem interrogandi an confessarius habeat obligationem, 16 *et seq.* Pœnitens si non confiteatur aliquod peccatum, neque ex se, neque interrogatus, quid facere debeat confessarius qui scit eum illud commisisse, 21 *et seq.* Pœnitentem docere et corrigere confessarii munus est, 23 *et seq.* Vide *Confessarius.*

Pœnitentiæ sacramentum institutum fuit quasi quoddam tribunal visibile ipsius Dei, et quare, V, xxiii ; 15. Pœnitentiam quam dedit confessarius, si revelet, an faciat contra sigillum, 89. Cum pœnitentis licentia utrum possit confessarius loqui de auditis in confessione, 127. Vide *Sigillum.*

Pœnitentia imposita a confessario an deleat omnem pœnam, V, xxv ; 16 *et seq.* Quid si confessarius putavit esse æqualem, 18. Vide *Satisfactio.* Pœnitentia an impleri possit in statu peccati, et quem effectum tunc habeat, et quid si absque intentione impleatur, *ibid.* n. 29. Pœnitentia, in statu peccati adimpleta, sive post se relinquat effectum, sive non, satisfacit, 32. Pœnitentiam adimplere in statu peccati, an sit peccatum veniale, *ibid.* Pœnitentia non solum cum fit in peccato, sed etiam si fiat cum peccato, est pars sacramenti, 33. Quid si fiat absque intentione, 34. Pœnitentiam an semper imponere obligetur sacerdos, 47. An ex levitate possit hæc obligatio esse non gravis, 49. Pœnitentia sine obligatione an possit imponi, 53. Pœnitentiam gravem non potest confessarius imponere sub veniali, 59. Pœnitentiam æqualem an debeat imponere confessarius, 60.

Pro pœnitentia quæ opera imponi possint, V, xxv ; 61. An opera pro defunctis, 62. An abstinere ab eucharistia, 65. An illam sumere, 66. An opera debita ex præcepto, 67. Pœnitentia publica an possit imponi aliquando pro peccatis publicis, vel occultis, 66 *in fine.*

Pœnitentiam acceptare et implere an pœnitens obligetur, *ibid.* n. 68. An sit obligatio semper gravis, 74 *et seq.* Pœnitentia gravis imposita propter venialia, vel mortalia prius confessa, quomodo obliget, *ibid.* Ob pœnitentiam impositam an possit pœnitens nolle absolvi, 77. Pœnitentia an possit impleri per alios, 79. An id possit fieri ex licentia confessarii, 82. Pœnitentia an possit alii committi facienda per ratihabitionem, vel consensum præsumptum confessarii, 86. An per epikiam, *ibid.* Ad pœnitentiam impositam redditus impotens an teneatur implere per alium, 87. Ubi de obliviscente pœnitentiam sibi impositam. Pœnitentia semel omissa, an debeat postea impleri, 88. Pœnitentiæ dilatio quando sit culpa gravis, 89 *et seq.* Quomodo obligetur pœnitens ad circumstantias operis sibi injuncti, 93 et 94. Pœnitentiam ab uno confessario impositam an possit pœnitens commutare, 95 *et seq.* An alius confessarius, 100. Ad pœnitentiam revocandam an sit necessarium quod sciat confessarius impositam jam fuisse pœnitentiam pro peccatis eisdem, 103. Quid si erant peccata reservata, 104. Pœnitentia an possit commutari, non auditis peccatis, 107. Quid si eadem fuisse peccata præterita confuse cognoscat confessarius, 109. Quid si extra confessionem, 110. Pœnitentiam an idem confessarius possit extra confessionem commutare, vel minuere, 111. An post quodlibet tempus, *ibid.* Pœnitentiam præservativam datam ab uno confessario an alius possit permutare, vel minuere, 114 *et seq.*

Pœnitentiis a confessario injunctis pœna correspondens an solum per indulgentiam remittatur, V, xxvii ; 8. Pœnitentiam sibi impositam implere in conscientia an debeat ille qui indul-

gentiam lucratur, *ibid.* n. 21 *et seq.* Pœnitentiæ debitæ possunt commutari in indulgentiam plenariam, n. 31. Pœnitentis confessio quæ obliget, vel non obliget ad sigillum, vide *Sigillum.*

Quomodo pœnitentiæ sacramentum non constet solis verbis, explicatur, III, II; *de Sacrament. in gen.* n. 4. Pœnitentiæ sacramentum non ministrandi indigno magis minister obligatur, *ibid.* disput. VIII. n. 193. Pœnitens non obligatur ad dicenda confessario peccata reservata, a quibus non potest eum confessarius absolvere, sed tantum non reservata, IV, XIV; *de Euchar.* n. 86.

PONTIFEX.

Pontifices sæpe dispensarunt cum catholicis ut possent matrimonium inire cum hæreticis, III, VIII; *de Sacram. in gen.* n. 227. Pontifex nunquam dispensavit in præcepto præmittendi confessionem ante communionem, IV, XIV; *de Euchar.* n. 79.

Pontifex quomodo concedere possit vivis indulgentiam pro defunctis, V, XXVII; 65. Summus Pontifex concedit de jure divino indulgentias pro tota Ecclesia, *ibid.* n. 132.

Pontifex quo jure possit compositionem concedere debitori, qua excusatur a restitutione, VI, XXI; 91.

PONTIFICALIA.

Episcopus suffraganeus an possit cum licentia episcopi nondum revocata, post ejus mortem exercere pontificalia, sede vacante, VIII, libro I. *Dubio* 34.

POSSESSIO.

Possessio unde dicta, quid et quotuplex sit, V, II; *de Justitia.* n. 59. Possessionis privilegia et commoda, *ibid.* n. 62. Possessio est aliquando irrita jure positivo, aliquando sine apprehensione habetur, 61.

Possessio injusta non requiritur ad malam fidem, sed ad possessionem malæ fidei, V, VII; *de Justitia* n. 46. Qualis possessio requiratur ad præscriptionem, *ibid.* n. 12 *et seq.* Possessio conditionata non deservit ad præscriptionem, n. 22. Possessio quomodo apprehendatur, VI, XXI; 63. Quomodo amittatur, *ibid.* n. 64.

POSSESSOR.

Possessor bonæ fidei debet reddere rem, vel ea consumpta, id in quo factus est ditior, VI, XVII; 8. Ex hac regula quædam pro praxi inferuntur, *ibid.* n. 9. Aliquorum sententia dicentium, quod si res aliena sit usa consumptibilis, bonæ fidei possessor qui bona fide consumpsit, licet inde factus ditior non tenetur restituere, si fur ipse non sit impotens ad restitutionem, n. 10. Communis tamen sententia obligat possessorem ad restituendum in quantum factus est ditior, absque distinctione rerum usu consumptibilium, vel non consumptibilium, 11. Distinctio de fure reddito vel non reddito impotente ad restituendum, rejicitur, 12. Ratio communis doctrinæ redditur et explicatur, 13. Quid si non res aliena, sed ejus pretium ad te pervenit, 14. Invitatus bona fide ad cœnam furtivam an teneatur restituere, 15. Quid si fur pecunias alienas cum suis miscuerat, 16. An tunc distinguendum sit de fure potente, vel impotente restituere, 17. Quid si culpa sua pereat res apud bonæ fidei possessorem, 18. Quid si majori pretio vendidit quam emisset, 19. Quid si absque ulla industria carius vendidit, 20. Quid si rem sibi donatam summo pretio vendidit, 21. An tunc satisfaciat reddendo pretium infimum, 22. Quid si postea auctum est pretium justum rei, 23. Quid si gratis habuerat ab eo, qui bona fide justo pretio emerat, 24. Quid si socius condonavit partem pretii quam solvere debebat, 25. Retinetur sententia communis, 26. Respondetur ad exemplum de socio remittente partem pretii, 27.

An qui bona fide rem aliquam emerat, possit, ut se indemnem conservet, cognita veritate rescindere contractum, et receptio pretio, reddere eam furi, VI, XVII; 28 *et seq.* Proponuntur casus certi in quibus potes, vel non potes reddere furi, *ibid.* n. 28. Duplex sententia contraria affertur, 29. An possis ad liberandam rem tuam cooperari positive furi, 31. Dominus an possit impediri ne recipiat rem suam a possessore bonæ fidei, 32. Quanto tempore possit emptor retinere rem alienam ad recuperandum pretium a fure, 33. Judex. prohibere potest ne reddatur res furi, 34. Emptor ille an possit rem alteri vendere ut servet se indemnem, 35. An si absque timore damni rem furi restituat, peccet contra justitiam, 36.

An et quos fructus restituere teneatur possessor bonæ fidei, VI, XVII; 38. Fructus alii naturales, alii industriales, alii mixti, *ibid.* possessor bonæ fidei debet solum restituere fructus naturales, et mixtos, extantes, deductis expensis, 39. Corollaria aliqua pro praxi deducuntur ex hac regula, 40. Difficultas ex aliquibus legibus civilibus invicem adversantibus, 41 et 42. Prima interpretatio rejicitur, 43. Varii alii modi conciliandi has leges referuntur et impugnantur, 44 *et seq* Auctoris responsio, 47. Cur aliter locuti fuerint jure consulti de agnis, ac de aliis fructibus, 48. Lucrum negotiantis pecunia aliena an debeatur domino pecuniæ, 49. Pensio locationis rei alienæ an debeat reddi domino, 50 et 51. Quid de meliramentis factis a possessore bonæ fidei, 62.

*Qualiter possessor dubiæ fidei teneatur restituere fructus, vel rem consumptam*, VII, XVII; 80 *et seq.* Si rem dubiæ fidei abstulisti, debes, durante dubio, rem reddere, *ibid.* n. 80. Si emisti

vel donasti, cum dubia fide, quid postea fieri debeat, 81. An solum fructus percepti debeant restitui in eo casu, 82. Quid si accepisti a possessore bonæ fidei, 83. Quid si cœpisti bona fide possidere, et postea superveniat dubium, 84. Quid si culpabiliter neglexit inquisitionem facere, 85. Quid si facta diligentia perseveret dubium, 86. Difficultas ex aliquibus decretalibus Pontificum, 87. Explicantur textus, et quid quando dubium erat cum credulitate positiva, 88. Facta diligentia, et perseverante dubio an possit res alienari, 89. An debeat haberi animus reddendi pretium si constet rem fuisse alienam : aliorum sententiæ, 90. Exponitur et probatur sententia verior, 91. An idem in foro externo dicendum, 92. Quid si magis propendeas quod res sit aliena : prima sententia, 93. Verior sententia exponitur, 94.

*De possessore malæ fidei.* Malæ fidei possessor an etiam teneatur restituere fructus naturales etiam consumptos, VI, XVII ; 53. Quid de fructibus non perceptis, qui percipi potuerunt, *ibid.* n. 54. Quid de fructibus quos Dominus percepturus fuisset, 55. Quid si dominus singulari diligentia percepturus erat, 56. Quid si sua diligentia malæ fidei possessor rem meliorem fecit, et plures fructus percepit, 57. Quid de fructibus quos Dominus non erat percepturus, 58. Quid si fructus consumpti sunt, et possessor non sit factus locupletior, 59. Quid si fructus sint ex melioramentis factis expensis malæ fidei possessoris, 60. Quales expensas deducere possit malæ fidei possessor, 61. Expensæ utiles quæ dicantur, 62. Expensæ voluntariæ an ex parte saltem deduci possint, 63. Quomodo taxandus sit expensarum valor, 64. Non est attendendus valor melioramenti, bene tamen labor possessoris, 65. Postquam dominus rem suam recuperavit, an possint ab eo peti expensæ, 66. Quid si possessor uno tempore habuit bona fidem, alio malam, 67. Auctoris sententia, 68. Mala fides in percipiendis fructibus, an purgetur per bonam fidem, in consumendis, 69. Quid si bona fides supervenerit post consumptos fructus, 70. Respondetur ad legem quæ videtur contraria, 71. Quid si possessor habuit bonam fidem respectu veri domini, malam vero respectu non domini, 72. Molina liberatur a contradictione contra Sanchez, 73. An sit fur qui accipit rem Petri, putans esse Pauli, 74. Quid si occidas Petrum, putans esse Paulum, 75. Urgetur argumentum pro sententia Molinæ, 76. Sub distinctione respondetur, 77. Quid si fur eo erat affectu, ut si sciret rem esse talis domini, adhuc illam acciperet, 78. Quid si fuit mala fides in auctore, et mala in successore, 79. Possidere possumus per alios, V, II ; 60.

POTESTAS.

Potestas significandi in sacramento est aliquid morale intrinsecum, III, II ; *de Sacram. in gen.* n. 45. Potestas communicata creaturæ sufficit ut vere dicatur instituere sacramenta, *ibid.* disput. VII. n. 24. Potestas designandi materiam differt a potestate imponendi significationem sacramento, *ibid.* n. 32. Potestas sacerdotalis ministri in pœnitentia et in extrema unctione, saltem in obliquo intrat ad componendum intrinsece sacramentum, III, I ; *de Euchar.* n. 91.

Potestas jurisdictionis potest esse objectum justitiæ, V, I ; 14.

Qualis gratia conferatur per sacramenta novæ legis, *ibid.* n. 17. Quid per gratiam sacramentalem intelligatur, *ibid.* Prima sententia ponit habitus diversos, *ibid.* n. 18. Secunda, diversitatem intrinsecam in ipsa gratia, *ibid.* Tertia ponit quamdam qualitatem, *ibid.* Communis sententia ponit communia auxilia, 19. Unde gratiæ sacramentales sunt tantum diversæ extrinsece, *ibid.* Duplex difficultas contra hanc doctrinam, 21. Respondetur ad primam, 23. Respondetur ad secundam, 27. Hæc auxilia non dantur ei cui non datur gratia habitualis, vel qui eam perdidit, 29. Sicut non adveniente gratia, non datur jus ad hujusmodi auxilia, sic ea abeunte, jus illud perditur, *ibid. in fine.* Hi effectus non ita sunt sacramentis alligati, ut sine sacramento obtineri non possint, et de facto non obtineantur, 31.

*Utrum sacramenta novæ legis causent physice gratiam,* III, IV ; *de Sacram.* n. 32 *et seq.* Hic non agitur de sacramento complete sumpto, secundum totum quod includit in ratione sacramenti, *ibid.* Nec quæritur an sacramenta sint causæ morales gratiæ, n. 33. Duplex est sententia : prima Suarez affirmans sacramenta causare physice gratiam, 34. Supponitur in rebus potentia obedientialis activa, qua eleveri possint ad producendum quodlibet aliud, 35. Impugnatur hæc sententia variis argumentis, 36 *et seq.* Primum argumentum, quia gratia fit per creationem, *ibid.* Secundum petitur ab actione in distanti, 40. Tertium argumentum ex absurdis, 41. Quartum petitur ex eo quod non possit oculus elevari ad rediendum, 44. Quintum, quia gratia in instanti producitur, in quo non est sacramentum, 45. Probatur denique conclusio ex natura ipsa gratiæ, 48. Quæ ultima ratio magni ponderis est in Ecclesia, 49. Referuntur et dissolvuntur argumenta contrariæ sententiæ, 50 *et seq.* Exponitur et enucleatur difficilius argumentum petitum ex differentia sacramentorum novæ legis, ab antiquis, præsertim a Circumcisione, 68 *et seq.* In actione sacramentali facta nomine Christi, non meretur per eam, sed potius quasi nobis impetrat gratiam, 89. Gratia non tantum datur per sacramenta, sed etiam propter illa, tanquam motivum, 91. In quo sensu sacramenta sint causæ instrumentales, 93. Declaratur exemplis quid sit operari instrumentaliter, 95. Aliter etiam sacramenta dici possunt instrumenta Dei, 97. Exquiritur mens S. Thomæ super hac quæstione, 98 *et seq.* Humanitas Christi dicitur causa instrumentalis nostræ salutis, ipse autem Christus, causa principalis, 105.

*Utrum sacramenta conferant gratiam in tempore vel instanti quo perficiuntur.* Hic est tantum quæstio de gratia habituali, et de charactere, III, IV ; *de Sacram.* n. 107. Unde oriatur difficultas, *ibid.* Sententia de finitis instantibus solvit totam difficultatem, *ibid.* In sententia communi proponitur difficultas, *ibid.* Primus dicendi modus, gratiam conferri in tempore indeterminato, rejicitur ab omnibus, 108. An repugnet aliquid incipere in tempore indeterminato, 109. Secunda sententia vult gratiam produci in ultimo instanti terminativo, 113. Impugnatur hæc sententia, posita causalitate physica, *ibid.* Item posita causalitate morali, 114. Impugnatur tertio, argumento ad hominem, 115. Quarto ex veritate verborum sacramentalium, 116. Tertia sententia ponit ultimum instans terminativum intrinsecum, 117. Difficultates hujus sententiæ, 118 *et seq.* Ultima sententia ponit aliquod tempus determinatum, saltem juxta opinionem illam de compositione continui, ita ut gratia incipiat per ultimum non esse, 123. Contra hunc dicendi modum instantiæ Suarez et Vasquez proponuntur et solvuntur, 125 *et seq.*

*De inefficacia veterum sacramentorum ad conferendam gratiam.* Sententia affirmans gratiam collatam per antiqua sacramenta, et ejus fundamenta, III, V ; *de Sacram.* 1. Antiquorum quorumdam opiniones rejiciuntur, *ibid.* n. 2. Prima sententia

affirmans per circumcisionem datam fuisse gratiam infallibiliter et ex opere operato, n. 4. Fundamentum præcipuum hujus sententiæ, auctoritas S. Augustini, n. 5. Aliud, auctoritas Innocentii, III. Aliqui Augustinum et Innocentium explicare conantur, n. 10 *et seq.*

Sententia negans circumcisionem contulisse gratiam et ejus fundamenta, *ibid.* n. 11 *et seq.* Probatur ex Scriptura, n. 12. Ex Patribus, 14. Ex conciliis, 20. Ratione, 21. Præcluduntur adversariorum evasiones, 22 *et seq.* Utraque sententia, quoad fieri potest, conciliatur, n. 40. Circumcisio ex sua institutione nullam vim habet, *ibid.* Quid de feminis, quid de masculis periclitantibus, *ibid.* Vide *Circumcisio.*

De charactere qui est effectus sacramentalis, vide *Character.*

*De causa instituente Sacramentum.* Utrum de facto Christus instituerit immediate sacramenta novæ legis. III, VII ; *de Sacram.* n. 1. Constat apud omnes Deum esse causam primariam institutionis sacramentorum, *ibid.* Certum etiam apud omnes Christum instituisse immediate omnia novæ legis sacramenta, *ibid.* n. 3. Rationes hujus sententiæ, *ibid. et seq.* Rationes congruentiæ plures afferuntur, n. 7. Locus Augustini difficilis explicatur, 9. Idem dicendum de antiquis sacramentis, 16.

An potuerit Angelo vel homini communicari potestas instituendi sacramenta, *ibid.* n. 19. Quæstio fere de nomine. Prima sententia negans, *ibid. et seq.* Notandus duplex sensus quæstionis, 22. Christus non potuit communicare creaturæ potestatem quam habet ut Deus, *ibid.* Quatuor Christi excellentiæ, *ibid.* Quæ prærogativæ Christi possint creaturis communicari, 23. Quæstio in secundo sensu resolvitur pro parte affirmante, 24. Quid requiratur ad hoc ut aliquis dicatur in rigore institutor sacramenti, 25. Licet Ecclesia acceperit potestatem instituendi quosdam ritus, ipsa tamen vere dicitur instituere, 26. Dupliciter se Deus habet in delegatione facienda, 29. Primus modus non sufficit ut homo dicatur instituere ; secus vero secundus, *ibid.* Confirmatur exemplis, 30. Aliud est determinare, aliud instituere, *ibid.* Explicatur quomodo differat potestas determinandi materiam, a potestate imponendi significationem, 32. Aliud est causare sacramentum in ratione existentiæ, aliud instituere, 34. Instituere plus dicit quam causare, 36. Instituere non est tantum designare materiam, sed statuere obligationem, *ibid.* Infertur quid dicendum sit de sacramentis legis antiquæ, 37.

*De Ministro sacramentorum.* Solus homo est minister sacramenti, ex vi præsentis decreti, III, VIII ; *de Sacram.* n. 1. Dubium est de non viatore, *ibid.* n. 2. Certum est animam seperatam non posse ministrare, *ibid.* Idem infertur in statu hominis comprehensoris, *ibid.* Probatur ex sacramento eucharistiæ, *ibid.* Item extremæ unctionis, n. 3. Ratio a priori, *ibid.* Confirmatur, ne quis dicat episcopum damnatum posse conferre ordines, *ibid.* Secus dicendum si anima redeat ad corpus mortale, *ibid.* Objiciuntur aliquæ historiæ, n. 4. Si Angelus aliquod sacramentum ministraret, habendum esset pro valido, *ibid.* Supponendum est ministrum esse causam gratiæ, n. 5. An hæc ministri causatio sit immediata, vel solum mediata, 6. Minister est tantum causa mediata, n. 7. Paulo aliter dicendum est de eucharistia, 9. Porrigens eucharistiam non est causa moralis gratiæ, 10. In aliis sacramentis nulla est differentia quoad hoc inter ministrum consecratum, et non consecratum 11. Bonitas ministri, non requiritur essentialiter ad valorem, 12.

De intentione requisita ex parte ministri ad valorem sacramenti. Vide *Intentio.*

De obligationibus ministri sacramentorum. Vide *Minister.*

*De suspiciente Sacramentum.* Vide *Dispositio.* Utrum qui suscipit sacramentum, indigne, postea, ablato obice, consequatur gratiam sacramentalem. Vide *Obex.* De voluntate suscipiendi sacramentum. Vide *Voluntas.*

Quorum sacramentorum fides, vel notitia explicita fidelibus necessaria sit, I, XIII ; 116. Baptismi necessitatem et efficaciam omnes credere tenentur, *ibid.* Necessaria est fides et notitia sacramenti pœnitentiæ, *ibid.* n. 117. An omnes teneantur scire formam baptismi, 118. Necessaria est fides explicita sacramenti eucharistiæ, 119. Eucharistiam offerri in sacrificium in missa omnes fideles scire debent, 122. An notitia quatuor aliorum sacramentorum sit omnibus ex præcepto necessaria, 123. Necessariam esse solum iis qui ea suscipere volunt, communis est sententia, *ibid.*

Sacramentum ut conficiatur voluntas virtualis sufficit, IV, VII ; *de Pœnit.* n. 40. Per sacramenta utrum peccata venialia tollantur ex opere operato, *ibid.* disput. IX. *per totam* a n. 43. De Baptismo, Pœnitentia, et extrema unctione non est dubium, *ibid.* De eucharistia est certum, n. 45. An per Confirmationem, Ordinem, matrimonium examinatur, n. 48 *et seq.* In sacramento pœnitentiæ dupliciter peccata venialia remittuntur, 54. Sacramentum aliquod an possit negare confessarius pœnitenti, V, XXIII ; 126 *et seq.*

In paschate recipiens sacramenta in ecclesia cathedrali, an satisfaciat præcepto Ecclesiæ, VIII, libro I ; *Dubio* 15.

Sacramentum potest perfici, etiamsi minister non sit compos sui, III, VIII ; *de Sacram.* n. 108.

In sacramentis omnibus si constet de obligatione voluntatis ad talem materiam, non potest circa aliam habere valorem, *ibid.* n. 118. Sacramenti susceptio in peccato mortali in quibusdam casibus est licita, *ibid.* Ut dicatur sacramentum perseverare, sufficit manere id quod includit in recto, III, I ; *de Euchar.* n. 61. Sacramentorum non solum est præceptum, sed medium influens seipso, *ibid.* disput. III. n. 23. Sacramentum aliquod potest ordinari ad aliquem effectum qui sine ipso obtineri potest, IV, XII ; *de Euchar.* n. 105.

SACRIFICIUM.

Sacrificium male definitur ab hæreticis, IV,

XIX. *de Euchar.* n. 1. Variæ definitiones sacrificii, *ibid.* Supponitur sacrificium esse in genere oblationis sacræ et signi sacri, n. 2. Per sacrificium primo significatur interna submissio et suprema Dei excellentia, 3. Quomodo sacrificium significet hanc supremam Dei potestatem, 4. Placet ratio Eusebii, 5. In quo non differat ab aliis Dei cultibus, 5. Non est illius essentia quod aliud pro nobis substituatur, 7. In omni sacrificio intervenit destructio aliqua, *ibid.*

Qua auctoritate possit institui sacrificium, 10. An fieri possit auctoritate privata, 11. Quid facerent homines si solitarie et sine ullo humano commercio viverent, 12. Sacrificium Deo falso oblatum est verum sacrificium, 13. Cur mors martyrum non fuerit verum sacrificium, 14. Aliqua fortasse fuerunt sacrificia apud ethnicos quæ auctoritate privata initium sumpserunt, 16.

In missa offertur verum sacrificium a Christo institutum, IV, XIX; *de Euchar.* n. 17. De nomine missæ, *ibid.* Gravis est controversia contra hæreticos negantes in missa verum offerri sacrificium, 18. Hoc dogma definitum est a concilio Tridentino, *ibid.* Habetur primo ex Scriptura, 19. Secundo ex Patribus et conciliis, 20. Tertio ex ratione, 21. Quarto ex traditione perpetua, 22. Fundamentis hæreticorum respondetur, 23 *et seq.* An si Christus hoc sacrificium non instituisset, potuisset ab ecclesia institui, 32. An de facto Ecclesia possit aliquod aliud sacrificium instituere præter eucharistiam, 34. Loquendo etiam de possibili id videtur negandum, 35.

Quo pacto reperiatur in missa vera ratio sacrificii, IV, XIX; *de Euchar.* 37 *et seq.* Variæ de hoc theologorum sententiæ, *ibid.* Prima docet oblationem vocalem pertinere ad essentiam sacrificii, *ibid.* Quæ sententia rejicitur, 38. Secunda docet fractionem pertinere ad essentiam sacrificii, 39. Hæc etiam sententia communiter rejicitur, 40. Tertia satis communis docet essentiam sacrificii reperiri in consecratione, 41. Referuntur auctoritates Patrum pro hac sententia, *ibid. et seq.* Secundo probatur auctoritate eorum qui dicunt sacrificium non fieri feria sexta majoris hebdomadæ, 41 *et seq.* Aliæ exponuntur rationes, 45 *et seq.* Quarta essentiam sacrificii consistere in ipsa sumptione sacramenti, 46. Fundamenta hujus sententiæ, *ibid. et seq.* Pro utraque parte rationes sunt difficiles, 50.

Quomodo consecratio pertineat ad essentiam sacrificii, varie a theologis exponitur, *ibid.* 51 *et seq.* Nonnulli dicunt consistere in destructione panis et vini, quos bene confutat Bellarminus, *ibid.* Alii dicunt ad essentiam sacrificii non requiri destructionem, 52. Quæ sententia displicet, 53. Alii dicunt destructionem non esse de ratione sacrificii commemorativi, 54. Illi sententiæ favere videtur. S. Thomas, 56. Ille loquendi modus non sufficit ut in eo animus quiescat, 57. Alii dicunt consecrationem esse vere actionem consecratroriam, quia per eam vi verborum separatur corpus a sanguine, 61. Alia explicatio Cabasilæ Græci a Vasquezio impugnata, 61 et 63.

*Sententia Auctoris de essentia hujus sacrificii.* Consecratio et consumptio pertinent ad essentiam hujus sacrificii, *ibid.* n. 64. Explicatur quomodo consecratio sit essentialiter sacrificatio, 65. Aliud est destrui physice, aliud humano modo, 66. Inde facile explicatur quomodo per consecrationem sacrificetur corpus Christi, 67. Cum hoc tamen stat ipsam sumptionem pertinere ad substantiam et integritatem sacrificii, 68. Solvuntur objectiones, 69 *et seq.* Quomodo sumptio dici sequentis possit pertinere ad rationem sacrificii præcedentis, 71. Ex declaratione hujus dubii magis constabit quomodo sumptio pertineat ad essentiam sacrificii, 72. Possunt considerari in hoc sacrificio tres compositiones diversæ, 73. Cur licet in consecratione inveniatur sufficienter essentia sacrificii, sumptio pertineat ad sacrificium, 74. Ingeniose Deus in hoc unico sacrificio complexus est antiquorum sacrificiorum differentias, 75. Quam parum theologice in hoc puncto nonnulli theologi sunt locuti, 76. Solvuntur nonnullæ objectiones quæ contra prædicta possunt fieri 77 *et seq.* An ex vi præsentis decreti necesse sit ad oblationem hujus sacrificii quod præsupponatur Christus vivus, 85. An habuerunt Apostoli potestatem offerendi in triduo mortis Christi, 86.

An Christus sit offerens et tota res oblata in hoc sacrificio, IV, XIX; *de Euchar.* n. 90. *et seq.* Quomodo Christo competat nunc esse offerentem, *ibid.* Pater Suarez dicit Christum actu offerre, 92. Vix in hoc potest esse quæstio de re, 93. An hæc actio sit a Christo ut sacerdote, 94. Ostenditur quomodo hæc oblatio prout est a Christo sit bona, 96. An etiam in missa offerantur species sacramentales. 97. Species in consecratione se habent ex parte termini, 99.

Utrum ex dispensatione papæ possit consecrari unica species et utrum consecratio utriusque sit de essentia sacrificii, *ibid.* n. 100 *et seq.* Ex dictis infertur resolutio hujus dubii, *ibid.*. Aliqui affirmant posse papam dispensare, et de facto non semel fuisse dispensatum, *ibid.* Fundamentum præcipuum hujus sententiæ, 101. Alii e diametro contendunt non solum non posse dispensari, sed nec unius speciei consecrationem fore validam, 102. Hæc sententia debito modo explicata non est absurda, 103. Communis et vera sententia docet ita esse necessariam utriusque speciei consecrationem, ut nunquam, etiam ex dispensatione papæ, possit unica species licite consecrari, 105. Ratio cur dispensari non possit, 106. Solvuntur objectiones, 107 *et seq.* Confirmatur et explicatur præcedens doctrina, 109 *et seq.* Tota ratio conclusionis desumi debet ex Christi voluntate, 112. Differentia inter institutionem sacrificii et sacramenti, 115.

*De effectibus hujus sacrificii.* Quæ personæ offerant hoc sacrificium, IV, XIX; *de Euchar.* 122. Impetratio quomodo consideretur, 123. An hic valor impetrationis sit ex opere operato, 125. Sacerdos excommunicatus non potest nomine Ecclesiæ impetrare, 126. Hoc sacrificium ut est a Christo, habet etiam vim impetrandi, 128. Quod probatur ex ipsius institutione, 129. Nec obstat Christum non esse nunc in statu orandi, 130. Sacrificium hoc est etiam satisfactorium, seu propitiatorium, 133. Aliqui agnoscunt in hoc efficaciam quamdam,

universalem, 134. An hoc sacrificium conferat primam gratiam, 136. Communis et vera sententia negat talem efficaciam, 137. Fundamenta hujus sententiæ, *ibid. et seq.* Terminus impetrationis est diversus a termino satisfactionis, 141. An hic effectus delendi peccata mortalia sit infallibilis, 142. Distinguendus est effectus quem habet hoc sacrificium ut propitiotorium ab effectu quem habet ut impetratorium, 143. Hic effectus consequitur infallibiliter suo modo, 144. Quid dicendum sit quando missa offertur pro multis, 145. Hic tamen effectus potest impediri per obicem, 146. Est tamen hic effectus modo explicato infallibilis, 147. An hoc sacrificium conferat augmentum gratiæ non solum ut sacramentum, sed etiam ex opere operato, ut sacrificium, 150. An per accidens possit hoc sacrificium conferre primam gratiam, 151. An virtute hujus sacrificii possit haberi immediate remissio peccatorum venialium, 152.

An remissio pœnæ temporalis debitæ propter culpas remissas, sit effectus hujus sacrificii, IV, XIX ; *de Euchar.* n. 153. Affirmat communis sententia theologorum, *ibid.* Hic effectus nisi obstet obex, est infallibilis, 154. Ratio desumitur ex ipsa institutione sacrificii, 155. Quid dicendum sit de virtute hujus sacrificii in ordine ad bona temporalia, 157. An remissio pœnæ temporalis obtineatur per hoc sacrificium non solum ut impetratorium est, sed etiam ut propitiatorium, 158. An alii effectus qui non dantur infallibiliter, dentur ex opere operato, 159. An sacrificium quod Christus per seipsum in cœna obtulit habuerit eosdem effectus, quos nunc habet per ministros oblatum, 161.

*De iis quibus provenire potest effectus hujus sacrificii, quatenus pro ipsis offertur.* Dupliciter potest quis participare fructum hujus sacrificii, IV, XIX ; 163. Certum est primo fructum hunc aliis quam ipsi offerenti provenire, *ibid.* Quidam volunt nullum fructum sacrificii posse cathecumenis applicari, 164. Loquendo de impetratione, non est dubium quin possit cathecumenis prodesse, 165. Fructus satisfactionis ex opere operato non communicatur his personis, 166. Solvuntur objecta, 167 *et seq.* Cur fructus hujus sacrificii possit magis communicari defuncto baptizato, quam cathecumeno, 171.

An possit hoc sacrificium offerri pro non baptizatis ad impetrandum, *ibid.* n. 173. Sententia affirmans probatur, *ibid. et seq.* Satisfit objectionibus, 175 *et seq.* Ratio manifesta hoc ipsum ostendit, 179. Ratio a priori qua dissolvuntur argumenta, *ibid.* Explicatur locus Chrysostomi, 181. Item Augustini, 182. An possit hoc sacrificium offerri pro excommunicatis, 185. Intendit Ecclesia privare excommunicatum communibus suffragiis, non privatis, *ibid.* An possit licite sacerdos orare nomine Ecclesiæ pro excommunicato non vitando, 186. Affirmans sententia satis probabilis ostenditur, 187 *et seq.* Ratio a priori qua solvitur contrarium argumentum, 190.

An hoc sacrificium offeratur pro solis viatoribus et justis, *ibid.* n. 192. Certum est posse offerri pro detentis in purgatorio, *ibid.* Qui offert in gratiarum actionem, non offert rigorose pro illo cui beneficia sunt collata, 139. Certum est quoad impetrationem peccatoribus viventibus prodesse, 194. Quoad vero satisfactionem pro pœna temporali non prodest nisi iis qui sunt in statu gratiæ, *ibid.* An hic effectus satisfactionis peccato impeditus, postea reviviscat, obice ablato, 195.

Non requiritur ulla actualis devotio præter statum gratiæ, ad percipiendum hunc fructum sacrificii, 195. Probatur exemplo baptismi, 197. Crescit tamen effectus ex meliori dispositione, 200. Solvuntur objecta, 202 *et seq.* Discrimen inter sacrificium et satisfactionem propriam, 205. Inæqualitas effectus non solum desumitur ex devotione quam quisque habet erga hoc sacrificium, 207. Requiritur indigentia actualis in eo pro quo offertur, 209. Sed hoc non extenditur ad fructum meræ impetrationis, *ibid.*

*Qualis requiratur applicatio a sacerdote.* Quidam existimant non valide offerri a religioso contra voluntatem prælati, IV, XIX ; 210. Hæc sententia merito rejicitur, 211. Utrum sacerdos debeat offerre pro omnibus qui sunt Ecclesiæ membra, 219. Quoad impetrationem jure solum ecclesiastico offertur pro omnibus, 220. Quoad satisfactionem, nulla est obligatio offerre pro omnibus et singulis, 221. Hoc sacrificium exigit applicationem ministri ad determinandam ejus indifferentiam, 222. An si contra Ecclesiæ voluntatem sacerdos aliquem excluderet a fructu sacrificii, factum teneret, 223. Quid fiat de fructu si non applicetur, 225. Tunc saltem sacrificium prodest offerenti, 226. Non habebit tunc specialem fructum impetrationis, 227. De effectu satisfactionis aliter dicendum, *ibid.* Potest sacrificium offerri pro energumenis, 229.

*De iis quibus ut offerentibus, proveniunt fructus hujus sacrificii.* Qui ministrant, circumstantes, qui stipem dant, simul etiam offerre sacrificium certum est, *ibid* n. 230. An ii omnes participent fructum sacrificii ex opere operato, 231. Duplex sacerdoti fructus correspondet, ut privata ut et publica persona, 232. Licet omnes fideles sint aliquo modo offerentes in singulis missis, hoc non sufficit ut singuli habeant remissionem pœnæ ex opere operato, 237. Effectus qui fit ex opere operato et correspondet sacerdoti ut offerenti in persona Christi, non variatur pro meritis offerentis, sed illius pro quo offertur, 238. Hoc etiam constat in aliis materiis, *ibid.*

*Utrum hoc sacrificium habeat valorem infinitum.* Considerari potest valor ex opere operantis, et ex opere operato, IV, XIX ; 239. Valor hujus sacrificii potest diversimode comparari, *ibid.* Ipsa etiam Ecclesia est offerens prout utitur sacerdote, 240. Inter offerentes computantur specialius qui deserviunt sacerdoti celebranti, 241. Dubium est solum de valore prout provenit a Christo principaliter offerente, 242. Dubium est an hic valor sit infinitus, certum est non esse intensive, 244. Sententia Cajetani est hoc sacrificium tantum prodesse multis quantum singulis, 245. Verior sententia negat hanc infinitatem, 246. Ratio a priori desumitur ex supradictis, 251. In utroque *Memento* applicatur fructus impetrationis qui est

infinitus, 253. Quid sit secunda intentio in missa, 257.

*De loco, tempore et aliis circumstantiis hujus sacrificii.* De tempore hujus sacrificii celebrandi, IV, XX ; *de Euchar.* n. 1. Sententia communis affirmat sacerdotem esse obligatum ad celebrandum, *ibid.* Alii negant, secluso scandalo et obligatione, *ibid.* n. 2. Vel nulla culpa est, vel mortalis, n. 3. Variæ rationes adductæ ad probandam culpam esse mortalem, 5 *et seq.* Hoc præceptum colligitur ex verbis Christi, 8 *et seq.* Item ex praxi Ecclesiæ, n. 12. Hodie vix potest excusari a culpa gravi sacerdos non celebrans, n. 13.

An possit celebrari in triduo majoris hebdomadæ, *ibid.* n. 14 *et seq.* Quid intelligatur nomine auroræ in hac materva, *ibid.* n. 31 *et seq.* Crepusculum excepto Martio, ad minus durat per horam et dimidiam, *ibid.* Aliqui, secluso privilegio, semihoram ante auroram accipiunt, n. 32. An in hac obligatione non celebrandi ante auroram, detur parvitas materiæ, 34. Quæ pars temporis sufficiat ad peccatum mortale, 35. Omnes agnoscunt terminum temporis citra quem non possit absque culpa gravi celebrari, 37. Latius accipitur meridies quam aurora, et facilius extenditur hic terminus, quam anticipatur ille, 41. An liceat pluries eadem die celebrare, *ibid.* n. 43. Primus casus, in die Natalis, *ibid.* Secundus casus, quando necesse est celebrare ad dandum viaticum, 44. Tertius, quando finita missa supervenit episcopus aut princeps, 45. Quando sacerdos habet duas ecclesias, 45.

*De loco apto ad celebrandum hoc sacrificium, et de altaris ornatu.*

Olim poterat tantum celebrari in ecclesia consecrata, IV, XX ; *de Euchar.* n. 48. Excipitur 1° Casus necessitatis, *ibid.* 2° episcopus qui itineris causa potest celebrare in loco decenti cum altare portatili, n. 49. 3° Excipiuntur privilegiati, 51.

Ecclesia non debet esse violata quæ polluitur quinque modis. 1° Per effusionem sanguinis injuriosam, *ibid.* n. 52. 2° Per homicidium injuriosum, 53. In utroque tamen casu vulnus vel occisio debet fieri cum peccato mortali, 54. 3° Polluitur per voluntariam seminis effusionem, requiritur etiam in hoc casu culpa mortalis, 55. 4° Polluitur per sepulturam excommunicati denuntiati, 56. 5° Per sepulturam non baptizati, 57. Quid hic nomine ecclesiæ debeat intelligi, 58. Dubium de quibusdam locis publicis ab Ecclesia designatis ad celebrandum, 59. Ecclesia si polluatur debet reconciliari, 61. In casu necessitatis potest in ea licet polluta celebrari, 63. Vide *Ecclesir.*

De Altari ad celebrandum requisito, *ibid.* n. 67 *et seq.* Vide *Altare.*

Utrum in mari possit aliquando celebrari, *ibid.* n. 80. Vide *Mare.*

*De vasis et vestibus sacris, et aliis ad hoc sacrificium et requisitis.* Requiritur primo calix et patena, IV, XX ; *de Euchar.* n. 90 *et seq.* Hæc vasa debent esse consecrata ab episcopo, 91. Perditur eorum consecratio per fractionem, aut diminutionem, 93. Ratio a priori, *ibid.* Dubitatur de calice inaurato qui paulatim perdit aurum, vel denuo inauratur, 94. Variæ pro utroque casu sententiæ, 95. De pixide aut ciborio an debeat consecrari, 96. Quæ vestes sacræ ad hoc sacrificium requirantur, 98. Quando et quomodo perdatur benedictio harum vestium, 99. Quid dicendum de rupto cingulo, 100. Non est peccatum mortale celebrare sine cingulo benedicto, 102. Requiritur ulterius minister, possunt moniales respondere, 103. Minor requiritur necessitas ad celebrandum cum ministro nesciente, quam sine ministro, *ibid.*

De obligatione servandi ritum præscriptum, *ibid.* n. 104. An qui contra præceptum missalis dicit missam votivam, vel pro defunctis, peccet graviter, 105. An sit mortale omittere orationes dicendæ quando sacerdos vestibus sacris se induit, 106. An omittere *gloria* vel *credo*, quando dici debent, sit mortale, 107.

De justo missæ stipendio, vide *Missa.*

Sacrificia veterum sacerdotum, propter suam debilitatem, perpetua renovatione indigebant, II, VII ; *de Incarn.* n. 55.

Sacrificium Christi fuit expiatio peccatorum, III, XXIX ; *de Incarn.* n. 13. Sacrificii et sacerdotii sui fructum participavit Christus, *ibid.* n. 16. Sacrificium non obtulit Christus simpliciter pro se, n. 24. Sacrificium non minus quam adoratio latriæ, potuit offerri toti Christo, *ibid.* disput. XXXIV. n. 45.

SACRILEGIUM.

Sacrilegium quando addat speciem furto, VI, XVI ; 19.

SALUTATIO ANGELICA.

An fideles teneantur sub culpa scire salutationem Angelicam, I, XIII ; 134.

SANCTITAS.

Morum sanctitas, quam religio Christiana docet, est motivum credibilitatis, I, V ; 50. Vitæ sanctitas et puritas in iis qui credunt, aliud motivum, 51.

Sanctitas quo major est, magis repugnat cum peccato, II, V ; 54. Sanctitas Christi est substantialis, hominis vero accidentalis, *ibid.*

SANCTUS.

Sanctorum communio in symbolo apposita, ut sit intelligenda, I, XIII ; 112.

Sancti, præcipueque beati qui una Christo regnant, colendi sunt cultu sacro et plusquam civili, III, XXXV ; 1. Sancti coli possunt cultu non solum externo, sed etiam interno, *ibid.* n. 7. Sancti possunt adorari absolute, et respective, n. 8. Adoratio exhibita sancto non elicitur ab eodem habitu religionis a quo elicitur adoratio Dei, n. 12.

Ex sanctorum satisfactionibus constat thesaurus Ecclesiæ, ex quo indulgentiæ dispensantur, V, XXVII ; 34 *et seq.* Vide *Beatus*, *Satisfactio*. Sanctorum satisfactiones an semper applicentur, *ibid.* n. 54.

SANGUIS.

Licet sanguis non uniatur physice cum carne, est tamen pars hominis, III, VIII ; *de Euchar.* n. 9.

Totus sanguis Christi assumptus fuit hypostatice a Verbo, II, XIV ; 32. Sanguis in triduo mortis Christi mansit unitus Verbo, *ibid.* n. 39. Sanguis humanus effusus retinet per aliquod tempus formam substantialem sanguinis, quam habet in homine, n. 68. In triduo totus sanguis Christi effusus, mansit unitus divinitati, 70. Sanguis ille, si quis est, qui in terris reperitur, in spinis, in sudario, cruce, non habet jam unionem hypostaticam cum Verbo divino, 81. Christus in resurrectione non assumpsit totum sanguinem quem in vita habuit, 82. An Christus resurgens assumpserit sanguinem quem in horto effudit, an solum illum quem carnificum rubies vi tormentorum extraxit, 87 et 88. An veri sanguinis, quem Christus effudit, pars aliqua post resurrectionem, manserit in terris, 91 et 92.

SARTORES.

Sartorum famuli an possint vendere fragmenta, VI, XVI ; 83. An ipsi possint, *ibid.* 84.

SATISFACTIO.

Satisfactio Christi, licet fuerit rigorosa quoad æqualitatem et condignitatem pretii soluti, non tamen fuit rigorosa quoad modum solutionis, sed indiguit aliqua libera gratia Dei, attendendo ad rigorem justitiæ vindicativæ, II, III ; *de Incarn.* n. 138. Satisfactio Christi defecit a rigore justitiæ perfectæ, quia non fuit exhibita a persona debitoris, et quia potuit non acceptari a Deo, *ibid.* n. 18 Defecit etiam quia fuit ex acceptis a Deo, n. 31. Satisfactio Christi ad perfectam redemptionem generis humani fuit necessaria, *ibid.* disput. v. n. 2. Sine Christi satisfactione peccatum tolli non potuit nisi per Dei condonationem, *ibid.* n. 137. Satisfactio Christi, *emptio*, et *redemptio* in Scripturis appellatur, *ibid.* disput. v.n. 1.

Ad satisfactionem justitiæ sex conditiones requiruntur, II, IV ; *de Incarn.* in *Proœmio*. Utrum satisfactio Christi fuerit 1° *ad altérum*, *ibid.* n. 1 *et seq.* Utrum satisfactio Christi fuerit 2° *ab ipso debitore personaliter*, n. 8 *et seq.* Utrum 3° non potuerit non acceptari, n. 15 *et seq.* Utrum 4° Satisfactio Christi *non fuerit ex bonis creditoris*, 19 *et seq.* An 5° fuerit *ex alias indebitis creditori*, 25 *et seq.* An 6° non fuerit *ex gratuito acceptis* a *creditore*, 31 *et seq.* Ad satisfactionem justitiæ non requiritur distinctio suppositorum, sed sufficit distinctio naturarum, *ibid.* n. 2.

Satisfactionis condignæ negatio an debeat intrare in compositionem peccati habitualis, IV, VII ; *de Pœnit.* n. 67.

Satisfactio est pars sacramenti pœnitentiæ, *ibid. disput.* XII. n. 40. An verba quibus imponitur sint pars, *ibid.* n. 43.

*De satisfactione secundum se*, V, XXIV ; *Per totam disput.* Satisfactionem de condigno an possit dare homo pro pœna temporali, *ibid.* n. 1 *et seq.* Satisfactio qua homo justus satisfacit ex opere operato pro debito pœnæ temporalis, an sit dicenda de condigno et ad æqualitatem, *ibid.* n. 7 *et seq.* Satisfactio hominis justi, ut sit de condigno, an indigeat acceptatione Dei, ut expiet reatum pœnæ temporalis, an vero sine illa habeat totam suam virtutem et efficaciam, n. 12 *et seq.* Satisfactionis nostras acceptat Deus propter Christum, 15 et 18. Satisfactiones justi an sint de rigore justitiæ, n. 19. Sine satisfactione congrua an possit homo liberari a debito pœnæ per merita congrua, vel impetrationem, n. 20 *et seq.* Ad satisfactionem de condigno, an et quomodo requiratur status gratiæ, n. 24. Satisfacere proprie non potest peccator, *ibid.* vers. *Communis ergo.* Ad satisfactionem non reviviscunt opera facta in peccato, 26. Satisfactionis valor an crescat ex majori gratia, 27. Satisfactio ut valeat quo tempore gratia requiratur, 29. An satisfaciat de condigno qui opus bonum in peccato volitum, postea in gratia suscipit et perficit, 30. Satisfieri an possit pro pœna in statu puræ naturæ, 31.

Satisfactio an requirat opus honestum, liberum, pœnale, et ex intentione satisfaciendi, *ibid.* n. 32 *et seq.* Satisfactio an crescat ex majori honestate, 33. Satisfacere pro pœna temporali an possit homo per opera præcepta, 34 *et seq.* Satisfacere an possimus per sola opera pœnalia, 37 *et seq.* Satisfactio non est necesse quod procedat ex intentione satisfaciendi, 43 *et seq.* Satisfactionem super actum internum an addat actus et passio externa, 44. Satisfactio an ita augeatur per actum externum, ut non cit necesse quod perseveret physice voluntas interna, sed solum quod opus externum ex sola bona voluntate præcedenti procedat, 46 *et seq.* An satisfaciat qui præcipit fieri eleemosynam de suis pecuniis, non solum quando præcipit, sed etiam quando fit, concurrentibus cæteris necessariis, 54. Satisfacere an possit dormiens vel amens, 55. Inter satisfactionem et meritum differentia, 65.

Satisfactoriæ an et quomodo possint esse pœnæ ab extrinseco, et necessario provenientes, V, XXIV ; *de Pœnit.* n. 70 *et seq.* Satisfactoria an sint de condigno flagella extrinseca, 76. An sufficiat tolerantia sine actu, 77. Satisfactio an crescat per passionem flagelli externi solum quamdiu durat actus internus patientiæ, an etiam postquam præteriit, 78. Ad satisfaciendum pro peccatis quælibet mala deservire possunt, 79 *et seq.* Sed requiritur voluntas patiendi, 84.

Satisfactio an sit pars sacramenti pœnitentiæ, et an causet gratiam ex opere operato, V, XXV ; *de Pœnit.* n. 1 *et seq.* An sit pars integralis, vel essentialis, *ibid.* Satisfactionem causare gratiam sanctificantem qui tenuerint, *ibid.* n. 2. Probabilius est non causare gratiam sacramentalem, *ibid. et seq.* Satisfactio sacramentalis an aliqua conferat auxilia, n. 6 *et seq.* Satisfactionis sacramentalis affectus circa pœnæ remissionem, 16 *et seq.* Satisfactio quælibet an deleat omnem pœnam, 17. Quid si non sit æqualis, licet existimetur a sacerdote, 18. Satisfactionis valor an augeatur ex meliori dispositione pœnitentis, 26. An debeat attendi dispositio solum præterita, 27. Satisfactio an habeat effectum ante absolutionem, 28. Vide *Pœnitentia.* Satisfactio, indulgentia, et dispensatio voti in quo differant, 23 et 24.

Satisfactio peccaminosa an sit pars sacramenti, *ibid.* n. 33. Quid si fiat absque intentione, 34. Satisfacit pœnitens, qui non recordatur pœnitentiæ impositæ, eam adimplendo, 38. Satisfactio in peccato facta, an prosit tunc, vel postea, 39 *et seq.*

Satisfactionem qualem et quomodo debeat confessarius imponere, *ibid.* n. 47. Satisfactio pro aliis ad remissionem pœnæ an fiat solum per impetrationem, *ibid.* disput. XXV. n. 1 *et seq.* Vide *suffragium.* Ad satisfactionem pro debito pœnæ Petri, an sufficiat quod Paulus obliget se sub eadem pœna, si Petrus non satisfecerit, 8 et 9. Satisfactionem an possit homo justus omnino a se abdicare, 10. An possit transferre illam quæ ex opere operato provenit, 11 *et seq.* Satisfactionem sibi retinere an melius sit quam aliis applicare, 16 *et seq.* Satisfactio applicata pro aliquo an tantum ei prosit quantum prodesset ipsi satisfacienti 19. Satisfactionem suam pro alio applicans, minuit indirecte reatum pœnæ suæ, 20. vers. *Hinc obiter infero.*

Sacerdos in peccato celebrans impetrat, non satisfacit pro eo pro quo offert sacrificium, V, XXVI ; 27.

De satisfactione quæ per indulgentias applicari solet, disput. XXVII. *per totam.* Vide *Indulgentia.* Ex satisfactionibus et meritis Christi constantem thesaurum dari, de fide est, *ibid.* n. 33. Constat etiam ex satisfactionibus sanctorum, 34. Nec solum ex meritis congruis, 35. Satisfactiones præteritæ sanctorum an possint prodesse de condigno, 36 *et seq.* Satisfactio Christi semper applicatur in concessione indulgentiæ, 49. Satisfactiones Christi et non solum ejus merita concurrunt ad remissionem pœnæ per sacramenta, ex opere operato, 51.

SATISPASSIO.

Satispati potest dormiens aut amens, sed non potest satisfacere, V, XXIV ; *de Pœnit.* n. 55. Ad satispassionem an prosint aliquando mala quæcumque, sine actu patientiæ, *ibid.* n. 83 *et seq.* Duæ conditiones ad eum effectum requisitæ, n 85.

SCANDALUM.

Scandalum ne ex sua actione culpabili, vel omissione sequatur, magis tenetur homo procurare, quam ex actione, vel omissione inculpabili, et inadvertenter facta, V, XXII ; 66. Scandalum qui dat non intendendo, nec volendo directe ruinam proximi, quomodo sit causa peccati alieni, *ibid.* 69. In scandali confessione an explicanda sit species peccati ad quod inducit, *ibid.* disp. XXVI. n. 155.

SCHEDULA.

Schedula an dari debeat non absoluto, V, XXIII ; 86. vers. *Si Pœniten.* Schedulam negare an sit contra sigillum, 87.

SCHISMA.

Schisma quid sit II, XXV ; *de Fide* 35. Schisma quotupliciter fieri potest, *ibid.* Schisma debet esse cum rebellione erga Pontificem in spiritualibus et prout exercet potestatem pontificiam, *ibid.* n. 36.

SCHISMATICUS.

Schismaticus non est qui pontifici non obedit ut principi temporali, II, XXV ; *de Fide*, n. 36. Schismaticus non est qui negat Pontifici subjectionem quia dubitat de electione ejus legitima, vel de ejus potestate, *ibid.* Variæ schismaticorum pœnæ recensentur, *ibid.* disput. XXV. n. 37 *et seq.*

Schismatici plures quomodo contrahant invalide matrimonium, III, VIII ; *de Sacram. in gen.* n. 128 *et seq.*

SCHOLARES.

Scholaris societatis Jesu, qui post vota biennii retinet adhuc dominium bonorum suorum, super quæ intentatur ei lis a sæcularibus, an possit conveniri coram judice conservatore ejusdem societatis, VII, libro IV ; *Dubio* 38. n. 9. Vide *Societas Jesu*.

SCHOLASTICUS.

Scholasticus qui suffragium inutiliter dedit, an debeat restituere, VI, XIX ; 69. Scholasticos subtrahens alteri magistro an restituere teneatur, *ibid.* disp. XVIII. 109 *et seq.* Vide *Restitutio*. Scholastici cui desunt substantialia, invalidum est suffragium, *ibid.* disput. XIX. n. 55 *et seq.* Scholastico an competat jus suffragii ex officio, *ibid.* n. 63.

SCIENTIA.

Scientia habita ex confessione quomodo uti possit confessarius V, XXIII ; *de Pœnit.* 92. An et quomodo prælatus cauti possit ad subditorum gubernationem, *ibid. et seq.* Scientia ex confessione habita uti prohibitum videtur non solo jure humano, *ibid.* n. 94 et 95. Scientia habita ante confessionem uti potest confessarius, n. 99. Nullo modo habita ex confessione, 100. Scientia habita ex confessione cui usui possit esse confessario, 101 *et seq.* Sciendi impotentia duplex est, et diversos effectus habet, VI, XIV ; 84.

Scientia acquisita Christi potest considerari dupliciter, I, II ; 75. Assensus fidei non impedit assensum scientificum ejusdem objecti, nec unus assensus scientificus per unum medium demonstrativum, impedit aliud per aliud medium demonstrativum, *ibid.* n. 76. Scientia quo sensu dici possit magis certa quoad nos quam fides, *ibid.* disp. VI. n. 34. Scientia infusa an possit esse certior fide, *ibid.* n. 52.

Scientia increata Dei cum intellectu, vel anima rationali de potentia obsoluta uniri non potest, II, XVIII ; *de Incarn.* n. 3. Scientia dupliciter dicitur infusa, *ibid.* disput. XX. n. 1. Scientia per se infusa, distincta a beata communiter conceditur Christo, *ibid.* n. 3. Hæc scientia est supernaturalis secundum substantiam, prout terminatur ad omnia objecta, n. 7. Res naturales possibiles sunt objectum scientiæ infusæ, n. 34. Scientiæ infusæ objectum formale vel materiale non est unum, sed plura diversa, 52. Scientiæ infusæ habitus distinctus a speciebus an sit in Christo, 53 et 55. Et an hic habitus sit unus vel multiplex, 56 et 59. Scientiæ infusæ habitus differt ab habitu luminis gloriæ, 61.

Scientiæ infusæ species an sint plures, *ibid.* n. 63 et 65. Aliquo modo debent esse supernaturales, si objectum sit supernaturale, 67. Datur species supernaturalis objecto etiam naturali scientiæ infusæ, 71.

Scientia infusa Christi extenditur ad plura objecta quam scientia naturalis, *ibid.* n. 73. Excedit scientiam angelorum simpliciter, 74. Potuit ea uti Christus cum vel sine conversione ad phantasmata ex divo Thoma, 75. Non potuit per hanc scientiam discurrere, 77. Non indiguit apprehensionibus ad usum, 79. Scientiæ infusæ Christi omnes actus sunt certi, 80.

Scientiam similem nostræ habuit Christus præter beatam et infusam, II, XXI ; *de Fide.* n. 1. Non habuit aliquo tempore similem nostræ independenter a phantasia, nec eam habuit perfectam in infantia, *ibid.* n. 5. Scientia nostra fundatur in experientia sensuum, n. 8. Scientia Christi differt a scientia Salomonis et Adæ, n. 9. Per scientiam acquisitam cognovit Christus objectum sensuum externorum, 17. Substantias ipsas per species alienas, *ibid.* Substantias etiam materiales per species rerum materialium, *ibid.* Species cordis et cogitationes occultas, 18. Cognoscit omnia existentia, 19. Cognoscit et plura alia ex possibilibus per species sumptas ex rebus nunc existentibus, 20. Per scientiam acquisitam nunquam Christus exercuit discursus formales circa aliquod objectum, 32.

SCRIPTURA.

Quomodo possint intelligi aliqua Scripturæ et Patrum loca, quibus videtur nostra fides resolvi in opera miraculorum, vel aliquid creatum, tanquam in rationem credendi, I, VII ; 131.

SECRETUM.

Sub secreto tenetur confessarius servare audita in confessione, V, XXIII ; 1. Quæ sit radix hujus obligationis, *ibid. et seq.* Secreti hujus servandi obligatio an sit ex jure positivo, vel ex jure naturali, *ibid.* n. 5 *et seq.* Secretum confessionis cur non liceat revelare, n. 10.

Quinque sunt secretorum genera, VI, XIV ; 135. Ex qua virtute oriatur obligatio servandi secretum, 135. Non omnis violatio secreti est contra justitiam, 137. Quatenus peccat contra fidelitatem, non est injustitia, 138. Promittens secretum an intendat se obligare etiam ex justitia, 139. Quid quando secretum non est commissum, sed solum promissum, 140. Tunc non obligaris ad servandum secretum, quando alias tenebaris manifestare, 141. Secretum etiam commissum ali quando non obligat, 142. Quod genus bonorum

auferat violatio secreti, 143. Cui decalogi præcepto opponatur, 144. Litteræ prælato a subdito missæ sub secreto an possint aliis communicari, 145. Illa particula *soli* an omnes alios excludat, 146. Ex quibus aliis causis possit prælatus litteras illas communicare, 147. Vide *Litteræ*.

Ad secretum quando obligentur judices, VII XXXVII ; 193.

SECTA.

Sectæ nomen unde dictum, I, XX ; 1.

SEMINARIUM.

Seminarii convictores an reputentur ut familiares societatis Jesu, VIII, libro IV ; *Dubio* 33. An rectores seminariorum possint benedicere sacra ornamenta, *ibid. Dub.* 39.

SENATUS.

Senatus vel capitulum generale, quomodo obligentur suis legibus, VIII, libro VI, *Dubio* 20. v. 9. quando præcipit, ne congregetur nisi tali loco, vel ne agatur ibi de tali materia, *ibid.* v. 6.

SENTENTIA

Sententia justa vel injusta quam vim habeat, VII, XXXVII ; 185. Quid in dubio, vel quando est partim justa, et partim injusta, 186. Aliqua corollaria, 187. Quid si per sententiam materialiter injustam aliquis excommunicetur, 188. Si declaretur nobilis, quid ? 189. Si beneficio privetur et spolietur, quid ? 190. An sententia illa conferat verum titulum, 191. An victor debeat renuntiare beneficium, 192.

SEPULTURA.

An liceat catholici amici sepulturæ interesse quando ritu hæretico celebratur, I, XIV ; 159. Ad quid teneantur catholici ne videantur communicare cum hæreticis in eorum ritibus circa sepulturas catholicorum, quos ministri hæretici sepelire volunt suo ritu et in suis ecclesiis, *ibid.* n. 160. Vide *Funus*. Hæretici an possint in loco sacro sepeliri, II, XXIII ; *de Fide* n. 118.

Sepulturæ jus quid sit, VII, XXIV ; 314. Sepulturæ electio quibus competat, *ibid.* 315. Ad id quando non liceat inducere, 316.

SERVITUS.

Servitus licet afferat ex parte domini dominium proprietatis et jurisdictionis, vera tamen servitus sine aliqua jurisdictione esse potest, II, III ; *de Incarn.* n. 24. Licite potest homo hominem servum facere, V, VI ; *de Just.* n. 10. Quatuor tituli justæ servitutis, et primus est de jure belli, *ibid.* n. 11. An infantes in bello fieri possint servi, 12. Secundus titulus in pœnam, 13. Tertius titulus ex venditione, 14. Quartus titulus ob servitutem matris, 15. De justitia hujus tituli aliorum ratio, 16. Verior ratio affertur, 17. Quid si in ea provincia non fuisset talis lex, an mater translata pareret filium servum, 18. Christianus an possint esse servi infidelium, 19.

SERVUS.

Servi apud Hebræos post septennium fiebant liberi, si tamen eligebant manere in servitute, perforabuntur eorum aures, et deinceps tenebantur obedire, II, III ; *de Incarn.* n. 13. Servus ut servus nullum potest habere jus adversus dominum, *ibid.* n. 45. Servitium dupliciter accipitur, primo pro obsequio debito ex justitia, secundo pro quolibet obsequio præstito a servo respectu domini, n. 119.

An Christus sit servus Patris, III, XXVIII ; *de Incarn.* n. 7. Adducuntur rationes variæ sententiæ affirmantis Christum esse servum Patris, *ibid.* Servus non est dicendus in locutione propria, sed solum impropria, ex veriori sententia, *ibid.* n. 16. An altem possit dici servus cum reduplicatione, 41.

Servus an maneat jure naturæ obnoxius pro damno illato, V, VIII ; *de Justitia*, n. 45. Probatur non esse obligationem ante sententiam, 46. Aliæ rationes ad idem ex Molina, 47. Servus an maneat servus eo instanti quo manumittitur, *ibid.* disp. II. n. 30 et 31.

Utrum servus possit habere dominium aliquorum rerum, et præsertim circa bona corporis, *ibid.* disp. III. n. 19 *et seq.* Servo inferri potest injuria a domino in bonis corporis et famæ, et est obligatio restituendi, *ibid.* An percutiens servum alienum debeat et servo, et domino restituere, *ibid.* n. 20. Servus ut consulat vitæ et membris suis potest licite fugere, item si sollicitetur ad turpia, 21. Non potest dominus prohibere ne servus contrahat matrimonium, 22. An ex justitia debeat non impedire usum matrimonii, nec mittere servum in loca remota, 23. Thomæ Sanchez sententia examinatur et probatur, 24 et 25. Sententia Auctoris, quando aliquis post matrimonium se vendit in servum, 28. Quid si in bello

justo servus fiat, 29. Quid si ante matrimonium in servum se vendat, 30. Quid si obliget se domino ad non ineundum matrimonium, 32. An in eo casu matrimonium subsequens esset validum, 33. Impugnatur aliquorum ratio, 34. Item ratio P. Suarez, 35. Verior ratio cur matrimonium illud valeat, 36 et 37. Quanta sit obligatio domini quando consensit in matrimonium servi, 39. Non potest unquam dominus ex industria impedire usum matrimonii servo, 40. Peccat etiam contra charitatem impediendo in aliquibus casibus 41. Potest etiam ab Ecclesia cogi ad servum vendendum, 42.

*Quomodo servus habeat jus circa bona famæ et fortunæ.* Servus habet jus ad bona spiritualia, V, III; *de Justitia*, n. 43. Et ad famam etiam etiam contra dominum, 44. Pecunia data servo pro injuria ei illata in fama, an acquiratur domino, 45. Quidquid servus acquirit, acquirit domino *ibid.* Sententia negans acquiri domino, in eo casu, 46. Respondetur sub distinctione, 47. Quæ servus ludo lucratur, an acquirat domino, 48 et 49. Quid si lucrum esset magnum, 50. Licentiam dominus frequenter concedit revocabilem, aliquando irrevocabilem, 51. Servus quando acquirat sibi lucra ex proprio labore, 52. Quid de iis quæ ei ab aliis donantur, 53. Donator potest excludere dominum, et facere quod acquiratur soli servo, 54 et 55. Non est idem de religioso, 56. Alia differentia inter religiosum et servum. quoad interpretationem legati, 57. Potest etiam donator obligare dominum ad dandam licentiam servo, 58. Si non prohibeatur dominus, ei acquiritur, 59. Nec sufficit desiderium solum donatoris, ut servo acquiratur, 60. Exempla plura ex aliis materiis, 61. Ratio a priori hujus doctrinæ, 62 et 63. Differentia quoad hoc inter religiosum et servum, 64. Si servus nolit acceptare, non acquiritur domino, 64 et 65. Quid de iis quæ servus sibi de cibo detrahit, 66. Quid de iis quæ habebat ante servitutem, 67. Quis succedat in bonis servi morientis, 68. An possit in morte de iis disponere, 70. Quid si nihil de iis disponit, 71. Distinguendum est juxta diversitatem bonorum, 72.

